OPERA
MORALIA
ANTONII
CELLADEI

IN

Octo Libros diſtributa & tribus in Partibus
comprehenſa.

NAPOLI

ANTONII CELLADEI

SEV R^mi. P. MICHAELIS DE ELIZALDE
Societatis Ieſu Echalarrenſis, primum in Hiſpania, deindè in Collegio Romano Theologiæ Profeſſoris, & in Provincia Neapolitana ſtudiorum præfecti, atque in Curia in Congregatione pro Immaculata Conceptione, atque in aliis
REGII THEOLOGI,

DE RECTA

DOCTRINA MORUM.

Prima pars diviſa in quatuor Libros.

I. Eſt Præambulorum circa conſueta probabilia.
II. De natura Probabilitatis poſitivæ, & realis, ſeu conſcientiæ.
III. De illius ſufficientia pro regula morum.
IV. De dubiis, deque illorum recta ſolutione.

Acceſſit Appendix de natura opinionis.

Cum Indicibus Quæſtionum, & Rerum præcipuarum.

Nunc ſecundo in lucem prodit

Addito quodam, nempe quæſtiuncula ad Logicam Moiæ.

FRIBURGI,
APUD DAVIDEM IRBISCH.
M. DC. LXXXIV.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EM. NAPOLI

Digitized by Google

INDEX
QUÆSTIONUM,
ET PARAGRAPHORVM, QVÆ IN HAC PRIMA PARTE CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS

Præambulorum circa conſueta probabilia.

QU. I. *SCopus, & ſeries, & ratio operis ad Lectorem, vel Cenſorem.* pag. 1.

§. 1. *In ſolam doctrinam Religionis non nimium declinandum, aut è contra in doctrinam ſolam morum.* ibid.

2. *Conſilium ſcribendi.* 2.

3. *Controverſia probabilium utriuque.* ibid.

4. *Scopus operis.* ibid.

5. *Diviſio operis.* 4.

6. *Cur tamen opus offendere poſſit contra conſuetum eſt.* 5.

7. *Etiam quia contra conſuetum largius eſt.* 6.

8. *Quis demùm fructus operis ſperandus.* 8.

II. *Utrum ad iſtam probabilium cauſam faciat quod ſcriptum eſt,* jugum meum suave eſt, *&c. Ubi quibus ſit illud ſuave.* 9.

§. 1. *Ad quæſtionem breviter reſpondetur.* ibid.

2. *Quibus ergo, & unde ſit ſuave jugum Chriſti.* 10.

3. *Charitas non quidem otioſa, ſed operans facit ſuave jugum Chriſti.* 11.

4. *Via contraria potius illud reddit difficillimum.* 12.

5. *Quomodo multa ergo faciliora fiant non ablatione, ſed additione.* 13.

6. *Ratio à priori dictorum.* 15.

7. *Ergo prorſus vanè objicitur Janſeniſmus.* ibid.

III. *Utrum uſus opinandi, & ex opinione vivendi ſit antiquus, vel novus.* 16.

§. 1. *Quid utrinque allegetur.* ibid.

2. *Uſus opinandi, & ex opinione vivendi antiquitas.* 17.

IV. *Quid, & quotuplex opinio probabilis eſſe tradatur.* 18.

§. 1. *Quid opinio probabilis.* ibid.

2. *Quotuplex opinio probabilis.* 19.

3. *Aliæ illius diviſiones.* ibid.

4. *Quæ ergo opiniones re ipſa habeantur probabiles maximè in praxi.* 20.

V. *Quid generaliſſimè tradatur de uſu licito opinionum probabilium, & an demùm non ſolum opinio probabilis, ſed omnis ſua unicuique opinio conſtituatur pro regula morum.* 20.

§. 1. *Quid tradatur de uſu licito opinionum probabilium.* 21.

2. *Quomodo unicuique ſua demum opinio, & exiſtimatio tradatur pro regula.* 22.

VI. *Quæ ſint doctrinæ ſic generaliter propoſitæ generalia fundamenta.* 23.

§. 1. *Aliqua fundamenta.* ibid.

2. *Alia fundamenta.* 24.

VII. *Utrum ergo propoſita via Probabilium nimiam autoritatem tribuat privatis Doctoribus in doctrina morum.* ibid.

§. 1. *Propoſita via Probabilium æquat, quin præfert Autorem quemque gravem Romano Pontifici, & Conciliis Generalibus.* 25.

2. *Quod Autor gravis errare queat, ſecùs verò Romanus Pontifex, non ſufficit pro diſparitate.* ibid.

3. *Infallibilitas veritatis in doctrina morum eſt rectitudinis morum gratia tanquam finis.* 27.

4. *Ampliorem etiam faciunt autoritatem gravis Autoris, quam Romani Pontificis vel Eccleſiæ.* 28.

5. *Ergo & autoritas indoctiorum eſt major, doctiorum autem minor, & doctiſſimorum minima.* 29.

6. *Hinc patet, cur indoctiores ſint magis expetibiles, & doctiores faſtidioſi, qui etiam paradoxi, & pertinaces exiſtimari ſoleant.* ibid.

7. *Collatio Autoritatis Pontificiæ, & Autoris gravis in concurſu.* 30.

VIII. *Utrum contra lumen naturæ, ſit, quod hæc via probabilium ſe ipſam per ſe ipſam tueri velit, dicendo, quæcumque aſſerantur, ſe manere probabilem?* 32.

§. 1. *Hæc inimpugnabilitas declaratur magis ex celebri Autore* ibid.

2. *Eſt tamen illa contra mentem, & facta ſapientum omnium etiam adverſariorum.* 33.

3. *Demonſtratio Logica contra prætextam inimpugnabilitatem.* 34.

4. *Aliter etiam demonſtratur.* 35

IX. *Utrum per ſententiam gravium Autorum uſum probabilium approbantium nihil juvetur praxis aliquorum quaslibet librorum opiniones ſectantium.* ibid.

§. 1. *Concluſio affirmans, nihil juvari.* 36.

2. *Vaſquio in exemplum adducto res oſtenſive demonſtratur.* 37.

3. *Ergo ſyllogiſmi conſcientiæ dictam praxim ſequentium claudicant.* 38.

X. *Ergo ex ſenſu Autorum requiritur de ipſa probabilitate rectè judicare poſſe, nec hoc facere poſſunt ipſius Moralis ſcientiæ directa expertes.* 40.

§. 1. *Declaratio, & comprobatio concluſionis.* ibid.

2. *Ipſius moralis ſcientiæ directa ignari nequeunt judicare de probabilitatibus.* 41.

3. *Concluſionis probatio.* 42.

XI. *Utrum qui diceret omnes librorum non notatas opiniones eſſe probabiles, & tutas inanem redderet Theologiam Moralem.* 44.

§. 1. *Videtur ſequi.* ibid.

2. *Major declaratio, & confirmatio.* ibid.

3. *De rebus, de quibus nullæ ſunt adhuc opiniones.* 46:

XII. *Utrum ergo nemo corde credat prædictam poſitionem.* ibid.

§. 1. *Reſponſio, & probatio.* ibid.

XIII. *Utrum etiam qui in aliquibus doctrinam ſuã contradictoriam tutam dicit, reddat in talibus ſuum laborem, & librum inutilem.* 47.

§. 1. *Reſponſio affirmativa ad quæſtionem.* 48.

2. *Materia belli propoſita: concluſio magis declaratur, ac rei momentum urgetur.* 49.

XIV. *Utrum non inutile modò, ſed illicitum etiam videatur, doctrinas, quas tutas ſanasque putas, oppugnare, & quatere.* 51.

§. 2. *Reſponſio affirmans.* ibid.

XV. *Utrum ſi conſuetum probabile alicubi ſit regula, ſit ubique regula in judiciis, &c. ſine exceptione.* 53.

§. 1. *Autorum mens circa judicia.* ibid.

2. *Limitatio, & exceptio judiciorum prorsùs tenenda.* 34.

3. *Inconſequens tamen eſt in via probabilium.* 56.

4. *Ergo etiam in bello eſt inconſequens exceptio.* 57.

5. *Ergo bellum non neceſſitatis, ut ait Auguſtinus, ſed voluntatis erit.* 58.

XVI. *Utrum uſus probabilium contradictoriorum perindè quoad mores ſit, atque ſi admitteretur Heracliti opinio de* eſt ſimul, & non eſt? 59.

§. 1. *Reſponſio ad quæſtionem:* 60.

2. *Ulterior collatio,* 61.

3. *Collatio etiam cum Protagora, & Democrito.* 62.

XVII. *Utrum opinio tradens, nos agere, conſulereque poſſe contra propriam opinionem, vel contradictoria verificet, vel ſenſum non habeat.* 63.

§. 1. *Concluſio, & illius probatio.* 64.

2. *Ulterior argumentationis declaratio.* ibid

3. *De famoſa quadam ſolutione.* 65.

4. *Interpretatio Autorum prædictam opinionem docentium.* 66.

5. *Illa præterea præjudicat convictui humano, & ſocietati.* 67.

LIBER II.

De natura probabilitatis realis, & poſitivæ. 69.

Qu. I. *VTrum ſatis explicetur probabile recurrendo ad fundamenta gravia, & hoc genus alia.* ibid.

§. 1. *Explicationis inſufficientia.* ibid.

2. *Ulterior declaratio, & confirmatio ex Apoſtolo.* 70.

3. *Data explicationis aliud inconveniens.* 71.

II. *Utrum ergo malè etiam explicetur probabile recurrendo ad prudentes, & prudentiam.* ibid.

§. 1. *Recurſus propoſitus non eſt doctrinalis.* ibid.

2. *Major rei declaratio ex definitione prudentiæ.* 72.

III. *Utrum ad reflectendum, & inter probabilia diſtinguendum cogat autoritas Auguſtini.* 73.

§. 1. *Academicorum probabile.* ibid.

2. *Auguſtini mens, & verba.* 74.

IV. *Utrum ergo hinc primùm repellenda ſit omnis probabilitas, & certitudo etiam purè ſophiſtica? Et in quo iſta conſiſtant.* 75.

§. 1. *Doctrinæ explicatio, & confirmatio.* ibid.

2. *Ulterior doctrinæ comprobatio.* 76.

V. *Utrum detur aliquod probabile etiam contra certum, & ideò probabile conſcientiæ, & probabile opinionibus dari ſolitum prorsùs differat.* 78.

§. 1. *Affirmat ex ſententia omnium.* ibid.

2. *Oſtenditur probabile opinionibus dari ſolitum ſalvari etiam contra certum, evidens.* ibid.

3. *Dictorum confirmatio ex caſu in ſpecie de phyſica prædeterminatione, & ſcientia media.* 79.

4. *In quo ergo conſiſtat probabilitas opinionibus dari ſolita.* ibid.

VI. *Utrum ergo hinc pateat, quid ponant in eſſe approbationes, & ſubſcriptione opinionum, & librorum, & quomodo ſuperiores prohibeant libros habentes eas ſubſcriptiones.* 80.

§. 1. *Aliqui in his æquivocantur.* ibid.

2. *Probabilitas videtur eſſe intranſferibilis.* ibid.

3. *Quid ergo ponant in eſſe approbationes ordinariæ Reviſorum.* 81.

4. *De citationibus, & ſubſcriptionibus.* 82.

5. *Quomodò ergo ſuperiores prohibeant opiniones antea probabiles, & probabilitas auferatur.* ibid

6. *Opiniones ergo, quæ factæ ſunt improbabiles, nunquam fuere recta regula morum.* 83.

VII. *Utrum etiam detur alia probabilitas purè negativa differens à probabili conſcientiæ.* ibid.

§. 1. *Quid ſit opinionem aliquam eſſe purè negativè probabilem.* ibid.

2. *Dantur probabilitates purè negativæ.* 84.

3. *Huc pertinent probabilitates inductæ per puram defenſionem; & per aliorum impugnationem, & per paritates.* 85.

4. *Huc etiam pertinet alia probabilitas pure comparativa, & ad hominem.* 86.

5. *Concluſio præcedentium, & corollaria.* 87.

VIII. *Utrum in omni contradictione fundamenta utriuſque partis nequeant eſſe gravia neque quoad nos.* 87.

§. 1. *Status quæſtionis; & declaratio.* ibid.

2. *Quid videatur tenendum.* 88.

3. *Probatio concluſionis.* ibid.

4. *Quædam æquivocatio repellitur.* 89.

5. *Fundamenta contradictionis qualiter ſint gravia in ſenſu diviſo.* ibid.

IX. *Utrum ergo in omni contradictione fundamenta alterutrius partis non ſint ſimpliciter gravia, ſed ſolum ſecundum quid, & ſophiſtice, & ex ignorantia.* 91.

§. 1. *Quid videatur dicendum.* ibid.

2. *Argumentum difficile in contrarium.* 92.

3. *Solutio facti argumenti.* 93.

X. *Utrum ergo concluſiones contradictoriæ poſſint ſimul eſſe probabiles multipliciter: non vero probabilitate reali, & conſcientiæ.* 93.

§. 1. *Poſſunt eſſe multipliciter probabiles.* ibid.

2. *Non verò probabilitate reali, & conſcientiæ.* 64.

3. *Quomodo tamen poſſimus ſequi doctrinas contradictorias ſine peccato.* 95.

XI. *Utrum non ſolum verum, ſed demonſtrabile etiam videatur, duas concluſiones contradictorias non eſſe ſimul probabiles probabilitate conſcientiæ.* 95.

§. 1. *Concluſio affirmans probatur primùm de probabili ab extrinſeco.* ibid

2. *Occluduntur effugia.* 96.
3. *De alio effugio.* 97.
4. *Demonſtratur univerſaliter.* ibid.
5. *Solutio quædam examinatur.* 98.
6. *De quodam dicto de ſimultate probabilitatis, & probabilitate ſimultatis.* 100.
XII. *Utrum totam præcedentem doctrinam ſemper ſuppoſuerit D. Thomas.* 101.
XIII. *Utrum proindè ponens, doctrinas contradictorias eſſe probabiles; & tutas doctrinas non ſanas faciat ſanas.* 103.
§. 1. *Reſpondetur ad quæſtionem affirmativè.* ibid.
2. *Ulterior comprobatio.* ibid.
XIV. *Utrum ergo probabilitas realis, & conſcientiæ non ſit quærenda in contradictoriis ſimul, ſed in aliquo magis ſe habente ad verum.* 104.
§. 1. *Reſpondetur illativè ad quæſtionem.* 105.
2. *Commendatio concluſionis, & probatio ex dictis.* ibid.
XV. *Utrum ergo operans non tollendo indifferentiam ad verum, & falſum, velit ſcienter tranſgredi legem Dei.* 108.
§. 1. *De origine harum controverſiarum juxta Baronium.* 109.
2. *Quid in quæſtione videatur tenendum.* ibid.
3. *Alia concluſionis viſibilior probatio.* 110.
4. *Concluſio totius doctrinæ, & comprobatio.* 111.
XVI. *Utrum ergo probabile ab intrinſeco ſecundum ſe ſit, quod ferè ſemper eſſe ſolet.* 112.
§. 1. *Definitiones probabilis ex Ariſtotele.* ibid.
2. *Declaratio, & confirmatio definitionis.* 113.
3. *Ulterior probatio.* 114.
4. *Major comprobatio ex D. Thoma.* ibid.
5. *Explicatio ſecundæ partis definitionis.* 116.
XVII. *Quid ſit aliud probabile ab intrinſeco ſolùm tale quoad nos, cum fundamento tamen in re.* 117.
XVIII. *Utrum ergo ſimiliter probabile ab extrinſeco ſit, quod fundatur in Autoritate plerumque vera.* 118.
§. 1. *Quid ſit dicendum.* 119.
2. *Ulterior comprobatio.* 120.
XIX. *Utrum data Autoritatis explicatio conſtet etiam ex juribus, & doctrinis communibus de teſtibus.* 121.
§. 1. *Quid dicendum.* ibid.
2. *Autorum, & teſtium æquiparatio.* 122.
XX. *Ex his clarè deducuntur gradus Autoritatis, & quæ opiniones ſint prehabendæ.* 124.
§. 1. *De gradibus Autoritatis.* ibid.
2. *De electione opinionum.* ibid.
3. *De aliis conſectariis.* 125.

LIBER III.

De ſufficientia probabilitatis ad mores 127.
Qu. I. *Utrum probabile explicatum, ſeu opinio probabilis ſit recta regula morum.* ibid.
§. 1. *Rationes dubitandi.* ibid.
2. *Ad quæſtionem reſpondetur.* 129.
3. *Ulterior probatio concluſionis.* 130.
4. *Ad argumenta reſpondetur.* 131.
II. *Quomodo ergo ex probabilibus formari poſſit dictamen conſcientiæ? Ubi de illius certitudine, vel incertitudine.* 132.
§. 1. *Reſpondetur ad quæſtionem ex D. Thoma.* 133.
2. *Impoſſibile eſt ſemper ſaltem formare dictamen certum, & evidens.* 134.
3. *Sententia S. Thomæ de fallibilitate conſcientiæ amplius perſuadetur.* 135.
4. *Defectus infallibilitatis non reddit nos nimiùm timidos.* 136.
5. *Non eſt ergo neceſſarium dictamen infallibile.* 137.
III. *Quomodò prudentia ſalvetur in probabilibus, & quid illa ſit, & quæ illius veritas.* 139.
§. 1. *Rei difficultas.* ibid.
2. *Quid ſit prudentia, & quæ ejus veritas.* 140.
3. *Ulterior probatio veritatis prudentiæ.* 142.
4. *Ex veritate prudentiæ ceſſant omnes præcedentes controverſiæ de probabilibus.* 143.
5. *Quomodo ergo per prudentiam verum ſemper dicamus.* 144.
IV. *In idem. Utrum ergo vera ſit doctrina S. Th. quod voluntas concordans rationi erranti nunquã eſt bona.* 144.
§. 1. *Argumenta in contrarium.* ibid.
2. *Doctrina S. Thomæ.* 145.
3. *Comprobatio doctrinæ S. Thomæ.* 146.
4. *Hujus doctrinæ concordia cum vera Theologia.* 147.
5. *Argumenta ſolvuntur.* 148.
6. *Aliud argumentum difficile ex conſcientia erronea ligante.* 150.
V. *Utrum ergo omnis ratio probabilis reducatur ad conſcientiam vel rectam, vel erroneam, id eſt, vera ad rectam falſa ad erroneam.* 150.
§. 1. *Explicatur quæſtio.* ibid.
2. *Concluſio.* 151.
3. *Ratio probabilis falſa pertinet ad conſcientiam erroneam.* ibid.
4. *Quædam æquivocatio removetur.* 152.
VI. *In idem. Utrum ergo in tantum ſcire quis poſſit nec plus, nec minus, ſe non peccare, in quantum ſcit, ſe re ipſa non agere contra legem Dei? Ubi de malitia formali, & materiali.* 153.
§. 1. *Quid tenendum.* 154.
2. *De malitia formali, & materiali.* 156.
VII. *Utrum prædicta evacuentur appellando ad poſſeſſionem, & ad prudentes.* 157.
§. 1. *Poſſeſſio libertatis eſt abs re.* ibid.
2. *Item appellatio ad prudentes.* ibid.
VIII. *Utrum obtendi poſſit, leges, de quibus ſunt opiniones probabiles, non eſſe ſatis promulgatas.* 158.
§. 1. *Iſtius non promulgationis declaratio ex Em. Pallavicino.* ibid.
2. *Infideles videntur ſe excuſare poſſe eodem modo.* 159.
3. *Hoc genus reſpondendi eſt illegitimum, & committit circulum.* 160.
4. *Videtur hanc non promulgationem allegari non poſſe.* 161.
IX. *Quid de ſyllogiſmo reflexo: omne probabile licet: hoc eſt probabile: ergo &c.* 162.
§. 1. *Multiplex diſtinctio majoris, & minoris.* ibid.
2. *Defectus propoſiti ſyllogiſmi.* 163.
X. *Utrum ergo iis, qui per ſolam hiſtoriam opinionum operantur, aut conſulunt, quin de reali conformitate cum lege judicent ſit voluntaria legis violatio.* 164.
§. 1. *De periculo ſic operantium, aut conſulentium.* ibid.
2. *Ulterior doctrinæ confirmatio.* 166.
XI. *Utrum ergo ſit magis voluntaria eis violatio, qui contra ſuam opinionem operantur, aut conſulunt.* 168.
§. 1. *Declaratio quæſtionis.* ibid.
2. *Quid dicendum.* 169.
3. *Comprobatio dictorum.* ibid.
XII. *In idem. Utrum ergo, qui contra aliquam autoritatem opinatur in univerſali, poſſit propter illam aliter judicare in particulari.* 170.
§. 1. *Declaratio quæſtionis.* ibid.
2. *Quid videatur tenendum.* ibid.
3. *Ulterior probatio concluſionis.* 171.
4. *Opinio univerſalis enunciat de objecto, clauſa etiam, & incluſa probabilitate, contraria.* ibid.

5. Concluſio totius doctrinæ. 174.

XIII. Utrum ergo, qui ait, ſe agere poſſe contra propriam opinionem cogatur multas duras propoſitiones concedere. 174.

§. 1. Qualis ergo cogatur fateri. ibid.

2. Ineptis diſtinctionibus occurritur. 175.

3. Alia diſtinctio de materialiter, & formaliter. ibid.

4. Denuò contra eamdem dictionem. 177.

5. Denuò ad ſyllogiſmum cogentem fateri dura ibid.

6. Cui licet contra opinionem ſuam, licet contra opinionem omnium. ibid.

XIV. Utrum ergo ſubditus teneatur obedire contra propriam opinionem de peccato 178.

§. 1. Aliqua præmittuntur. ibid.

2. Ad quæſtionem reſpondetur. 179.

3. Non poteſt quis obedire contra ſuam opinionem de ſenſu compoſito. ibid.

4. Quædam ſolutio removetur autoritate, & doctrina S. Ignatii. 180.

5. Abſolutè verò ſubditus tenetur obedire. 182.

6. Declaratio ulterior doctrinæ. ibid.

XV. Utrum ergo minùs multò Confeſſarius abſolvere poſſit contra propriam opinionem? 183.

§. 1. Senſus quæſtionis. 184.

2. Quid ergo reſpondendum ex dictis. ibid.

3. Ulterior comprobatio doctrinæ. 185.

XVI. Utrum ergo via & lex veritatis ſit omnibus commoda, & deſideranda? 187.

§. 1. Veritas videtur eſſe incommoda. ibid.

2. Oſtenditur, eſſe commodam, & deſiderandam. ibid.

3. Ulterior declaratio commodorum veritatis. 188.

4. Neceſſarior eſt hominibus veritas, quam reliquæ virtutes. 191.

5. Cur nihilominùs odio habeatur 192.

6. Adhortatio ad veritatem. 193.

XVII. Ergo omnium horum determinatio & totius conſcientiæ diviſio eſt per verum, & falſum. 194.

§. 1. Declaratio, & explicatio illationis. ibid.

2. Totius conſcientiæ diviſio per verum, & falſum. 195

XVIII. Recapitulatio dictorum circa Probabilia, & reductio ad pauca. 196.

§. 1. Duæ capitales concluſiones de regula humanorum actuum. ibid.

2. Ergo Probabile conſuetum non eſt regula 197.

3. Ergo ratio humana, quæ eſt regula, determinatè ſe ſe habet ad legem Dei in aliquo ſaltem gradu. 198.

4. Satis eſt, ſi ferè ſemper ad legem ſe habeat, & hoc eſt probabile conſcientiæ. 199.

5. Ergo non eſt ſaltem certius dictamen conſcientiæ, quam humana ratio, ex qua formatur. 200.

6. Ergo ſicut humana ratio, ſic prorsùs & ipſa conſcientia ad legem Dei re ipſa concordanda eſt. 200.

7. In quo ergo noſtra doctrina conveniat cum ſententia obligante ad probabilius. 203.

LIBER IV.

De dubitatione, & dubio deque hujus ſolutione. 204.

Qu. I. Quid ſit dubitare, & quid dubium. ibid.

§. 1. Autorum mens. ibid.

2. Definitio, & eſſentia dubitationis ex D. Thoma. 205.

3. Explicatio, & defenſio definitionis. ibid.

4. Ad argumenta. 207.

II. Utrum dubitare ſemper ſit cum ratione, & quali, & quanta. 207.

§. 1. Argumenta pro parte negativa ibid.

2. Quid videatur tenendum. 208.

3. Illationibus magis dicta confirmantur. ibid.

4. De mentali, vocalique dubitatione. 209.

5. Ad argumenta. ibid.

III. Utrum ergo ſimiliter ſolvere dubitationem ſit etiam cum ratione, & quali? Ubi an dubitare ſit in nobis. 210.

§. 1. Quid viſum Doctoribus. ibid.

2. Quid tenendum. 211.

3. Qualiter ergo dubitare ſit, vel non ſit in nobis. 212.

IV. Utrum ergo omnis æqualitas rationum, & autoritatum ad dubia propriè talia revocetur, revocataque fuerit communiter. 212.

§. 1. Autorum mens, & ſenſus. 213.

2. De Autorum ſenſu ulterior indagatio. 214.

3. Omnis ergo æqualitas dubium propriiſſimè facit. 215.

4. Ergo decem Autores contra decem, vel centum contum contra centum cæteris paribus rem ſolùm faciunt dubiam. ibid.

5. Acuta dictorum confirmatio ex Auguſtino. ibid.

6. Ergo diviſio dubii in poſitivum, & negativum non eſt propria, nec negativum eſt dubium. 216.

7. Reſolutio caſuum de peccato dubio ibid.

V. Ergo nullum dubium conſcientiæ ſolvitur per æque aut minus probabile. 217.

§. 1. Primò quia hoc probabile nulla eſt inventio veritatis. ibid.

2. Item quia hoc probabile aderat etiam in dubitante. ibid.

3. Solutio ergo per hoc probabile nata videtur ex inconſideratione naturæ dubitationis. 218.

VI. Utrum per ipſum non invenire veritatem ſolvantur dubia conſcientiæ. ibid.

§. 1. Quid viſum Autoribus. ibid.

2. Quid dicendum? Ubi de diligentia quærendi. 219.

VII. Utrum dubia conſcientiæ rectè ſolvantur per intellectum practicum, & per praxim, atque experientiam. 220.

§. 1. Quid aliqui exiſtimare videantur. ibid.

2. Quid Doctores tradiderint, & quid ſit tenendum. ibid.

3. Ergo neque per praxim, & experientiam ſolvi poſſunt dubia conſcientiæ. 221.

VIII. Utrum ergo in dubiis tutior pars ſit eligenda. 222.

§. 1. Senſus quæſtionis, & argumenta pro parte negativa. ibid.

2. Quid tenendum. ibid.

3. Reflexio ad opiniones æque, & minus probabiles. ibid.

4. In omni ergo æqualitate pars tutior eſt eligenda. ibid.

5. Ad argumenta. 224.

IX. Unde ergo, & cur teneatur ad partem tutiorem. 225.

§. 1. Ratio cur teneamur. ibid.

2. Gravis difficultas contra obligationem ad tutius, ibid.

3. Reſpondetur ad difficultatem. 226.

4. Alia reſpondendi via. 227.

5. Confirmatio totius doctrinæ. ibid.

X. Utrum doctrina de tutiori parte teneat ſolùm de conſilio, vel ſolùm de dubio practico? vel ſolùm aliquandò & non ſemper? 229.

§. 1. Status quæſtionis, & jura. ibid.

2. Quæſitæ ſolutiones. ibid.

3. Quid dicendum. 229.

4. Allata jura idem oſtendunt. ibid.

5. Ad argumenta. 230.

XI. Utrum ſit, & qualis concordia regularum, de tutiori, & de rto. &c. ibid.

§. 1. Videntur diſcordare. ibid.

2. Concordia regularum. 231.

3. De interpretandis dubiis in meliorem partem. 232.

4. *Ad argumenta.* 233.
XII. *Utrum tamen in dubio melior ſit conditio poſſidentis ſaltem in materia juſtitiæ.* ibid.
§. 1. *Argumenta pro parte negativa.* ibid.
2. *Quid tenendum.* 234.
3. *In uſum probabilium.* ibid.
4. *Communis doctrinæ defenſio, & declaratio.* 235.
XIII. *Utrum ergo regula de poſſeſſione teneat in aliis materiis præter juſtitiam, & in poſſeſſione nihil probante,* 236.
§. 1. *Quid viſum Theologis.* ibid.
2. *Quid dicendum.* ibid.
3. *Probatio doctrinæ.* ibid.
4. *Poſſeſſionis juſtitiæ, & aliarum diverſitas.* 237.
5. *Illationes ad aliquos caſus.* 238.
XIV. *Utrum doctrina de tutiori parte teneat in rebus etiam difficilibus, & incommodis.* ibid.
§. 1. *Rei difficultas.* ibid.
2. *Saltem in per ſe difficilibus tenemur ad tutius.* 239.
3. *Quid in rebus per ſe non difficilibus.* 240.
XV. *Utrum ergo periculoſum ſit dubia conſcientiæ ſolvere per difficile.* 241.
§. 1. *Primum periculum.* ibid.
2. *Aliud periculum ex defectu certæ menſuræ.* 242.
3. *Aliud periculum ex menſura claudicante.* 243.
XVI. *Utrum Epicheja, ſeu æquum, & bonum habeat locum in dubiis.* ibid.
§. 1. *Quid ſit Epicheja. ſeu æquum & bonum.* 244.
2. *Ulterior rei explicatio.* ibid.
3. *Ex his ad quæſtionem.* 245.

Appendix de natura opinionis 246.

Qu. I. V*Trum abſurdum videatur opinari æquè, & minus probabilia.* ibid.
§. 1. *Reſponſio affirmans.* ibid.
2. *Ulterior comprobatio.* 247.
II. *Utrum ergo impoſſibile ſit opinari æquè & minus probabilia.* 248.
§. 1. *Sententia negans, & fundamenta.* ibid.
2. *Sententia affirmans.* ibid.
3. *Probatio concluſionis.* 249.
4. *Poſtrema probatio ex Ariſtotele.* 250.
5. *Solutio argumentorum.* 251.
III. *Utrum data doctrinæ inconſideratè quidam reſiſtant propter paritatem voluntatis.* 252.
§. 1. *Quæ allegentur.* ibid.
2. *Ad paritatem voluntatis.* ibid.
3. *Alia in idem.* 253.
IV. *Utrum opinari poſſimus æqualiter probabilia.* 254.
§. 1. *Pro parte affirmante.* ibid.
2. *Quid tenendum.* ibid.
3. *Alia in idem.* 255.
V. *Utrum ergo opinari non ſit in nobis? Ubi de libertate ſuſpicandi, & temerè judicandi.* 257.
§. 1. *Opinari videtur eſſe nobis liberum.* ibid.
2. *Declaratur libertas opinionis.* 258.
3. *Solutio argumentorum.* 259.
4. *Ad autoritatem S. P. Ignatii.* 260.
VI. *Utrum tamen poſſibile ſit opinari, & quæ natura opinionis.* 261.
§. 1. *Videtur eſſe impoſſibile opinari.* ibid.
2. *Videtur præterea inintelligibilis natura opinionis.* 262.
3. *Reſpondetur ad quæſtionem* 263.
4. *Quid ſit opinari.* ibid.
5. *Ulterior declaratio naturæ opinionis.* 264.
6. *De formidine opinionis.* 265.
7. *Ad argumenta.* 266.
VII. *Brevior alia, & expeditior explicatio naturæ opinionis.* ibid.
§. 1. *Difficultates præcedentis explicationis.* ibid.
2. *Alia explicatio opinionis.* 267.
3. *Formido etiam opinionis aliter explicatur.* 268.
VIII. *Utrum ergo omne mentaliter enunciabile reducatur ad neceſſe, vel impoſſibile.* 269.
§. 1. *Aliqua præmittuntur.* ibid.
2. *Quomodo ergo opinabile, & ſic probabile reducatur ad neceſſe, vel impoſſibile.* 270.
IX. *Utrum ergo ex dictis de natura opinionis ſequatur de novo non licere operari juxta æquè, & minus probabile.* 271.
§. 1. *Sequelæ probationes.* ibid.
2. *Appellatio ad aliorum intellectum eſt abs re.* 271.
3. *Ergo ſuus unicuique intellectus, & non aliena, ſed ſua ratio data pro regula.* ibid.
4. *Aliæ probationes ejuſdem ſequelæ.* 274.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM, QVÆ IN HAC PRIMA PARTE CONTINENTVR.

A.

Abſurda.

Aſurda multa davoranda ſequantibus aliorum opinionem ſuæ contrariam. pag. 174. 175.
Abſurdæ reſponſiones. 177.

Academici.

Academici, ac Damocritus & Protagoraa, nullam in rebus admittens varitatam erant probaliſtæ. 62. 63.

Advocati.

Advocari attandere debant ad veritatem non probabiliratam. 194.

Appellatio.

Appellatio ad prudentes an regula morum. 157.

Arctum.

Arcta eſt & auſtara religio Chriſtiana. 10.

Auguſtinus.

Auguſtinus confutana Acadamicos confutat probabiliſtas. 74.

Autor.

Autor prohibitus eſt edera librum famoſo ſyllogiſmo. 9.
Aotores antiqui præferendi junioribus. 126.
Autores ſunt ut Teſtes, quidam aliis præferendi. 123.

Autoritas.

Auroritas aui adhærco in communi, non poteſt deſari in particulari. 171.
Auroritaris varii gradus. 124.

B.

Bellum gerera quodlibet ſemper poſſet Princeps juxta Probabiliſtaa. 50.
Bellum geri non poteſt ax opinione probabili, ſi non liceat judicare ex opiniona probabili. 58.

C.

Cæcitas.

Cœcitaa voluntaria probabilia non vera ſectantium. 166.

Caramuel.

Caramualis fuudamenta de in impugnabilitare opinionis probabilis. 33.

Charitas.

Charitas efficit jugum Chriſti ſuave. 11.

Circulus.

Circulus vitioſus committitur à probabiliſtis qui autoritatem Doctorum ſequuntur. 160.

Confeſſor.

Confeſſor an poſſit abſolvare pœnitentem contra ſuam ſententiam. 183. 184.
Confaſſor ſtare dabet pro jore tertiæ perſonæ potius quam favera pænitenti in dubiis. 186.

Conſcientia.

Conſciantia arronea exauſat: non reddit actionam honaſtam. 145.

Conſilium.

Conſillum peritum à doctore an liberet à culpa.

Conſuetudo.

Conſuetudinis viraa. 5. 6.

Conſultor.

Conſultor & Confeſſor non ſolum ſcire debent opinionaa ſad judicare inter Lapram & Lepram. 167.

Contradictoria.

Contradictoria an poſſint proponi intellectui ut probabilia utrinque. 88.
Fundamenta utrinqua gravia eſſe non poſſunt niſi ſit aacidens. 91.
Gravia eſſa poſſunt in ſanſu diviſo. 93.
Contradictoriæ quo ſenſu aſſe poſſint probabiles. 92.
Non poſſunt eſſe ſimul probabiles probabilitate conſciantiæ. ibid.
Quo ſenſu licaat ſequi illas in praxi ſina peccato. 93.
Eluduntur effugia dicentium probabilia aſſe poſſe contradictoria pro aonſaientia. 97. 99.
Demonſtratur aontradictoria non poſſe eſſe probabilia pro conſcientia. 93.

Digitized by Google

D.

Dicere.

DIcere quomodo differat ab intelligere. 263.

Dictamen.

Dictamen conſcientiæ per reflexas opiniones de probabilitate non eſt certum. 201.
Dictamen evidens non eſt neceſſarium ad non peccandum. 138.

Difficile.

Difficilis eſt via laxa. 14. 15.

Diligentia.

Diligentia quæ adhibenda ad conſcientiam tutam. 219.

Dubitare.

Dubitare quid ſit. 204.
Ejus definitio ex S. Thoma. 205.
Dubitatio an ſemper cum ratione. 207.
Dubitare an ſit in nobis. 210.212.
Dubitatio mentalis & vocalis, 209.
Dubitatio ſolvitur, per inventionem veritatis ſolam. 211.

Dubium.

Dubium ubi rationes æquales. 215.
Autorum paritas in numero & autoritate relinquit rem dubiam. ibid.
Auguſtini egregia comparatio de re dubia. ibid.
Dubium malè dividitur in poſitivum & negativum. 216.
Dubium an ſolvitur per probabile. 217.
Dubium an ſolum circa factum. 214.
Dubium an ſolvatur per experientiam & intellectum practicum. 220.
In dubiis an tutius eligendum. 223.
Affirmativè concludit. ibid.
Dubium conſcientiæ an ſolvatur per non inventionem veritatis. 219.
Dubia quomodo interpretanda ad meliorem partem. 232,
In dubiis fori interni quomodo melior conditio poſſidentis. 235.

E.

Epicheja.

EPicheja non habet locum in dubiis. 183.
Epicheja nulla in legibus divinis. 244,

Error.

Error quamvis parvus in conſcientia, à Deo eſſe non poteſt. 147.

F.

Facile.

FAciliora ſiunt multa additione, quæ ablatione. difficiliara fiunt. 13.
Illuſtratur ſimilitudinibus. 14.

Fallibilitas.

Fallibilitas non repugnat dictamini rectæ conſcientiæ. 135.

Fides.

Fidei & opinionis libertas. 258.
Fides non ſufficit ſine recta morum doctrina. 1.

Formido.

Formido cum opinione connexa. 265. 268.

G.

Gaudium.

GAudium viventium ſecundum opiniones tutas. 11.

H.

Heraclitus.

HEracliti doctrina de veritate contradictoriorum comparatur cum probabiliſtis 61.

Hiſtoria.

Hiſtoriam Moralis Theologiæ ſciunt, non ipſam ſcientiam qui opiniones doctorum recenſent. 164.
Periculum taliter operantium. ibid.
Errant voluntariè. 165.

Honeſtas.

Honeſtas operationis non requirit ſolum judicium de exiſtimata re honeſta, ſed de ipſis rebus agendis. 150,

I.

Infallibilitas.

INfallibilitas Eccleſiæ in motibus eſſet inutilis ſuppoſita doctrina probabiliſtarum. 23. 32.
Infallibilitas fallibilitati non præſtaret juxta probabiliſtas. 28.
Infallibilitatis in conſcientia defectus nos non reddit nimium timidos. 136.

Infidelis.

Infidelium error excuſari poſſet ſecundum opiniones probabiles. 159.

Intellectus.

Intellectus noſter nos regulat non alienus. 274.
Intellectus varii actus. 64.

Indoctus.

Indoctorum autoritas præſtat doctoribus ex probabiliſtis. 29.
Indocti meliores eſſent directores conſcientiæ. 30.

Involuntarium.

Involontarium ſolum excuſat à peccato cum quis operatur contra legem. 156.

Judicium.

Judicium de probabilitate ſententiæ includit etiam extrinſecam authoritatem non objectum ſolum. 173.
Judicia non fiunt à Judicibus juxta opinionem probabilem. 54.
Judicum pericula. 55.
Judices ſi ſequantur neceſſario opinionem tutiorem, eam ſequi debent omnes alii. 57.

Iugum.

Jugum Chriſti ſuave non favet doctrinæ probabilitatum. 9.
Jugum Chriſti difficile laxioribus. 12.

L.

Latitudo.

Latitudo mandatorum Dei non eſt laxitas opinionum. 10.

Lex.

Lex Dei regula conſcientiæ, non opinio noſtra. 156.
Lex Dei eſt regula honeſtatis. 203.
Legis non ſufficiens promulgatio, an excuſatio ſufficiens probabiliſtis. 161.

Libertas.

Libertas an ſit in poſſeſſione, in materia voti, abſtinentiæ. 238.
Libertatis noſtræ conſervatio an faveat probabiliſtis. 157.

M.

Malitia.

Malitia materialis non ſolum formalis vitari debet ad non peccandum. 156.

Mercorus.

Mercori error prudentiam non verſari circa probabilia. 112.

Moralis Theologia.

Moralis Theologiæ libri inutiles, ſi probabilitatis doctrina vera eſt. 45.48.
Neque ſi tractent de quæſtionibus novis. 46.
Moralis Theologiæ præ cæteris ſcientiis utilitas. 11.

N.

Negativum præceptum.

Negativa præcepta difficile obſervantur niſi quis poſitiva impleat. 13.
Negativè abſtinere velle à peccato, non autem operari velle perfectè, periculoſum eſt. 12. & ſeqq.

O.

Obedientia.

Obedientia abſolutè præſtanda ſuperiori in probabilibus. 182.

Operans.

Operans contra ſuam opinionem, operatur contra opinionem omnium. 177.
Operans ex ſententia probabili quam putat falſam ſciens tranſgreditur legem Dei. 110.

Operari.

Operari contra propriam opinionem licere, qui docent ſibi contradicunt. 64.
Solutio data à probabiliſtis in hac materia exploditur. 65.
Quomodo explicandi. 66.
Societati civili officit. 67.

Opinari.

Opinari quid. 261. 263.
Opinari duo contradictoria æqualiter probabilia an poſſibile. 246.
Non poteſt. 248. ſeqq.

Opinio.

Opinio cujuſque propria an regula morum. 26.

Opinio probabilis.

Opinio probabilis eſt regula conſcientiæ *cum onere.* 129.
Autor tuetur opinionem probabilem in bono ſenſu. 131.
Opinionem probabilem rectè ſumptam impugnantes rationes ſolvuntur. 132.
Quomodo dictamen certum fundetur in probabilitate. 134.

Opinio.

Opinio dicit probabile quoad nos: probabilis dicit probabile quoad ſe. 126.
Opinio contraria opinioni ſuperioris cenſeri debet ut erronea. 179.
Opinio probabilis an regula conſcientiæ. 127.
Opinio univerſalis enunciat probabilitatem contrariæ. 172.
Opinionis natura videtur inintelligibilis. 262.
Explicatur. 264. 267.
Opinionis natura demonſtrat non licere ſequi probabilia. 272.
Opinioni propriæ an liceat contrariè operari. 169.
Opiniones ab educatione & conſuetudine. 6.

Opinabile.

Opinabile reducitur ad neceſſe. 270.
Opinabile non datur ſi ſint æquales utrinque rationes. 213.

P.

Pallavicinus.

Pallavicini Cardinalis retractatio de opinione probabili. 158.

Poſſeſſio.

Poſſeſſio nihil probans an ſit ſufficiens conſcientiæ. 236.
Poſſeſſionis juſtitiæ & aliarum poſſeſſionum diverſitas. 237.

Prædeterminatio.

Prædeterminatio Thomiſtica non cohæret cum eorum ſententia de futuris contingentibus. 115.

Præſcriptio.

Præſcriptionum origo. 235.

Probabilitas.

Probabilitas definitio. 18.
Quotuplex ſit. 19.
Probabilis practicè & ſpeculativè. 20.
Probabilitas, probabilioritas non ſunt certæ regulæ conſcientiæ. 75.
Probabilitas an petenda à gravibus fundamentis. 69.
An à recta doctrina. 70.

An à judicio prudentum. 71.

Probabilitas an concilietur per deſtructionem alia um opinionum. 86.

An probentur reſpet patitates. *ibid.*

An *ad hominem.* *idid.*

Probabilitas omnis non eſt ſufficiens ad conſcientiam. 87.

Probabilitas conjuncta cum veritate conſtituit honeſtatem operationis, non autem conjuncta cum falſitate. 151.

Probabilitas negativa quid. 83.

An detur. 84.

Probabilitas aliqua ſecundum nos cum fundamento in re. 118.

Probabilitas ab extrinſeco quæ. 119.

Quando ſufficiat ad rectam conſcientiam, 110,

Probabilitas conjungi poteſt cum dubio. 217.

Probabilitas quænam ſit regula morum. 199.

Probabilitatis commoditas quod nihil ſit examinandum. 7.

Probabilitas non excuſat à peccato. 2.

Probabilitatis quis uſus in judiciis. 53.

Hic etiam limitatione utuntur probabiliſtæ. *ibid.*

Probabilitas conſcientiæ non eſt quærenda in contradictione quæ æqualiter ſe habeat ad falſum, ſed quæ magis ſe habeat ad verum. 105.

Probabilitatem opinionum averſantur Romani Pontifices. 7.

Probabilitatem opinionum prohibent Generales Societatis Jeſu. *ibid.*

Probabilitatem impugnant graves doctores. 9.10.

Probabilitates oppugnare non eſt favere Novatoribus. 15.

Probabilitates cur non attigerint veteres Theologi, 196.

Probabilitatum doctrina idem ac indifferentia in religione. 2.

Probabilitas opinionis eſt inauferibilis. 80.

Probabiliſta.

Probabiliſtæ præferunt autores particulares Papæ & Conciliis. 25. 28. 30.

Probabiliſtæ ajunt etiam contra certum ſervari probabilitatem. 78.

Probabiliſtarum fundamenta, 24. & ſeqq.

Probabiliſtarum origo. 16.

An hoc ſemper uſurpatum in Eccleſia. 17.

Probabiliſta nemo eſt ex corde. 47.

Probabiliſtæ Doctrinas non ſanas faciunt ſanas. 103.

Probabiliſtarum opiniones autor aliquando eſt ſectatus. 2.

Probabiliſtæ reddunt interminabiles morum doctrinas. 61.

Probabile.

Probabile quodlibet an licitum. 162.

Probabile conſuetum non eſt regula actuum humanorum. 197.

Probabile quid ex Ariſtotele. 112. & ſeqq.

Probabilia non ſunt quæ æqualiter ſe habent ad verum & falſum. 113.

Probabile eſt univerſale quod ferè ſemper verum eſt. 117.

Probabilis opinionis uſus an poſſit eſſe improbabilis. 35.

Probabilem eſſe opinionem de ſcientia media, & ei contrariam prædeterminationem Thomiſticam quomodo Pontifex docuerit. 79.

Probabilem opinionem an reddat unus aut alter Autor. 36.

Probabiles uno tempore opiniones nunquam ſiunt improbabiles. 83.

Probabilia contradictoria qui admittunt eſſe licita, admittunt *eſt & non eſt.* 59. 61.

Probabiliores opiniones ſequi aliquando minus bonum. 125.

Probabiliter.

Probabiliter non malum eſt licitum tantum probabiliter. 164.

Probabiliter ſe ſemper operaturum ſtatuens peccat. 128.

Probabiliter probabile an detur. 255.

Probabilium opinionum origo. 2.

Prudentia.

Prudentia quomodo ſemper verum dicat. 144.

Prudentiæ non obeſt conſcientiæ probabilitas. 139.

Prudentiæ cum veritate connexio. 140.

Sita eſt in conformitate ad oppoſitum rectum. 142.

Non autem circa bona exiſtimata, ſed realiter talia. 143.

Prudens.

Prudens errare poteſt, non prudentia. 143.

Prudenter.

Prudenter ſequi non poſſum opinionem probabilem quoad nos. 143.

Prudentes ſe omnes exiſtimant. 72.

Prudentiæ definitio. *ibid.*

Verſatur circa verum non circa probabile. *ibid.*

R.

Ratio humana.

Ratio humana cum reſpectu ad veritatem eſt regula actuum humanorum. 198.

Reflexa

Reflexa opinio de probabilitate opinionis non ſufficit ad conſcientiam. 153.

Reflexa cognitio quod talis doctrina ſit probabilis non ſufficit; ſed neceſſaria eſt directa cognitio probabilis opinionis. 154.

Reflexiſta.

Reflexiſtæ non poſſunt judicare de probabilitate. 41.

Sciunt doctrinam moralem hiſtoricè. 43.

Regula morum.

Regula morum eſt ratio, regula principalis lex. 111.

Reus.

Reo favendum in dubiis, non autem nobis in foro interno. 231. 233.

Reviſores.

Reviſorum approbationes dant opinionibus probabilitatem ſecundum dici. 81.

Revi-

Reviſores an mentiantur approbando opiniones quas ipſi non ſequuntur. *ibid.*

S.

Sana doctrina.

SAna doctrina nulla niſi vera. 103.

S. Ignatius.

S. Ignatii dictum de obedientia ubi non eſt peccatum manifeſtum etiam contra quam ſentiamus, explicatur. 181.

Simultas.

Simultas probabilitatis & probabilitas ſimultatis. 100.

S. Thomas.

S. Thomas contra probabiliſtas. 102.

Scrupuloſus.

Scrupuloſus operatur honeſtè volendo res indifferentes quas judicat bonas. 149.

Suavitas.

Suavitas legis Chriſtianæ non petenda à laxitate opinionum ex mente Patrum. 10.11.

Subditus.

Subditus àn teneatur obedire præpoſito contra propriam doctrinam. 178.
Peccat in ſenſu compoſito opinionis de peccato. 179.

Subſcriptiones.

Subſcriptiones & citationes quam probabilitatem doctrinis concilient. 82.

Suſpicio.

Suſpicio & Judicium temerarium. 211.
Suſpicabile quomodo differat à probabili. 214.

Superiores.

Superiores quomodo prohibeant doctrinas antea viſas probabiles. 82. 83.
Superiores Religionum viri ſunt pii. 180.
Superiores non ſunt infallibiles. 183.

T.

Teſtis.

TEſtes quid ſi duo ſolum æqualis fidei & autoritatis. 163.

Tutum.

Tuta opinio. 125.
Tutior pars an obliget an ſit ſolùm fidei Conſilio. 228.
Obligat de præcepto. 229.
Tutius an ſemper obliget etiam in difficillimis. 238.
Tenemur. 339.
Tutior opinio cur in dubiis tenenda. 225.
Graviſſimæ difficultati occurritur. 226.

V.

Veritas.

VEritas an ſit incommoda. 187.
Severitas veræ doctrinæ eſt Incommoda pluribus. 188.
Veritas inventu difficilior quam probabilitas. 189.
Veritas pugnat ubique pro regibus, probabilitas alicubi. 190.
Veritas magis neceſſaria reliquis virtutibus. 191.
Veritas odio habetur. 192.
Veritas regula conſcientiæ. 195.

Verum.

Verum eſt regula morum non probabilius. 204.

Voluntas.

Voluntas concordans rationi erranti an bona. 144.145.
Voluntatis cum intellectu comparatio in dubiis. 251.

F I N I S.

Hæc, quæ ſequuntur inchoata, & non confecta reliquit idem R. P. Michaël de Elizalde apud quemdam cognatum, familiarem ſuum, quia migravit è vita in Civitate Sancti Sebaſtiani in Guipuzcoa d. 17. Novembris, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo.

QVÆSTIVNCVLA AD LOGICAM MOIÆ.

PRodit nunc P. Matthæus de Moja, ac tomum alium profert ſelectarum, ſeu miſcellanearum, ut ſolet, id eſt, nullius Logicæ, connexioniſve librum: atque Patrem de Eſparza imitatus appendicem quemdam præmittit, ad tractatum de opinione probabili tractatu ipſo majorem, in qua inter alios maximè inſecutus eſt Antonium Cella Dei. Sed vere miſerandus eſt; nam ea prætermittendo, quæ ad jus, & rationem pertinent, & in quibus falli, deficereve homines poſſunt, in facto ipſo ex prologo ipſo ad Lectotem incipiendo vix quidquam refert de Antonio Cella Dei, cujus contrarium in locis ipſis citatis, & in aliis non tradat. Et miſerandus eſſet minus Moja ſi de particula aliqua erraſſet, ſed de univerſo ſcopo ait in prologo, doctrinam Cella Dei eſſe, *quoties ſub opinionibus fuerit, an aliquid ſit, nec ne prohibitum, eam ex præcepto eligendam, quæ prohibitum affirmat, ſi ſit probabilis.* O bone Parer veu bone? Et hinc eſt, quod inter Baronium, & Cella Dei oon diſtinxerit, & appendix toto mendis ſcateat. Legat quilibet vel primam Cella Dei quæſtionem ad Lectotem, & ex crimine uno circa totum cætera diſcet circa ſingula.

Sed hæc omittamus, ac latiùs aliquid pertractemus. Poſt multas quæſtiones; in quibus Cella Dei oſtendit, probabile aliorum generum poſſe, probabile vero cooſcientiæ non poſſe ſimul convenire utique extremo contrariè, vel contradictoriè oppoſito, ſubjunxit quæſtionem aliam, cujus titulus eſt, utrum non ſolum verum, ſed demonſtrabile etiam videatur, duas concluſiones contradictorias non poſſe eſſe ſimul probabiles probabilitate conſcientiæ? Et concluſio Cella Dei eſt: aſſerimus ergo, demonſtrabile videri, nullas contradictorias concluſiones eſſe ſimul probabiles probabilitate conſcientiæ. Niſcio qua lingua latina utatur Moja; nam de hac poſitione, & concluſione Cella Dei, qua nihil modeſtius poni potuit, ait quæſt. 2. n. 1. qui (id eſt, Cella Dei) ea tenacitate adhæſit, &c.

Plurima tractavit Cella Dei in ea quæſt. quæ eſt 11. libr. 2. ac multos ſyllogiſmos confecit. Verum Recentiures quidam Complutenſes, ex quo antè octo annos prodiit liber Cella Dei, unum ejus ſyllogiſmum delegerunt, ac de variatione ſuppoſitionis ſcriptis etiam, ut ferunt, ad ipſum Cella Dei litteris accuſatunr: quod cum à Recentioribus excogitatum, peractumque Moja invenerit, ut etiam ipſe n. 2. fatetur, deſigit in triumphum; & in hac quæſtione, & puncto caput maximè erigit, & exultat.

§. I.

Proponuntur Syllogiſmi controverſia.

CÆtera quæſtionis Mojenſis nunc omittamus, hoc ſolum notato, quod ipſa quæſtionis propoſitione crar, nam titulus eſt, an duæ concluſiones contrariæ poſſint eſſe ſimul probabiles? Confer tumodo hunc titulum cum titulo Cella Dei nuper poſito, & ridebis: nam Cella Dei non modo hoc non negat, ſed multiplici quæſtione, & multiplici genere probabilitatis duas contrarias, vel contradictorias ſimul probabiles eſſe & tradidir, & evicit. Sed verè laxum eſt in Moja ſcribendi genus, ſicut doctrina moralis, nec debuit ad Logicam provocare, cujus nullius eſt uſus in ſuis libris.

Syllogiſmnm Cella-Dei ſic proponit n. 1. Forma impoſſibilis cum alia (omiſit verbum *determinate* Cella-Dei) in uno extremo, vagè convenies alterutri duorum extremorum eſt incompoſſibis cum ſimultate illius formæ in utroque extremo. Sed certitudo falſitatis eſt incompoſſibilis cum probabili conſcientiæ in una determinata concluſione, & uni, vel alteri vagè, & indeterminatè convenit. Ergo eſt incompoſſibilis cum probabili conſcientiæ in utraque concluſione ſimul. Et ſubdit ad hanc ſyllogiſticam formam verba, & terminos Autoris reduxi plura claritatis gratia præmittens. Verum ſyllogiſmus iſte, inquit Moja, apertum patalogiſmum continet contra prima ſummaliſtarum rudimenta, quia procedit a ſuppoſitione confeſſa ad determinatam, ut benè notarunt Recentiores, ſic retundentes, & affert ſyllogiſmum inſtantivum Recentiorum.

Ego certè haud contendam de hoc ſuo ſyllogiſmo; & mirum eſt, quod in re contentioſa, & in conſpectu mundi ſolùm unum ſyllogiſmum (ſyllogiſmis quippe in ſuis operibus non utitur) ritè conſtruere, & collocare neſciverit; nam cauda illa minoris: & uni, vel *alteri vagè, & indeterminatè convenit* deſtruit formam ſyllogiſticam, Et patet demonſtrativè apud Logicæ non ignaros; nam minor propoſitio cum hac cauda continet duas aſſertiones, & tres ut minimum terminos. Ecce minorem ſed certitudo falſitatis eſt incompoſſibilis cum probabili conſcientiæ: ecce unam aſſertionem, cujus ſubjectom eſt certitudo falſitatis, & prædicatum convenientia cum alterutro vagè. Ecce tres terminos certitudinem, incompoſſibilitatem, & convenientiam vagam: & ecce duas propoſitiooes, & aſſertiones in minori, & ecce ſyllogiſmum trium præmiſſarum, & quatuor propoſitionum juxta prima rudimenta ſummuliſtarum. Sed exiſtimavit Moja cum ſuis Recentioribus ſyllogiſmum non eſſe in forma niſi eam ei caudam aſſuerenr. Sed ipſe ore ſe ſuo judicer dicens; ſyllogiſmus iſte apertum patalogiſmum continet.

Syllogiſmus itaque Cella-Dei formaliſſimè hic eſt. Forma incompoſſibilis cum alia determinatè in uno extremo, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum eſt incompoſſi-

bilis cum ſimultate ejusdem illius formæ iu utroque extremo. Sed certitudo falſitatis eſt incompoſſibilis cum probabili conſcientiæ comparativè ad unam determinatè concluſionem, ut ex omnium confeſſione conſtat. Ergo certitudo falſitatis eſt incompoſſibilis comparativè ad duas indeterminatè concluſiones cum probabili conſcientiæ in utraque ſimul „ſeu cum ſimultata probabilitatis conſcientiæ in utraque Cunclusione. Sed in omni contradictione concluſionum adeſt totalis certitudo, & evidentia comparativè ad unam duarum indeterminatè concluſionum. Ergo eſt incompoſſibilis cum probabili conſcientiæ in utraque ſimul, ſeu cum ſimultate probabilitatis conſcientiæ in utraque. Hos duos ſyllogismos claritatis gratia, ut ait, voluit Moja ad unum reducere, non certè artificio Logicæ, vel Ariſtotelis, ſed alio quopiam artificio Joanneli, quod fortè Joleti, ubi Moja degit, habent.

Sed heu nos; jam ſyllogismi jugulatorii inſtantiarum ſequuntur, & terrent. Primus per octo annos maturatus hic eſt. Si forma incompoſſibilia cum alia in aliquo duorum detur, nequit forma oppoſita in utroque ſimul inveniri: ſed neceſſitas exiſtendi eſt incompoſſibilis cum contingentia ejusdem: ergo ſi neceſſitas exiſtendi (heu farraginem conſequentia,) conveniat uni duorum incompoſſibilis erit cum contingentia utriusque. Sed ex terminis contradictoriè oppoſitia neceſſe eſt alterum exiſtere: ergo uterque terminus nequit eſſe contingens. En, inquit, tuum argumentum. Vides, cenſor, in ſyllogismis Cella-Dei nullam eſſe condirionalem: in hoc Mojæ eſſe duas, majorem, & conſequenriam. Deindè nulla eſt forma in Logiea de conſequentia conditionali, at hæc Mojenſis conſequentia eſt conditionalis. Debuit denique eodem prorsùs modo ſyllogizara ut inſtare.

Aliud Mojæ Syllogismus inſtantiæ, & formalior eſt. Forma incompoſſibilia cum alia determinatè in uno extremo vagè, & indeterminatè convenieus alterutri duorum extremorum eſt incompoſſibilis cum ſimulrate ejusdem illiua formæ in utroque extremo. Sed certitudo falſitatis eſt incompoſſibilis cum dubio in una determinatè concluſione ex contradictoriia, & uni, vel alteri (ecce iterum caudam) vagè, & indeterminatè convenit. Ergo eſt incompoſſibilia cum dubio in utroque extremo. En, ait, tuum argumentum, & triumphum agit: Iterum in hoc utroque ſyllogismo de contingentia, & de dubio forma eadem Cella-Dei ſervatur; & tamen conſequentiæ ſunt falſæ. Et ratio eſt, quia variatur ſuppoſitio, & proceditur à ſuppoſitione confuſa ad determinatam, & paralogismi, non ſyllogismi reſultant.

Debuiſſet Moja, ubi ſuppoſitionis confuſæ, & determinatæ variatæ vitio accuſat, utriusque definitionem coram afferre, & manifeſtare, quomodo una in minori interveniret. Sed utinam norit ipſe unquam utriusq: ſuppoſitionis naturam, & differentiam; nam vulgares etiam logicos latere ſolet exacta rei hujua cognitio. Sciunt quidem omnes in vulgari exemplo requiſiti ad videndum, ac ſimilibus variari has ſuppoſitiones: undè imperitiores quoties ſyllogismo aliquo, etiam bono ſtringuntur, & ſolutionem nec ſciunt, nec habent, ad hoc refugium variatę ſuppoſirionia convolant. Neſciunt porrò, quod & Mojæ accidit, oſtendere, in quo, vel cur, vel quomodo variatio facta ſit: in quo ritè explicando cum Fonſeca olim in ſummulis laboravimus, & ſuppoſitionem determinatam, & confuſam in eo convenire docuimus, quod utraqne habet deſcenſum per particulam disjunctivam *vel*, & ſimiles; & in eo differre, quod deſcenſua determinatæ fit per diverſas propoſitiones; confuſæ vero non, ſed per diverſos terminos in ona propoſitione, & alter vocatur disjunctivus, alter disjunctus. Ex quo evidentiſſimè oſtendemus, ſi in his deceret immorari, & niſi ad latebras ſuppoſirionum harum confugiſſe videndi eſſemus, in nullo ex propoſitis ſyllogismis procedi à ſuppoſitione confuſa ad determinatam.

ʃ. II.

Inſtantiarum nullitas.

PLacet ergo inſtantiarum nullitatem imperitiam ita manifeſtare, ut omnes palàm rem capiant. Etenim ſyllogismi inſtantiarum ſiunt de contingenti, & de dubio. Patet autem etiam cæcia de contingenti, & de dubio non poſſe formari ſyllogismum Cella-Dei; nam minor ſyllogismi Cella-Dei eſt; forma incompoſſibilis cum alia determinatè in uno extremo, eſt. Ex quo patet, majorem Cella-Dei eſſe de formis convenibilibus determinatè uni extremo. Sed contingens, & dubium ex ipſo ſuo conceptu formali ſunt formæ non convencibiles uni determinatè extremo, ut patet, & mox declaro. Ergo contingens, & dubium non ſunt formæ comprehenſæ in univerſali majori: ergo nec minor, nec conſequentia eſſe de eis poſſunt juxta ſummulas.

Minor Cella-Dei eſt; ſed certitudo falſitatis eſt forma incompoſſibilis cum probabili ennſcientiæ comparativè ad unam determinatè concluſionem, vel extremum. Et hæc minor nullum habet vitium. Jam minor adverſariorum eſt, vel eſſe debet eadem, ut bona ſit inſtantia, & eſt hæc: ſed neceſſitas eſt forma incompoſſibilis cum conringenti comparativè ad unum determinatè extremum, & ſimiliter de dubio; ſed certitudo falſitatis eſt forma incompoſſibilis cum dubio comparativè ad unam determinatè concluſionem. Hæ minores ſunt de ſubjecto non ſupponente: nam comparant, & ſumunt contingens, & dubium ad unam determinatè concluſionem, vel extremum: hoc porrò eſt falſum ſupponere; nam de eſſentia, ac ipſo formali conceptu contingentia, & dubii eſt non poſſe comparari, nec ſumi reſpectivè ad unam determinatè concluſionem, & axtremum, ſed ad duo vagè; quia contingens dicitur ad eſſe, vel non eſſe, & dubium dicitur, & eſt, an res ſit, vel non ſit, & dubitatio apud ipſum Cella-Dei lib. 4. q. 1. ʃ. 2. a.d. Thoma definitur, *motus rationis ſuper utraque parte contradictionis cum formidine determinandi alteram*, & omnes plus minus hoc dicunt; & contingentia ab omnibus definitur indifferentia ad eſſe, vel non eſſe. Quarè termini illi *contingens*, ac *dubium*, & *determinatè* ad unam concluſionem ſunt termini inter ſe implicantes, ac ſe deſtruentes; ſicut ſi diceres, *disjunctio determinatè ad unum extremum:* &c. Hæc ſunt non modò probabilia ſed patentiſſima.

Syllogismi itaq; Mojenſes, & Recentiorum complutenſium per tot annos præparati ſunt, ſicut iſta. forma incompoſſibilis cum alia compararivè extremum, vel ſubjectum, vagè, & indeterminatè conveniens alteruter duorum extremorum eſt incompoſſibilis cum ſimultate ejusdem illius formę in utroque extremo. Sed forma dijunctionis eſt incompoſſibilis cum determinatione comparativè ad unum determinatè extremum. Ergo forma disjunctionis vagè conveniens alterutri duorum extremorum eſt incompoſſibilis cum ſimultate determinationis in utroque.

Quis

Quis vel puerorum ſummuliſtarum, oro vos, hanc minorem propoſitionem ore proferret? Quis non videret terminorum inrer ſe implicationem, & ſalſam, ac implicatoriam ſuppoſitionem de disjunctione comparativè, & determinatè ad unum extremum? Sed eadem eſt minor utriusque ſyllogismi Mojenſis, & forma, vel quaſi fotma, contingentia eſt eſſentialiſſimè, & apertè indeterminata, & vaga, & implicatio in terminia eſt eam ſumere comparativè, & determinatè ad unum extremum; & idem eſt de forma & quaſi ſorma dubii, & utraque in conceptu ſuo formali claudit disjonctionem, ut eſt patentiſſimum. Ergo datur aperta implicatio terminorum, & ſuppoſitio falſa, & implicatoria in terminis.

Ex his patet Mojam, & Mojenſes deſtitutos eſſe medio termino ſyllogizandi; & concludendi, quo uſus eſt Cella-Dei; nam mediua terminus Cella-Dei eſt incompoſſibilitas duarum formarum, vel quaſi formarum comparativè ad unam determinatè; vel concluſionem, vel extremum. Sed hujusmodi Mojenſes carent hujusmodi medio tetmino, & ſorma, vel qui quaſi formis comparabilibua ad unam determinatè, vel concluſionem, vel extremum. Ergn carent medio termino, quo uſus eſt Cella-Dei. Ergo ridiculæ ſunt inſtantiæ, & ridiculi ſyllogiami ſui, & legitimus ſyllogismua Cella-Dei, & valet in omnibus formis, vel quaſi formis phyſicia, & moralibus, & intentionalibus, ſine exceprione.

Unum occurrit, quod poſſint per ineptiam reponere poſſint, ſcilicet probabilitatem, ſicut dubium, & contingentiam, eſſe ſormam vagam, & indeterminatam, necad unam determinatè concluſionem, vel extremum comparabilem: & ideò incurri in ſyllogismo Cella-Dei errores à nobis objectos, etſi nulla ſuppoſitio varietur. Rationem portò eſſe; quia nequit unum extremum eſſe probabile, quin ſit etiamprobabile, contrarium, vel controdictorium.

Verum hæc eſt ineptia. Primo, quia Cella-Dei per multas antecedentes quæſtiones, quas intactas Moja reliquit, abſolutè, & ad hominem probavit, probabile conſcientiæ non convenire utrique exrremo, ſicut prnbabile aliorum generum; & ita quæſtio de ſyllogismo, ac iſta noſtra non eſt tam de veritate, quam de demonſtrabilitate hujus rei, & titulus Cella-Dei eſt, utrum non ſolum verum, ſed demonſtrabile etiam videatur, &c.

Secundo quia his omiſſis aliud eſt, formam aliquam eſſe vagam, & vagè ſolum convenire, nec eſſe comparabilem ad unum determinatè extremum; ſicut eſt contingentia, & dubium; & aliud eſt, fotmam aliquam non poſſe convenire uni extremo, vel ſubjecto, quin alia conveniar alteri propter relationem, vel tranſcendentalem, vel prædicamentalem; & ſic eſt in relativis omnibus, & nihilominus ſimilirudo paternitaa, frarerniras, ratio creatoris, & creaturæ, cognoſcentis, &c. non ſunt formæ vagæ, & non comparabileaad unum determinatè ſubjectum, nec ſæpè ſunt una forma, ſed duæ; & unaquæq; determinatè afficit ſubjectum ſuum. Probabilitas autem conſcientiæ etiam dato, quod utique extremo convenire deberet, eſt hujusmodi, nec probabilitas hujus partis facit contrariam probabilem Patet; quia probabilitatem hujus partis faciunr rationes eam probantes, vel autoritates: ſed rationes hanc partem probantes non probant contrariam, niſi probabiliſtæ velinr, rationes ſuas hoc privilegio donare. Similiter probabile ab extrinſeco ſuum conſiſtit in eo, quod Suarez, vel ſotua hoc dicunt: & ita dicunt; ſed Suarez; vel Sotus non dicunt hoc ſimul, & contrarium, & ita, & non ita, ur patet, & alioquin nihil dicerent. Ergo probabilitas hujus partis non eſt probabilitas contrariæ: & dato, quod duæ eſſe deberent, unaquaque ſuum extremum determinatè afficit, &c. Quæ ſunt manifeſta: & patent etiam ex actibus, qui ſæpè ſunt notiores quoad nos, quam objecta; nam opinio probabilis, & omnia abſolutè opinio eſt unius partis, non alterutrius vagè; dubitatio non ita, ſed an ſit, vel non ſit, ut ex titulis quæſtionum omnium, ac definitione S. Thomæ, & notione publica conſtat. Ergo ſyllogismi Mojenſes ſunt paralogismi, & inſtantiæ ſunt ignorantia Logicæ.

Aſt teneo tandem Mojam, & Recentiores; nam in propoſitione majoti ſyllogismi Cella-Dei audierunt terminos illns *vagè*, & *indeterminatè*; & continuò exiſtimarunt, intereſſe ſuppoſitionem confuſam: & cum minor illis terminis careat, intereſſe ſuppoſitionem determinatam. O voa præclaros Logicos! Ergo & iſte ſyllogiamus variat ſuppoſitionem: forma incompoſſibilia cum alia determinatè in uno extremo, vel ſubjecto, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremotum & incompoſſibilis cum ignorantia in uno determinatè extremo, vel ſubjecto. Ergo ſapientia conveniens vagè, & in determinatè alterutri duorum exrremorum eſt incompoſſibilis cum ſimultate ignoranriæ in utroque ſimul. Quæro vos, utrum hic ſyllogismus ſit legitimus? Certè Moja n. 4. fatetur, *majorem propoſitionem ſyllogismi conſtructi à Cella-Dei non eſſe univerſaliter veram, ſed ſolum in formis ſe ipſis incompoſſibilibus in eodem ſubjecto, ut ſapientia, & ignorantia: frigus, & calor.* Videtur ergo inſinuare, in formis ſe ipſis incompoſſibilibus, ut ſunr ſapientia, & ignorantia: frigua, & calot, valiturum ſyllogismum. Sed eædem interveniunt ſuppoſitiones in ſyllogismo Cella-Dei, & in ſyllogismo de ſapientia, & ignorantia, ut ex terminis patet. Ergo in ſyllogismo Cella-Dei, non variatur ſuppoſitio, & dicendum juxta Mojam fuiſſet, nego univerſaliter majorem. Quod ſi velint, ſyllogismum, nec in ſapientia, & ignorantia valere, cum res ſit patentiſſima, ac ideò aliquo demum modo demonſtrabilis, Petrus, vel Paulus ſit ignorans, utrumque ſimul non eſſe ſapientem, dignentur de hoc bonum ſyllogismum conſtruere; & mox pro Cella-Dei uſurpabo eundem, & cedam, ac renunciabo ſyllogismo Cella-Dei. Capimini undique pauperes.

§. III.

Ad materiam Moja.

SEd adhuc turpiùs lapſus eſt in materia, nam ut dixi, fatetur n. 4. majorem propoſitionem Cella-Dei eſſe veram in formis ſe ipſis incompoſſibilibus, ut ſapientia, & ignorantia: frigus, & calor. Falſitas autem, & probabilitas ſeipſis in eadem concluſione non repugnant. Hæc ad verbum Moja. Et n. 3. dixerat, ſyllogismum Cella-Dei procedere à formis, quæ ſe ipſis contrariantur, ut ſapientia, & ignorantia, ad formas, quæ ſe ipſis non opponuntur, ſed ratione alicujusmodi ſuperadditi, qui extra formas, & extra ſubjectum, in quo ipſæ ſunt, apertè reſidet, quales ſunt certitudo falſitatis, & probabilitas (ſupple, conſcientiæ.) Hæc iterum ille. Hinc toto §. eo incumbit, ut probet, falſa multa eſſe probabilia.

Dicebar ergo, probabilitatem, & falſitatem non eſſe formas ſe ipis incompoſſibiles, ut ſapientia, & ignorantia. O bone Deus! Num ſyllogismus Cella-Dei eſt de probabilitate, & falſitate? Quis hoc non videt, qui librns edit? Relegatur ſyllogismus, vel in hac reſponſione, vel in Cella-Dei, & videbit, eum non eſſe de probabilitate, & falſitate, ſed de probabilitate conſcientiæ, & certitudine falſitatis, niſi Mojæ

idem ſit certitudo falſitatis,& falſitas,& Confeſſarius Reginæ,& Regina. Non enim hic ego cũ Regina ago, ſed cum Confeſſorio ejus. Ergo nec qui de certitudine falſitatis ſyllogizat;de falſitate ſyllogizat.

Verè Moja inſtar librorum agri eſt,& nonnet, neque connectit; nam nunc ſuo n. 4 ſumebat tanquam terminos Cella-Dei falſitatem, & probabilitatem; & n. immediatè 3, ſumit certitudinem falſi- & probabilitatem, ſed ait, has non eſſe ſe ipſis incompoſſibiles, ſed ratione modi additi, qui extra ſubjectum ipſarum apertè reſidet. Sed haud dubiè non apertè, ſed occultè reſidet, nam non appatet, nec ipſe dignatus eſt dicere,quis ille modus ſit, & utinam an in aëre reſideat. Nullo planè negotio oſtenditur, commentitium eſſe modum iſtum, ac certitudinem falſitatis, id eſt,ut definit S. Thomas,adhæſionem firmam circa verum contrarium, ac indè notam reprobationem firmam falſitatis contrariæ eſſe ſeipſa incompoſſibilem cum cognitione probabilitatis conſcientiæ in contrarium.

Sed non ſit ita, & incompoſſibilitas veniat à modo aliquo fixo in polo arctico. Hoc certè non impedit vim demonſtrationis, ſed ſolum cogit ad propoſitiones longiores: & hæc eſt vera: omnis forma incompoſſibilis cum alia compatativi ad unum determinatè ſubjectum incompoſſibilitate etiam à modo ſuper addiro proveoiente, vagè,& indeterminatè conveniens alterutri duorum ſubjectorum, eſt incompoſſibilis ratione, & vi ejuſdem modi cum ſimultate ejuſdem illius forma in utroque. Hæc patet; nam ſi Deus decernat, albedinem, & frigus non eſſe in eodem ſubjecto, & albedo ſit in Petro, vel Paulo, non poteſt frigus eſſe in Petro ſimul, & Paulo: & ſic in aliis. Ergo impertinens eſt, quod formæ ſe ipſis opponantur, vel modo addito; ſi reipſa ſimul eſſe non poſſunt. Loquuntur ergo, ut loquantur, & habemus *volentes eſſe legis Doctores non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Cum rurſus Moja fateatur, de ſapientia, & ignorantia valere ſyllogiſmum Cella-Dei:& Cella-Dei eadem quæſt. 11. §.1. ac rurſus §.3. eamdem rem ſaltem de probabili ab extrinſeco demonſtraverit per incompoſſibilitatem ſapientiæ, & ignorantiæ captus manet Moja abſolotè, & ad hominem. Affert alibi Moja reſponſionem, ſed eam ipſam, quam Cella-Dei propoſuit, & facto nototio diſiecit §.3.

§. IV.

Errata in dicta quæſt. 2. Mojenſi corrigenda.

PRimum in titulo quæſtionis, quam movit de probabili in genere, cum quæſtio ſit, ac eſſe debeat de ſpecie, vel quaſi ſpecie; ſcilicet de probabili conſcientiæ.

Secundum eſt, quod Cellam-Dei citat pro parte negante, cum ipſa integris quæſtionibus tradat, & probet contratium.

Tertium,quod Cellam-Dei vocet pediſſequum Card. Palavicini, cum Cardinalis doceat,ac tradat in ſuis operibus uſum vulgarem probabilium,& ſolum in definitione probabilium,& in alia quæſtione uterq; in univerſo opere convenit. Hoc eſt offendere velle,ſed neſcire. Itaque eminentiſſimus Dominus quandiù ſolum egit Theologum,docuit uſum vulgarem probabilium. Deindè verò in ſacris congregationibus acutiſſimum ingenium, in cujus monte opiniones falſæ, ut ait Cella-Dei non inſtat aliorũ opacæ,ſed diaphanæ erant,adverrit,vel quęcumq; in ſacris congregationibus agebantur,eſſe iniqua,vel falſam eſſe opinionem de uſu probabilium;& ideò opinionem mutavit. Poſtremò legit librum Cella-Dei,& in veritate maximè firmatus fuit. De cætero tanti facit Cella-Dei in ſuis operibus ſplendidiſſimum lumen ingenii Cardinalis, quod haud dedignaretur ejus eſſe pediſſequum ſi ita eſſet.

Erratum quartum, in quo uno rot errata continentur, quod propoſitiooes;incipit a num.4.ubi exiſtimat, juxta Cellam-Dei falſa non eſſe probabilia, & tres columnas expendit in probando multa falſa eſſe probabilia. Et hoc eſt errare in toto.

Cella-Dei ex quæſtione 1. ad Lectorem conteſtari incipit: profectò indubitatum eſt, & plurimas falſas doctrinas probabiles eſſe; quin non opinio, ſed proverbium eſt,aliquando falſa eſſe probabiliora: atque hoc per univerſum opus millies ſupponit,& dicit;

Sed hoc nihil eſt; nam omnes ferè quœſtiones lib. 2. usque ad 11. ſyllogiſmi, in quo Moja impegit, non de alio ſunt, quam de diſtinguendo, & probando multiplici in genere probabilitatis uttique extremo convenienre. Sed horrent æquivoca ſua diſtingui, ac impetitiam ſuam manifeſtari.

Inter cæteras quæſtiones lib. 2. qu. 5. Cella-Dei eſt; utrum detur aliquod probabile etiam contra certam, & evidens? Et affirmat, & probat. Quo uno exuſſantur adducta à Moja.

Sed Cella-Dei ſui oblitus fol. 397. ubi citarur; non ſemel jactat,inquit Moja n. 5. nullam in re eſſe opinionem falſam probabilem. Titulus ipſe Cella-Dei Mojam tedarguit: nam titulus eſt: *ratio probabilis falſa pertinet ad convenientiam erroneam.* Et de hoc ono agit; & in omni ſua argumentatione agit de ratione probabili falſa, ſui etrante. Quæro abs te, utrum Mojs inrelligat linguam latinam?

Certè ibi; & ſemper tuetur Cella-Dei, falſa non eſſe ptobabilia in ſe probabilitate conſcientiæ,& ſecundum eſſe; licet ſint probabilia quoad nos; & etiam in aliis generibus. Sed dictis Doctorum Eccleſiæ Bardi, Tabri, Terilli probat Moja, falſa eſſe probabilia. Et quis. negat.

Num. 8. Caramuelizando arguit contra Cella-Dei ex myſterio conceptionis Virginis Mariæ. Hoc primo eſt erratum contra Cella-Dei, cujus probabilium diſtinctione ſpuitur. Deindè in ſuo opere contempſit Cella-Dei, quæ hoc ex loco affert Caramuel.

Verum hæc nihil ſunt, & ejiciendi à ſchola eſſent hi homines, qui funditus evertunt Theologiam,& quidquid in Eccleſiaſtico ictu, & cultu firmum eſt; nam putant, cultum præceptum ab Eccleſia ſalvum eſſe, ſi per reflexas exhibeatur adhuc in ſenſu compoſito opinionis negantis rem cultu celebratam eſſe ſanctam; ex hoc enim arguit Moja contra Cella-Dei. Ergo nec cultus S.Franciſco, & S. Ignatio exhibitus ab Eccleſia probat eos reverà eſſe ſanctos, & ſufficit probabilitas, & rotum componetur etiam cum opinione contraria, quod ſint damnati: & ſic etiam erit in approbatione Religionum, &c. Heù monſtra? Eccleſia ſancta ſcit, quandiù tolerandi ſint. De cætero a num. 9. usque ad 26. ſinamus Mojam cum Baronio de conceptione Matris Dei contendentem. Hoc ut terminis Mojæ n.20. utar, addo, ingenioli mei tarditatem fateri coactum, me neſcire, quomodo Moja excommunionem Alexandri 7. non incurrerit eo num. & in tota contentione cum Barono.

DE
RECTA DOCTRINA MORUM,
TOMUS PRIMUS.

LIBER PRIMUS:
PRÆAMBULA CIRCA CONSUETA Probabilia.

QUÆSTIO I.

Scopus ac ſeries, & ratio Operis ad Lectorem, vel Cenſorem.

RELIGIONIS morumque rectâ doctrinâ ſapientiam maximè Chriſtiani hominis conſtare, haud, Lector, ignotas. Cætera planè infrà nos pœnè ſunt, & neceſſitati ſolùm danda, quæ de rebus magis noſtris, & civitatis etiam, vel Regni, vel arcium, tranſituris tamen, ediſſerunt, ut alia miſſa faciam, quæ neque in civilem, neque in Chriſtianam vitam conferunt, ſed obſtant magis, & impediunt. Ut itaque eorum ſolùm vita commendanda eſt, qui Religioni primùm, rectis mox moribus impigrè vacant; ita in ſtudio litterarum illi probandi ſunt in primis, qui Religionis, morumque doctrinam dignè elucidant, firmant, promouent: atque his planè duobus, Theologia noſtra, ſacta ipſa doctrina, tota-quanta conſtat. Æternùm ſcilicet victurum hominem, æternarum maximè rerum vacare cognitioni, atque ad æternum ipſum Deum contemplandum procrearum, elevatumque humanum ingenium, deſitura quæque dedignari, majoraque appetere; Dei verbis, quæ ſtant in æternum, ineſcari, hæreréque: divinis ipſis rebus, atque æternùm duraturis noſtris avidè incumbere, eas noſſe, indagare, verſari, par ſanè eſt, atque quædam inchoatio futuræ Beatitudinis; nam reliqua, etſi inepriens mundus maximi ducat, minora, imò vix ulla ſunt.

Hinc illud eſt, neque ſapientis, neque Theologi nomen eum planè demereri, qui Religionis cauſas, quorsùm ſe habeant, quantum, & unde veram inter & falſas, quæ orbis partem maximam implent, interſit, vix novit, aut curavit: ſimpliciorum adinſtar credit, & ſi de ſcripturis occurrit dicere, de Conciliis, hæreſibus, de moribus, ad Scripturarios, Controverſiſtas, Moraliſtaſque appellat.

§. I.

In ſolam doctrinam Religionis non nimiùm declinandum aut contrà.

ENim verò in ipſa etiam Religionis, morumque doctrina, aliam præ alia plus juſto curare, colere alteram, alteram negligere, ſcelus eſt ab ipſis ſapientiæ regulis alienum. Certè ætatum noſtrarum Sectatiorum illud eſt, fidem unam deprædicare, illi juſtificationem, illi gloriam, illi omnia ex toto attribuere; morum diſciplinam omnem, curamque negligere. Abeſt procul ab his deliramentis vera ipſa Fides, atque Religio; præſcribit enim illa in primis, nihil ipſam ſolam ſufficere, fidem ſine operibus mortuam eſſe, fidem illam ſaluare homines, quæ per charitatem operatur, ex qua juſtus vivat; mores requiri Chriſtianos, quibus ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo: Tria quidem ſumma munera eſſe, Fidem, Spem, & Charitatem, ſed iſtam majorem, quæ evacuatis illis nobiſcum etiam permanſura ſit. Alius ex adverſo peſtilens error prodiit, ipſorum hic quoque Sectatiorum, nihil veram ipſam Fidem curantium, ſed ineptientium, quamlibet etiam falſam ſufficere, mores conſiderandos eſſe, & quo modo unuſquiſque ſe gerat in ſua Religione. Adeò utrimque imminet periculum, aut ſolam Religionis doctrinam, aut ſolos mores curandi.

Non modò autem pingues hi, ac nimis aperti Sectariorum errores cavendi diligenter ſunt, ſed illud prætereà circunſpectè animadvertendum, ne inconſideratione quadam animi in eos declinemus: ſi curam omnem doctrinæ morum prætermittas, & rectificandæ voluntati totus incumbas; ſi quidquid ſapientiæ nomine Sacræ Litteræ commendant, auro, & Regnis anteferunt, totum in voluntatem conferas, & de mente ipſa illuminanda, edocendaque, contra quam Deus ipſe, ſuaque ſancta Eccleſia perpetuò nos inſtituunt, nihil ſtudeas: Zelum profectò habebis, non autem ſecundum ſcientiam: Ut enim rectus intellectus, niſi bona voluntas accedat, nihil

profuturus eſt; ita bonam, & ſanctam voluntatem fieri ſine recta, ſanctaque doctrina, & ſcientia Sanctorum impoſſibile prorsùs eſt. Magis porrò cavendum videtur, ne in contrarium deviemus, & in fide noſtra, quà miſerentis Dei gratiâ Catholici exiſtimus, plus juſto fidamus, ſeu, ut Propheta loquitur, confidamus *in verbis mendacij dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini: quoniam ſi benè direxeritis vias veſtras, & ſtudia veſtra*, &c. Populus olìm Hebræorum electus populus erat, & certè haud peramplus: Templum dumtaxat unum Deo erat in terris, ipſis illud conceſſum; delirabat reliquus mundus in cultu idolorum. Humanum profectò videbatur, ut in templo iſto, in ſua paucitate, in ſua electione multùm confiderent. At Propheta prohibet confidere in verbis mendacij. Neceſſe ſanè eſt benè dirigere vias noſtras, & ſtudia noſtra, ac juſtitias Domini non prophanare; quæ niſi fiant, rectè crediſſe, non excuſatio, quin accuſatio erit, pœnamque augebit magis.

§. II.

Conſilium ſcribendi.

OCcurrerat ergo, extare inter nos Orthodoxos, contrarias, atque diſſentientes opiniones de moribus, & de bono, & malo: quemadmodùm foris innumeræ ſunt contrariæ, & diſſentientes opiniones de ipſa Religione, & hi hanc veram, illam falſam: & ſic alij, & alij ſine fine obloquuntur: nec ſeciùs apod nos hi, & illi hoc bonum, hoc malum; hoc peccatum, hoc non peccatum; & ita alij, & alij tam in multis dicunt, quibus ingentes ſanè libri impleantur.

Jam cauſam unam Religionis curare; morum doctrinam negligere; in ea veritatem neceſſariò ipſam colendam; in moribus penſi non eſſe, quoquo modo res ipſæ habeant, bonam intentionem ſufficere, nimiùm ad Sectarios declinare videbatur. Ab errore deinde evocabat Propheta inclamans: *Væ vobis, qui dicitis bonum, malum, & malum bonum*, &c. Per omnem porrò falſam doctrinam aut bonum dici malum, aut malum bonum, aut neque bona, neque mala bona, aut mala, aut contrà. Evocabat deindè ipſe Salvator noſter ex Propheta uſurpans: in vanum autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum; omnem autem falſam doctrinam non Dei, ſed hominum eſſe.

Hinc mentem ſubiit ingens deſiderium, & conſilium ſuper iſtas morum contrarias opiniones, & doctrinas vigilantiſſimè inquirendi, quid denique facto opus eſſet, ne me, vera utique jam religione potitum, morum deindè perderet error, an omnes etiam falſas acceptare tutum eſſet, an veritatem præcisè ipſam quærere oporteret. Sed ne in falſis quieſcerem, terrebat Prophetæ, *Væ*, & vox Salvatoris.

§. III.

Controverſia Probabilium utrimque.

HIs nodis, difficultatibuſque occurſum jam pridem videbatur à viris præſtantibus quadam velut reconciliatione falſarum ſimul, verarùmque opinionum, quodam inter utraſque, quod utriſque unà conveniret, invento, adhibitoque medio. Non enim illas quà veras, aut falſas, ſed quà probabiles, aut improbabiles cenſendas eſſe, atque dijudicandas autumarunt: probabiles omnes acceptarentur, reſpuerentur improbabiles. Contingit porrò, & veras, & falſas innumeras, quibus libri implentur, probabiles eſſe; falſas aliquandò etiam probabiliores, quin veras non ſemel haberi improbabiles. Hinc omnes opiniones ſive magis, ſive minùs, ſive æqualiter probabiles, tutam eſſe, rectamque morum regulam tradiderunt.

Avidè ſanè arreptum eſt hoc probabilitatis medium, quo falſa, & vera, & diſſentientia inter ſe quoad mores conciliarentur: quódque præter commoda alia, quæ inferiùs commemorabo, à labore ſcrupuloſiùs probabiliora, aut vera ipſa conquirendi liberaret: quod ubique adeſſet facilè, & citra exquiſitam diligentiam obviom inveniretur, & in unaquaque ætate, Schola, vel Gente cunctis manifeſtum pateret. Unde quoties de inſtituendis moribus, atque de univerſa vita hominum ſermo incideret, aliud vix audires, quàm probabile; verum, aut falſum vix unquam. Ut verò ſimili etiam utar diſſimili, quod tamen rei momentum ob oculos ponat, nullus apud Sectarios plauſibiliùs acceptus eſt error, illo, quo à ſolicitudine veram Religionem quærendi exonerantur; in qualibet maximè verò Chriſtiana eos ſalvari, veram ipſam neceſſariam haud eſſe tam gratè, quàm fruſtrà audierunt. Amat enim omnis anima, niſi virtute fortior fiat, in rebus ſpiritualibus oſcitari, nec ad labores, & ſolicitudinem cogi.

Sed ecce ex adverſo viri etiam graviſſimi prodierunt. Primò quidem cœptum bellum de relaxatione doctrinæ morum, factum ipſum utriſque fermè fatentibus, ſed aliis in alios viciſſim cauſam reijcientibus. Ventum mox ad probabilia in ſpecie, de quibus per Galliam maximè, Italiam, atque Belgium adeò hac extrema ætate bellum recruduit, ut de nullo certetur animoſiùs, atque opuſcula, & libri præclari vulgati ſunt. Horum verò probabilibus obluctantium illud conſilium, ut à regula morum tollerent minùs, & æquè probabilia adverſus legem, qua in re ipſorum quidem judicio ſumma, ex qua ſalutem pendere animarum arbitrabantur, fortiſſimâ etiam oratione uſi ſunt; cujus partis adeò in dies crevit numerus, ut inter communes jam opiniones cenſeri jure debeat.

§. IV.

Scopus Operis.

IN hac ſanè controverſia, quamvis primæ opinioni olim aſſuetus, facilè tamen ſecundæ manus, & colla dedi, exiſtimavique, opiniones æquè, aut minùs probabiles adversùs legem non modò regulam conſcientiæ non eſſe, verùm nec à peccato quidem excuſare poſſe. Sed enim ad eam, quam memoravi, ſuper veras, & falſas opiniones, morum impensè inquirendi curam, atque ſolicitudinem, ſatis non habui, quid regula non eſſet, edocere, ſed quid demùm recta regula, quæ recta morum doctrina eſſent, ulteriùs exiſtimavi indagandum.

Laudo quidem, & accipio, non, (ut quidam oſcitanter judicarunt,) improbo Autores ſecundæ opinionis, neque adverſus illos, ſed magis præter illos aliquid videor adducere. Eò enim ipſi

toti

toti incubuerunt, ut edocerent, opiniones minùs, aut æquè probabiles contra legem, regulam morum non eſſe, ſed quoties opinio adeſt, vel æquè probabilis, vel probabilior pro lege, nos obligari planè ad legem. In quam ego univerſam, doctrinam non ſolùm non pugno, ſed eam toto opere, ſingulis illius quæſtionibus, & ubique ſtatuo, & tanquam in re mihi quidem clariſſima efficaciùs etiam fortè ago; quàm vellent adverſatij: ſed ſi ſalus animarum hoc ex puncto valde pendet, nihil certè nimium videri deberet.

Autores itaque iſti, non tam ut rectam regulam præcipuè exponerent, quàm ut non rectas deſtruerent, ſcripſerunt. Dixerunt certè, nos ad æquè probabile, vel probabilius legis obligari: at autem an probabilius, etiam adversùs legem, quod ſæpè deeſt, vel æquè probabile legis recta regula ſit, datâ ſaltem operâ nequaquàm diſputarunt; hoc eſt, non tradiderunt, omnem probabiliorem doctrinam eo ipſo rectam, ſanamque doctrinam exiſtere, eumque ſaltem ex ignorantia peccare non poſſe, cui quidem probabilius viſum eſt legem non adeſſe, aut non obligare: at fortè ex ſua culpa, ex ſua paſſione, vel negligentia, aut oſcitantia ita viſum eſt: de qua mea cum illis concordia diſtinctius; *lib. 3. quæſt. ult.* tracto. Quod ſi nihilominùs, me illis adverſari, arbitraberis, hoc gratiæ peto, ut non te, qui utriſque es contrarius, ſed ipſos illos doctrinæ ſuæ ſatis intelligentes judices habeam: expertus enim loquor, & me, & illos improbari magis à quibuſdam, quàm conſiderari.

Me ergò iterùm in viam revocat Propheta; *Væ vobis, qui dicitis bonum malum, & malum bonum;* &c. ac Dominus Salvator noſter, *In vanum autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Profectò indubitatum eſt, & plurimas falſas doctrinas probabiles eſſe, quin non opinio, ſed proverbium eſt, aliquando falſa eſſe probabiliora. At indubitatum etiam videtur per omnem falſam doctrinam bonum dici malum, aut malum bonum; aut neque bona, neque mala dici bona, vel mala, aut contrà. Indubitatum item videtur, omnem docentem doctrinas falſas, etſi probabiliores doceat, non Dei, ſed hominum docere doctrinas; ut hoc opere palàm oſtendetur.

Hinc de recta doctrina morum ſcripturus, & oſtenſurus, quænam demùm illa exiſteret, ſtatuere minimè potui, omnès probabiliores doctrinas eſſe rectas & ſanas, rectamque morum, & diſciplinæ Chriſtianæ regulam. In quo & illud valdè diſplicuit, quod ultrò ſe offert, ſcilicet varietas, ac mutabilitas, & viciſſitudo probabiliorum. Eadem enim hac ætate probabiliora habentur, & ſequenti minus probabilia judicantur, vel etiam antiquantur, & obſoleſcunt. Sed quorsùm ætates memoro: eædem opiniones in hac Natione, & Gente præferuntur, quæ alibi vix probabiles cenſentur, & contrariæ, omninò coluntur. Non opus eſt Provincias peragrare: intra urbem unam in hâc domo, & ſchola hæc probabiliora, & in alia contraria omnia judicantur: in domo ſæpè eadem Theologia unius cubiculi ab alia alterius tota diſcrepat, & hic iſta, & ibi illa probabiliora exiſtimantur: & unicuique uno verbo ſua, vel ſuorum opinio, quod communis ſententia docet, videtur utique probabilior. Profectò non tot viciſſitudines ſubit moneta Caſtellæ, quod tamen inſignia regno detrimenta attuliſſe, certò creditur. Sapientes ſanè indubitatum ſemper habuerunt, regulas, & menſuras oportere eſſe valdè notas, uniformes, conſtanteſque. Ecquis ergo credat, probabilius, quod vix in duobus cubiculis unum eſt, & ſibi conſtat, à ſapientiſſimo Deo datum hominibus pro regula vivendi.

Sed verò nec certum pro regula placere potuit; Certum, inquàm, quod tale unicuique exiſtimatur. Certum enim ſimpliciter cum vero prorsùs coincidit, atque à D. Thoma, & alijs definitur adhæſio firma mentis circa verum. De hoc itaque certo, quod etiam nimium foret pro regula requirere, haud loquor, ſed de certo exiſtimato, quodque verè, vel falsò unicuique tale exiſtimetur. Multas ſcilicet & hoc certum viciſſitudines ſubit, ſicut probabilius: his hæc certa; illis contraria videntur; mutantur ætatibus; in contrariis ſcholis diſcrepant: Vix ſibi in domo, & domo conſtant: quodque potiſſimum eſt, multa mala certò, ſed falsò bona exiſtimari poſſunt, & bona mala.

In unam ergo veritatem, quæ Dei utique eſt, quæ bona bona dicit, & mala mala: quæ obſoleſcit nunquam, aut perit; quæ ſibi ubique conſtat, nullibi diſcrepat, me totum dirigendum exiſtimavi, atque uno verbo tenendum, veras ſolùm opiniones quærere oportere; ſolas veras doctrinas rectas exiſtere, eas ſolas regulam morum eſſe poſſe. De falſis omnibus unam diſputationem ſupereſſe, an à peccato excuſent, vel non excuſent? in quo omnium ætatum Theologiam tenendam eſſe procul omni dubio, ab errore, vel à falſo invincibili nos excuſari ex toto; à vincibili non item. Atque his paucis univerſam de recta doctrina morum tractationem comprehendi, mihi viſum eſt.

Enimverò ea, quæ tam brevi dicuntur, non ita brevi, & ictu quaſi oculorum viſa, deliberata, & præſcripta ſunt: ſcilicet ut imbecillitatem hîc meam fatear, cùm diſputationem omnem de magis, aut minùs probabili inſtitutam inveniſſem, primùm ego quoque per magis probabile cuncta dirigens, opus pœnè hoc totum jam abſolveram: mens tamen haud quieſcebat; alia deeſſe, non ſatis alia expediri videbantur, atque vel ipſum divinum Officium, quod recitabam, veritatis commonebat, atque aliam omnem, quam veritatis ipſius viam inſufficientem eſſe tum hoc, tum multa alia perſuadebant. Gradum itaque revocavi; opuſque denuò ab origine reſumpſi, & in eam, quam dixi mentem, & conſilium veni, ut totum me in veritatis ipſius inquiſitionem dirigerem; per verum, & falſum cuncta decernerem, atque ſolas veras doctrinas morum, rectam doctrinam morum eſſe, atque regulam ſtatuerem.

Terrebat autem, & conterruiſſet planè valentiores alios rei magnitudo, & difficultas provinciæ. Quidni fieri poſſet, ut ubi ingens adeò veratum, & falſarum opinionum multitudo & copia commixta eſt, ex plenis libris veras quis decerpere, falſas reſpuere ſufficeret? ſi ſingulæ una ad unam examinandæ venirent, non vires, non vitam, neque ingenium ſuffecturum non mihi modò, ſed neque præſtantioribus: niſi verò ſingulæ diſcutiantur, delectum verarum fieri haud poſſe. Hoc ſanè terrebat multùm; placebat autem plùs, & alliciebat veritatis pulchritudo ipſa; fixumque animo videbatur ſolas veras doctrinas de cœlo eſſe, & ſolas illas in cœlum ducere poſſe.

Sed fidem, ſpemque auxit veritatis infractus ſectator, amatórque Auguſtinus *libro de utilit. credendi cap. 8. Hic igitur conſtitutos,* inquit, *quæ ut opinor, ita juſta ſunt, ut obtinere apud te iſtam cauſam quovis adverſario debeam, edam tibi, ut poſſum, cujuſmodi via uſus fuerim. Ut enim à vobis trans mare abſceſſi, cunctabundus, atque hæſitans, quid mihi tenendum, quidve dimittendum eſſet, quæ mihi cunctatio in dies major oboriebatur,* &c. *Sæpè mihi videbatur, non poſſe inveniri, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum ſuffragia ferebantur* (qui veritatem ininvenibilem rati per probabile, ac veriſimile vitam, moreſque hominum inſtituebant.) *Sæpè rurſus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam ſagacem, tam perſpicacem, non putabam latere veritatem, niſi quod in ea modus quærendi lateret; eundémque ipſum modum ab aliqua divina autoritate eſſe ſumendum.* Ita planè fecit, & veritatem tum Religionis, tum morum, ſalutiſque viam tam certò invenit, ut citra errorem ſaltem eum cœlo potitum diffiteri poſſit nemo: *fieri enim non poteſt* (inquit ipſe *lib. de quant. anima cap. 13.*) *quadam providentia divina, ut religioſis animis ſe ipſos, & Deum verum; id eſt, veritatem piè, caſtè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas deſit:* quod pleniùs Opere hoc ipſo commonſtrabitur.

Me præterea in cauſis Religionis verſatum, ipſius religionis exemplum, ut de moribus idem ſperarem, commonebat, eſſe ſcilicet in mundo innumeras Religiones, & Religionum opiniones, diſſenſiones, & factiones: & tamen veram ipſam eſſe invenibilem. Probè equidem ſcio, non modò in amotiſſimis gentibus, ſed in ipſis etiam Italiæ finitimis, & ipſos inter Catholicos commixtis hæreticis, admitti à quibuſdam infidelitatem negativam, & hæreſes invincibiles, & ſceleris innoxias. Sed quicquid de his erit, illud mihi firmum eſt, &c. præter omnem opinionis formidinem certum, indubitatumque, extra Eccleſiam Catholicam tam ſalvari neminem, quàm in diluvio extra arcam evaſit nemo. At ſalvari omnes homines poſſunt, ut concedunt omnes. Ergo & Catholicam Eccleſiam, ac veram religionem invenire, ſine qua ſcilicet ſaluatur nemo.

Porrò de vera doctrina morum, ut idem ſperarem, eædem planè cauſæ ſuadebant: ſi Dei ſcilicet erga nos Providentiam inſpicerem, ei non unam Religionem, ſed mores quoque curæ eſſe: ſi opinionum multitudinem; ſi vitæ curas, ſi populorum ineptitudinem, & quæcunque hoc genus alia conſideratum irem, par, conſimiliſque cauſa videbatur. An in una religione Academicos rejicerem; in moribus verò deinceps conſequerer. An Deus nulla falſa religione, quantumque falsò certiſſima tibi videatur, rectè, & dignè colitur? & tamen ei placemus mala faciendo, ſi error tibi tuus bona illa enunciet; ipſa ergo veritas doctrinæ morum, Deo Autore, Deo Ductore præcipuo, Adjutoreque quærenda nobis eſt. Intra ſanctam Eccleſiam ipſius gratiâ ſumus, in qua & ipſius doctrinâ, Salvatoris vitâ, Sanctorum geſtis, doctriniſque tam copiosè inſtituimur, ut vetulæ ipſæ litterarum rudes, ingenio ineptæ, paſſim pœnè ob oculos noſtros cœlum rapiant, quin opinione vivant, ſed veritate: quibus ſcilicet glorioſus Deus *certàm dat præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ.*

§. V.

De diviſione Operis.

INgenij, viriumque memor mearum auſus planè non ſum magnum volumen edere, ſatis in me gratiæ conferendum exiſtimans, ſi vel exiguum legeretur. Hac de cauſa Opus dividere viſum eſt, & partitim dare; & in hac prima parte, quam nunc edo, probabilium dubiorumque controverſias expedire; in ſecunda de ignorantiis, atque de invenibilitate veritatis moralis, modoque eam inveniendi diſſerere. Prima plus Philoſophiæ, ſecunda plus Theologiæ habet, & autoritatis, in qua etiam de Magiſtrorum munere, atque obligatione fusè tracto.

Neque verò, quod fortè optares, & fieri etiam fortè poſſet, in ipſam veritatem moralem quærendam ſtatim ducimur. Dictum eſt enim paulò ante, plurimorum eſſe, opinionem, & in praxi quidem ſatis plurium, opiniones, doctrinaſque morum, non quà veras, aut falſas, ſed quà probabiles, vel non probabiles cenſendas eſſe. Hoc niſi convellatur, fruſtra eſt, quod in veritate quærenda, laboremus, quam ſibi minimè neceſſariam credunt, ſed per probabile ubique expeditum, & obvium tam rectos mores hominum exiſtere, atque ſi ipſa manibus habita veritate regerentur. De hoc ergo probabili plenè dicere, illud magis ab origine noſſe, quam hactenùs fortè factum ſit, diligenter diſcutere, verbula, ac modos ejus omnes, atque receſſus explorare de veritate ipſa utiliter dicturo cuique perneceſſarium eſt.

Hæc ergo prima pars de probabilibus, & dubiis exiſtit, atque in quatuor libros exiguos dividitur. Primum, præambulorum quorumdam circa probabilia nomino, in quo univerſaliſſimas quaſdam vel opiniones, vel inconſiderationes exagito; aliqua etiam probabilium inconvenientia edo, eo fine, & ſcopo, ut his probabilibus conſuetos animos vel ad hærendum nonnihil, & conſiderandum; vel ad dubitandum etiam, ſi quo modo valeam, ſenſim inducam, ac promoveam; dimidium quippe facti me habiturum exiſtimavi, ſi id conſequi poſſem, ut quaſi nihil præopinantes audire vellent, remque iſtam ſummam, in qua ſalus populorum pœnè vertitur tota, quaſi nullius partium homines circumſpicere, nec ea indubitatò vera habere, quæ opinati ſunt aliquando. Hoc ſi obtinerem, expertus ſanè ipſe, qui contrariæ opinioni diù extiti, facilè ſperarem, reliqua me conſecuturum. Neque verò omnia probabilium inconvenientia nunc edo, quin majora ſciens, prudenſque prætermitto. Hic proindè primus Liber velitationis cujuſdam, atque procemialium magis, quàm ſcientiæ ipſius locum obtinet, & deſtruit magis, quam ædificet.

Secundus Liber jam ad docendum, ædificandumque dirigitur, & naturas, ac modos varios probabilium indagat: multas illorum æquivocas acceptiones diſtinguit, declaratque; & quod demùm ſit probabile reale, & poſitivum, quod ad agendum ſufficere videri poſſet, antiquis definitionibus ſtatuit, proprietateſque ejus aliquas elicit, atque proſequitur. Neque enim, ut dictum eſt, contra probabilia, ſed pro veritate certare ſcopus fuit; ac pluris nobis eſt concluſio probabilis vera, quàm concluſio probabilior, aut apparenter etiam certa, ſed falſa; nam quo uno do-

cumento

cumento multa ſanè complexus eſt, *melior eſt ſtipula vera, quam lux inani cogitatione formata*; docet nos Auguſtinus *lib. de ver. Relig.*

Hinc tertius Liber hanc realem, & poſitivam probabilitatem reſumit; eam pro regula morum, & vitæ ſufficere, idoneamque eſſe commonſtrat. Quin cùm ipſi probabilium Aſſertores plerique dictamen conſcientiæ probabile, ad rectè operandum inſufficiens habeant, & evidens, at omninò infallibile depoſcant, nobis probabile antiquum tanti eſt, ut pro ipſo ultimo etiam dictamine conſcientiæ, illud ſufficere exiſtimemus, tradamuſque. Hoc in libro etiam dè prudentia; ad quam frequens adeò eſt appellatio, tractatur; & de operantibus, & conſulentibus præter, aut contrà propriam opinionem diſſeritur.

Quartus liber de dubiis eſt. Hic quid ſit dubium, & dubitatio, & quid dubitare, ex communibus etiam principiis declaratur: gradus indè fit ad rectam dubiorum ſolutionem, & revulſis aliquorum dubia ſolvendi moribus, unam veritatis inventionem dubij ſolutionem eſſe oſtenditur. Hinc regulæ juris de dubiis, de poſſeſſione, de præſcriptione, de reo, & quomodò omnes ſibi apprimè cohæreant, & ubi, & quandò locum habeant, ordinatè exponitur.

Denique Appendicis loco de naturâ opinionis, & de quibus, & quomodò intellectus opinari poſſit, dicere ad probabilium cauſam totam expediendam neceſſarium exiſtimavi. Expertus enim ſum, naturam opinionis, de qua jam non multùm in Logica tractatur, in Morali verò ſcientia vix nihil, cum intereà per opinionem probabilem cuncta decernere moris ſit, non nimis notam, neque intellectam eſſe. Ubi ſcilicet dè opinionis probabilis ad mores regulandos valore incidit ſermo, eam videas plurimi fieri, in ea prudentiam, in ea vitæ noſtræ regimen, ac momentum omne locari, ſin verò de operando, aut conſulendo præter, & contra propriam etiam opinionem agatur, ea planè deprimitur, illius formido, incertitudoque inculcatur, ac ferè cum dubio confunditur; ex quo ſic vario opinionis probabilis pretio multæ nimis concluſiones morales conſequuntur. Oportuit ergo illius naturam, & indolem, formidinemque exactè tradere, ut tanti demùm illa fiat, & cùm prodeſt, & cùm obeſt.

Atque his iſta prima pars de recta doctrina morum abſolvitur. Nullas in ea probabilium, aut dubiorum, aut opinionum novas naturas, novas definitiones: nulla nova principia induco: antiquiſſima planè narro, atque ex omnium Logicæ, ac Metaphyſicæ, Ethiceſque principiis argumenta conficio, quin quod res ipſa declarabit, in veterum demùm Theologiam dè plano recidere videor. In Religionis quippe, morumque doctrina Divinæ Providentiæ, promiſſionumque non prorsùs immemor, antiqua reſtaurare conſultius ſemper habui, & verius exiſtimare, quod prius ex graviſſima illa oratione Tertulliani. Diſplicendi tamen cauſas nunc aliquas memorare, è re mea viſum eſt.

§. VI.

Cur tamen opus offendere poſſit; quia contra conſuetum eſt.

BEnignos pro more Lectores, ſcribentes alij prologuuntur; te certè benigniſſimo opus, ego habeo, Lector: ſunt enim hoc in Opere aliqua, quæ quibuſdam diſplicere poſſint, & primum quidem illud, quod contra conſuetum, ſtatuam, & dicam: in quo ut Sanctorum Patrum mittam nunc monumenta præclara, unum Ariſtotelem dare placuit 1. *Metaph. cap. ult.* ubi conſueti vim ſanè ingentem, & timendam declarat.

Auſcultationes, ſeu auditiones (ut legunt alij) *ſecundum conſuetudines* ait, *accidunt: quemadmodum enim conſuevimus, ita judicamus dici debere; & quæ præter hæc, non apparent ſimilia, ſed quia non conſuevimus, ignotiora, & magis peregrina, & extranea* (ut alij vertunt, aut etiam paradoxa;) *conſuetum enim notius eſt. Quantam verò vim conſuetudo habeat, leges declarant, in quibus fabuloſa, ac puerilia plus poſſunt propter conſuetudinem, quam ſi cognoſceremus ea.*

Aliqui igitur niſi mathematicè loquentem non admittunt. Quidam verò nonniſi exemplis utentem. Quidam autem dignum ducunt, ut teſtis producatur aliquis Poëta. Et quidam exactè omnia. Quoſdam verò tædet certitudinis, ſeu (ut verſio alia habet) *flebilis eſt eis certitudo; aut propterea quod non poſſunt conſequi, & propter impotentiam complectendi, aut propter micrologiam. Habet enim certitudo tale aliquid, quare ut & in contractibus, ita & in orationibus illiberale eſſe quibuſdam apparet.*

Ecce quanta ſit, & quam multiplex, & varia vis conſuetudinis ipſo non antiquiorum modo; ſed noſtro etiam experimento notiſſima; undè fatua eſſet omnibus placendi cupido Scriptorum. Hinc autem cauſa magna offenſionis hoc in opere, quod contra conſuetum ſit, verſa in naturam, ut gloſſat S. Thomas, conſuetudine: undè & habitus, ait, ex conſuetudine generatur, qui inclinat per modum naturæ. Nihil porrò in univerſa Morali, aut alia doctrina tam conſuetum omnibus eſt, quàm probabile, per quod cuncta dijudicantur; ac libri ipſi morales aliud jam vix penſi habere videntur, quàm an hæc, vel illa opinio ſit probabilis? ex quo ſcilicet uno vita noſtra, moduſque ejus totus pendere exiſtimatur. Omnes opiniones probabiles acceptant, ex quibus etiam vivant, quas inter, cum fermè ſemper ſit opinio opinioni contraria, tot ferè falſæ exiſtunt, quot veræ. Iam falſas omnes abjicere, veras ſolas acceptare, has ſolas rectam doctrinam morum dicere, contra conſuetum ſanè, & contra ipſam fermè naturam eſſe videtur. Profectò ſi ex me ad alios conjectare liceret, ante annos novem vix ipſe placatè tuliſſem, quòd quiſquam contradixiſſet.

Haud verò, quod maximè obſervandum eſt, timemus quidquam, Chriſtianos homines ſcientes, volenteſque veritatem pro conſueto tradituros, aut indè offendendos, quod contra conſuetum ſive falsò, ſive etiam verè dicamus. Abſit à corde noſtro iniqua adeò exiſtimatio. Non ergo hoc dicimus, non hoc timemus, ſed vim conſuetudinis quam dici oratione ulla poſſit, planè majorem, quæ in naturam ipſam vertitur, & in doctrinis, ſicut in aliis, habitum etiam ingenerat, qui inclinat per modum naturæ, ex quo proindè, niſi diligentiſſimè caveatur, magis quàm ex natura ipſa plerumque judicamus. Hoc ergo timemus, ne ex contrario conſueto noſtra aliquibus non ſimilia (id eſt vero), quin ignotiora magis, & peregrina, ac extranea, & uno verbo paradoxa videantur, offendanturque, quod contra conſuetum tot, tantorumque virorum, hoc eſt, contra ve-

Digitized by Google

verum ipſorum, rebus ignotis, peregriniſque decertare conſilium fuerit. Hæc ſcilicet non calumnia eſt, ſed vel labes, vel conditio omnium hominum, niſi diligentia caveatur; & depoſita ſanè jactantia, ut ait Auguſtinus, omnes homines ſumus.

Imò verò quid Ariſtotelis, quid alterius opus eſt teſtimonio, ad vim planè incredibilem evincendam conſuetorum? Hoc unum, quod manibus pœnè terimus, & incredibile viſum fuiſſet, memorabo. Aliquot ſanè millia hominum ſcholam Thomiſtarum profeſſi ſunt, ac profitentur; & eodem modo ſcholam Scotiſtarum, & Societatis Jesu. Vix uni, aut nulli Thomiſtæ vera viſa eſt ſcientia media: vix uni, aut nulli Jeſuitæ vera phyſica prædeterminatio: utrorumque vix ulli totum diſtinctum a partibus. Iidem hi homines omnes, eædem naturæ, ipſamet ingenia contrarias ſubiiſſent ſcholas, eiſque conſueviſſent: contraria mox illis vera viſa fuiſſent. Adeò in conſuetis momentum pœnè omne eſt: atque hunc in primis obicem caveat, neceſſe eſt, in ſcientiis profecturus quiſque: verum ſanè illud inveniet, à non aſſuetis fieri paſſionem; patietur utique: ſed tanti eſt Deo ſervire, & veritati, quæ Deus eſt.

Et hæc quidem nunc ſatis de conſueto. Sed præterea modus etiam ipſe philoſophandi noſter fortè diſplicebit, atque oratio videbitur exacta nimiùm, & aliena: ad ipſas enim ſeveriores Logicæ leges, & rigorem; ad ipſius etiam Metaphyſicæ metaphyſicum utique tribunal, & formam ſæpé multa exigimus; quod ſive propter impotentiam conſequendi, & rationis debilitatem, ut S. Thomas declarat; ſive propter *micrologiam*, reus virum curat & quaſi nimiam, & minutam inquiſitionem, illis in primis diſpliceat, neceſſe eſt, qui nihil ſcientiis illis aſſueverunt, & illis quoque, qui debiliorum mentium ſunt: quin etiam aliquibus Scholaſticorum, qui in Logica non Logicam, nec in Metaphyſica Metaphyſicam ipſam, ſed neſcio quid aliud verſant.

Sapientioribus etiam ipſis oratio videri poteſt exacta nimis, & aliena. Dicere enim aliquis poteſt, primis ipſis moralis Philoſophiæ, ac etiam Theologiæ rudimentis repugnare exactam orationem, & dictionem minutam; nihil eſſe Morali diſciplinæ, ut ex Ethices quaſi prooemio liquet, cum demonſtratione; nihil proindè cum Logicæ legibus, nec Mataphyſicæ, ut ita loquar, metaphyſicis.

In prudentiam denique ipſam graviter peccare videbimur. Qui enim hac dictâ probabilium regulâ maximè utuntur, & quibus caſus reſolvendi provincia potiſſimùm demandata eſt, ſunt Caſuiſtæ, quos ita vocamus, atque Confeſſarij, qui rem Logicam, & Metaphiſicam parùm tractant, Apud hos porrò cauſa in primis Probabilium agenda videbatur. At eos tædet certitudinis, & flebilis eſt exacta oratio, triſtanturque, ut S. Thomas exponit: undè etiam præclariſſimos Autores poſthabere aliis ſolent, nimiùm ſpeculativos dicere, parumque in praxi verſatos, ex quo tam nimij extiterunt, ſatius ergo fuiſſet populariùs dicere, & laxiori uti oratione. Pro omnibus demum *lib. 2. Machab. cap. 15.* aſſeritur; *Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt; alternis autem, uti delectabile; ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.*

Enim verò ſatis, diuque de modo ſcribendi deliberatum nobis eſt, atque conſultum. Et primùm quidem tractatio iſta noſtra non ipſa Moralis ſcientia eſt, ſed reflexa; non objectum, & materiam ejus, ſed ipſam moralem ſcientiam verſat. De incertis porrò poteſt eſſe certa, atque etiam demonſtrativa tractatio, ut ſcientiam moralem demonſtrativam non eſſe, de moribus agere, in eorum rectitudinem ordinari, non pinguis dictionis, ſed exactæ demonſtrationis documenta ſunt. Nihil poëſi cum ſcientia eſt, nihil hiſtoriæ; de poëſi tamen, & hiſtoria, & politica ſcientificè ſcribitur. Opinione quid incertius? Ejus nihilominùs natura ac differentia à ſcientia in libris Prior analyticè tractata eſt, & declarata. Quin ut mea mihi experientia commonſtravit, cauſa iſthæc probabilium tot latebras habet, tot æquivocis reflexionibus, tricis implexa eſt, ut homo ſcholis aſſuetus nihil in eis ſanè invenerim, quod viſu perſpicaciori opus habeat: adeò ſupra ignoras ſcholarum cauſa iſta eſt. Quid deindè adversùs conſuetum in naturam verſum laxâ uterer oratione? Laxæ ſiquidem rationes contemnuntur, laxis etiam aliis, quas omnis fert tellus, & ingenium, promptè repelluntur: fortiori rursùs vi conſuetum, ut vel ſolùm concutiatur, planè indiget. Ipſi denique adverſarij ad Logicæ tribunal appellarunt, quibus indulgendum fuit.

Occurrebant præterea, apud quos cauſam iſtam ageremus, duo genera hominum, aliorum quidem ingenioſorum ſcholas maximè colentium, praxi magis vacantium aliorum. Utrorumque ſimul more diſputare, paulò ante Ariſtoteles demonſtrabat impoſſibile, qui hic relegi poteſt. Anteferendos proindè paucos multis, ſed præſtantiores exiſtimavimus; hi enim demùm in rebus doctrinæ legem, juſque dant cæteris, & modicus in ſchola profectus ſenſim in dies apud reliquos maximus efficitur.

Scholæ porrò morem gerere nixus diligenter ſum: autoritas non multum in uſu eſt: ingenium in primis, & ſubtilitas, & ratio ſedem occupant; quod hic laudare, vel improbare, abs re ſanè foret. Diſputationem itaque de probabilibus, quantum ad rem quidem ipſam attinebat, via maximè autoritatis breviùs multò expedire potuiſſem: at quod ad modum ſciendi ſpectat, quem ſuprà Philoſophus maximè commendat, conſiderandum ſanè fuit, apud quos dicerem, illorumque mores, Logicæ, Metaphyſicæque auxilio, quantum modulo noſtro poſſem, induere.

§. VII.

Offendere etiam poteſt, quia contra conſuetum largius eſt.

HOc caput aliud eſſe poteſt offenſionis, quod non contra conſuetum modò, ſed contra conſuetum etiam largius eſt, ſtringit etenim in morum doctrina, manuſque in multis ligat Confeſſariis, Conſultoribuſque. Utrumque hoc impedimentum eſt, quam dici queat, majus; atque indè Patres, inde Theologi nonniſi virtute divina legem Chriſtianam ſtatutam commonſtrarunt, quod contra conſuetum largius ſtricta ipſa foret. Tanti eſt adversùs hoc utrumque proficere, nec niſi Dei virtute, & gratia ſperari quidquam poteſt, nec qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, in quo proindè ſpem omnem locamus. De conſueto dictum eſt; jam

de ſtricto dicamus: in hoc porrò etiam ipſo impares ſumus, quod conſuetum, & largius conjuncta ſint, conjunctimque & unà obſtent, & impediant; nos autem niſi ſeorſim, & partitim dicere non poſſumus, & ita diviſi adverſus hoſtem unitum, & ſic fortiorem pugnamus.

In univerſa itaque Doctrina Morum nihil videtur tam largum, atque Confeſſariis, ac Conſultoribus adeò commodum, & expetendum, quàm quod juxta probabilia contradictoria, & juxta opiniones omnes ſive æquè, ſive magis, ſive minùs probabiles, quin nihil opinando, & contrà etiam opinando, & reſponſa dare, & ſacramenta adminiſtrare valeant. Hanc unam lectionem brevi addiſcunt & Theologiæ ipſius rudes, & incipientes etiam, & juvenes quique. Indè rursùs à labore multum libris incumbendi, & caſus per ſe ſe examinandi, quod jucundiſſimum eſt, liberantur. Inde rursùs vix quilibet idoneus non eſſe videtur aut reſolvendis caſibus, aut ſacramentis adminiſtrandis; abundat enim ætas libris Collectorum moralium, apud quos facilè & opiniones, & Autorem, vel Autores graves legant. Ex tot deindè contrariis opinionibus, quod etiam maximè homo appetit, placere omnibus poſſumus in reſtitutionibus, in ſolutionibus, in occiſionibus, in contractibus, in eleemoſyna, in jejunio, in parvitatibus, in bello, & pace; & quando inter poteſtates ipſas lis eſt.

Sed undè magis timendum eſt, zelus etiam prætexitur; nam offendicula, dicent, apponimus ſaluti animarum; perplexitates inducimus; Sacramentorum adminiſtrationem difficiliorem reddimus; numerum aptorum Miniſtrorum minuimus; terrorem nimium incutimus, & quod ſummum eſt, addendo peccata, id contra ſanguinem Salvatoris efficimus, quod pauciores ſalventur.

Sed verò, ſi benè perſpiciantur, cauſæ hæ omnes offenſionis non defenſio, ſed accuſatio potiùs ſunt probabilium horum, de quo aliquid *inferius*, plura Opere toto dicentur. E re tamen nunc noſtra eſt Gregorium Theologum *orat. 1. apolog.* uſurpare: *Quo fervidiore*, inquit, *fide præditi ſunt, eò etiam acriùs orationi averſantur, ac veritatis proditionem, non autem pietatem obedientiam eſſe interpretantes, priùs omnia projecerint, quam opiniones, quas domo ſecum afferunt, & dogmatum, quibus innutriti ſunt, conſuetudinem.* Hæc Gregorius; timenda tamen ſunt, quæ continenter ſubdit: *hic affectus, de quo adhuc loquor, moderatiorum bonorum eſt, quia etiamſi à veritate aberrent, tamen quia ob religionis ſtudium, & quod zelum quidem habeant, ſed non ſecundum ſcientiam, hoc patiuntur, ex eorum fortaſſè numero erunt, qui non graviter condemnabuntur, nec multis vapulabunt.* Hæc ſatis ſanè conſideranda, & timenda Gregorius: non enim zelus ſufficit, ſi contra ſcientiam eſt: & Saulus quidem zelo perſequebatur Eccleſiam Dei: de quo non hìc, ſed ſuo loco.

Verùm jam præter lites iſtas tuti demùm exiſtimus felic. recor. Alexandri VII. ſolicitudine Paſtorali, cujus mentem, & ſenſa, quam regulam viſibilem nobis in terris Salvator noſter reliquit, heri fermè, aut nudiuſtertiùs ſic univerſæ Eccleſiæ propoſuit, denunciavitque ſacra Congregatio Eminentiſſ. Cardinalium in Decreto edito anno 1665.

Sanctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mærore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorùmque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe, definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem SS. D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, latâque, per quam itur ad perditionem, via, paſtorali ſolicitudine in rectam ſemitam evocaret, &c. Hæc mens, hæc ſenſa Romani Pontificis, quem in fidei, morùmque doctrina, quam proponit fidelibus, errare non poſſe, certa prorsùs, ac pernecesſaria Theologia eſt: illi proindè reſiſtentibus, ſi qui eſſent, non obtemperandum foret, ſed reluctandum.

Jam ergo non mecum, cum Romano ipſo Pontifice contendant, & obtendant, laxandum eſſe; ſin minùs offendicula apponi, perplexitates induci, Sacramentorum adminiſtrationem difficiliorem reddi, timorem nimium incuti, peccata addi, & quod ſummum eſt, pauciores ſalvari. Vix ſanè nugæ non ſunt, nobis ita, vel ità opinantibus plures, vel pauciores ſalvari: optandum utique foret, quod ſalvi fierent omnes: at nemo, ait Auguſtinus, optando facit, ut verum ſit, quod verum non eſt, & nemo, (dicamus nos) opinando facit, ut verum ſit, quod verum non eſt. Si probabilia recta ſalutis via non ſunt, non ſalutem afferunt, ſed perniciem inferunt animabus: nec ſi rectâ regula ſunt adminiſtrandorum Sacramentorum, illa rectè per eam adminiſtrabuntur: ſatius porrò eſt, ea rectè, quam ſæpè adminiſtrari: ſin minùs multiplicatur quidem gens, non autem magnificatur lætitia, nec Dei in cœlis Angelorum, nec ipſius Regis Angelorum. Non ergo ex his locis topicis doctrina dijudicanda eſt.

Quinimò non Romani ſolùm Pontificis, totius pœnè mundi eſt ea de relaxatione doctrinæ morum perſuaſio. Nemo hominum hac ſaltem ætate de rigore, doctrinæ conqueſtus eſt: largiorem dolent univerſi. Hoc quadraginta quinque laxæ opiniones proſcriptæ: hoc ipſorum Sacrorum Ordinum juſtæ ſanctiones conteſtantur. Lis ſanè, ut paulò ante tactum eſt, exarſit inter partes de doctrina morum relaxata: factum, utraque pars conceſſiſſe videtur, ſed utra in cauſa fuerit, litigatur; cujus rei locuples teſtis eſt Amadæus, etiam ipſe prohibitus. Neutra itaque partium ſibi vult tribui, quod laxatum fuerit. Hoc ergo quod coram, & in conſpectu hominum nemo vult ſibi tribui, ſed erubeſcit, quis jam bonum eſſe clam muſſitare audeat? atque indè nos diſpliceamus, quod ſummæ, ut Decretum loquitur, luxuriantium ingeniorum licentiæ in dies magis excreſcenti obſiſtamus viribus omnibus.

De probabilibus autem in ſpecie, idem etiam felic. recor. Alexander VII. Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, Julio Mercoro teſte, ut his Probabilibus reſtingendis curam omnem adhiberet, injunxit: atque ipſo Magiſtro Generali adhortante *Mercorus ipſe, Baronius*, & *Gonet* adversùs illa ſcripſerunt. Mutius Vitelleſchius Societatis JESU Præpoſitus & ipſe Generalis ad Superiores pridem ſcripſit, ut caverent diligenter, ne ſui in delectu opinionum eâ normâ uterentur, *Tuerè quiâ*

poteſt

poteſt, Probabilis eſt, Autore non caret, ingentia indè detrimenta metuens, niſi compeſceretur. Atque hinc præter tot Autores præclaros, ſenſum etiam habes circa iſta probabilia & Romani Pontificis, & Generalium harum Sapientiſſimarum Religionum.

Et meritò quidem in hæc probabilia curam in primis ſuam adhibent; niſi enim in eis modus ponatur, quod fusè hoc libro commonſtrabo, fruſtrà in morum, doctrina laboraveris: quidquid adversùs quamlibet in ſpecie opinionem adduces, vel adduceret etiam maximus quiſque Doctorum, ea omnium univerſalis eſt ſolutio, *Probabilis tamen eſt, Autore, vel Autoribus non caret.* Hoc opinionum munimen eſt; quod niſi adeſſet, quò confugeretur, laxæ, & liberiores opiniones vix obeſſe moribus poſſent, de quibus, ut promiſi, fusè *hoc libro* tractabitur: quin etiam quam primùm differam, undè, & quibus Chriſti jugum ſuave exiſtat, conſtabitque palàm, legem Chriſtianam, ſtrictam eſſe, non concluſionem eſſe probandam, ſed principium morale probandi notorium.

Sapè tamen aliud offendit, & aliud opponitur.

Offenſionis quidem has re ipſa, cauſas futuras exiſtimavi, quæ tamen deduci in publicum apud intelligentes ſaltem nequeant. At verò ſatis eſt conſuetum, alio quem offendi, & aliud opponere, ut indirecto bello vincat. Solent ſcilicet opus tunc minutiſſimo examine perſcrutari, ſi quo modo in re, vel in ſermone capiant: ſatis clarè dicta obſcuriora eſſe, in quibus ignorantiores offendant, criminantur: quæ in alia operis parte luculenter tauta, vel declarata ſunt, omiſſa alibi fuiſſe: ſi quid Chriſtiana ſinceritate Sanctorum more dicitur, liberiùs dictum eſſe, & injurioſum: Autor abeſt, Patronus deeſt, & innocens reus eſſe videri poteſt. Quod porrò opus eſt Virorum etiam in ſapientia Principum, in quo aliquid vel meliùs dici, vel aptiùs explicari, vel verbulum mutari, vel addi, vel tolli non potuerit? ubi ſuperſunt Summorum Doctorum exempla, quorum accuſatio rem iſtam reddat nimis manifeſtam; Retractationes item Auguſtini evincunt, atque vel ſoli prologi in Prophetas Hieronymi; vexarunt quippe criminationibus Doctorem etiam in exponendis ſacris ſcripturis maximum. Adeò nemo tutus eſſe videtur, ſi Lector hoſtis accedat: atque Optimorum, & Peſſimorum contrariæ quidem prorsùs cauſæ, ſors tamen fermè una in mundo fuit, accuſari ſcilicet, & pati, cauſaque proindè, non pœna Martyrem facit.

Nolim ergo, Lector, à me ſperes meliora, ſed ſufficientia depoſcas, atque in cauſam maximè univerſam reſpicias, an in Chriſtiana diſciplina profutura ſit, an item libri laxiorum opinionum, hoc genus exquiſiti examinis ſubjerint? Diu ſanè, multiſque annis totum me huic cauſæ impendi. At homo ſum, & nimis homo, & mentis virtute, & quod in morum doctrina tanti eſt, moribus. Indè falſa utique aliqua irrepſiſſe, non negare, ſed præſumere debeo. Neque tamen falſa quælibet tolerari non poſſunt, cum libri morales contrariis viciſſim opinionibus, & ſic neceſſariò multis falſis conſtent. Sed verò irrepſerint falſæ aliquæ abſurdiora, & non toleranda. Sanè me totum ſuperiorum, Romanæ maximè Eccleſiæ judicio, & vel minimæ ſignificationi libens ſubjicio; nam unam veritatem colere, Patrem, & Matrem, & amicos quoſque poſthabere, ſanctum habui: quin indè, ut his inſiſterem, aliquid etiam pateret, robur ingens, mentiſque quies maxima obvenit, quod viderem, huc duci, huc incumbere Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, qua cum errari non poteſt.

§. VIII.

Quis demùm fructus Operis ſperandus?

PEracto ſuo ſcientiæ Moralis, aut Ethicorum Opere, quam apud paucos proficere ſperaret, ſic *c. ult.* poſtfatus eſt Ariſtoteles. *Numquid igitur, ſi de his, & virtutibus, prætereà etiam de amicitia, & voluptate ſatis figura dictum eſt, finem habere hoc propoſitum noſtrum exiſtimandum eſt?* &c. *Nam ſi verba ad reddendos probos homines ſufficerent, multas ſanè, & magnas mercedes, ut inquit Theognis, afferrent, oportèrètque ea comparare. Sed videntur quidem poſſe liberales adoleſcentes hortari, atque incitare, moréſque eorum ex virtute ſibi obnoxios generoſos, ac verè honeſtatis ſtudioſos reddere: at pleróſque ad probitatem provocare non poſſe: non enim pudori, ſed timori obedire, neque, abſtinere à malis ob dedecus, ſed ob pœnam conſueverunt. Nam cum ex affectu vivant, proprias voluptates, atque ea, ex quibus exiſtunt, perſequuntur, doloréſque oppoſitos fugiunt: ejus autem, quod honeſtum eſt, & verè jucundum, cum id prorſus non deguſtarint, ne notionem quidem ullam habent. Eos igitur, qui tales ſunt, ad moderationem traducere, quæ oratio poſſit?* Atque poſt alia ad præſens ſatis appoſita ſubdit: *plerique enim neceſſitati potiùs, quam rationi, & mulctis, quam honeſtati obediunt.* Hinc præter moralem ſcientiam Politicæ, & legum, & Juriſprudentiæ neceſſitas. Adeò oratione ſolùm, & ratione, doctrinaque apud paucos in moribus proficitur.

Sed nobis maximè conſuetæ in contrarium opiniones obſtant, qua etiam de cauſa Philoſophus ad liberales adoleſcentes orationem omnem convertiſſe videtur. Scilicet ut Nazianzenus diſſerit; *Minoris eſt negotii rudi adhuc animæ veritatem primùm inſtar ceræ nondum ſignatæ imprimere, quam ſuper litteras, hoc eſt, pravas doctrinas, & dogmata pium ſermonem ſcribere ita, ut poſteriora cum prioribus confundantur, & perturbentur. Neque enim, ut planam, & tritam viam præſtat incedere, quam aſperam, nulliſque pedum veſtigiis impreſſam,* &c. *ita commodiùs quoque fuerit animum depingere, cui vitioſa aliqua doctrina impreſſa ſit, improbæque litteræ altiſſimè conſignatæ. Alioqui pio ſcriptori duplex hic labor ſuſcipiendus erit, ut & priores formas deleat, & probatiores, dignioréſque, quæ maneant, ſubſtituat.*

Ex quibus vix nobis alia fructum colligendi ſpes modò ſupereſt, quam quod adoleſcentiorum præſertim ſcholas profeſſurus aliquis contrariis opinionibus tinctus magis, quam præoccupatus permoveri poſſit, ex quo fructus deinceps major in dies proveniat: neque enim, ſicut in exercitu niſi univerſo cæſo, vel fugato hoſte, victoria non conſtat; ita & in doctrina contingit; in qua vel unius animæ lucrum ingens laboris omnis pretium eſt: hic deindè unus alios, & hi deinceps plures olim lucrantur: & expertus ſanè ſum, receptiſſimas etiam opiniones, ſi nullæ præſertim ſcholæ patrocinium ſuſcipiat, ætate aliquando una deleri fermè, & antiquari veritatis invicta virtute.

virtute. Oro interea Omnipotentem Deum, ne peccatis meis hic qualis qualis fructus impediatur.

Sed hic ad finem in rerum aliquarum ſpecimen dare placuit ſyllogiſmum famoſum, quo celebris Magiſter editioni Operis liberè obſtitit. Hoc opus totum, aiebat, de eo eſt, ut oſtendat ſolam veram doctrinam eſſe rectam doctrinam morum. Sed opus ipſum non veram doctrinam continet, ſed ſophiſticam totam. Ergo edendum non eſt.

Sed primùm quidem, in ſyllogiſmo deſideratur Logica. Mirum deindè eſt, quod in toto opere non ſi vel una aliqua quæſtio realis, non enim ut ipſe, ex potentia abſoluta omnia conficio; at vel una ſola deſtruit ſua æquè, & minùs probabilia. Sed ad ſyllogiſmum: Opus utique totum de eo eſt, ut oſtendat, ſolam veram doctrinam eſſe rectam doctrinam morum: & hæc eſt Major illius ſyllogiſmi. Hoc itaque vel verum eſt? ergo oportet Opus edi, quod de hoc uno totum eſt. Vel falſum eſt? ergo poteſt opus edi, etſi vera, non tradat; nam tunc non vera ſolùm, ſed vera, & falſa apparentia recta doctrina ſunt.

Cujus rursùs judicio judicavit, vel ſuo vel meo, vel ſuo ſimul, & meo! Non utique ſuo; nam Majori illi, vel doctrinæ per illam aſſumptæ contraria omnia docent ipſi. Non item meo, qui Minorem illam nec veram, nec ſophiſticam quidem, & apparentem habeo. Deindè ſi meo; ergo probabili; non enim ex alieno improbabili docent judicandum. Neque ſuo itaque, neque meo, ſed ſuo ſimul, & meo judicavit. Sed ex complicatis doctrinis contrariis nihil ſequi vel pueri ſciunt. Deindè ſicut ipſe, & ego unum facti ingens eſſemus Chimæra; magis multò illius opiniones, & meæ, ſi in unum coëant, non Hircocervum, exiguum ſanè monſtrum, ſed Montemaureum, vel ſi qua alia major eſt, Chimæram planè conflabunt. His tamen vexantur homines: in ſalutem vertat omnia miſericors Deus: & tu, Lector, fave, & vale.

QUÆSTIO II.

Utrum ad iſtam probabilium cauſam faciat, quod ſcriptum eſt: Iugum meum ſuave eſt, &c. Ubi, unde ſit illud ſuave?

HOc, quod ferè omnes ſciunt, ac omnium teritur ore, oportet in his præambulis removere, tamquam impertinens pro adſtruendis quomodolibet probabilibus; quin retorquendum eſt in eos, qui hoc Domini dicto ad probabilia hæc, vel illa, vel quomodolibet omnia adſtruenda utuntur.

Ajunt ergo aliqui, licere uſum quorumlibet quomodolibet probabilium; quia jugum Chriſti, ut ipſe conteſtatur, eſt ſuave, & onus leve: at niſi liceret uſus quorumcumque probabilium, non ſuave, ſed duriſſimum illud exiſteret; quin ut arguunt alij, intolerabile, & impoſſibile. Ergo licet is uſus.

Minorem probant; quia probabilia omnia revocantur ad æqualiter probabilia, & ad magis probabilia, & ad minùs probabilia. Jam vel licet horum omnium uſus? & hoc intenditur. Vel, ut ex contraria parte dicitur, nec minùs probabilium, nec æqualiter probabilium uſus licet, ſed ſolùm magis probabilium contra præceptum? Et tunc ſequitur objecta gravitas intolerabilis jugi Chriſti: quam jugi ſuavitatem, multipliciter declarant. Addunt deindè, cognoſci vel non poſſe, vel ægrè poſſe, quæ pars, & opinio ſit probabilior.

§. I.

Ad quæſtionem breviter.

REſpondetur, ex hoc loco Domini nihil adſtrui probabilia: nam ſimili forma, & modo deleri poſſent multa præcepta, quæ niſi aliunde ut dicemus, tolerabilia redderentur, eſſent planè duriſſima, ut conſtat experimento omnium, quod vel unum præceptum caſtitatis in unjuſcujuſque corde evincit; extitit quippe illud aliquandò durum ipſis etiam ſanctis Dei, ut Pauli voces, Antonij pugnæ, Hieronymi ſaxum, Benedicti vepres, Franciſci nives reddunt innegabile, ubi, ut Auguſtinus inquit: *Quotidiana eſt pugna, & rara victoria:* Hieronymus autem *lib. 1. adverſus Pelagianos*, verè notat, de mandatis *enim facilia ſunt, debent à pluribus cuſtodiri: ſin autem ut concedamus tibi, rarus quiſquam ea implere poteſt, manifeſtum eſt, eſſe difficile, quod rarum eſt*: quam rerum difficilium naturam & Ariſtoteles annotavit, experientiaque commonſtrat.

Scitur itaque, de quo minimè fuerat diſputandum, legem Chriſtianam rebus ſolùm conſideratis, & obligationibus, eſſe potius valdè arduam, ac difficilem, ut præter dicta oſtendunt præcepta non vindicandi, reddendi bonum pro malo, diligendi inimicos, humilitatis, orationis, reſiſtendi ipſis etiam malis cogitationibus, indiſſolubilitas matrimonij, perpetuitas votorum &c. Quin res iſta non eſt concluſio probanda in Theologia noſtra, ſed ſupponitur ab omnibus etiam illis, qui ſui immemores hîc contradicunt, & aſſumitur tamquam principium cunctis notum ad probandam evidentem credibilitatem rerum fidei noſtræ; quia fides noſtra præſcribit res ad credendum obſcuras, ad ſperandum arduas, ad operandum difficiles, & mundo, & carni, & ſanguini valde repugnantes: & tamen hæc fides ſine humanis auxiliis, &c. ut ſcitur, propagata fuit. Ita diſſerunt omnes. Ipſe Dominus arctam eſſe viam, & convertibilia alia ſatis expreſsè conteſtata reliquit; in quibus proindè immorandum non eſt: atque hæc ex rebus ſolùm ipſis, & obligationibus petita ſuavitas melius multo Mahometiſmo, Lutheraniſmo, & hoc genus Sectis aliis congruit.

Jam ad argumentum in contrarium nulla ſpeciali opus erat reſponſione; quia nihil ſpecialiter probantur inde probabilia. Breviter ergo dicimus, iis, & inde jugum Chriſti eſſe ſuave, unde, & quibus illud ſuave eſſe, ſtatim ex Sánctorum autoritate declarabimus; quin ſuavitas, & facilitas iſta intentata per uſum probabilium, reddit illud magis difficile, ut exponetur.

Ad illud, quod ex diviſione probabilium additur, nunc reſpondemus; quod toto hoc opere ſtabilietur, cauſam iſtam non eſſe decidendam per magis, vel minus probabile, ſed per ſolam veritatem, quæ eſt principium verborum Dei, & quam unà cum mandatis ſuis mandavit nimis. Prætereà *lib. 3.* oſtenſuri ſumus viam veritatis utiliorem, commodioremque eſſe rebus etiam noſtris tam ſingulorum, quam Reipublicæ, quàm

probabis

probabilitates veritatem ipſam non probantes, magnumque præjudicium veritati fieri, eamque quaſi *in injuſtitia detineri*, dum ſuadetur, aut contenditur, per ipſam nobis præjudicari.

Sed verò dato etiam, quòd uſu negato quorumlibet quomodolibet probabilium aut his ablatis obligationibus, via ſalutis redderetur magis facilis & obvia; his additis aliis redderetur arcta; eſſet inconſideratione, & periculo plenum, velle hoc prætextu, vel fundamento obligationes aut addere, aut tollere. Conſtat per ipſum naturæ lumen, hoc noſtrum non eſſe: item ſeverè prohibiti ſumus quidquam adjicere, vel detrahere. *Deut.* 4. Item *Apocalypſis* 21. intimatur, *ſi quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri hujus, auferet Deus partem illius de libro vitæ*: quod locum habet de univerſa ſcriptura, & ſacra lege Dei; ſciturque ex Hieronimi annotatione propter unum verbum hæreſes ejectas ab Eccleſia. Tanti eſt quidquam addendo, vel detrahendo alterare.

Nec intereſt, an re, & materialiter addas, aut tollas, an ſenſu, & arbitraria interpretatione: *alius manu* (inquit Tertullianus *lib. de præſcript. cap.* 39.) *alius ſenſu expoſitiones intervertit, neque ſi Valentinus integro teſtimonio uti videatur, non callidiore ingenio, quam Marcion, manus intulit veritati*: de quibus fuſius *infrà*.

Propterea eo conſilio de rebus moralibus ſcribere, ut via ſalutis reddatur facilior, aut durior; communior, aut rarior; eodem item conſilio taxare aliorum opiniones, grave, manifeſtúmque peccatum eſſe, videtur dubitare poſſe neminem, ſi conſideratio habeatur. Minus enim multò res iſta ſub poteſtate noſtra eſt, quam ſit motus cœlorum. *Non afferamus* (dicitur 14. *quæſt.* 1. ex Auguſtino) *ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodò volumus, pro arbitrio noſtro dicentes, hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamus divinam ſtateram de ſcripturis ſanctis tanquam de theſauris Dominicis, & in illa, quid ſit gravius, quid levius, appendamus; imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.*

§. II.

Quibus ergo, & unde ſit ſuave jugum Chriſti?

MIrum ſanè eſt, quod aliqui hanc jugi Chriſti gravitatem paſſim uſurpent, & opponant, cùm res hæc non in ipſorum ſenſu, ſed in contrario ſit toties à ſanctis Patribus propoſita, & declarata; quin cum hæc ipſa difficultas, & quæſtio fuerit in terminis inter Hieronymum, & Pelagianam partem diſcuſſa, & terminata, ut conſtabit.

E re futurum duxi, ſi præloqueretur prius aliqua Auguſtinus *libro de Paſtor. c.* 3. *Abſit* (inquit) *ut dicamus vobis: vivite, ut vultis, ſecuri eſtote, Deus neminem perdit*, &c. *Et ſi in ſpectaculis volueritis oblectare animos veſtros, ite: quid mali eſt? & feſta iſta, quæ celebrantur per univerſas civitates in lætitia conviventium, & publicis menſis, ſe ipſos, ut putant, jucundantium, re vera magis perdentium, ite, celebrate: magna eſt enim Dei miſericordia, quæ totum ignoſcat*, &c. *Hæc ſi dixerimus, fortè congregabimus turbas ampliores: & ſi ſint quidam, qui nos ſentiant hæc dicentes non rectè ſapere, paucos offendimus, ſed multos conciliamus. Quod ſi fecerimus, non verba Dei, non verba Chriſti dicentes, ſed noſtra, erimus Paſtores noſmet ipſos paſcentes, non oves.* Multa in idem *cap.* 5. *& in Pſalm.* 60. Adeò ſemper pauci fuerunt, qui ſaperent: & ſemper inconſiderationes quædam vulgares viguerunt, ut in toto hoc Auguſtini loco cernitur: quæ tamen pericula caverunt ſancti Dei.

Nunc ad quæſtionem in terminis idem Auguſtinus *ſer.* 47. *de diverſis cap.* 1. *Durum videtur, quod Dominus imperavit, ut ſi quis eum vult ſequi, abneget ſemetipſum. Sed non eſt durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat. Nam & illud verum eſt, quod ei dicitur in pſalmo, propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras, & illud verum eſt, quod ipſe dixit, jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt. Quidquid enim durum eſt in præceptis, ut ſit lene, Charitas facit*: quod ſimilitudine amorum naturalium declarat mox, atque confirmat. Non ergo quia facilia continet præcepta, non quia ad pauca obligat, ſed ex hoc alio loco jugum Chriſti ſuave eſt.

Idem Auguſtinus *in Pſalm.* 118. *conc.* 22. *Quomodò dilexi legem tuam Domine*, &c. *Sæpè admonuimus laudabilem latitudinem, in qua nullas, cum mandata Dei facimus, patimur anguſtias, intelligendam eſſe charitatem: propter quod etiam in magno iſto pſalmo, cum ſuperius dixiſſet, latum mandatum tuum valdè, in hoc ſequenti verſu oſtendit, unde ſit latum, dicens, quomodò dilexi legem tuam Domine. Dilectio igitur eſt latitudo mandati.* Eadem eſt declaratio S. Thomæ.

Chryſoſtomus *hom.* 13. *in* 2. *ad Corinth.* 6 *quemadmodum quod calefacit, dilatare facit, ita & charitatis opus eſt dilatare.* Hieronymus *in Pſal.* 118. *viam mandatorum cucurri, cum dilataſti cor meum, id eſt* (inquit) *in latitudine charitatis, in fide, in ſpe.* Gloſſa *in cap* 11. *Matthæi: quomodo jugum Chriſti ſuave, cùm ſupra dicitur, arcta eſt via, quæ ducit ad vitam? Sed anguſta, quæ nonniſi anguſto initio incipitur: proceſſu verò temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur.*

Quod porrò principaliter facit dilectio, id proportione ſua in ſuis maximè materiis efficiunt virtutes reliquæ. Hinc Leo Magnus in epiſt. ſancti Patris Ignatij, nihil docet eſſe difficile, nihil arduum humilibus corde, ac mitibus; his enim ſuave eſſe jugum ſuum Dominus dixit. Theophylactus levia eſſe præcepta tradit propter retributionem juxta illud Apoſtoli; *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ* &c. item *non ſunt condigna* &c. *Etſi ad breve gravia eſſe videantur*, ut idem notat Theophylactus. Latè eamdem doctrinam exponit, & confirmat Baſilius *in cap.* 8. *Iſaiæ.*

Ipſe Evangelij contextus ſatis eſt perſpicuus; *diſcite* (inquit) *à me; quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris; jugum enim meum ſuave eſt*, &c. Iis ergo eſt ſuave, qui a Chriſto didicerunt mites, & humiles eſſe, & requiem invenerunt animabus ſuis juxta illud; per me ſi quis introierit, paſcua inveniet. Quorſum ergo hinc ad præcepta in ſe mitiganda, aut ad diminuendas obligationes argumentum.

Sacra ipſa Concilia, quibus divini ſpiritus aſſiſtentia promiſſa eſt; non audent niſi conſultis diligenter ſcripturis, atque juxta ſanctorum viam quidquam declarare; & audeamus Theologi? Ergo Sacrum Concilium Tridentinum eodem prorsùs modo, quo ſancti Patres rem iſtam expoſuit *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. *Nam Deus* (ait) *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Qui enim ſunt*

filij

ſilij Dei, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus: quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt. Vides, unde ſint poſſibilia præcepta, & quibus ſuave jugum Chriſti ſecundum expoſitionem Concilij deſumptam ex Auguſtino. In Catechiſmo Romano juſſu Pij V. edito *part. 3. d. 7. Quin etiam legis juſſa difficultatem etiam non habere oſtendat Parochus, quod vel una hac ratione ex S. Auguſtino docere poterit, cum inquit. Quî quæſo, dicitur impoſſibile eſſe homini amare; amare, inquam, Creatorem beneficum, Patrem amantiſſimum: deinde etiam & carnem ſuam in fratribus ſuis: at verè qui diligit, legem implevit. Quare Joannes Apoſtolus, præcepta Dei gravia non eſſe, apertè teſtatur,* &c. *Quamobrem ſummam Dei benignitatem admiratus eſt Auguſtinus, Deum ipſum ſic affatus. Quid tibi ſum ipſe, ut amari te à me jubeas? etſi non faciam, ingentes minaris miſerias? parvane eſt ipſa miſeria, ſi non diligam te?* Hinc vel Parochi, vel Summiſtæ, & omnes præceptorum Dei ſuavitatem oſtendere debent.

Dixi *ſuprà*, rem iſtam in terminis diſcuſſam fuiſſe olim, & terminatam diſputante Pelagio pro facilitate mandatorum, Hieronymo ſuſtinente eorum omnimodam impoſſibilitatem, niſi ex Dei auxilio, & dilectione, ut nuper eſt explicatum, tum poſſibilia, tum etiam ſuavia fiant, & dulceſcant.

Libro 2. Dialogor. adverſus Pelagianos ait: *fac, quod & hic quis non pro impoſſibili, ſed pro difficili dixerit: tolle ergo ſententiam, & rade de libro tuo, facilia Dei eſſe mandata.* Mox locum *Joannis 5. mandata ejus non ſunt gravia*: item *Matth. 11. jugum meum ſuave eſt* exponit dicendo. *Levia enim certum eſt dixiſſe Evangelij mandata ad comparationem ſuperſtitionis Iudaicæ, in qua varia cæremoniarum genera quærebantur, quæ juxta litteram, & Apoſtoli Petri ſententiam nullus potuit explere.* Scilicet *juxta litteram*, & ſine ſpiritu adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Aba Pater.

Rursùs eodem *libro 2. Reſponde quæſo, ubi ſunt facilia mandata? nolite, inquit, ſoliciti eſſe de craſtino; craſtinus enim dies ſolicitus erit pro ſe: ſufficit diei malitia ſua. Vos de craſtino non cogitatis, & inſtar avium præſentibus contenti eſtis, quorum epiſtola biblina velitantur trans flumina Æthiopiæ, ut inter ſimias, & pavos, nova de Ophir Salomoni dona mittantur.*

Vis audire facilitatem præceptorum Dei? Auſculta, quod dicitur: quam arcta eſt via, & anguſta eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Non dixit, qui gradiuntur per eam: hoc enim difficillimum eſt, ſed qui inveniunt eam; pauci enim inveniunt, & multò pauciores ingrediuntur per eam. Quinimò etiam in ſchola, & ſcholaſticè rem iſtam & verſarunt, & explicarunt jam pridem *in 3. diſt. ult.* S. Thomas, & Scotus, ex iis, quos vidi.

Hinc ſatis videtur conſpici, quàm fuerit inconſideratum, voluiſſe jugum Chriſti tam ultro, citroque, ac contra doctrinam Sanctorum ſuave, ac facile reddere à rebus ipſis præceptis, & quaſi obligationes, & præcepta tollendo: hac enim via legem Chriſtianam ſuavem reddere eſt impoſſibile, ut mox dicam. Quin Ambroſius latum mandatum explicat, quia ad multa extenditur, ut ad ipſam etiam inimicorum dilectionem: quod proindè requirat cor latum, juxta illud Auguſtini *dilatentur ſpatia charitatis.*

§. III.

Charitas non quidem otioſa, ſed operans efficit ſuave jugum Chriſti.

CHaritas, inquam, non otioſa, ſed operans: ac proindè non charitas, quæ raro, vel numquam in actum prodit. Quod autem præcipuè de charitate dicimus, eſt proportione ſua tenendum de cæteris virtutibus; nam ut ex Ethicis conſtat, & experientia demonſtrat, virtutis proprium eſt promptè, & delectabiliter operari; aliæ quidem id reſtrictè, & in ſuis ſolum materiis efficiunt; aliæ univerſalius, ut humilitas, obedientia, pœnitentia, & in primis charitas.

Probatur concluſio. Primò ex adductis teſtimoniis, quæ ſolùm loquuntur, non de habentibus v. g. habitum charitatis, quo poſſint diligere, & diligant quaſi in actu primo, ſed de diligentibus, & in hoc ſe exercentibus: nec habitui ſolum, ſed dilectioni in actu primo conveniunt proprietates illæ quæ illi dilectioni, qua latum ſit mandatum, adſcribuntur *Pſalmo* 118. & aliàs: quod ſcilicet lex Dei ſit meditatio noſtra tota die; quod dulcia fiant Dei eloquia; quod ſuper ſenes faciat intelligere; quod per arctam viam faciat ambulare, & currere. Quotum nihil facit habitus in Sacramento infuſus, & raro, vel nunquam operans.

Secundò, quia habitus infuſi, ut experientia etiam conteſtatur, ſolum dant poſſe, non autem facilè poſſe; & facilitas, & ſuavitas acquiritur exercitio, ac proinde etiam illa cordis dilatatio, quâ via mandatorum curratur. Ergo per charitatem, & virtutes raro, vel numquam operantes non redditur ſuave jugum Chriſti.

Declaratur, & confirmatur; nam jugum, & lex Chriſti ad duo univerſaliſſima reducitur, & ad vitanda mala, & ad facienda bona. Jam ex his duobus primum ſine ſecundo eſt potius difficile, & arduum carni, & ſanguini, paſſionibuſque noſtris; nam hæc vitanda mala aut ſunt nobis valdè delectabilia, ut voluptates; aut placentia maximè, ut ſunt divitiæ, potentia, honor, &c. ergo contra iſta pugnare eſt arduum, ac violentum, niſi ex affectu ad oppoſita bona aut temperetur, aut præponderetur inclinatio noſtra ad mala illa in quantum delectabilia, & jucunda. At affectus ad oppoſita bona ſunt virtutum affectus, charitatis primum, quæ omnia reddit ſuavia, aut minus gravia ſecundum gradum ſuum, & deinceps aliarum virtutum. Ergo niſi ex parte exercitij virtutum reponatur ſuavitas, potius jugum Chriſti remanet duriſſimum. Idcircò ſæpè jubemur divertere à malo, declinare à malo, & facere bonum. Et ſanè, de quo plura occurrebant, eſt prorsùs impoſſibile, corda noſtra habere quaſi Stoïca, & affectionibus vacua, ſed plena ſemper exiſtunt, & voluntas ſemper amat: quare ſi cor plenum non ex affectu virtutum, plenum erit alio affectu, quo ad alia mala facilè rapiatur.

Habemus pro horum confirmatione, experientiam innegabilem. Sunt quippe in Eccleſia duo genera hominum, aliorum quidem amori Dei; & proximi, atque virtutum exercitio diligenter, ac præcipuo ſuo ſtudio incumbentium: aliorum non multum in hoc ſeſe exercentium, ſed qui eò tendunt, ut mala vitent ſaltem illa, quæ innegabiliter ſunt talia. Jam ex his poſtremis pauciores ſunt qui hanc ſolum negativam legem ſervent, & diu durent, quin unquam in manifeſta peccata labantur, quam ex primis; quin ea videtur eſſe

diverſitas,

Digitized by Google

diverſitas, quæ eſt rerum facilium, & difficilium propria, quod ex primis deficiant rari; ex ſecundis deficiant plurimi. Aliunde verò videtur etiam, quod primi, quibus ſcilicet ex dilectione, atque ex affectione ad ſpiritualia ſuave ſit jugum, & crux Chriſti, bilarius, jucundiuſque vivant, non aliqua una hora, vel die computato, ſed anno: quod in vita religioſi unius tepidi, & alterius fervidi videtur indubitatè cerni: atque idem eſt in vita ſæculari.

§. IV.

Via contraria potiùs reddit difficillimum jugum Chriſti.

Viam contrariam voco eam, quæ in rebus ipſis præceptis ſuavitatem, & facilitatem quærit, in eumque finem eò it, ut obligationes diminuat, ſeu laxet; atque id inter alia oportunum dicit, quòd quorumlibet quomodolibet probabilium uſus liceat: ſin minus manebit lex dura, ac difficilis. Obtenditur etiam ad hæc quædam pietas, quia hoc pacto ſalvantur plures.

Cæterùm, ut ab hoc poſtremo incipiam, rectè S. Auguſtinus ait; nemo optando facit, ut ſit verum, quod verum non eſt. Sed de hoc tractabitur *lib. ult.* & ex dictis conſtat, grave ſcelus fore, ſi ex lege vel unum peccatum veniale tollere vellemus, ut totus mundus ſalvaretur: quin re vera non tollimus, ſed falli ultrò, & fallere ſolùm poſſumus.

Ad ſuavitatem nunc redeundo, innotuit ſatis, intentionem contrariam eſſe de impoſſibili: nam quæcumque à lege auſerantur, tot neceſſariò remanent inauferibilia, & ita ardua, ut prorſus ſit impoſſibile legem Chriſtianam ex paucitate, & qualitate rerum præceptarum reddi ſuavem, & facilem.

Quin, ut propoſui, efficiunt illam, ne quid dicam amplius, difficillimam: nam ut illam ſuavem reddant, dicunt, id omne non eſſe neceſſarium, unde illa eſt ſuavis, atque tolerabilis. Quare fideles hoc credentes, & ea omittentes, & prætermittentes tanquam ſibi minimè neceſſaria, ex quibus ſuavitas provenit, jugum Chriſti accipient ſibi difficillimum, & deficient.

Etenim, ut ſatis eſt oſtenſum, ſuavitas, & facilitas provenit potiſſimum ex dilectione Dei, legiſque ſuæ: *In hoc ſequenti verſu* (dicebat Auguſtinus) *oſtendit, undè ſit latum, dicens: quomodò dilexi legem tuam Domine*, &c. At via contraria legem Dei potius inter odioſa connumerat, applicatque illud, *Odia ſunt reſtringenda.* Hinc rursùs ut homines contra homines litigant, & poſſeſſionem, & alia unus adverſus alium opponit, eodem modo & eiſdem terminis lites inſtituuntur adverſus legem. Odioſa porrò, & ea, quæ nobis invitis, & quaſi per vim manifeſtæ probationis acceptare coactis imponuntur, ſunt nobis dura, & gravia, ut denuò ex ſanctis Patribus, qui in hac veritate ſuadenda copioſi extiterunt, conſtabit *lib. ult. par.* 2. Cum ergo & ſuavitas tota dilectionis, legis removeatur, & inſuper lex tamquam res odioſa reſpiciatur, efficitur proculdubio difficillima.

Quam verò ſit præter æquum, legem & mandata Dei, quæ maxima ſunt beneficia, recenſere inter odioſa, res videtur compertiſſima, juxta illud *Pſal. non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Rem univerſis fidelibus proponit Catechiſmus Romanus tantæ autoritatis liber. *Non ſolum excitabit* (ait *part. 3. c.1.*) *fidelium animas ad ſervanda Dei præcepta, ſed ad gratiarum etiam actionem, quod ſuam Deus quæ ſalutem noſtram contineret, voluntatem explicarit. Quare non uno in loco Scriptura maximum hoc beneficium declarans, populum commonefacit, ut ſuam dignitatem, ac Dei beneficentiam cognoſcat, veluti in Deuter. Hæc eſt, inquit, veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, ut audientes univerſi præcepta, hæc dicant, en populus ſapiens, & intelligens, gens magna: & rurſus in pſal. non fecit taliter omni nationi*, &c. Mille titulis pro bono noſtro opus habemus, Deo per legem ſuam nos dirigente in fœlicitatem noſtram magis multo, quam pupillus puer indiget directione, & diſpoſitione Tutoris: quare lites illæ videntur abs re. Certè de quo nunc eſt ſermo, maximè præjudicant ſuavitati jugi Chriſti.

Præterea in præcepto dilectionis Dei clarè cernitur, quomodò via contraria legem, ut eam faciliorem efficiat, reddat difficillimam. Diſputatur nimirùm, quando, & quoties præceptum iſtud nos obliget, an frequenter, an raro, an nunquam? Alij reſpondent, obligare ſemel ſaltem in die: alij obligare ſaltem ſemel in hebdomada. At aliis hoc viſum eſt nimis ſtrictum, & grave, & obligant ſemel in triennio: alij rem diſtulerunt uſque ad mortis periculum: mox gradatim alij dixerunt nullum eſſe præceptum ſpeciale diligendi Deum, ſed ſufficere, ſi eum non offendamus.

Ego nunc non tracto directè de harum opinionum veritate: de earum pietate illa tracto, cujus obtentu inducuntur iſtæ opiniones nihil, vel minus obligantes, ut ſcilicet lex Dei fiat facilior, ſalventurque plures: re vera tamen ad reddendam illam facilem aſſumitur medium contradictorium, ex quo non facilis, ſed difficillima fiat.

Etenim oſtenſum fuit, mala illa, quæ vitare tenemur, & quibus non vitatis innegabiliter peccamus, plurimum nos allicere, violentamque eſſe pugnam, niſi ex adverſo reponatur affectus aliquis temperans vim malorum: hic autem affectus, ut Sanctorum tradit autoritas, & experientia commonſtrat, potiſſimum eſt affectus dilectionis Dei. Quare velle facilitare mandata, obligationem dilectionis tollendo, & hanc dilectionem prætermittendo eſt velle facilitare facilitatem ipſam tollendo.

Ubi rursùs quæro: vel lex tota negativa ſola ſine affectu conſiderabili dilectionis, ſed raro, & triennali eſt facilior, vel eſt facilius complexum dilectionis affectuoſæ, ac frequentis, & legis ſimul totius negativæ non occidendi, nec odio habendi, non mœchandi, nec deſiderandi, &c. Si ſecundum reſpondeant: non ergo ideò obligandi non ſumus ad frequens exercitium dilectionis Dei; quia ſic futura nobis eſſet difficilis lex Dei. Si primum reſpondeatur. Primò & autoritas Sanctorum, & experientia repugnant, ut paulo ante oſtendimus. Deinde ad hominem; quia adverſarij quærunt, quando obligent præcepta affirmativa ſpei, caſtitatis, orationis, &c. & reſpondent, ea obligare ſaltem, quando adverſus ipſas inſurgit gravis, & vehemens tentatio. Hoc autem ideò; quia ipſius virtutis adjutorio faciliùs vincitur tentatio, quam ſine illo. At hoc probat æqualiter de tota ſerie vitæ. Ergo homini facilius eſt cōplexum frequentis dilectionis Dei, & legis negativæ, quam ſola lex negativa ſine eo affectu aſſiduo.

Hinc

Hinc egregium eſt illud Chryſoſtomi documentum: *Facilius eſt enim ſervare utrumque, ſcilicet neque videre, neque adulterare, quam videndo non adulterare.* Directiſſimè Auguſtinus *tract. 87. in Joannem: Quis eſt longanimis in bono opere perſeveranter manendo, niſi ferveat diligendo? Quis ab eo continet, undè turpatur, niſi diligat, undè honeſtatur? Meritè itaque Magiſter bonus dilectionem ſic ſæpè commendat, tanquam ſola præcipienda ſit, ſine qua non poſſunt prodeſſe cætera bona, & quæ non poteſt haberi; ſine cæteris bonis*, &c. Et hic eſt ſenſus Joannis, *qui diligit me, ſermones meos ſervat.*

Quidquid deindè circa dilectionem inimicorum gloſſa illa inducatur, quam Hieronymus in Breviatio reprobat: *Multi imbecillitate ſua, non Sanctorum viribus æſtimantes putant, eſſe impoſſibilia, quæ præcepta ſunt, & dicunt, ſufficere virtutibus non odiſſe inimicos, cæterum diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur*, &c. Quidquid inquam ſit de hoc, nemo ſaltem litigat, nos reneti non odiſſe inimicos. Conſtat vero, quam ſit arduum hominibus non odio habere, non vindicari: quod ſatis demonſtrant facta quotidiana eorum quaquaverſum jam gladio, jam lingua, jam modis aliis. Hoc ergo non odium eſt de ſe arduum, & difficile, niſi ex affectu dilectionis Dei, qui nunquam, & in nullo nos offendit, temperetur pugna, reddaturque facilior victoria. Et ſic, ut ex fructibus arbores agnoſcamus, ex regula Salvatoris, ii, qui benè affecti non ſunt erga Deum, raro aut gladio, aut lingua, aut modis aliis magis, vel minus manifeſtis non reddunt mala pro malis: quod probat hanc rem purè negativam eſſe difficilem. Ergo via contraria, ut jugum Chriſti reddat ſuave, reddit difficilius.

Deinde præcepta affirmativa aliquandò demum obligant, ſaltem tempore vehementis tentationis in ipſarum materia, niſi per actû dilectionis ſuppleatur. Jam porrò non ita in manu noſtra cor noſtrum habemus, ut bona illa, quibus nihil conſuevimus, & à quorum conſideratione, & affectu valde extitimus remoti, & alieni, poſſimus promptè, & validè diligere, ut ad reſiſtendum tentationi opus eſſet, quando volumus, & ubi volumus: minus verò multò, quando ex tĕtatione in adverſum vehementer trahimur, & pœnè obruimur, & ipſi etiam valde aſſueti periclitantur. Ergo via tunc obligans; frequenter autem non obligans, ut facilior ſit nobis obſervantia, videtur valde dura, & difficilia imperare. Stultus in mundo haberetur is miles, vel is eques, qui ſolum prælii, aut duelli tempore ſe in arte pugnandi exercere, ſibi diceret eſſe facilius.

Hoc porrò totum clarius cernitur in neceſſitate orationis, ſine qua, ut ſupponit ſacrum Concilium in adducto loco, aliqua, vel aliquid eſt nobis impoſſibile; *ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis; & adjuvat, ut poſſis.* Hic eſt ordo ſumptus ex Evangelio, & per nullas noſtras opiniones alterabilis Dei. Ergo aliquid non poſſumus, niſi petamus: ſecura autem, & audienda petitio requirit multas conditiones, ut ſcitur, quæ ſunt difficiles etiam aſſuetis: ergo inaſſuetis, quique ſolum tempore gravis tentationis petunt, niſi concedatur, aliquid eſt impoſſibile; non autem conceditur niſi debitè petatur: debitè autem & quâ par eſt, inſtantia, & fiducia petere difficillimum eis eſt ipſo pugnæ tempore. Ergo deobligare à frequenti exercitio orationis non eſt legem facere facilem, ſed potius difficiliorem; nec cùm quæſtio proponitur, an quotidie, an ſæpius etiam in die, an ſaltem ſemel in hebdomada, & quando demum orare teneamur, rectè, aut verè reſolutio datur dicendo, nos non teneri quotidie, nec ſemel in ſeptimana, quia hoc eſſet nimis durum; imò potius eſt omnium duriſſimum hæc omnia tempora præterire, & tunc, cum ſcilicet quando vehemens tentatio vexat, & fervidi vix ſibi conſtant, tepidos, qui orare corde non conſueſcunt, ad orationem ſub gravi obligare, & iis, qui onus unum obligationis in ipſa tentationis materia portare non poſſunt, aliud onus gravis obligationis orandi ſuperimponere.

§. V.

Exponitur ergo, quomodò multa faciliora fiant non ablatione, ſed additione.

SOlent ſenſus eſſe nobis erroris occaſio, niſi vigilemus; & ita videtur accidere in univerſa iſta cauſa addendi, vel tollendi obligationes, quo velut principio utuntur aliqui in quamplurimis materiis. Etenim quotidiana, frequentiſſimaque experientia videmus, onera quæque fieri gravia additione; leviora autem ablatione; ex qua aſſidua experientia vix non paradoxus, & ridiculus haberetur, qui vellet onera leviora reddere addendo. Hinc naturali quaſi conſequentia itum eſt ad philoſophandum, ſimiliter de præceptis Dei, & obligationibus, & pro indubitato aſſumptum eſſe videtur, jugum Chriſtianæ legis eò eſſe levius, quò plus obligationum ab eo auferetur, & præcepta eò eſſe leviora, quò pauciora. Illud etiam confirmare poteſt, quod ubique totum majus ſit ſua parte: plura autem comparatione pauciorum ſunt totum; pauciora ſunt pars: majus eſt ergo totum; & abſolutè jugum ipſum Chriſti, quò plus ab eo auferetur, fiet minus; ergo levius.

Dictum eſt ſæpè, quod dicere haud videretur neceſſarium, nobis non licere nec addere, nec tollere, nec hac intentione explicita, vel implicita ſcribere; nec dubito, quin cæteris ſaltem paribus gravius peccatum ſit, vel minimam additionem, aut ablationem unius ſolùm apicis legi facere, quàm legem violare.

Sed ne hæc philoſophandi via quadam ſpecie pietatis nobis per inconſiderationem illudat, nunc addo, multa faciliora, & leviora fieri non ablatione, ſed additione: & in lege Dei quoad aliquã additionem ita eſſe: non quidem, quod addendo plus & plus ſemper creſcat facilitas; ſed quòd ſit aliqua additio faciens levius: ac proinde regulam illam eſſe deceptoriam: *Tollo aliquam obligationem; ergo lex manet ſuavior:* ut jam hinc nec prætextus ille obtenſæ pietatis ſuperſit de ſaluandis pluribus. Res hæc tota probata eſt, & nunc magis indiget explicatione, quam probatione.

Incipiamus ergo ab exemplo nuper propoſito de neceſſitate orationis tempore urgentis tentationis? Dicunt, tunc nos eſſe obligatos; non autem quotidie, nec ſemel in hebdomada, quod, ut aiunt, eſſet nimis durum. Et certè negari nequit, tempore ſaltem illo tentationis nos eſſe obligatos; quia ut ex Tridentino conſtitit, contingit tunc nos aliquid non poſſe: quare legem non ſervabimus, niſi Deus adjuvet, ut poſſimus: adjuvat autem, ſi petamus ſaltem lege ordinaria: ergò ſi non petimus, non adjuvat: ergo ſi nõ petimus, aliquid non poſſumus; ergo ex hac ſuppoſitione neceſſariò non implebimus; eſt autem ſuppoſitio volun-

taria, & conſequens; quia voluntariè, & liberè vel abſolutè non petimus, vel ut oportet, non petimus.

Jam hîc quæro adverſarium quemlibet. Petrus v.g. vehementiſſima tentatione vexatur vel iracundiæ, vel concupiſcentiæ, & vix non obruitur, & neceſſitatur. Huic ergo miſero, qui hoc ſolum onus portare non poteſt reſiſtendi tentationi vindictæ, vel concupiſcentiæ, quomodò, & qua pietate nova alia gravis obligatio orandi tunc de novo imponitur? qui unam legem ſervare vix poteſt, quomodo cuſtodiet duas? Perinde hoc eſſe videtur, atque ſi portanti ingens ſaxum, ſub quo fatiſcit, magnum aliud ſaxum ſuperimponas; quæ profectò extrema quædam vel crudelitas, vel durities videretur.

Verùm qui ſapit, videbit mox, atque reſpondebit, hac additione obligationis orandi non augeri onus Petri; potius enim orando obtinebit, ut id poſſit, quod non orando non poterat: *Sed jubendo mones, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis; & adjuvas, ut poſſis.* Habemus ergo, quod aliquando ſaltem jugum Chriſti additione non ſolùm fiat facilius, ſed quod additio eò etiam tendat, ut poſſibile nobis fiat, quod non poteramus. Fieri ergo per inconſiderationem poteſt, quòd aliquis, ut jugum reddat ſuavius, tollat aliquid, qua intereà ablatione illud non facilius reddat, ſed impoſſibile, ut ſi quis prætextu pietatis tolleret obligationem orandi tempore etiam tentationis, & id diceret ſolum eſſe de conſilio, ac proindè non neceſſarium: quæ autem neceſſaria non putamus in rebus animæ, facilè plerique omittimus, maximè quando ſumus vexati. Undè ex hac opinione naſceretur, quod multi non peterent: naſceretur ergo, quod multi non poſſent: naſceretur ergo, quod multi peccarent: quæ ſanè eſſet re ipſa crudelitas ſpecie pietatis inducta.

Sunt ergo aliqua in ipſis etiam rebus materialibus, quæ initio per ablationem videntur eſſe facilia, quæ tamen mox in progreſſu ducant ad difficile, & ſenſim ad impoſſibile; & ſic eſſe poſſunt quædam maximæ, quæ initio quidem videantur benignæ; ſint tamen re ipſa, & in progreſſu vel duræ, vel crudeles.

Occurris iter facturo alicui, equos, & currum, & famulos, & pecuniam paranti ad iter, onerosa certè omnia, & expenſarum multarum. Dicis, hæc tot, & tanta eſſe nimiæ ſolicitudinis, & oneris; expeditius fore, ſi ſolus ſine tot his ſarcinis viam capeſſat. Non credet; quia ſumus omnes his in rebus nimis periti: at ſi crederet tuo ex tantis rebus exoneranti conſilio, ſatis citò pœniteret: eſſet doctrina initio expedita, mox difficilior: jam demum in progreſſu impoſſibilis. Fabricat alter navim, & tot illas ſine numero res, funes, anchoras, vela, & mille alia parat. Dicis, nihil his tantis rebus opus eſſe. Non credet. At ſi crederet, citò navis, & navigantes, & omnia peſſum irent. Duci ſimiliter tanto ſumptu, & labore tormenta bellica adſportanti ſuades, ut tot machinas, & onera prætermittat; miles incedet expeditior: at cum ad prælium ventum fuerit ſuave initio conſilium cauſa eſt inevitabilis ſtragis: nam aliud eſt incedere, aliud præliari. Sic ergo poteſt Chriſtiano dari conſiliũ, quod ad pauca obligando initio videatur ſuave: mox tamen in progreſſu multa dura occurrunt exarmato militi, & prælii tempore valde inermis vix cladem evadit.

Ex ignorantia tamen, vel inconſideratione, ut contingit ſemper, admiratio ea naſcitur, qui fieri poſſit, ut onus aliquod non ablatione, ſed additione fiat levius? Ut hanc admirationem tollam, finge, quæſo, vel pone, eſſe hactenus in mundo, ut omnes aliquandò fuimus, gentem adeò barbaram, & rudem, quæ nihil noverit uſum curruum cum rotis. Perveniat illuc noſtratum aliquis, offendatque in itinere ruſticum agricolam, qui uno admoto equo plauſtrum magnum vehi deſiderabat; equus autem tanto oneri impar erat: ruſticus verò ut in ſumma rerum ſuarum doleret impenſiſſimè.

Noſter homo bono animo eſſe eum jubet, dicitque, ſe oſtenſurum modum, quo in poſterum facilè vehi poſſit plauſtrum. At ruſticus vix non iraſcitur, reſponderque, ſe quoque ſatis noſſe modum, ſi ſcilicet vel alium equum emat, quod non poteſt; vel plauſtrum aliud minus paret, quod ſibi valde præjudicat. Nihil horum eſſe neceſſe, ſubdit noſter ille, nec alium eſſe emendum equum, nec plauſtrum diminuendum, quin de novo alia ei addenda eſſe ligna, eaque non exigua; imò fore, quod plauſtrum etiam ipſum fiat majus; vehatur tamen facilè. Hæc magna ſerietate dicta, & promiſſa credit demum ruſticus, & vix non divûm ſuorum aliquem putat tam rara, & mira ſibi pollicentem. Viator ergo noſter altero die rotas vel fabricat, vel fabricari docet, & illis plauſtro adhibitis rem totam, ut promiſit, non auferendo, ſed addendo adimplet ita facilè, ut nec ipſe quidem ruſticus re jam viſa miretur. Hinc contra quam Mathematici dicunt, *totum eſſe majus ſua parte*, quoad facilitatem tàm in negotiis, quàm in moralibus ſæpè *totum minus eſt ſua parte:* niſi quod nos molem utpote manifeſtiorem conſiderantes, alia prætermittimus, nec conſideramus, quæ ſummè juvant, & expediunt.

Hinc multæ opiniones, ut alias materias prætereaem, de occaſione, v.g. proxima exiſtunt, quæ piæ, & benignæ eſſe dicuntur; re tamen ipſa duriſſimas eas eſſe, & ferè incomportabilium rerum, exitus plerumque probat: videntur quippe benignæ, quia domi occaſionem relinquunt: cùm tamen obligatio reſiſtendi auferri nequeat, toto conſiderato progreſſu ſunt iſtæ duriores, quàm contrariæ. Verè Auguſtinus tum aliàs, tum *ep.54.* ait: *Sicut enim eſt aliquando miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens. Nam ut ex. gr. manifeſtum aliquid ponam, quis non crudelem veriùs dixerit eum, qui puero pepercerit volenti obſtinatiſſimè de ſerpentibus ludere? quis autem non miſericordiam, qui talia prohibens, contemptorem verborum etiam verberibus emendaverit?* Quoties opinio, quæ benigna videtur, & miſericors, eſt toto computato, multò durior, quàm ea, quæ rigida cenſetur, & dicitur? Fortè quis opiniones ſequens diligens ſtudium virtutum præterit: mox implicatur: acquirit conſuetudines, & habitus, & patitur: reverti vellet ad prima ſtudia, & vix poteſt; diſcitque experientia ſerò, benigna ea non eſſe, quæ benigna videbantur conſiderato initio, prætermiſſo progreſſu, & ſequitur illud *Sap. 5. Ambulavimus vias difficiles.* Univerſam datam doctrinam de novo ſtupor ingeniorum Auguſtinus ob oculos ponat, *ſer.22. de verb. Apoſt. Hæc Sarcina gravis eſt Fides, Spes, Charitas? Iſta enim humilem, iſta mitem reddunt. Et vide, quia oneratus non eris, ſi ipſum audieris; jugum enim meum lene eſt, ſarcina mea levis. Quid eſt, levis eſt? Quid ſi habet pondus? Sed minus: plus habet avaritia, minus juſtitia.*

Google

juſtitia. Nolo ſic intelligas. Hæc ſarcina non eſt pondus onerati, ſed alæ volaturi. Habent enim & aves pennarum ſuarum ſarcinas. Et quid picimus? Portant illas, & portantur. Portant illas in terra: portantur ab illis in cœlo. Auſi miſericordiam velis præbere, avi præſertim æſtate, & dicas, miſeram iſtam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui ſubvenire voluiſti. Porta ergo pennas pacis; alas accipe charitatis; hæc eſt ſarcina; ſic impletur lex Chriſti. Et D.Bernard. *ep.341. nam ut omninò ſimus inexcuſabiles, in via vita, quò citiùs, eò faciliùs curritur, & leve Salvatoris onus, quò creſcit amplius, eò portabilius fit: ac mox; quia portat potiùs, quàm portatur.* Permittant nos errare cum his luminibus Eccleſiæ.

§. VI.

Ratio à priori dictorum.

RAtio à priori dictorum eſt obvia, & facilis; nam onus dicitur grave, aut leve; facile, aut difficile relativè ad vires: undè idem onus eſt grave puero, aut debili; eſt autem facile, & leve homini robuſto. In ſcientiis ſimiliter, quæ ingenioſis ſunt obvia, & expedita, ſunt ineptioribus inacceſſa, & obſtruſa: & ſic in cæteris. Eodem modo idem reſpectu ejuſdem eſt graviſſimum, dum male habet; eſt leve, & facile, quando valet.

Scitur autem quod & dictis Sanctorum eſt oſtenſum, & experientia, & omnes libri ſpirituales innegabiliter docent, vires noſtras ad portandum jugum legis Chriſtianæ, creſcere exercitio Meditationis, Orationis, Dilectionis Dei, & proximi, reliquarumque virtutum: quod nemo, credo, revocabit in dubium. Idcircò ita exercitatis, & fervidis plurima ſunt facilia, ſub quibus alii gemunt, & admodum difficulter poſſunt. Quia ſcilicet idem unus eſt graviſſimum invalido; leve autem viribus potenti: & uni, & eidem, quod procul dubio plerique vel omnes experti ſunt, idem præceptum aliquando fuit facile, aliquando difficile; quia licet nulla ſit diverſitas in onere, nec in occaſione occurrente, eſt tamen magna diverſitas in virtute, atque in viribus. Quod totum, cum experientia innegabili conſtet, omitto Scripturæ, & Sanctorum authoritatibus communire; atque *ſuperiùs* adductæ ſufficiunt.

Ex his manifeſtè patet, durius, difficiliuſque eſſe jugum Chriſti quaſi purè negativum obligans ad vitanda mala ſic ſolum ſumptum, quam hoc ipſum jugum ſimul cum affectu virtutum, & boni: quia hoc affectu deficiente deſunt vires, & quò plus hinc tollitur, eò manemus debiliores; ergo eò gravius, & difficilius nobis jugum efficitur. Velle ergo deobligare ab eo affectu jam dilectionis, jam aliarum virtutum, ut jugum fiat leve, eſt velle deobligare ab acquirendis viribus: hæc autem via potiùs illud reddit durius; & progreſſu ferè impoſſibile, & importabile.

Licèt res iſta ſatis explicata videatur; quia tamen in ea univerſaliter offenditur, juvat novo eam exemplo declarare. Mittitur miles ad celerem aliquam expeditionem, ut v.g. arx inopinata aggreſſione capiatur. Jubetur unuſquiſque arma deferre: & præterea victum neceſſarium pro tribus, aut quatuor diebus. Arma ſimul, & victus ſunt onus certè grave, & vix miſeri ferre totum poſſunt. Adeſſet benignus Conſultor volens de onere tollere: ſed quid faciet: vel arma, vel victũ tollat, neceſſe eſt; arma dicit neceſſaria ad expugnationem: jubet relinqui panem. Certè tunc expeditiùs, faciliuſque miles incedet: at poſt vires deficient: deeſt panis, quo reſarciantur: jam expugnationis tempore non ſolùm aggrediendo non ſunt, ſed vix ſtare, aut moveri, aut vel vivere poſſunt. Huc duxit benignum, ut videbatur, conſilium; quia voluit reddere onus leve tollendo victum; hinc conſequenter tollendo vires. Non ergo mirum, ſi cadunt facilè, qui ſpiritu interiori, & affectu virtutum carent, ac cæteris memoratis.

Hanc doctrinam ſæpiùs repræſentat in pſalmis ſuis Regius Propheta: eſt autem appoſitus *Pſ.101.* maximè illa: *Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum; quia oblitus ſum comedere panem meum.*

Haud tamen, ut viam contrariam caveamus, quæ ut legem reddat faciliorem, videtur obligationes velle tollere, in idem inconveniens incidendo, licet nobis obligationes addere, & obligare ad exercitium virtutum, quia hoc pacto erit facilius jugum Chriſti. Nihil horum nobis licet, nec hæc cura menſurandi vires hominum, & gravitatem oneris nobis demandata eſt. Debemus ergo in ſingulis in ſpecie examinare, & videre, quid ille præſcripſerit, qui & vires noſtras rectè notas habet, & omnia infinita ſapientia menſuravit: quod velle corrigere vel ſumma ignorantia foret, vel ſumma ſuperbia, & gravius, quam legem aliquam in ſpecie violare, ut oſtenſum eſt.

Illud tamen in genere ex tota quæſtione clarè conſtat, exiſtimare, aut velle legem Chriſtianam ex rebus ſolum ipſis præceptis ſuavem eſſe, de ſe, & ſine alio examine apparere falſum, & vitandum; & contrarium tanquam notorium principium ſumitur, ut diximus, ab omnibus etiam illis, qui hic nobis obſiſtunt.

§. VII.

Ergo prorsùs vanè objicitur Janſeniſmus.

HOc ex loco magnum ſanè conflatum eſt odium viæ neganti uſum quorumlibet probabilium; quia ſicut accidit, citharizare grammaticum, ita accidit, Janſeniſtas ſcribere contra dictum uſum. Quin erruri anſam etiam aliquam ipſi Janſeniſtæ, ut quidam Montaltius, Wendrochius, & alii dedere, qui his de morum doctrina controverſiis ſartores mali conſuunt Janſeniſmum, ad quos plenè reſpondebimus, ubi de ignorantiis *par.2.* copioſè tractabitur.

Nunc authoritate, & ratione clarè oſtenſum eſt, ex doctrina potiùs contraria, quæ laxare videtur, reddi difficiliorem, quin difficillimam legem Chriſti? Ergo prorsùs vanè Janſeniana impoſſibilitas præceptorum objicitur, & hùc trahitur.

Mihi itaque hæreſes ſunt omnes quinque damnatæ propoſitiones Janſenii, & priùs hoc opus totum retractabo, quàm vel in unam earum conſentiam. Quin turpiſſimum prætereà habui, & ab homine ſui compote alienum, eum de impoſſibilitate præceptorum errorem, qui Authorem quemlibet ſuum vel falſum, vel pravum palàm demonſtrat. Scitur ſcilicet, quænam ſint in lege noſtra difficillima: quid Paulum colaphizaret, quid ad ſaxa Hieronymum, ad nives Franciſcum, ad vepres Benedictum ſumos Viros coëgerit, & in quo, ut ait Auguſtinus, quotidiana pugna eſt, & rara victoria. Jam ergo vel ipſi Janſeniſtæ potuerunt hanc maximè legem, & præceptum ſervare, vel

non? & idem de non vindicta, & aliis quæremus. Si non potuerunt, ſe pravos fatentur: cuſtodiendæque benè erunt domus, & virgines. Si potuerunt: ergo mentiuntur præcepta impoſſibilia dicendo. Similiter quos hoſtes exiſtimant, diligere poſſunt, vel non, ut Dominus jubet? ſi non poſſunt: ergo verè Jeſuitas odio habent, & eorum odio in doctrinam moralem falcem mitrunt. Si poſſunt: ergo iterùm mentiunrur præcepta impoſſibilia dicendo: ecce enim difficillima legis ipſi poſſunt. Adeò planè irrationalis hic error eſt, qui aſſertorem ſuum cogit, ſe ſceleſtum, vel mendacem fateri. Niſi eò uſque decipiant, & dicant, ſibi ſolùm, qui præcepta putant impoſſibilia, eſſe poſſibilia. O Deus quid ſumus homines!

QUÆSTIO III.

Utrum uſus opinandi, & ex opinione operandi ſit antiquus, an novus?

§. I.

Quid utrimque allegetur?

VNiverſam his de rebus controverſiam ad hoc novitaris, vel antiquitatis punctum revocarunt multi, quos inter eminuiſſe videntur Merenda & Proſper Fagnanus ex una parte novitatis acriter inſimulantes hunc ex opinioue probabili operandi uſum ex Belgio, Galliaque patrocinantibus multis, & antiquiorum Theologorum multa in hanc rem teſtimonia educentes, longam item Sacrorum Canonum contexentes ſeriem, & ex alia cum aliis Epiſcopus Campanenſis Joannes Caramuel hoc per orbem nomine notiſſimus, qui ſumpto à Paradiſo, & ab ipſo ſtatu innocentiæ exordio, mox per Patriarchas facta inductione: Inde legem gratiæ ingreſſus, & Apoſtolorum, Sanctorumque aliorum facta proſequens; Romanorum denique Pontificum diſpenſationes, & bullas examinans; cœlum deinde ipſum explorans, hunc probabiliter opinandi, & ex prohabili opinione operandi uſum & mundo coævum docet, & totius orbis, atque cœli, & terræ ſententiam.

Primi itaque ſic philoſophanrur: via probabiliter opinandi, & ex opinione probabili operandi eſt nova; ſed omnis via nova eſt falſa; ergo via probabiliter opinandi, & ex opinione probabili operandi eſt falſa.

Poſtrem primùm tranſmittunt majorem, & negant minorem, & inſtant in myſterio immaculatæ Conceptionis Virgineæ, quod multis ſæculis fuit quid omiſſum, vel prætermiſſum in Eccleſia; & in Antipodis, quos Lactantius Firmianus, Auguſtinus, & præclariſſimi alii & negarunt eſſe, & vix non deriſerunt: quos tamen eſſe nemo nunc dubitat: ſuntque hujuſmodi plurima in artibus quibusque nova inventa, & facultatibus quibusque augmenta. Unde non valet: hæc opinio eſt nova: ergo falſa, vel non tuta, vel abſurda. Deinde negant, hunc opinionum uſum eſſe novum, & hoc vel priori ſeculo, ut occlamanr, inrroductum: adverſarii autem novitarem opponentes obligati ſunt ad probandum poſitivè novitatem, quam opponunt. Tandem negando Minorem, illius falſitatem nituntur poſitivè demonſtrare ſumpto ut dixi, exordio ab ipſomet principio Mundi.

Verùm, quia hæc totius antiquitatis explorandæ materia integro volumini conſcribendo ſufficeret, & ad unam quæſtionem cogi nequit, mihi viſum eſt conſultum, expeditiorem aliquam viam eligere, qua propoſita quæſtio ſatis dirimatur, & certa ab incertis removeantur, alia de antiquiorum maximè Theologorum judicio in poſtea diſcutienda reſervando.

Primò itaque, ratione materiæ bonam dicerem eam à novitate ad falſitatem conſequentiam, non quia ſemper, & ubique ea valeat, ut eſt manifeſtiſſimum; ſed ob naturam materiæ, in qua verſamur: abſurdum enim & per ſe falſum videtur, viam illam in cœlum ambulandi, regulam illam benè operandi, non uno, ſed mulris ſæculis in Eccleſia fuiſſe ignotam, per quam ut plurimùm & univerſaliter moraliter ex omni ordine fideles regulantur, & tutò eunt: quod probare non aggredior, cùm prudentes quique mihi conſenſuri videantur: ſed ejuſmodi eſt opinio probabilis; nam per eam, ut ipſi etiam conteſtantur, jam hodie totus mundus gubernatur, Principes, Vaſſalli, Judices, Mercatores, Medici, Eccleſiaſtici, Regulares, ſæculares, & omnes. Ergo &c. Si quis verò contentioſus in contrarium diſputabit, hoc unum ſignificabo. Abſurdum eſt, eam viam in cœlum eundi ignoratam tandiù in Eccleſia; quâ ignoratâ lex Chriſtiana eſt intolerabilis, & ad deſperationem homines induceret, imò quâ ignoratâ homines ad impoſſibilia obligarentur, ut patet: Sed ignorantia, & non uſus opinionis probabilis ea omnia induceret ex confeſſione horum Doctorum. Ergo abſurdum eſt, eam ignoratam. At tranſmittunt, eam ignoratam: ergo falſa ſunt, quæ de illa deprædicant. Probatur hæc conſequentia: lex Chriſtiana diu fuit ſine hac via operandi, ut tranſmittunt: at tunc illa intolerabilis non fuit, nec ad deſperandum, & ad impoſſibilia homines obligavit: quis neget? quis audeat dicere in hoc ſtatu Eccleſiam fuiſſe? Ergo lex Chriſtiana, ſine hac via, vel regula operandi non eſt intolerabilis, &c. Ergo falſa dicunt. Tenendum eſt ergo vel hanc viam, & regulam veram non eſſe, vel antiquiſſimam eſſe: ſunt enim hæc duo hîc connexa.

Nunc an re ipſa uſus opinandi, & ex opinione probabili operandi novus ſit, an antiquiſſimus, ſine ullo partium ſtudio determinandum eſt. Mihi porrò viſum eſt hanc nunc quæſtionem per principia omnibus manifeſta reſolvere, nec ad ſingulos authores antiquos, & homines, eorumque facta provocare, qui ut dixi, libro vix integro comprehendi poſſunt, nec in præſentia neceſſaria ſunt.

Hæc, quæ clara ſunt, ipſe etiam Dom. Caramuel confirmat *in Theolog. Mor. Fundam. n.*307. ubi impugnat Patrem Suar. qui ſaltem in mortis articulo contritionem neceſſariam dixit ad Sacramentum pœnitentiæ. Suarius (inquit ille) eſt primus Author opinionis contrariæ. Ergo illa non eſt vera. Patet (inquit.) Incredibile eſt annis integris mille ſexcentis rem tam neceſſariam, ſi eſſet vera, fuiſſe in Eccleſia Romana ignoratam. Altius &c. Et concludit: hæc ratio, tametſi moralis ſit, & non Metaphyſica, fortis interim eſt, & ſufficiens, ut Suarii opinio rejiciatur. Nunc nos: at an uſus opinionum ſit licitus, necne, res eſt magis neceſſaria, & univerſalis pro vita, & morte, & ex illa pendent omnia: ergo ſi ſententia affirmans eſſet nova, eſſet falſa; nec argumentum ſolvitur per inſtantiam ſolitam Antipodum, vel Bombardarum. Et Suarez quidem non per hoc reſpondebit

debit, ſed novitatem negabit in quæſtione de contritione.

§. II.

Uſus opinandi, & ex opinione vivendi antiquitas.

Videtur ergo indubitatum uſum opinandi & ex opinione & certa, & probabili operandi tam eſſe antiquum atque ſunt antiqui ipſi homines: nam cùm homine nata eſt potentia, & vis opinandi, ſicut potentia, & vis ſciendi, & demonſtrandi, quæ potentia vel à principio reducta fuit, vel reduci potuit ad actum, nec diu ſanè otioſa fuit. Itaque à principio fuit vis & facultas opinandi: & ſimiliter objecta à principio alia erant ſcibilia, & demonſtrabilia, & alia opinabilia, & ſolùm probabilia, & alia credibilia. Ergo horum omnium actus à principio eſſe potuerunt, nec multò ſaltem poſt eſſe cœperunt.

Idcirco ex quo libri ſcripti fuerunt in iis legimus diſcurſus ſolùm probabiles, aliquando certo concludentes, aliquando non ita: Sicut in Moyſe. Similiter in Philoſophis tanquam rem vulgarem & ſcitam & notam habemus diſtinctionem ſcientiæ ab opinione, ut patet ex Logica. Et ſimiliter habemus diſtinctionem ſcibilium, & de quibus ſolis ſcientia haberi poteſt, & opinabilium quorum nulla eſt ſcientia, quorum ſolùm eſt opinio, quandoque certa, quandoque non certa. Quemadmodum à principio fuit fides & fuit credere, licet fides & credere ſint expoſita falſitati ſicut opinio: & à principio fuit & prudenter credere & etiam leviter credere, ut Eva leviter credidit ſerpenti, & ſic deinceps.

Ariſtoteles jam pridem & ante ipſum alii ſcripſerunt de Dialectica, & de Rhetorica, & licet inter has aliqui nonnihil diſtinguant; tamen conſtat utramque arguere & procedere ex probabilibus. Ergo ex quo fuerunt in Mundo Rhetorica & Dialectica & Rhetores, & Dialectici, fuit uſus opinandi & ex probabilibus diſſerendi, cum in ſcholis tum in foro, & in cauſis. Sic Cicero, ſic Demoſthenes, ſic Oratores alii rationibus probabilibus jam certioribus, jam non ita certis, quem reum, vel innocentem tuebantur, ex quibus orationibus Judices ad ſententias ferendas movebantur. Quid plura? Scripſit nobis Ariſtoteles octo libros topicorum, in quibus loci traduntur ad diſſerẽdum probabiliter. S. Monica una authoritate Ambroſii mota fuit, ut Mediolani prima Quadrageſimæ hebdomada carne & Lacticiniis ſine ſcrupulo veſceretur. Ergo opinio, & opinari, & ex opinione tam certa quàm aliquando non omninò certa diſputare, dicere, determinare in privato, & in publico, & domi & in foro, tam videtur indubitatum, & antiquum, ut nihil videatur aut antiquius, aut indubitatius.

Cujus planè rei ipſiſſima eſt ratio eadem neceſſitas, & antiquitas, atque humanæ fidei, quæ ſemper fuit, & ſine qua nulla hominum ſocietas eſſe potuit. Omnes ergo ubique crediderunt, aliquando prudenter, aliquando citò & leviter: & ſemper & ubique ex his quæ credebant, homines ad operandum etiam moti ſunt: Sic ergo fuit etiam opinari, quia plurima objecta ſolum ſunt, & ſemper & ubique fuerunt ſolum opinabilia & probabilia. Imò nunquam, & nullibi à bonis Judicibus innocens dictus eſt; & ab omni pœna liberatus, qui non plena, ſed ſolùm ſemiplena, nec concludenti omnino probatione reus habetur. Solent enim tunc, & debent pœnam ſtatuere non ſoli delicto, ſed delicto ſimul, & menſuræ probationis proportionatam: in quibus generalibus principiis nullam opus eſt allegare authoritatem.

Nunc ad Chriſtianorum praxim, & modum operandi, & vivendi deſcendamus. Videtur certè tam eſſe indubitatum, eos plerumque hoc uſu opinionum, qui modo viget plus minùſve operatos eſſe, atque vixiſſe, quàm eſt certum, & indubitatum, eos plerumque nec Sanctiſſimos, nec Angelos fuiſſe. Video certè ab aliquibus has noſtras ætates extolli in cœlum, antiquiores alias barbaras, & ineptas haberi: ab aliis video priores ætates eo in loco poni, in quo ipſi beati habentur; tempora verò noſtra vix non damnatis conferri. Sed certè quilibet niſi ineptire placeat; clarè videt, nec antiquos omnes Angelos fuiſſe, nec Diabolos nos omnes. Sed de hoc argumento alii.

Ad rem venio: Fideles antiqui confitebantur procul-dubio, & confeſſores, & conſultores habebant, quos audirent, quos conſulerent, quorum dictis acquieſcerent, nec ſingulis ad manum adfuit S. Thomas, vel S. Auguſtinus, vel Hieronymus aut ſimilis alius, nec item ſinguli mundum peragrabant ut re ipſa veritatem invenirent: Haud ſinguli aſſidui in oratione erant, vel ſalutis æternæ ſtudioſiſſimi: fuerunt ſemper mercatores, & Reges, & bella, & negotia, & Sacramentorum uſus: non omnes, imò non plerique conſultorum re ipſa Sapientes, & Sancti, nec item cæteri fideles ut dictum eſt, ſolo ſalutis ſtudio intenti. Ex quibus, quę negari à nemine poſſe videntur, quaſi palpabili argumento oſtendi videtur, hunc ex opinione probabili, & ex dictis etiam ignorantium, & ſua quærentium vivendi morem plus minúſve ſemper inter Chriſtianos, & à fortiori inter gentes alias extitiſſe. An non Principes illi, quos ſine titulo aliena regna invaſiſſe, & arripuiſſe manifeſtè conſtat; Confeſſores & Conſultores ſicut modò, non habebant? Non ergo hanc noſtris temporibus calumniam tam ultrò, quam leviter opponamus.

Sed dicent, in eo primùm damnandas ætates noſtras, quod illum uſum, quem pridem, & ſemper viguiſſe, negare nemo poteſt, multi ſcriptis libris approbaverint, tutamque aſſeverantiſſimè dixerint; quod veteres Authores non præſtiterunt, ſed damnarunt potius, ut productis eorum hanc in rem teſtimoniis concludere nituntur: in eo rurſùs damnandas ætates noſtras, quòd novas in ſpecie opiniones plurimas introduxerint, quæ fidelium conſcientias relaxent.

Verè timenda eſt hoc loci Chryſoſtomi gravis, & diſerta oratio *hom. 45. in Matth.* ubi poſt alia ſic: *Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum. Semper Judæi* (inquit) *præteritorum Sanctorum cultores fuerunt; & præſentium contemptores: magis autem perſecutores, & inimici viventium, & amici mortuorum.* Et poſt alia. *Cum audieris aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba illum, qualis eſt circa ſuos Doctores. Si enim illos ſuſtinet, & honorat, cum quibus vivit, ſine dubio & illos honoraturus fuerat, ſi cum illis vixiſſet. Si autem ſuos contemnit, verè & illos contempturus fuerat, ſi cum illis vixiſſet. Nam omnis correctio ſimilis eſt cæteris tentationibus*, &c. Adeo noſmet nobis ipſis timendi ſumus: ex jactantia, & ſuperbia, invidiaque multoties præſentia omnia poteri-

mus: ex ſuperbia item multoties noſtra extollimus, & antiqua deſpicimus, & vix non barbara vel arbitramur, vel dicimus.

Nunc ad objectiouem factam reſpondeo, tranſmittendo, omnes Antiquos Theologos, qui ſcripta volumina reliquerunt, eum uſum reprobaſſe: at conſtat facto à nobis argumento, fuiſſe eò temporis alios Theologos, & Confeſſores, & Conſultores conſcientiarum, qui dictis, & verbis eam praxim approbarunt, qui præſentibus doctiores haud erant, & tamen reſoluebant, & abſoluebant, & regebant, nec pœnitentes ſuos ab uno in alium uſque ad doctiſſimum, & ſcientiſſimum Theologum remittebant: cujus exactæ diſciplinæ nullum eſt veſtigium in hiſtoriis loquendo de Confeſſoribus, & Conſultoribus nniverſalitet. Quare ſi hæc via in perditionem ducit, jam pridem innumeri Theologi, vel Confeſſores, vel Conſultores innumerabiles animas ante Doctores noſtrarum ætatum, ſine dubio præcipitarunt. Si via tam præceps baud eſt, præſentes Doctores, non eſt, cur reprehendantur. Quidquid profectò illud erit ſive bonum, ſive malum, conſtat, hujus vel uſus, vel praxis, vel doctrinæ Inventores, & Auctores noſtrarum ætatum Theologos non extitiſſe: quod porrò propter majorem edendorum librorum facilitatem, libros ſcripſerint, parum ad præſens refert: parùm quippe damnatarum ea de cauſa animarum intereſt, ſive libris, ſive verbis deceptæ fuerint.

An verò, & quantum antiqui Theologi à claſſicis ſaltem temporum noſtrorum Autoribus diſcrepent, decurſu operis innoteſcet.

An rursùs moderni aliquas in ſpecie opiniones ediderint, quæ conſcientias relaxent, in primis operis præſentis haud eſt id examinare, ubi nimirum non de his, aut illis opinionibus in ſpecie tractamus, ſed de opinionibus probabilibus in communi, & in genere. Deinde haud dubito, in ſtringendo, & laxando, peccatum omni tempore; & jam pridem Scriptura Sancta & loquentes nobis placentia, & imponentes onera incomportabilia, id eſt, ſtringentes, atqne laxantes meritò redarguit, cùm noſtrum non ſit nec peccata addere, nec tollere, ſed verum, quod quandoque laxum, atque benignum; quandoque ſtrictum, atque ſeverum eſt, diligenter quærere, & inventum edicere. Unde non valet: hæc, vel illa ætas habet, vel habuit opiniones ſeveriores: aut à contrario habet, vel habuit opiniones benigniores: ergo hæc, vel illa ætas melius, & verius docuit. Sumus enim & ad ſuperſtitionem, & hypocriſim; & ad diſſolutionem, atque nobis placentia natura, vel vitio inclinati: quare utrinque imminet periculum, licet majus, aut univerſalius videatut, quod ad relaxationem inducit: in quo qnid ſinguli Authores, in his, atque illis materiis exceſſerint, meum non eſt dicere.

Deinde hoc examen recens inſtituit Epiſcopus Caramuel, & antiquos, & novos authores conferens, multaſque utrorumque opiniones in ſpecie producens oſtendiſſe ſibi viſus eſt, laxiores multo extitiſſe priores. Cæterum hæc probatio concludens mihi viſa haud eſt; ut namque concludens eſſet, neceſſe erat non has, aut illas horum, aut illorum opiniones, ſed omnes, & omnium producere, atque conferre ut inſpectis omnibus ſententia demum ferretur, utri laxiores, aut ſeveriores extiterint, cum contingat quem in una materia eſſe ſtrictum, & in alia mitem, quia ita judicavit: quare collatione facta in aliqua ſolum parte ſententiam de toto dicere mihi perinde videtur, atque ſi quis inamœnam Neapolitani Regni partem cum alia non ita inamœna Poloniæ parte conferens, abſolutè abſurdè pronunciaret Poloniam hoc Regno amœniorem. Singulas porrò, & omnes ſingulorum, & omnium Authorum veterum, & noviorum opiniones exactè referre dignè examinare, plenè intelligere, atque ſic juſtam ſententiam dicere multorum voluminum, & multorum fortè hominum, eorumque Doctiſſimorum opus eſſet; quod longè ſuper vires meas, & facultatem poſitum ingenuè fateor.

Ex hoc verò toto diſcurſu, quem hac quæſtione confecimus, id videtur concludi, uſum opinandi, & ex opinione probabili operandi antiquiſſimum eſſe, & inter Chriſtianos etiam vel pridem, vel ſemper uſitatum. Mox nobis certò conſtat, ex Chriſtianis damnatos multos, ſaluatos alios: hoc nobis nec conſtat, nec conſtare poteſt, eos vel damnatos, vel ſaluatos eſſe, quia ex opinionibus probabilibus operati ſunt boc ſolo titulo, ſcilicet quia vel uſus, vel praxis, vel doctrina ſic operandi antiquiſſima fuerit. Quare huic antiquitati, vel non antiquitati dicti uſus, aut praxis, aut doctrinæ nos ſecuritatem ſalutis noſtræ alligare non poſſumus. Aliunde ergo & aliis viis explorandum, & concludendum, quid, vel quantum in hoc genere liceat, & an, & in quo tutæ ſint, vel non ſint opiniones probabiles, & quales.

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex ſit opinio probabilis ex ſententia aliquorum, & ex uſu plurium?

CUm Authores nullos, ſed opiniones aliquas, quanta poſſum erga Autores reverentia, impugnare ſit conſilium, viſum eſt in re maximè obvia, ac offenſioni nonnihil expoſita nullos Authores nominare, nec cauſam agere hominum contra homines, ſed veritatis contra falſitatem, ubi præſertim jam à rebus ad homines iri cœptum eſt. Dicam verò poſt aliquaquanto Authorum numero, & ſuffragio doctrinæ removendæ communiantur. *Neminem ſpecialiter* (Hieron. *ep. ad Nepotian.* ait) *meus ſermo pulſavit: generalis de vitiis diſputatio eſt: qui mihi iraſci voluerit, ipſe de ſe, quòd talis ſit, confitebitur.*

§. I.

Quid opinio probabilis.

NOmen opinionis quibuſvis etiam certiſſimis Authorum ſententiis attribui ſolet; eam verò reſtringendo, ac a certis omnibus ſejungendo, definiunt eſſe aſſenſum unius partis cum formidine oppoſitæ. Sed quoniam ſunt etiam diſſentientes, & negativæ opiniones, ut Ariſtoteles in definiendo judicio facit, aptius fortè loco vocis *aſſenſus* enunciationem pones; nam enunciare, & dicere commune eſt affirmantium, & negantium; aſſentientium, & diſſentientium.

Convenit opinio in quantum aſſenſus, vel enunciatio cum omni genere aſſenſus, & enunciationis; differt verò ab apprehenſionibus, à dubio, & item à ſuſpicione, quæ vel quædam ſolum vehemens apprehenſio eſt, vel aſſenſus ita tenuis, ut

vix

vix percipiatur, nec nomen aſſenſus meretur.

Per illud autem *cum formidine oppoſita*, quod in definitione adjungitur, differt opinio ab omni certa enunciatione, & aſſenſu. Differt indè ab aſſenſu primorum principiorum; item à ſcientia: item ab aſſenſibus ex certa experientia natis. Differt prætereà à divina fide, quæ removet omnem formidinem partis judicativæ: ac ſimiliter differt ab omni humana certa fide; ſunt enim in humana fide multa, de quibus non eſt formidare. Contra verò comprehendere videtur omnem humanam fidem non ita certam.

Jam porrò rogati per quid opinioni differat à judicio temerario, quod quidem aliquando propter vehementiam paſſionis firmum, ac ſine formidine erit; aliquando tamen admittet formidinem? Reſpondebunt, vel ſub opinione in genere comprehendi etiam judicium temerarium, vel opinionem eſſe aſſenſum non ex levi, ſed ex ſufficienti fundamento; judicium temerarium non ita.

Quid autem ſit formido illa, per quam opinionem definiunt, an de eſſentia opinionis, & de intrinſeco illius; an reſultans aliqua proprietas? non omninò conveniunt, nec ad præſens intereſt multum: & contrariæ ſunt Authorum opiniones, de quibus in Philoſophia, in proœmialibus Theologiæ, & tractatu de fide diſputatur, noſque diſputavimus, ac denuò *in appendice*.

Et hæc ferè de opinione tradunt. Quid autem, cùm opinio probabilis dicitur, τὸ *probabilis* addat, & ponat in eſſe? mox ex eorum explicatione probabilium conſtabit; & hic ex ipſorum ſenſu breviter dici poteſt per illam particulam addi, quod opinio nitatur ſufficienti, & digno fundamento: quod profectò verum eſt, ſed non doctrinale.

Per illam ergo particulam differt opinio probabilis ab abſurdis omnibus opinionibus, ab antiquatis, & obſoletis, à temerariis, ab improbabilibus, & quocumque modo prohibitis, ac legitimè notatis.

Ex his, ut poſt pauca notabo iterum, opinionem dicere ſolent omninò liberam, ac in voluntatis imperio, & arbitrio poſitam tam quò ad uſum, ut demonſtrationes etiam ipſæ; & quò ad aſſenſum: quam etiam quò ad ſpeciem; ſeu quò ad aſſenſum, & diſſenſum vel ſemper vel ferè ſemper. Nec memorant, nec tractant pervetuſtum contra hoc Ariſtotelis præceptum, ſeu documentum.

§. II.

Quotuplex opinio probabilis.

PRima & famoſa diviſio eſt in opinionem, quæ eſt probabilis ab intrinſeco, & in opinionem, quæ eſt probabilis ab extrinſeco: ubi aliter aliis placuit ſermocinari: at poſiti termini uſitatiſſimi ſunt, & vix à quoquam jam in mundo ignorantur.

Opinionem ab intrinſeco probabilem vocant opinionem probabilem à ratione; & licet rationes etiam ipſæ aliæ ſint ab intrinſecis, & aliæ ab extrinſecis, ac valdè remotis, & harum ſit fortè major plerumque uſus, quam illarum, hic tamen per τὸ *ab intrinſeco* omne genus rationum comprehendunt, & intelligunt. Opinionem probabilem ab extrinſeco vocant, quæ eſt probabilis ab authoritate.

Ad quorum explicationem addunt, rationes facientes probabilitatem debere eſſe rationes graves, rationes conſiderabiles: item magni ponderis, magni momenti: item quibus quis prudenter moveri poſſit ad aſſenſum, vel diſſenſum: atque ſimilibus plus minus vocibus rem iſtam declarant, nec ulterius plerumque procedunt.

Similiter Authores facientes, inducenteſq; probabilem ab extrinſeco, dicunt debere eſſe prudentes, graves, & doctos: item ſcientiæ & conſcientiæ; item pios & verſatos: item veraces, ac in arte peritos, non factioſos, non audaces, non indoctos, non leves, non ſuperficiales.

Diſputant verò, quot Authores ſufficiant, & requirantur ad fundandam probabilitatem ab extrinſeco? & multi aiunt, ſufficere unum; alii tres ut minimum, vel quatuor requirunt. Hi porrò ab illis mox ad hominem impugnantur argumento, ut credunt, inſolubili, & invicto.

Aiunt enim pluſquam à viginti Authoribus aſſertum eſſe, unum ſolum Authorem ſufficere ad probabilitatem, Sed juxta adverſarios quod viginti dicunt, eſt probabile cùm plus ſint viginti, quam quatuor: ergo unum ſufficere eſt probabile. Jam mox ad praxim. Sed ſecundum ipſos omne probabile eſt tutum ad conſcientiam. Ergo unius authoritas tuta eſt, ac ſufficit ad cōſcientiam. Sed per probabile hoc ſolum quærebatur. Habetur ergo intentio. Uſus præterea confirmat, nam multi viri etiam Principes, ac Magiſtratus primarii uno ſolum confeſſario, ac ſæpè non egregio, & illius Theologià contenti ſunt.

§. III.

Aliæ opinionis probabilis diviſiones.

SEcundò itaque, & citra controverſiam opinio probabilis dividitur in ſpeculativam & practicam, id eſt, in opiniones probabiles ſcientiæ ſpeculativæ, & practicæ in quantum talium. Quæ diviſio non tam probabile, quam opinionem ipſam dividit.

Jam verò de opinionibus probabilibus agendo, quæ ad ſcientiam activam, & hoc ſenſu practicam pertinent ac diviſione formalius cadente ſupra probabile dividunt opinionem probabilem in probabilem ſpeculativè, & practicè; & in probabilem ſolum ſpeculativè. Atque hanc communiſſimè diviſionem acceptant; cujus primum inductorem Sanchez credit Caïetanum. At Vazquez, ut opinor, primus, licet ipſe referat Cordubam; ac deinceps alii fortiter diviſioni obſtiterunt, exiſtimantes, omne practicè non probabile, ſeu improbabile eſſe ſimiliter tale etiam ſpeculativè ſervatis ſervandis.

Utrique mea quidem ſententia in ſenſu intento verum dicunt: poſteriores videntur exactiùs loqui; ſed primi adeò in praxi prævaluerunt, ut vix ulli jam libri ſine hujus diviſionis notitia intelligi queant.

Ad præſens porrò breviter primi per probabilitatem ſpeculativam intelligunt probabilitatem convenientem actioni alicui ſecundum ſe, ac ſeorſim à circumſtantiis vel omnibus, vel ſaltem aliquibus: quia verò mox ad operandum requiritur judicium practicum: operari autem eſt ſub omnibus circumſtantiis hic, & nunc occurrentibus, aiunt probabilitatem practicam eſſe de actione, ſeu operatione ſub omnibus illis circumſtantiis.

licito omnium opinionum probabilium, & illius principia, & finem, & unde cœptum ſit, & quò denique ventum.

§. I.

Quid tradatur de uſu licito opinionum probabilium.

QUæri itaque cœptum fuit, an liceret uſus opinionis probabilis omnis, ſive æquè, ſive etiam minùs probabilis? Quam ſanè quæſtionem neque antiquiſſimam eſſe invenio, neque valdè recentem: erat quidem quæſtio olim, an liceret ſtare opinioni Magiſtri: hoc tamen intelligebant opinando unà cum Magiſtro, ut opuſcula S. Thomæ fidem faciunt. Hæc tamẽ quæſtio reflexè aſſumens omnes opiniones probabiles videbatur non eſſe: de antiquorum verò mente *lib.3.* clariùs conſtabit.

In propoſita quæſtione res, & materias diſtinxerunt plerique omnes. Primò quidem, ubi de Sacramentorum valore tractatur, dixerunt, non licere uti opinione, vel minùs probabili in periculum nullitatis Sacramenti. Ubi rurſus imminet præiudicium tertiæ perſonæ, ut mors, vel damnum aliud, ſimiliter docuerunt, non licere, ſed nos teneri ad probabilius, qua proindè lege conſtringunt Medicos, Chirurgos, & alios. At ubi ſolùm eſt quæſtio de licito, vel non licito, nec damnum aliud imminet, dixerunt, licere uſum omnis opinionis probabilis ſive æque, ſive etiam minùs probabilis.

Venere pòſt alii, quibus hæc diſtinctio, & limitatio diſplicuit, docueruntque in omni prorsùs materiâ licere illum uſum. Quod ſi malum, vel damnum aliquod obveniret, ſuæ illud infelicitati imputaret patiens: non autem agenti, qui recta regula, prudentique probabilitatis uſus fuit: & quemadmodum propter hoc violatio legis Dei, etſi contingat, ſibi non imputatur, ita neque imputandum damnum: quam conſequentiam ritè ſequi, nos *inferiùs* oſtenſuri ſumus.

Deindè etiam utuntur argumento reflexo, quo aliqui etiam factæ limitationis Authores utebantur *quæſt. prec.* ut cogerent ad contrarium eos, qui negabant, unum Authorem ſufficere ad faciendum probabile. Eodem ſiquidem modo hic arguitur, licere ſequi probabilius: at probabilius eſt, poſſe quem ſequi unius, vel duorum, vel plurium Authorum judicium. Hoc ergo licet: ſed unus, vel duo, vel plures docent, licere uſum probabilium in omni materia, ſine diſtinctione, & limitatione. Licet ergo hos ſequi. Sed de his *infrà.*

Secundò dubitatum fuit, an uti quis poſſit contra ſuam opinionem opinione probabili aliorum, ſive in operando, ſive in conſulendo. Et plurimi ſub his terminis affirmarunt, etſi explicandi videantur, ut dicemus. Indè denique de Confeſſariis idem quæſitum eſt, an poſſint, an etiam debeant abſolvere pænitentem contra propriam opinionem ex opinione probabili vel pœnitentis, vel aliorum? Alij inter Confeſſorem proprium, & non proprium diſtinguentes, utrumque, aiunt, poſſe abſolvere; proprium etiam teneri; non proprium ſecùs ſine diſtinctione alii obligant utrumque.

Hinc nata eſt via alia expeditior, & unicuique obvià, multùm ſanè declinans in Academiſmum, nihil de rebus ipſis propoſitis opinandi, & judicandi, ſed præter omnem ſuam opinionem videndi, an de rebus occurrentibus inveniantur opiniones probabiles? & tunc juxta eas per latum ſatis probabilium campum operandi, conſulendique. Atque hic mos, & uſus plurimùm in praxi prævaluit. Aiunt nimirùm, ad rectè operandum, & conſulendum nihil opus eſſe judiciis directis de rebus ipſis moralibus occurrentibus, de contractu v.g. vel reſtitutione, vel jejunio, ſed ſatis eſſe ſi adſit opinio probabilis quam ego reflexè cognoſcam: & mox indè formari dictamen infallibile, & evidens de honeſtate, & rectitudine operationis.

Hanc ſanè viam reflexam non multùm commendat hæc ipſa tanta ſui facilitas, quâ ineptiores quique, & incipientes etiam juvenes tam brevi evadant abſolutiſſimi Magiſtri, & rectores conſcientiæ, & animarum. Licet enim ex ſenſu gravium Authorum, qui probabilia omnia tuta eſſe tradiderunt, hæc ipſa probabilitates dignoſcendi, deprehendendique provincia non ſit profectò omnium, ut oſtendemus; tamen in praxi id prævaluiſſe videtur, quod omnes, & quilibet apti habeantur ad probabilia dignoſcenda; quin omnes opiniones nec antiquatæ, nec notatæ opiniones morales librorum mox habeantur, exiſtimenturq; probabiles, & alio opus non ſit, quàm in collectore aliquo invenire opinionem, & Authorem, vel Authores citatos.

Aptè planè ad rem noſtram Nazianzenus *orat. 1. apol. Quod ſi caipiam eorum dicamus leniter ad hunc modum, & differendo eum provehentes: dic mihi vir admirande, vocáſne aliquid ſaltare, & tibia canere? Maximè verò, inquiet. Quid ſapientiam, & ſapientẽ eſſe, quam nos divinarum humanarumq; rerum ſcientiam eſſe, definimus. Id quoque concedet. Age verò, cenſeſne, artes illas ſapientia meliores, & ſublimiores eſſe. An hanc potius illis? Mihi quidem non eſt dubium, quin hanc omnibus etiam praſtantiorem dicturi ſint. Utriùſ igitur ſaltationis quidem, & cantus tibiarum doctrina quædam, atque diſciplina eſt, ad idque & diuturno tempore, plurimis laboribus, & ſudoribus opus eſt; atque interdùm etiam mercedem perſolvere oportet, & per doctores adhibere, longasq; peregrinationes ſuſcipere, &c. Sapientiam autem, quæ omnibus præeſt, & bona omnia complexu ſuo tenet, rem uſque adeò levem, & protritam exiſtimabimus, ut ad hæc, quod quiſquam ſapiens ſit, voluntas ſola requiratur?*

Profectò ſapientiæ Chriſtianæ (quæ verè ſapientia eſt) & partem maximam rectam motum doctrinam eſſe: & in hac rursùs doctrina momentum omne in recta motum, vitæque noſtræ directione collocatum eſſe, hunc ſcopum, hunc finem totius hujus ſcientiæ, & tantæ partis ſapientiæ exiſtere, in comperto eſt. An ergo unius collectoris vel lectione, vel uſu tam brevi, ac facilè ea diſcitur, quam legitur? ſed hoc pacto, inquis, plures, ac breviùs digni Conſultores, Confeſſoreſque reddentur. Ita ſanè, ſicut etiam ſi omnis prorsùs doctrinæ neceſſitas auferatur: & argumentum ad alias quoque artes ducito, & invenies, ſignum potiùs peſſimi nimiam iſtam facilitatem evadere.

Jam ergo propoſitæ huic toti doctrinæ de licito uſu quarumcunque opinionum probabilium pro viribus adverſantur multi viri graviſſimi, quorum in dies creſcit numerus docéntque, non licere operari adverſus partem legis ex opinione æquè, vel minùs probabili; ſed neceſſariam eſſe probabiliorem. Ita P. Andreas Blancus. P. Comitolus, Merenda. Fagnanus Julius Mercorus,

Baronus,

Baronius, Gonet Boneſpei, Sinnichius, Marinarus, ac mihi valdè colendus P. Antonius Cottonius, apud quem Paſqualigius pro hac parte novemdecim Authores recenſet. Quorum intentioni toti nos quoque firmiſſimè ſubſcribimus ſine umbra ſanè formidinis.

§. II.

Quomodo unicuique ſua demum opinio & exiſtimatio tradatur pro regula.

AUthores docentes, quamlibet opinionem probabilem eſſe regulam conſcientiæ, accuratè ſanè, ut *quæſt. præc.* viſum eſt varias qualitates ad probabilitatem depoſcunt, removentque diligenter à conſcientiæ, morumque regula alias opiniones iis qualitatibus non præditas idcircò nullus, quem ſciam, docuit adhuc in terminis, omnem opinionem eſſe rectam morum doctrinam, aut eſſe regulam conſcientiæ, ſed opinionem probabilem omnes diligenter dixerunt. & ſcripſerunt.

Sed verò ſi mox quærantur, an neceſſe ſit, opinionem re ipſa eſſe probabilem, an ſufficiat, eam unicuique videri, exiſtimarique probabilem? In primis ipſi nihil hanc diſtinctionem de eſſe, & de videri aut curarunt, aut explicarunt, nec explicare, credo, poſſunt in via ſua, ut *lib. ſeq.* conſtabit.

Jam ergo ſive voce probabilitatis utamur, ſive voce gravis, & levis fundamenti, quemadmodùm ſi quis apud carceratos, & avaros, & ſitientes, & famelicos de fœlicitate loquatur, aliud & aliud alii; & alii eadem fœlicitatis voce ſubintelligunt, & carceratis libertas in mẽtem venit, avaris occurrunt divitiæ, ſitientibus potus, eſurientibus cibus, ſicut quippe unuſquiſque eſt affectus, ut Philoſophus notavit *in ethicis*: ſic prorsùs gravia & levia fundamenta audientes aliud, & aliud intelligimus: alius ſcilicet ingenio valet, alius eſt doctrina inſtructiſſimus, viribus iners alius; ſapientes ſenſus induit unus, vix non pueriles alter: hic inops ingenii magni, ducit ratiunculas quaſque; ille nihili eas habet: utque ex philoſopho *quæſt.* 1. dictum eſt, alter aſſuetus eſt exatæ dictioni, alter triſtatur, alter dignum, ducit, ſi teſtis adhibeatur aliquis Poëta; ſanè neceſſe eſt, tam diverſa eſſe horum omnium de gravi, & levi iudicia, atque ſunt diverſæ, quin contrariæ ipſorum diſpoſitiones, & habitus, & prædeterminanti fundamenta ſcientiæ Mediæ levia, aut nulla, & vice verſa videntur. Quid enim idem videatur abſolutiſſimo Theologo, & unam vix ſummam ſcienti Confeſſario, ingenioſiſſimo illi, huic vix mediocri? Quemadmodum etiam in materialibus idem onus robuſto leve, debili graviſſimum puero impoſſibile prorsùs eſt.

Quærimus itaque, an per probabilitatem, & per grave, & leve fundamentum intelligant, quod re ipſa grave eſt, an ad uniuſcuiuſque conſcientiæ honeſtatem, & rectitudinem ſatis habeant, quod ipſi grave fundamentum viſum ſit? Hoc enim videbatur & diligenter declarandum.

Si omnium & uniuſcuiuſque judicium, & exiſtimatio ſufficit, habetur de plano, non ſolùm opinionem probabilem, ſed omnem prorsùs uniuſcuiuſque opinionem, & exiſtimationem eſſe ſibi regulam, vel omnem prorsùs opinionem, & exiſtimationem ſuam eſſe unicuique opinionem probabilem: & hùc ſanè ducit diſcurſus cuiuſdam Philoſophaſtri, probabilitatem relativũ quid eſſe exponentis. Etenim nemo aliquid opinatur & exiſtimat, ad quod ita opinandum, & exiſtimandum non ſibi videatur habere ſufficiens, & non leve, ſed dignum, & grave fundamentum. Ergo ſi grave, & leve ſunt, quæ unicuique talia videntur, & exiſtimantur, omnis uniuſcuiuſque opinio, & exiſtimatio erit ſibi regula. Quare expeditiùs fuerat, curam probabilitatis declarandæ prætermittere, & aſſerere ſuam unicuique opinionem, & exiſtimationem regulam eſſe loquam *unicuique* munus ſaltem habentium vel caſus reſolvendi, & conſulendi, vel confeſſiones excipiendi.

Quòd ſi non omnium, & quorumlibet opinio, & exiſtimatio dicatur ſufficere. Tunc planè in magnam in primis confuſionem, & ſolicitudinem, quæ vitari deſideratur, conjiciunt conſilium dantes, & accipientes: confeſſores item, & pœnitentes; neſcient ſiquidem, an opinio, & exiſtimatio ſui ſibi conſultoris, vel Confeſſoris ſufficeret? Quomodò deindè dictamen infallibile, & evidens, quod plerique adverſariorum ad rectè operandum expoſtulant, comparare poterunt? nam evidenter quidem ſcient, ſuum ſibi Conſultorem, vel Confeſſorem, ita reſpondiſſe: at niſi revelationem aliquam habeant, conſtare ſibi infallibiliter, & evidenter, non poterit, hunc ſuum Conſultorem, vel Confeſſores ex iis eſſe, qui & requiſitis qualitatibus vigeat, & cujus opinio, & exiſtimatio non opinio ſolùm ſit, ſed opinio etiam probabilis: & cujus licet opiniones aliæ extiterint probabiles, hæc etiam particularis probabilis ſit, nec in ea examinanda, quod multis de cauſis contingere poteſt, Confeſſorem, aut Conſultorem haud paſſum eſſe humanum aliquid.

Sed verò demus, & ſupponamus, quod profectò non repugnat, Confeſſorem, aut Conſultorem non profundiſſimum, quin imperitum eſſe; ſuumque reſponſum leviſſimis, aut nullis potius niti fundamentis, quæ tamen ipſi ex ſua imperitia, ut ſolet, magna viſa ſunt: pœnitenti item, vel conſilium petenti vir ille egregius eſſe exiſtimatur. Quæro juxta viam contrariam ſumptam ex integro, ſufficietne vir iſte imperitus, qui tamen exiſtimatur egregius, & opinio iſta, quæ nullis re vera fundamentis innititur; Authori tamen ſuo, & conſilium petenti maximis fundamentis fulta videtur? Quid ergo tunc?

Sanè doctrina eſt adverſariorum, quam tangi nolunt, omnem cognitionem, & rationem etiam falſam, & errantem, ſi actualis cognitio, & advertentia de peccato in contrarium non aderit, ſufficere, ut operationem, & voluntatem ſibi conformem reddat honeſtam, & rectam. At in caſu propoſito, & in omni ſimili adeſt opinio, & exiſtimatio de bonitate operationis: & omnis talis exiſtimatio, & opinio eſt prorsus incompoſſibilis cum cognitione actuali, & advertentia de peccato, ut patet. Ergo & in caſu noſtro, & ſemper omnis opinio, & exiſtimatio de bono ſufficit, ut actus ſibi conformis evadat rectus, & honeſtus. Hoc autem eſt eſſe regulam. Jam ergo probabilitatis exponendæ, ac levis, & gravis fundamenti diſtinguendi cura omnis omittatur, & abſolutè, & de plano dicatur, non opinionem probabilem, ſed omnem ſuam opinionem, & exiſtimationem eſſe

unicuique

unicuique rectam regulam conſcientiæ.

Sed quid ſi opinio ſit reveta improbabilis, vel etiam erronea, quin hæretica? & ſine ulla actuali cognitione in contrarium exiſtimat quis, quod accidiſſe adverſarii ipſi memorant, pollutionem non eſſe malam, ſed bonam: ſanctum eſſe Luthero ſtare, aut Calvino; vel Diocletianus, & Maximianus, & Nero, ut loquuntur naturaliter hiſtoriæ, ex ſua cæcitate perſuaſiſſimi exiſterent, Deos eſſe colendos; malam proindè eſſe legem Chriſtianam id prohibentem, ac Chriſtianos eſſe magos egregios, qui malis artibus miracula effigerent? De his cæcis, & paganis, & hereticis phantaſmatibus, & opinionibus, ac perſuaſionibus perverſis, atque ab ipſo Diabolo inductis quid demùm reponimus? Remota eſt per illàs omnis actualis, cognitio, & advertentia peccati: malum bonum exiſtimant, & bonum malum. Quid ergo dicimus?

Docent profectò, actum his exiſtimationibus conformem evaſurum rectum, & honeſtum; quin de honeſtate operationis baberi infallibile prorſùs, ac evidens dictamen conſcientiæ. Quid ergo in probabili, vel non probabili nos morantur, iam uno univerſali documento dicatur, ſolam exiſtimationem, in momento eſſe & omnem prorsùs exiſtimationem & perſuaſionem re vera etiam improbabilem, vel hæreticam vel paganam tam eſſe vnicuique rectam regulam, atque exiſtimationem probabilem, quin & demonſtrationem.

Dices, has quidem pravas atque perverſas exiſtimationes rectas regulas eſſe, non per ſe, ſed per accidens, & ex ignorantia, vel errore. Cæterùm ſimiliter omnis falſa opinio probabilis ſolùm ex ignorantia eſt regula, & non per ſe, ut conſtat, & ipſi adverſarij concedunt habita certa cognitione veritatis, omnem falſam opinionem probabilem deſinere eſſe regulam. Ergo quemadmodum opinio probabilis in univerſum eſt regula, id eſt, vel per ſe, vel per accidens & ex ignorantia; ſic abſolutè in univerſum omnis ſua cuiuſcumque generis opinio: & exiſtimatio erit ſibi regula. Quod ſi ille vir gravis, & doctus aliis etiam videbitur, ut Genevenſibus viſi ſunt Calvinus, & Beza, omnes illius perverſæ opiniones, & hæreſes erunt aliis quoque recta regula vivendi.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſint Doctrinæ ſic generaliter propoſitæ generalia fundamenta.

§. I.

Aliqua fundamenta.

DOctrina iſta probabilium eſt nobis *in quæſtionibus* mox ſecuturis diſtinguenda in varia puncta: quia tamen aliqui imperitiores eam ſic univerſaliter, & ſine diſtinctione & tradere, & ſequi videntur, nos quoque ſic generalirer illam propoſuimus: & nunc eadem generalitate univerſaliſſima quædam illius argumenta præmittere, conſultum viſum eſt. Primo ergo pro illa allegari ſolet multitudo Authorum eam ſic generaliter defendentium. Contra verò nos his ſequentibus quæſtionibus oſtenſuri ſumus doctrinam iſtam ſic generaliter propoſitam non eſſe doctrinam nec gravium, nec multorum Authorum, ſed potius eſſe contra ſenſum, & doctrinam eorumdem. Dato deinde, & minime conceſſo, eam eſſe ſententiam communiſſimam, probabitur *lib.* 2. ſententias communiſſimas eſſe communiter & plerumque eligendas, & tenendas: non autem ſemper; quod pro nunc conſtat *ex* 2.3. *Exodi.*

Secundò, allegant generaliſſimè miſericordiam Dei, qui vult omnes homines ſalvos fieri. Verum hoc eſt abs re, & nihil inde ſequitur ad præſens; atque uno verbo miſericordia Dei illa & tanta & talis eſt, quam, & quantàm, & qualem ipſe dignatus eſt revelare: ſceleſtiſſimum hominem in fine vitæ converſum ſaluat: puerum baptizatum, qui nibil boni fecit, regno donat: alium diu probum, & poſtea lapſum deſerit: tantam denique mundi partem ſine fide eſſe permittit. *Quis cognovit ſenſum Domini, aut conſiliarius ejus fuit?*

Tertiò allegant jugum Chriſti eſſe ſuave, & onus leve, ut ipſe qui non fallitur dicit. Item Phariſei reprebenſi ſunt à Chriſto ponentes onera incomportabilia, quæ nec digito quidem vellent ipſi movere: & denique *Actuum* 15. *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Sed hæc contraria ſunt.

Quartò allegant ſi propoſita doctrina non teneatur nos obligatos fore ad ſequendum ſemper opiniones tutiores, id eſt, ſtrictas, & rigidas omnes: Hoc autem foret intolerabile. Reſpondeo id minimè ſequi, nec eſſe concedendum: quod conſtabit *li.* 2 *&* 3. Quintò allegant, ſi propoſita doctrina non acceptetur, ſequi, nos teneri ſemper certo ſcire veritatem. Reſpondeo, nec hoc ſequi, ſed probabile rectè explicatum ſufficere pro regula morum, ut *lib.* 3. probabitur.

Hîc ergo duo extrema videntur vitanda, alterum obligantium ad ſciendum ſemper, & certò veritatem, quod videtur nimium: & alterum nihil veritatem curantium, & aſſumentium pro regula morum quoddam probabile, quod æquè indifferenrer ſe habeat ad verum, & falſum, ſeu quæ non magis ſit regula veritatis quam falſitatis; quod etiam eſt niminm.

Sextò allegatur, peritis in arte credendum eſſe: hominibus ſcientiæ, & conſcientiæ ſtandum eſſe: ſic fieri in rebus humanis omnibus: veriſſimum proinde eſſe dictum Ariſtotelis, aſſentiendum ſcilicet eſſe ſeniorum, & ſapientium dictis non minùs quàm demonſtrationibus: atque hoc genus convertibilia multa producuntur. Reſpondetur hæc omnia eſſe veriſſima; nihil tamen confirmare doctrinã propoſitam ut oſtendetur *li.* 2.

Septimò allegant probabilia omnia eſſe opinabilia: at omnes opiniones unius vel duorum quorumlibet auctorum ſaltem non notatæ ſunt probabiles: ergo earum objectum eſt probabile; ergo unuſquiſque, & ſanè ſine vitio, opinari poteſt illud: at licitum eſt, quem operari, & conſulere iuxta opinionem ſuam. Reſpondeo materiam huius fundamenti eſſe à nobis latè examinandam, quã quippe arbitramur eſſe cardinem huius totius controverſiæ. Nunc ex dicendis breviſſimè reſpondemus, Maiorem in ſyllogiſmo aſſumptam eſſe diſtinguendã, & de uno probabili eſſe veram, & de uno probabili eſſe falſam; nam datur multiplex genus probabilitatis, ut explicabitur. Minor eſt ſimiliter diſtinguenda, & nihil ſequitur: quæ, ut dixi inferius declarabuntur.

Octavò

Octavò allegari poteſt; quia negari nequit unius doctoris dictum qoalis fuit Auguſtinus Ambroſius, facere conſcientiam tutam ut conſtat de Ambroſio ex libris Confeſſionum Auguſtini *& ex epiſtola* 112. *cap.* 22. *& epiſt.* 118. nam illius authoritate ſedavit conſcientiam Matris Monicæ. Reſpondemus ab Ambroſio non valere ad Authores quoſlibet.

§. IV.

Alia fundamenta.

NOnò allegatur unum teſtem facere probationem ſemiplenam: ſufficere ad torturam, & ad pœnam extraordinariam ſæpè magnam, & ad alias magnas res operandas. Ergo unus Author idem faciet, & duo vel tres facient plenam probationem, & ſufficientiſſimam ad operandum tuta conſcientia. Reſpondemus, hanc teſtium, & Authorum æquiparationem eſſe à nobis infra tractandam ex inſtituto. Nunc dicimus duos, vel tres teſtos ſaltem cæteris paribus contra octo, vel decem nihil probare: Ergo unus vel duo Authores contra alios plures cæteris partibus nihil faciunt.

Decimò allegatur, ſi propria illa doctrina non teneatur, & unus vel duo Authores conſcientiam tutam oon faciunt, ſequi omnia bella eſſe iniuſta, ut Lutherus initio delirabat: nam Principes aliquibus conſultis Theologis bella movent. Reſpondetur retorquendo quia à contrario ſequitur omnia bella eſſe juſta, quia omnia moveri ſolent prævia aliqua conſultatione juſtitiæ. Dicitur ergo utrumque eſſe abſurdum, & omnia bella dicere juſta, & omnia dicere injuſta, & veritatem eſſe mediam dicendo, non omnia, ſed aliqua eſſe iniuſta; & ex hoc potius contrariam doctrinam revinci. Quid autem requiratur ad bellum juſtum movendum hujus loci non eſt dicere.

Undecimò allegant Romanos Pontifices uſos fuiſſe opinionibus minus probabilibus & minus tutis in diſpenſando, & producunt particulares diſpenſationes Gregorii, I. & Gregorii XIII. & pauli V. Ergo licebit omnibus. Reſpondeo breviter Romanos Pontifices uſos fuiſſe in caſibus propoſitis opinionibus minus probabilibus ſpeculativè, quod damus arguenti: negamus autem eos uſos fuiſſe opinionibus ſpeculativè ſimul, & practicè minus probabilibus: quod inferius declarabitur. Doctrina autem propoſita, pro qua arguitur procedit ſine ulla diſtinctione ſpeculativæ & praticæ probabilitatis, quin arguens illam rejicit contra communem ſententiam authorum.

Poſtremò ut alia prætermitam, adducunt exemplum Ducis exercitus, qui nulla certitudine victotiæ, ſed incertus exitus belli committit prælium: imò ferè ſemper ita contingit. Et tamen Duces prudentes ſunt, nec imprudenter plerumque prælia committunt. Cum ergo ad rem tantam certitudo non requiratur, ſed ſufficiat probabilitas; ſufficiet etiam ad prudenter etiam in aliis operandum. Quod argumentum variis modis proponitur, & tot modis ſoluitur, quia multipliciter prælium committitur. Reſpondeo ergo aliquando etiam omnino dubia exiſtente victoria, quin fere illa deſperata, prudens eſſe præliari, quia ſæpe ex non præliando imminet majus malum. De cætero quando nec exiſtimationis, nec alterius rei æqualis, vel majoris jactura imminet, nullus Dux exercitum periculo committit in æquali ſpe, vel metu victoriæ, aut cladis. Quapropter ex iis nulla eſt conſequentia ad conſcientiam: nam ſimiliter concedunt omnes, & concedendum eſt, ſi duo mala conſcientiæ imminent, ideſt, duo peccata, & utrumque vitari non poſſet, ſine peccato eligi quodlibet, quando ſunt æqualia, vel minus, quando ſunt inæqualia; quem vocant caſum conſcientiæ perplexæ, ut quando quis putat ſe peccaturum, ſi in die feſto ut ſacrum audiat, deſerat ægrotum, & vice verſa. At controverſia non eſt de hoc, ſed quando in una parte timetur peccatum, & alia eſt omnino tuta. Sicut ergo caſu ſic propoſito nullus prudens Dux committit periculo exercitum, quando fundamenta æqualia vel majora ſtragis habet, nec in vitando prælio malum ullum timet æquivalens; ſic etiam de peccato, & de conſcientia videretur dicendum.

Exceptio horum fundamentorum.

Hæc fundamenta poſita, & alia in eundem ſcopum ſic univerſaliter proponi ſolita habent exceptionem manifeſtam. Nam nemo eſt gravium Authorum, qui uſum propoſitæ probabilitatis univerſaliter in omni materia approbet; excipiunt enim plerique omnes & Sacramenta, & Judices, & judicia, & Medicos, & alia; res ſcilicet, eas omnes, in quibus præter peccare, imminet jactura alia, vel præjudicium proximi, aut nullitas Sacramenti, &c.

Quare ut facta argumenta concludant, neceſſe eſt, ut non ita in univerſali proponantur; ſic enim comprehendunt omnem materiam, & petitis in omni re eſt credendum; miſericordia Dei ubique eſt magna; & probabilia in omni materia prudenter opinamur, & in omni materia operamur prudenter ſecundum prudentem aſſenſum. Ergo ut argumenta iſta concluderent, deberent conſtare terminis limitantibus, & ſolam illam materiam ſpecificam comprehendentibus, de qua ſola arguens vult probare: nec ſatis eſt exceptionem, & limitationem poſtea ſeorſim facere; per hoc enim ipſum demonſtratur, argumenta ipſa ita generaliter, & in univerſali propoſita non fuiſſe concludentia, & qua ratione unus excipit hæc, & illa, alius excipiet alia & alia per aliam rationem, & alius nihil volet excipere, ut quidam pauci Moderniores intenturunt.

QUÆSTIO VII.

Utrum ergo propoſita via Probabilium nimiam authoritatem tribuat privatis Doctoribus in doctrina morum?

LIcet hæc quæſtio alibi ſuum doctrinalem locum habeat, ubi proindè alio die iterùm reponetur, è re tamen noſtra eſt, hîc quoque eam præmittere, ut adverſariorum aliquos ſua nos quoque arte invadamus. Nimirum parti noſtræ indè magnum videntur conflaviſſe odium, quod eam voluerint eſſe contra praxim etiam ipſam Romanorum Pontificum, quos in ipſo quoque Eccleſiæ regimine uſos eſſe, aiunt opinionibus minùs probabilibus, & tutis, ad quod varias diſpenſationes proferunt. Sed hoc etiam ipſum iniuria haud vacare, nos exiſtimamus. Romanos quippe Pontifices

tifices in ipſo etiam Eccleſiæ regimine uſos fuiſſe opinionibus minùs probabilibus, & minùs tutis, ur loquuntur, & ita ſaltem contra conſilium operatos eſſe etiam iuxta edverſarios. Nos porrò factum negabimus, & dabimus, eos uſos eſſe opinionibus ſpeculativè quidem minùs probabilibus; non autem practicè: practica aurem probabilitas ex circunſtantiis publicis, & privatis conſtat; quas noverunt utique Romani Pontifices diſpenſantes: & quæ nos Theologos ſæpè larent: ideò abſurdum potiùs eſt ſimilia ad trihunal noſtrum vocare, & ſententiam pronunciare.

Iam verò hac ipſa arte uti placuit, non utique in facta Romanorum Pontificum inquirendi, quę venerari magis oportet, quam iudicare, ſed quod ſub ſphæram cadit Theologi, examinandi, & conferendi doctrinam Theologorum circa authoritatem Romanorum Pontificum in moribus cum doctrina probabilium quam propoſuimus. Nulla tutius opponuntur inconvenientia, aut abſurda, quam maxima: mediocria enim, & minora, ſi ex opinione aliqua oſtendantur ſequi, non ideò opinio ipſa deſerirur, ſed magis inconvenientia ipſa minora admittuntur, atq; in novas mox opiniones, & praxim ipſam convertuntur. Opponis alicui, ſequi ex ſuo dicto, ſe ſapientiorem eſſe v. g. Divo Thoma. Haud ſanè terretur, quin fortè concedit corde conſequenriam abſurdam. Opponas verò, ſequi, ſe ſapientiorem Deo eſſe. Profectò & ore, & corde negat, vel delirat. Hujus ergo generis eſt inconveniens, quod modo opponimus viæ propoſitæ Probabilium.

§. I.

Via propoſita probabilium æquat, quin præfert Authorem quemque gravem Romanis Pontificibus, & Conciliis Generalibus.

PRofectò abſurdum hoc ingens, & magnum videtur, ut mons Olympus, cui proindè devorando nullius fauces ſufficiant. Jam ergo fideliter referendum, & conferendũ, eſt, quod via prædicta unicuiq; gravi Aurhori; & Theologn tribuir, & quod vera ſententia tribuit Romanis Pontificibus, & Conciliis Generalibus in doctrina ſcilicet morum. Voco verò & accipio Authorem, & Theologum gravem, ut ipſis adverſariorum formaliſſimis terminis collationem inſtituam.

Quæro itaque, an probabilitas ſit recta regula morum? Et aiunt. Quæro rursùs, an habita probabilitate formare poſſim infallibile, ac evidens dictamen conſcientiæ de meo non peccato, & de honeſtate, & rectitudine operationis? Et aiunt. Quæro mox: ubi, & undè comparare ego valeam eam probabilitarem? Et reſpondent, in dicto, & opinione omnis, & cujuſlibet Aurhoris, vel Theologi gravis. vel ſi placer, ſint duo. Jam verò *quæſt. præc.* oſtenſum eſt, idem eſſe de gravi ſolum exiſtimato.

Ex his iſtam conſequentiam infero: ergo tanta eſt authoritas omnis, & cujuſlibet Authoris gravis in doctrina morum, ut eum ſequendo ſit prorsùs impoſſibile, & chimæra, me peccare, & honeſtè non agere, quin operor ex infallibili, & evidenti dictamine non peccati, & rectitudinis. Et hactenùs non aliud, quam ipſam ſuam ſententiam intuliſſe videmur. Inferamus modò: ergo tanta eſt authoritas omnis, & cujuſlibet Authoris gravis in doctrina morum, quanta Romani Pontificis, & Concilii Generalis. Probatur conſequentia; quia ea eſt, & neutiquam major Romani Pontificis, & Concilii Generalis authoritas in doctrina morum, ut ſit regula infallibilis rectè operandi, & ſit prorsùs chimæra, & impoſſibile, eam ſequendo fideles peccare, & non recte agere; ſed hæc ipſa eſt authoritas omnis, & cujuſlibet Authoris gravis. Ergo tanta eſt hujus, quanta illorum authoritas in doctrina morum.

Enimverò rides collationem; nam vel pueri, ais ſciunt, eam verè Romano Pontifici, Concilioque Generali tribui authoritatem in fidei, morumque doctrina, ut errare prorsùs nequeant. At Author gravis quantuſcumque errare poteſt; quin errant paſſim Authores multi graves; nam graves gravibus contradicunt. Ergo eſt prorsùs impertinens facta collatio, & evidenri diſparitate diruitur.

Et ego quidem fateor, eam competere Pontifici, Concilioque Generali per neceſſariam ſanè in doctrina etiam morum indefectibilitatem; Authores autem graves, paſſim ſcilicet ſibi viciſſim contradicentes, errare etiam poſſunt.

Verùm hoc ſanè videtur ſatis mirabile, atque mirandum, quod Romano Pontifici, ut paſcendo gregi Salvatoris ſufficeret, rribuenda fuerir ea non errandi infallibilitas; & ideò ſi erraret, oves periclitarentur, & Eccleſia: Theologus autem, vel Author quique gravis etiam errando, quin ſæpè errando, & ubi etiam, & quandò errat, tam tutò & à peccato liberet, & in cœlum recto tramite oves ducat, atque ipſe Romanus Pontifex, id eſt, prorsùs certò, & infallibiliter. Quod rursùs rectè paſcendis ovibus, & liberandis à peccato, atque ſalubriter illis inſtituendis Romanus Pontifex, & Eccleſia opus habuerint privilegio maximo, & aſſiſtentia Spiritus ſancti· at Aurhor gravis citra omnem privilegii indigentiam, quin cum ſolo concurſu generali Dei, quem ſcilicet ſolum habet, quoties falſam doctrinam docet, ſua authoritate, & doctrina ſufficiat, ut infallibili prorsùs, ac evidenti dictamine fideles & peccatum vitent, & rectè, honeſteque vivant, & operentur.

Cernitur ſanè in primis quidem æqualitas quoad certitudinem infallibilem, & evidentiam vitandi peccata, & mores rectè dirigendi. Deindè verò cernitur exceſſus magnus Aurhoris gravis: nam hic quaſi ſe ſolo ſufficit, id eſt, ſolo concurſu Dei generali indiget ad eos effectus: Papa autem, & Eccleſia magnis certè privilegiis, Chriſti promiſſionibus, & Spiritus ſancti aſſiſtentia ſingulari. Rursùs ſi per impoſſibile erraret Eccleſia, ſuam tunc authoritarem amitteret: Author gravis eam ex æquo conſervat etiam quando errat ſaltem in probabilibus. Mitto hìc alia, quæ proferam paulò poſt.

§. II.

Quod Author gravis errare poſſit ſecùs Romanus Pontifex, non ſufficit pro diſparitate.

HOc nunc eſt diligenter diſcutiendum. Et primò quidem quoad infallibilitatem citra culpam, & rectè honeſtéque operandi nihil videtur reponi; nec conſequentia iſta æquariva in alio videtur ah adverſariorum poſitione differre, quam quod poſitio eſt abſoluta; conſequentia verò noſtra collariva urriuſq; authoritatis: & certé æqualiter potentia in aliquem effectum, æqualia ſunt quoad illum, ſed utrimque authoritas eſt æqualiter certa, & infallibilis quoad effectum vitandi cul-

culpam, & operationes rectas,& honeſtas reddendi, & æqualiter potens in hunc effectum. Ergo æqualis inter ſe quoad illum.

Quod itaque reponitur Romanum Pontificem, aut Concilium Generale in doctrina morum errare re ipſa non poſſe: Authorem autem gravem poſſe, nulla eſt diſparitas, certè eſt inſufficiens, propter tria. Primò quia indefectibilitas in doctrina morum Romani Pontificis,& Concilii Generalis probat, ſine iſta indefectibilitate non poſſe ſubſiſtere illam aliam indefectibilitatem,& infallibilitatem vitandi culpam,& rectas efficiendi operationes,& mores. Secundò hinc, quia ſi una indefectibilitas ſubſiſtere poſſet ſine alia, nulla ſupereſſet ratio tribuendi Romano Pontifici, aut Eccleſiæ infallibilitatem in ipſa doctrina. Tertiò quia, quod horum ratio à priori eſt infallibilitas,& indefectibilitas in ipſa doctrina dirigitur tanquam in finem ſuum in rectam directionem operationum, & morum.

Ut à primo exordiar, habet utique Romanus Pontifex, habet Eccleſia infallibilitatem in doctrina morum, quam fidelibus ſequendam proponunt, & intimant: quam ego neceſſariam Theologiam hic non ſtatuo, ſed ſuppono. Ad iſtam infallibilitatem in ipſa doctrina tribuendam ſuppoſuerunt Doctores, ſine indefectibilitate in veritate non ſtare indefectibilitatem in recta directione morum: quod viſis, lectiſque Doctoribus de indefectibilitate in veritate tractantibus, facilè quiſque conſpiciet.

Sed ne omnia ad Lectorem remittamus, qui fortè non legat, ac proinde nec credat, accipiamus obvium ubique Bellarminum, & videamus, quò demùm reducat vim probationis omnem Probat ergo *tom. 1. lib. 4. cap. 5.* Romanum Pontificem, in Decretis morum errare non poſſe; quia ſi erraret ille, tota Eccleſia, inquit, graviter læderetur, & erraret in rebus neceſſariis; quod eſt contra promiſſionem Chriſti Joan. 16. *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Secundò quia tunc ait, deeſſet Deus Eccleſiæ ſuæ in rebus neceſſariis, quandoquidem præcepit illi, ut ſequatur Pontificem, & Pontificem permittit errare. At certè ſi Deus nulli rei deeſt in neceſſariis, quantò minus Eccleſiæ ſuæ. Hæc ille de decretis morum.

Quod autem non poſſit errare (ſubdit) in moribus per ſe bonis, vel malis probatur. Nam tunc Eccleſia non poſſet dici verè ſancta, ut in Symbolo Apoſtolorum vocatur. Nam ſancta potiſſimùm dicitur ob ſanctam profeſſionem, &c. quæ nihil docet falſum, nihil præcipit malum. Secundò quia tunc neceſſariò erraret etiam circa fidem; nam fides catholica docet, omnem virtutem eſſe bonam, & omne vitium eſſe malum. Hæc ipſe.

Alii haud infirmius probant ex Joan. *cap. ult. paſce oves meas.* Et denique quia ſicut in doctrina fidei neceſſe eſt ſupremum Judicem admittere, qui controverſias rectè terminet, ad quod opus eſt, ne erret in fide; ſic in doctrina etiam morum neceſſarius eſt ſimilis Judex, & Paſtor, qui errare nequeat.

Hæc omnia ceſſant, ſi rectitudo, & ſanctitas morum habetur etiam errando in doctrina, quin habetur prorsùs æqualiter. Adverſarii ſcilicet aiunt, ne ſequendo Authorem gravem docentem falſam doctrinam probabilem, habere in primis certitudinem infallibilem, & evidentiam de honeſtate operationis, & morum: rursùs quæſiti, an hi mores fundati in doctrina falſa probabili tam boni meritoriique ſint cæteris paribus, atque alii fundati in vera doctrina, aiunt, prorsùs eſſe æqualis bonitatis, & meriti, immuneſque culpæ.

Ergo ceſſant adducta fundamenta indefectibilitatis in veritate. Nec enim errante Romano Pontifice maximè verò in probabilibus, quidquam Eccleſia læderetur, quin mores haberet æque bonos, ac meritorios vitæ æternæ, atque ſi non erraret. Hinc nec Deus deeſſet Eccleſiæ ſuæ in neceſſariis; nam Eccleſiæ ſunt neceſſaria recta fides, & recti, ſanctique mores, & vita honeſta, Deo grata, & laudabilis. Hæc omnia habentur per dictamen infallibile, & evidens, etiam ipſa tota Eccleſia in probabilibus errante. Indè rursùs Eccleſia ſancta remaneret. Oves denique ſanâ, tutaque doctrina paſcerentur. Ceſſant ergo omnia allegabilia pro indefectibilitate in veritate, in morum doctrina vel Romani Pontificis, vel Eccleſiæ. Quia ſi benè penetrentur, quæ de Authore gravi ſolùm exiſtimato ſuprà declarata ſunt, idem ſequitur etiam in doctrina fidei; quod tamen hic non proſequor.

Omnes igitur probantes indefectibilitatem in veritate Romani Pontificis, vel Eccleſiæ ſupponunt indefectibilem rectitudinis, bonitatis, honeſtatiſque morum, doctrinam non poſſe conſiſtere ſine indefectibili veritate, ideoque privilegium indeficientis veritatis & Romano Pontifici, & Conciliis Generalibus adſcribimus.

Hinc proindè quod ſecundo loco opponebamus, ſi iſta rectitudo, honeſtaſque morum indefectibiliter haberi in Eccleſia poſſet per doctrinas probabiles etiam falſas, nihil opus eſſet, Eccleſiæ attribuere indefectibilitatem in veritate, ſed ſatis foret, ſi eſſet indefectibilis in probabilitate, & quod Authori gravi æquipararetur. Mores ſiquidem nec honeſtiores, ut aiunt, neque meliores, neque magis Deo placentes redduntur ex eo, quod à doctrina vera dirigantur, quam ex falſa probabili, quin ex falſa ſolùm exiſtimata probabili: neque rursùs magis certò, & infallibiliter boni fiunt ex vero, quam ex falſo probabili: At, ut mox conſtabit, finis totius indefectibilitatis Eccleſiæ in doctrina morum, eſt morum ipſorum rectitudo, & bonitas: media porrò ex fine redduntur, & judicantur neceſſaria, vel non neceſſaria. Ergo quandoquidem finis totus æqualiter obtineretur per doctrinam falſam probabilem, nihil eſſet neceſſaria indefectibilis veritas, ſed ſufficeret indefectibilis probabilitas.

Exponitur.. Vel doctrinæ omnes probabiles veræ, & falſæ ſunt doctrinæ ſanæ, vel non ſunt? Dicere nequeunt, ſanas non eſſe; ſiquidem ſunt recta, & indefectibilis regula morum: doctrina porrò morum ſana, vel non ſana eſt, & dicitur relativè ad bonos, ſanoſque mores; ſicut cibus, & alimenta relativè ad ſalutem animalis: & quid certè ſana illa doctrina non ſit, ex qua & Deo vivimus, & vitam æternam promeremur? Sunt ergo omnes illæ ſanæ, ſalubreſque. Quid porrò in ſupremo in terris Paſtore deſiderari amplius poteſt, quam quod indefectibiliter paſcat oves primi Paſtoris Chriſti, ſana ſalubrique doctrina, ex qua & Deo vivant, & recta via in cœlum abeant. Hoc opinio contraria tribuit Authori cuique gravi. Satis ergo erit, quod hoc ipſum ſupremo Chriſti in terris Vicario, & Paſtori attribuatur. Tanti nimirùm eſt juxta adverſarios quoad directionem, ac bonitatem morum probabilitas, atque veritas.

Jam

Jam modò reſponſionem unam, vel duas removeamus. Dicent ergo mores regulatos per doctrinam falſam probabilem eſſe utique probos & honeſtos; nihilominùs eos eſſe materialiter malos, & peccaminoſos, ſi re ipſa ſint contra legem Dei: quod rectitudini, & puritati Eccleſiæ derogaret. Quarè neceſſe fuit dari in Eccleſia regulam morum indefectibilem veritatis ipſius; quâ maculæ iſtæ, vel labes, vel defectus peccatorum materialiter talium vitari tutò poſſent. Dicent ſecundò, ipſum errorem, & falſitatem doctrinæ morum eſſe malam, quam proindè oportuit, ut vitare ſancta Eccleſia poſſet. Sed ad hoc ſecundum poſt pauca, & ſeorſim dicemus: nunc verò ad primum.

In primis itaque aliqui viæ contrariæ negant, hæc peccata materialiter talia: & ſanè conſequentiſſimè: nam tenent adverſarii, leges non eſſe ſatis promulgatas, ubi ſunt probabilitates in contrarium: at contra leges non ſatis promulgatas non magis peccatur, quàm contrà leges non conditas: ergo non erunt iſta peccata materialiter talia.

Deindè hæc peccata materialiter talia voce ſolùm terrere poſſunt, & re ipſa nihil prorsùs præjudicant ſanctitati morum, & Eccleſiæ magis, quàm motus primò primi. Quod patet à priori; nam peccatum per *τὸ materialiter* extrahitur à genere moris, ſignificatur ſcilicet, non eſſe quid voluntarium, & imputabile; ſed prorsùs inimputabile; erit ergo defectus extra genus moris purè phyſicus, ſicut cœcitas, & ſimilia, quæ nec labes, neque culpæ ſunt, neque puritati, & ſanctitati Eccleſiæ derogant. Patet rursùs ex ipſa adverſariorum confeſſione, qui aiunt, mores regulatos à doctrina vera non eſſe meliores, neque magis meritorios, neque certiùs Deo placentes. Ergo peccata materialiter talia neque labes, neque ſordes ſunt. Et nullo modo maculæ, quæ puritati ſanctitatique Eccleſiæ obſint. Nihil ergo oportuit, ea eſſe, vel non eſſe in Eccleſia, quibuſque vitandis eximium adeò privilegium indefectibilis veritatis concedendum eſſet Eccleſiæ.

Poſtremò non oportuit, privilegium tribui Eccleſiæ, quo motus primò primi vitari poſſent, ut conſtat de facto. Sed peccata materialiter talia minus lædunt Eccleſiam, quàm motus primò primi. Nam primùm utraque ſunt extra genus moris, & formaliter non peccata, neque culpæ. Cauſaliter autem motus primò primi inducunt in peccatum, & à peccato etiam ſunt: in ſe ipſis rursùs boni non ſunt. At contrà actus materialiter mali in ſe ipſis honeſti ſunt, ut aiunt, & ad nullum peccatum movent; & à nullo peccato ſunt, & ejus quaſi reliquiæ, vel ſigna. Patet ergo, minus multò oportuiſſe vitari hæc peccata materialiter talia; quibus quippè minùs multò læditur ſancta Eccleſia.

Ex his ergo iterùm reſumimus, omnes probantes privilegium indefectibilis veritatis Eccleſiæ in doctrina morum, ſuppoſuiſſe tanquam naturale notum, non poſſe haberi indefectibiliter rectitudinem, & ſanctitatem morum ſine indefectibili veritate: neque enim, ut eſt oſtenſum, pro vitandis peccatis materialiter ſolum talibus decertarunt, maximè verò conceſſo etiam, quod concedunt adverſarii eos ipſos noſtros actus, qui materialiter mali dicuntur, eſſe abſolutè honeſtos, ac vitæ æternæ meritorios, & hoc per infallibile dictamen.

Conſtat verò, quantùm ſanè ſit abſurdum æquare Authorem gravem cum Romano Pontifice vel Eccleſia quoad iſtam infallibilitatem rectitudinis morum: pro qua ſolum infallibilitate habenda de prædicto privilegio in Romano Pontifice, vel in Eccleſia defendendo tantoperè pugnatum eſt. Conſtat rursùs, æqualitati authoritativæ Authoris gravis, & Eccleſiæ nihil derogari per hoc, quod Eccleſiam ſequendo peccatum materialiter tale vitetur; ſecùs ſequendo Authorem gravem. Nam hæc eſt diſparitas extra genus moris ſe habentium, & ſic impertinentium rerum. Tandem quia, ut viſum eſt, ſi indefectibilitas rectitudinis morum haberi poſſet ſine indefectibili veritate (quod profectò eſt undiquè chimericum) non eſſet quare Eccleſiæ indefectibilis veritas morum concederetur, ſed ſufficeret indefectibilitas probabilitatis. Sed hanc tribuunt Authori cuique gravi: ex cujus ſcilicet dicto formatur infallibile, & evidens dictamen de rectitudine operationis. Manebit ergo omnimoda æqualitas.

§. III.

Infallibilitas veritatis in doctrina morum eſt rectitudinis morum gratia, ſicut finis.

HOc nunc eſt declarandum, quod tertio loco *ſuprà* oppoſuimus, & eſt ratio à priori dictorum. Conſtat itaque ex 1. *Ethicor. & ex 1. part. quaeſt.* 1. ſcientiam moralem eſſe propter agere, tamquam propter finem: & de hoc nullus Philoſophus, vel Theologus moralis litem movere poteſt. Non eſt ergo ſcientia moralis propter ſcire, ſed propter agere; & finis illius totus eſt rectitudo morum: ideò etiam practica eſt. Cùm enim intellectualis omnis creatura conſtet intellectu, & voluntate, & utraque hæc potentia actibus ſuis eſſet perficienda, oportuit, dari ſcientias ſpeculativas, quæ in perfectionem intellectus ipſius ordinarentur. Et aliam vel alias, quæ non in ipſius, ſed voluntatis, quæ de ſe cœca eſt, perfectionem dirigerentur: & hujuſmodi eſt ſcientia moralis ſive Philoſophica, ſive Theologica.

Cujus portò gratiâ res eſt, ejuſdem gratiâ eſt omnis illius propria perfectio, & propter quod ſunt domus, & equus, propter idipſum ſunt bona domus, & bonus equus; quin bonitas, & perfectio ex ipſa proportione ad finem ipſum deſumitur: atque hoc, & nihil aliud ſapientes ſignificarunt dicendo, finem eſſe menſuram eorum, quæ ſunt ad finem. Ut itaque per menſuram vini ſcitur, quantum vini ſit in dolio, & ſic in aliis, eodem modo per finem ſcitur, & taxatur tota bonitas, & perfectio mediorum.

Scientia ergo ipſa moralis eſt propter rectos mores, quarè in ipſa certiores cognitiones præſtant non ita certis; quia certiùs in finem dirigunt. Excellit autem ſcientia Theologica, quia regulat mores meliores, & præſtantiores, idoneos ſcilicet in finem ſupernaturalem, quem Philoſophia moralis aſſecuta non eſt. Ob eandem rationem præſtant cognitiones intenſiores, & vividiores, quia magis movent ad probos mores: atque ita in aliis. Omnibus autem excellit ſcientia ſanctorum, quæ certiùs, & efficaciùs dirigit.

Hinc verò patet, quorſùm pertineat infallibilitas in doctrina morum: Eodem ſcilicet, quò ipſa doctrina, & ſcientia, & ut infallibiliter rectos, & honeſtos mores, dignoſque vitæ æternæ habere poſſemus. Quia enim humana ratio eſt multùm deficiens circa bonum, & malum, quod contrariæ

Philoſophorum, & Theologorum ſententiæ, demonſtrant, oportuit ut arguit cum aliis D. Thomas dari nobis divinitùs legem Dei, ut certò ſciremus, quid bonum, quid malum eſſet: ita quia humana ipſa ratio eſt multùm deficiens circa intelligentiam, & interpretationem legis Dei, quod contrariæ Theologorum intelligentiæ, & interpretationes, eodem modo commonſtrant, oportuit, eſſe in Eccleſia infallibilem Judicem controverſiarum moralium, & Interpretem certum legis Dei. Hæc autem omnia ſunt propter ſalutem noſtram; proximè verò, & immediatè propter rectos mores, & dignos, ac meritorios ſalutis, vitæque æternæ.

Accipitur in ſcientia morali, nec veritatem falſitati præſtare, nec infallibilitatem fallibilitati ſi falſa, & fallibilia tam infallibiliter, & tam rectos mores reddunt, atque vera infallibilia. Patet ex dictis, quia mediorum perfectio, & præſtantia taxatur per finem: & ideò enſis ferreus enſi ligneo non præſtaret, ſi iſto poſſet ſe quis æquè certò defendere, vel adverſarium interimere: & ita in reliquis. Ergo ſi doctrina probabilis, falſa tamen, & fallibilis æquè rectos, & honeſtos reddit mores noſtros, & æquè certò, ſcilicet per dictamen prorſus infallibile, evidens, atque doctrina vera, & infallibilis, ſanè iſta illi non præſtabit. Hinc nihil eſſet neceſſaria doctrina vera, & infallibilis in Eccleſia.

Ais doctrinam falſam eſſe re ipſa falſam, cujus proindè error ſit imperfectio, & malum intellectus, ad quod vitandum neceſſaria fuit in Eccleſia regula infallibilis. Cæterùm primò hic eſſet error purè ſpeculativus ſicut geometricus, ex quo nihil mali, & labis in mores reſultaret: quarè nulla fuit neceſſitas magis, quam pro geometricis.

Rursùs dictum eſt, ſcientiam, doctrinamque moralem non eſſe, propter intellectum, & propter ſcire, ſed propter agere: quarè ſi in hunc finem tam utilis eſt error, quam veritas, jam hoc quoque inauditum ſequetur, quod error non ſit malum intellectus: nam bonum, & malum ipſius etiam intellectus menſurandum eſt per finem; ſicut bonum, & malum ipſius ſcientiæ moralis; quia nec intellectus ipſe ut cognoſcens res morales eſt propter ſe, ſed propter rectos mores: quarè ſi intellectus falſo cognoſcens æquè confert in rectos mores, æquè bonus exiſtet: quemadmodùm in ſpeculativis, quæ ſunt propter ſcire, ſi æquè benè res ſcirentur per cognitiones falſas, atque per veras, jam falſum delineret eſſe malum, & fieret bonum intellectus.

Atque hinc cernitur, errorem in doctrina morum non fore, ſicut nec errorem quidem geometricum. Nam error geometricus, & cujuſvis ſcientiæ ſpeculativæ privat intellectum ſuo fine, qui eſt ſcire veritatem. At error probabilis morum non privat fine moralis ſcientiæ. Rursùs error ſpeculativus non eſt ſupplementum ipſius ſcientiæ quoad finem ejus: error verò probabilis morum eſt ſupplementum ſcientiæ quoad totum finem ejus, qui eſt rectè dirigere mores. Miſeram planè ſcientiam, in qua tanti eſt ſcire, vel errare.

Jam ex his palam cernitur æqualitas authoritatis ſummi Pontificis, vel Eccleſiæ, & gravis Authoris in doctrina morum. Nam utraque authoritas reddit mores æqualiter rectos: & æquali infallibilitate: quia ex dicto cujuſlibet Authoris gravis formatur mox infallibile prorſus dictamen, & evidens de rectitudine morum habetur ergo totus finis æqualiter. Quod verò de errore intellectus, vel de peccato materialiter tali opponebatur, repulſum eſt, & oſtenſum, iſta eſſe abs re, & nihil præſtantiam, & bonitatem Authoritatis variare, vel diminuere, vel adaugere.

Ponamus duos Artifices, quorum unius omnes cognitiones eſſent falſæ; alterius autem veræ: ſed falſæ illæ talis ſint indolis, & naturæ, quibus eas habens tam bonas ſtatuas, vel domos fabricet, atque alter habens veras. Profectò diverſitatem illam veri, vel falſi homines nihil æſtimarent, & uterque eſſet æquè bonus ſtatuarius, vel artifex. Eſſent ſimiliter duo exercitus, & alterius arma eſſent aurea, quæ veritati comparentur; alterius verò ferrea, quæ comparentur falſitati. Si præliando, & vincendo æque ſint apta utraque arma, planè æquè bona arma erunt. Quin nec comparatio iſta æquat caſum noſtrum; quia aurum extra prælium in alios uſus deſervire poſſet, & præſtaret ferro: at cognitiones morales veræ alium uſum non habent, quam rectum regimen morum: in quo à falſis æquantur.

Imò vel major, vel mirabilior apparet authoritas gravis, Theologi. Eſſet qui arundineo gladio æquè hoſtem occidere ſciret, atq; alter ferreo: ſanè ille eſſet potentior; quia plus eſt poſſe cum infirmiori inſtrumento, ut patet. At Romanus Pontifex niſi per certas, eaſque veras cognitiones rectè infallibiliter mores noſtros dirigere nequit: Author autem gravis poteſt per opiniones, quæ infirmum quid, & debile ſunt, & à Philoſopho appellantur: poteſt rursùs per veras, & falſas. Major ergo & mirabilior eſt authoritas Theologi gravis.

Ubi denique in mentem ultrò venit omnium argumentatio probantium virtutem planè divinam in propagatione fidei ex debilitate, ac ineptitudine inſtrumentorum. Profectò nihil mirabilius eſſe videtur, quam poſſe per fallibilia, quin etiam per fallentia conſequi infallibiliter effectum. Opiniones porrò probabiles fallibiles omnes ſunt, quin actu fallunt plurimæ: & tamen per eas Author gravis infallibiliter mores rectè dirigit, quo plus per infallibiles Eccleſia conſequi nequit. Sanè iſta tam mira credere nunquam poterimus, & ſatius erit iſtas authoritates omittere, quæ revera in mundo non ſunt.

§. IV.

Ampliorem etiam faciunt authoritatem gravis Authoris, quam Eccleſiæ, vel Romani Pontificis.

RAtio eſt, quia ampliorem, ac univerſaliorem ſuæ infallibilitatis materiam, & campum, habet Author gravis, quam Romanus Pontifex, vel Eccleſia, vel ipſe etiam Deus.

Quod ſanè ita videtur demonſtrativè oſtendi. Amplior eſt, & univerſalior, & in probabilib. quidem duplò, vel fermè duplò amplior materia complectens vera, & falſa, quam complectens ſolùm vera. Sed Romanus Pontifex, & Eccleſia, & Deus ſolùm refundere poſſunt indefectibiliter honeſtatem morum in materia complectente vera probabilia: Theologus autem gravis in materia complectente vera, & falſa probabilia. Amplior eſt ergo, & univerſalior hujus authoritas.

Neque verò exiſtimes, iſtam ſpeculationem quandam eſſe, & metaphyſicam, quæ parùm, vel nihil mores noſtros, vitamq; concernat: nam plena eſt praxi, & eſſectu iſta major extenſio authoritatis doctrinalis. Bellum ſuſcitatur re ſaltem ipſa injuſtum, cum jure tamen utrinque probabili;

bili; nam Authores, & Doctores, quin & Academias pro ſe habet utraque pars, ut ferè ſemper accidit. Judex conſtituatur ſummus Pontifex, ut Paſtor totius Eccleſiæ. Quantis primùm conſultationibus res conſtat? Deinde nec ipſe, nec Deus ſi Judex fieret, utrique parti placere poſſent, ſed uni tantùm, & alteri diſplicere: unius ſimiliter bellum honeſtum reddere, non utriuſque. At gravis Theologus utrique ſimul dicere poteſt : *Non peccas, honeſtè agis*; atque hoc ſuo reſponſo infallibiliter & à peccato liberat, & honeſtatem refundit. Eſt ergo extenſio valdè practica, & expetibilis.

Quinimò libri morales aperiantur qui pleni ſunt probabilitatibus mutuis circa ſolutiones, & reſtitutiones, & uſuras, & ſimonias, circa juramenta, & vota, &c. In his omnibus, quæ propè infinita ſunt, Romanus Pontifex, & Eccleſia, & Deus, qui veritatem prætergredi nequeunt, illi ſolùm parti placere poſſunt, cui veritas adeſt illius ſolùm partis actus honeſtos doctrinaliter reddere: Author porrò gravis, & utrique ſimul placere, & utriuſque partis actus honeſtos doctrinaliter reddit. Eſt ergo extenſio, & amplitudo quædam immenſa, ſummè practica, & quæ hominum intereſt plurimùm.

Dixi in probabilibus eſſe duplo majorem. Etenim jam aliqui viæ contrariæ tuentur, omnem probabilitatem eſſe mutuam; & in praxi multi, quoties una concluſio, vel opinio non aſſeritur eſſe certa, ſed probabilis vel probabilior, per hoc ipſum intelligunt contradictoriam quoque eſſe probabilem. Ergo in univerſa collectione opinionum probabilium tot ſunt veræ, quot falſæ. Ergo materia complectens probabilia vera, & falſa, eſt duplò major, quam materia complectens ſolùm vera. Ergo authoritas refundens honeſtatem in tota materia complectente vera, & falſa probabilia, eſt duplò amplior, & major circa probabilia, quam authoritas alligata veritati, qualis eſt authoritas ſummi Pontificis, Eccleſiæ, & Dei.

§. V.

Ergo & authoritas indoctiorum eſt major, doctiorum autem minor, & doctiſſimorum minima.

HOc planè ſequitur, quod etiam ingens abſurdum videtur, & nunc eſt accuratè declarandum. Et primùm ex iis, quæ concedunt adverſarii, incipiamus, & mox ex dictis illativè id ipſum oſtendemus. Doctos autem voco non puros Collectores, ſed ipſius moralis ſcientiæ gnaros: ut v. g. doctiſſimus eſt S. Thomas, qui ullum vix unquam Theologum citat.

Concedunt itaque, ei qui demonſtrationem, vel certam cognitionem veritatis habet, non licere uſum probabilitatis contrariæ nec in conſulendo, nec in operando. Sed hæc demonſtratio, vel certa cognitio doctiorem eum reddit, non habente illam. Ergo augmento ſcientiæ, & doctrinæ diminuitur, ac reſtringitur doctioris authoritas; & è contra indoctioris authoritas eſt, & efficitur major, & amplior ex defectu ſcientiæ, & doctrinæ. Auge verò ejuſmodi vel demonſtrationes, vel certas cognitiones veritatis. Per hoc ipſum limitatur illius authoritas, & per contrarium creſcit authoritas minus ſcientis: & eadem graduatione, quod iterùm magis oſtenſive declarabitur, authoritas minima & limitatiſſima erit doctiſſimorum.

Præterea illativè ex dictis ſic oſtenditur. Deus, quia infinitè intelligens, & per ejus ſpecialem aſſiſtentiam Eccleſia, & ſummus Pontifex habent authoritatem reſtrictam ad veritatem, ut explicatum eſt. Quò porrò quis eſt doctior, & intelligentior, eò magis aſſimilatur Deo in ſcientia; & eò magis aſſequitur cognitionem veritatis : ergo eò magis reſtringitur, & ligatur ad veritatem, & Deus quidem ſummè ſapiens, ſummè ligatur, nec alia, quam vera docere, aut dicere poteſt; omnis autem alius, quò magis illius ſapientiam participabit, eo ligabitur magis, & quò minus participabit, eò ligabitur minùs. Ergo augmentum ſcientiæ eſt ſe ipſo coarctatio authoritatis, decrementum verò ſcientiæ, dilatatio, & extenſio authoritatis. Ergo indoctiſſimorum maxima erit authoritas, & doctiſſimorum minima.

Hinc eorum erit ampliſſima authoritas, qui nihil de re ipſa morali noverunt, ſed per hiſtoriam reflexam opinionum omnium probabilium docent, atque reſolvunt per illam regulam; *probabilis eſt, Authore, vel Authoribus non caret.* Contra verò ſi quis directè de rebus ipſis moralibus ſaltem opinetur, etſi juxta adverſarios poſſet contra opinionem etiam propriam conſulere, hoc tamen difficilius eſt, & apertè oppugnabitur: & deindè opinio propria ſemper nonnihil impedit, & multò liberiùs, ac ſine remorſu conſulit qui nihil opinatur. Sin verò res aliquas certò cognoſcere perveniat ut authoritare ſcripturæ & ſanctorum, & ratione etiam naturali adiuta per fidem plurimæ ſanè res morales in Eccleſia cognoſci poſſunt, jam tunc horum ad hanc perfectionem pervenientium limitatior, & minima erit authoritas : primorum autem illorum, qui prorsùs indocti, & expertes ſcientiæ exiſtunt, maxima erit.

Poſtremò id ipſum oſtenſivè declaratur, & probatur. Accipiamus enim Palum Apoſtolum ſcientiâ morali infuſa, aut etiam beata conſertiſſimum, qui proindè certiſſimò noverit omnes concluſiones morales. Illius ſanè minima eſſet authoritas, veritatis certa cognitione ſibi linguam prorsùs ligante : in omnibus caſibus utrinque etiam probabilibus ad unam partem ſemper immobiliter diceret *non*. A contrario hiſtoriam puram habens probabilitatum diceret *ſic*. Oſtenſivè ergò patet ſequi, ampliſſimam eſſe authoritarem parùm, vel nihil ſcientium (hiſtoria quippe illa non eſt ſcientia:) minimam verò ſapientiſſimorum.

Atque hoc pacto per circuitum conſequentiarum illud demùm conſecutum eſt mirabile, quod Theologi graves nimiam quidem ſibi auctoritatem uſurpaverint, tandem verò eam reddiderint minorem, quàm indoctiſſimorum. Jam ſcilicet notavi, gnaros opiniomum, & ipſius directæ ſcientiæ expertes doctos dici quidem, non tamen eſſe.

§. VI.

Hinc patet, cur indoctiores ſint magis expetibiles, doctiores autem faſtidioſi, & cur hi videantur paradoxi & pertinaces.

SUmus profectò homines in rebus humanis diligentes, & oculati; in rebus autem animæ valde pigri, & oſcitantes. Non quolibet amico contenti ſumus, non famulo quolibet, auriga, coquo Medico, Chirurgo. Haud ſanè dicimus: hic

auriga eſt, hic medicus approbatus: ergo bonus: ſed ulterius examinamus, diligenter inquirimus, pretium etiam perſolvimus: & ſic etiam de Advocato, de mercibus, de cibo, & potu &c. At de Conſultore, vel Confeſſore pietatis quodam prætextu quemlibet mox approbamus aliqui, quę ſanè mihi haud pietas, ſed negligentia rerum animæ videtur.

Primùm itaque, ut ad rem noſtram dicam, magis expetuntur minus docti; quia horum major eſt multitudo, quàm doctiſſimorum: faciliùs ubique occurrunt, & commodiùs multis de cauſis habentur: nam vel de ſola arte oratoria differens inquit *Auguſtinus: Aſſequuntur autem perpauci; agunt pauciores; clareſcunt pauciſſimi:* quod à fortiori de utraque Theologia tenet. Aliundè verò, licet Authores approbantes uſum probabilium, alii quidem docuerint, Confeſſorem poſſe graviter peccare ex defectu doctrinæ; alii etiam confeſſiones ipſas irritas, ac nullas eſſe: tamen ut in ſuperioribus notavimus, non diſtinxerunt, an requiratur probabilitas re vera talis, an purè exiſtimata ſufficiat; quin alibi, quod ad ſecundam partem Operis pertinet docent neminem peccare, niſi actu advertat, ſe peccare: at qui habet probabilitatem exiſtimatam, putat ſe habere probabilitatem: ergo non actu advertit, nec putat ſe peccare; imò putat, ſe habere, quod adverſarii aiunt ſufficere ad infallibile, & evidens dictamen de non peccato, & de rectitudine operationis. Quare ſi quilibet etiam indoctior mihi videtur bonus, & ſufficiens, ad quod exiſtimandum & pigritia & praxis multorum iuvant, habeo ſanè in eo, quicquid habere in abſolutiſſimo Theologo poſſem. Undè non mirum ſi non multùm ſapientiores conquirantur, & viri etiam Principes & ſupremi Magiſtratus quolibet aliquandò Ductore conſcientiæ & morum contenti ſint: qui intereà exquiſitè res alias ſuas examinant, & volunt omnia habere optima.

Rursùs verò habetur, cur indoctiores ſint magis expetibiles: quia ſcilicet eorum authoritas eſt amplior, & extenſior: & in plurimis rebus, in quibus ſciens à ſua ſcientia cogeretur dicere *non*, minùs doctus dicet *ſic* & in contractibus, & in iudiciis, in ſolutionibus, reſtitutionibus, &c. quod ſanè valdè homines expetunt, ſibi ſcilicet, & rebus ſuis indulgeri, manus liberas relinqui minùs coarctari: quemadmodùm quippe authoritas Conſultoris eſt amplior, ſic & talem Conſultorem habentis amplior relinquitur facultas.

Comparationem porrò non inſtitui de magis vel minùs ingenioſo, ſed de magis vel minùs ſciente, & docto. Etenim ingenioſior non ſciens non habet, unde ſua authoritas limitetur, ſi ipſa directa ſcientia morali caret; aliundè verò habilior eſt ad inveniendas, & combinandas probabilitates: quare illius potius authoritas erit ampliſſima & omnium abſolutiſſima.

Accipitur autem eos, qui certas aliquas cognitiones aſſecuti ſunt fore faſtidioſos: quia in iis rebus cogerentur dicere verbum faſtidioſum *non*, & quo plures eiuſmodi cognitiones haberent, eò eſſent faſtidioſiores & paradoxi etiam haberentur, & pertinaces, quia aliis ſubſcribentibus ſubſcribere nollent.

Ut verò iterùm ad S. Paulum redeam. ſi incognitus apud nos ageret, eſſet planè faſtidioſiſſimus, & paradoxus, & pertinax haberetur; quia ad omnes prorsùs opiniones falſas probabiles diceret *non*, & ſanè diceret immobiliter, & inflexibiliter quantacumque multitudine dicente contrarium. Sic etiam immobilem voluit eſſe Timotheum contra coacervatos etiam Magiſtros, & in Timotheo omnes nos inſtituit, ubi quippe non de tempore ſolùm Timothei, ſed de ultimis maximè temporibus agit.

Sed verò ſunt, qui immobilitatem in doctrina velut vitium reprehendant, adeò ſunt omnia confuſa. Scitur, quod & Philoſophus 7 *Ethicor. cap.* 2. *&* 3. *& lib.* 2. *magn. Moral. cap.* 7. notavit immobilitatem potius eſſe proprietatem ſcientiæ. Sciunt omnes ſanctos Martyres pertinaces habitos fuiſſe à mundo: Angelicæ naturæ perfectionem eſſe inflexibilitatem: hæreticos etiam, & damnatos obſtinatos eſſe. Adeò immobilitas magnæ virtutis, aut vitii proprietas eſt; ſed virtutis major, quia per ſe; erroris autem minor, quia ex ſuppoſitione. Hoc porrò totum diſcriminis vel tantæ virtutis, vel tanti vitii ex hoc pauco pendet, quod altera immobilitas ex veritatis cognitione ſit, altera verò ex errore. Tu hîc vide quanta ſit majeſtas veritatis. Evidenter autem conſtat, eos, qui parati ſunt jam affirmare, vel negare, & ità intellectualiter diſpoſitos nullam prorsùs habere virtutem intellectualem in talibus. Sic & nullam fidem ii ſectarii habent, qui ex Principis libito religiones commutant. Omitto hîc multa de Prophetis, qui omnes quoad mores nimis duri, & triſtes à populo habiti fuerunt, ac ſubſannaverunt etiam eos, & occiderunt.

§. VII.

Collatio authoritatis Pontificiæ, & Authoris gravis in concurſu.

HActenùs de authoritate Romani Pontificis, vel Eccleſiæ, & Authoris gravis ſeorſim, & minimè in concurſu, diſſeruimus. Dicetur itaque, quòd ſanè contradicta non eſt, in eo plurimùm excellere Pontificiam authoritatem, quòd ipſas Authorum etiam gravium doctrinas damnare poſſit, & nuper fel. recor. Alexander VII. damnavit quadraginta quinque opiniones morales: in quò certè concurſu prævalet authoritas Pontificia: & nemo Theologorum dubitare poreſt ſtandum eſſe ſummi Pontificis judicio, & ſententiæ contra quemlibet quantumcumque gravem Authorem.

Hæc utique veriſſima eſt Theologia, & in Eccleſia Dei perneceſſaria. Plurima tamen contra hanc authoritatem etiam in concurſu ſequuntur ex aliquorum de Probabilibus doctrina, & ex nimia illa, de qua diximus, authoritate conceſſa Authori gravi, vel Theologo: libabo hîc aliqua tradenda alibi, & mox, quod hujus loci eſt, oſtendam concurſum iſtum reddi otioſum, & ſuperfluum.

Omitto primùm murmura indoctiſſimorum aliquorum muſſitantium, vel obloquentium, bullas, & decreta etiam doctrinalia ſummorum Pontificum non obligare, niſi à regiis Senatibus approbentur; aliorum dicentium, ea ſolùm obligare in foro exteriori; aliorum ineptientium, neminem opinionibus ſuam intrinſecam quâ pollent, probabilitatem adimere poſſe: quibus tamen valdè in praxi impediunt vim, ac robur bullarum &

decreta

decretorum: & naſcuntur ex ignorantia, conferte que multùm falſa illa nimia exiſtimatio propriæ authoritatis, ob quam omnis Theologus, qui ſibi gravis videtur exiſtimat, dicto ſuo omnia reddi probabilia, & tuta; & certiſſimo vitari peccatum, ac mores reddi honeſtos.

Dicam deindè *part.* 2. de nimia facilitate interpretandi & bullas, & omne genus authoritatis. Illarum potrò robur rurſùs eſt illa nimia authoritas, qua creditur, cujuſlibet gravis Theologi interpretationem tanti eſſe, quâ mox infallibile, ac evidens dictamen formetur, de non peccato, & de honeſtate operationis. Si namque crederent ſe peccare poſſe etiam ſequendo gravem Theologum, pluris ſanè bullas illas facerent, & bene viderent quem & in quo ſequerentur, & alios, & alios conſulerent.

Præterea multorum eſt opinio, quam probabilem habent declarationes Eminentiſ. Cardinalium, & ſacrarum Congregationum eſſe velut opiniones probabiles ſolùm vel probabiliores, quæ relinquant partem contrariam probabilem. Quare ſi ſummus Pontifex non immediatè per ſe ipſum, ſed per ſuos Delegatos etiam Eminentiſſ. Cardinales agat, & Autor gravis dicit contrarium, habemus illicò infallibile, & evidens dictamen de non peccato, & de honeſtate. Fruſtratur ergo ſuo effectu tota ſolicitudo paſtoralis etiam in concurſu, ſi ſaltem ipſa per ſe ipſam immediatè non agat. Scilicet hoc nimis eſt verum, homines his in rebus aliud penſi non habere, quam eſſe à peccato liberos, & cœlum demereri. Mitto etiam hic neſcio cujus ineptiam, Bullam Pontificis exponentis dicendo, eum loqui juxta opinionem probabilem illius partis. Ex quo pars contraria probabilis maneret: quo uno omnes unà Bullæ corruunt. Adeò probabilitates iſtæ omnia tranſcendunt, & labefactant corroduntque.

Itaque ad concurſum opus foret, ut Romanus Pontifex per ſe ipſum immediatè ſententiam diceret. Hoc porrò eſt difficillimum, vel impoſſibile ſaltem reſpectu omnium, nam opiniones probabiles ſunt propè infinitæ: quando ergo examinari omnes poſſent? Naſcuntur præterea quotidiè: Theologi graves, vel qui ſibi & aliis graves videntur, ſunt innumeri: quomodò ergo ad omnes, & omnia in particulari dicat. Lata rurſùs ſententia, & edita Bulla, alii, & alii interpretantur, & interpretationum damnationes denuò explicabunt: & habetur mox in manu dictamen infallibile conſcientiæ. Valde ergo læditur, & labefactatur authoritas Pontificia etiam in concurſu.

Quandoquidem ergo ad omnes, & ad omnia ſigillatim dicere adeò eſt inacceſſum, ad curam Paſtoralem ſummorum Pontificum illud pertinere videtur, quod univerſali aliqua regula fideles à periculo removeant. Hoc autem jam demùm fecit nuper, fel. rec. Alexander VII. cujus ſcilicet nomine denunciatum eſt univerſis fidelibus, modum omnem opinandi ab Evangelica ſimplicitate, & ſanctorum doctrina alienum corruptelam potiùs afferre vitæ chriſtianæ, item viam ſalutis, quam ſuprema Veritas Deus arctam eſſe definivit, ſi dilatari contingeret, in perniciem fore animarum. Hæ ſupremi in terris Paſtoris voces, ſeu veriùs clamores ſuffecturi, viderentur, ut aures arrigeremus, videremuſque, qualem viam ſalutis compingamus, & quibus cum ſanctis opinemur. Cur verò nos quoque in hac 1. parte minùs utamur authoritate ſanctorum *quæſt.* 1. prolocuti ſumus, & copiosè 2. *par.* recompenſabimus. Scitur ſcilicet, quòd ipſis apertis conſtat, modum opinandi ſanctorum in moribus, fuiſſe continuo uſu ſcripturarum divinarum.

Jam quod loci hujus proprium eſt, oſtendamus, concurſum iſtum Authoris gravis, & Romani Pontificis opinionem illius aliquam condemnantis eſſe otioſum, ac ſuperfluum. Nimirùm oſtenſum fuit, finem totius moralis ſcientiæ, & omnis propriæ perfectionis illius eſſe morum rectitudinem, & honeſtatem. Hic proindè finis eſt etiam infallibilitatis Pontificiæ in doctrina morum: hic ergo etiam ipſe totius curæ Paſtoralis in doctrina morum. Et ſanè ſi oves ſalubriter paſcuntur, & tutò ſalvantur, quid ampliùs deſiderare Paſtores poſſunt? At opinione qualibet probabili, & Authoris gravis ſalubriter oves paſcebantur, quin per infallibile dictamen honeſtè agere poterant, nec magis infallibiliter honeſtè agunt ſequendo ipſam condemnationem Pontificiam. Quorsùm ergo condemnatio, & concurſus, & quorsùm ſolicitudo Paſtoralis ſaltem circa probabilia?

Ipſi adverſarii tradunt, multas olim probabiles opiniones factas eſſe improbabiles ſtudio, & labore poſterorum. Profectò labor non videtur laudandus: nam vel fideles ſequendo Theologos graves antiquos formabant dictamina infallibilia, & evidentia; vel non Fermè fatuum videretur dicere, fideles ſequendo eos Authores graves ea dictamina formare non potuiſſe: nunc autem poſſe. Formabant ergo, vel poterant. Cur ergo, & in quem finem fideles inquietavimus, & materiam eis reſtrinximus honeſtè operandi: Inquis, ut ſcirent veritatem ipſam. Sed hoc repulſum eſt.

Quin videtur, quòd noxia reddatur prohibitio Pontificia, & Theologorum etiam noxius labor jam ſemel probabilia reddentium improbabilia. In primis enim ut peccata vitentur, & operationes ſint honeſtæ non deſerviunt: erant enim per infallibile dictamen. Deindè verò periculum eſt quòd vel ex conſueto, & ex paſſione; vel ex ipſa difficultate rerum fideles qui honeſtiſſimè in iis probabilibus operabantur, ad eadem revertantur, & jam peccent, in quibus anteà agebant honeſtiſſimè. Qua de cauſa multæ opiniones extant liberantes Confeſſorem, & alios ab obligatione liberandi pœnitentem, vel proximum à ſua ignorantia, ne ſcilicet poſteà peccet, qui per ignorantiam non peccabat; quin conſultius aiunt, eſſe eum in ſua igoorantia relinquere. In hunc ergo modum prohibitiones opinionum probabilium prodeſſe in primis non poterunt: abeſſe autem poterunt, & afferre pericula peccatorum.

Dicis ſummos Pontifices, & Eccleſiam nullas damnare opiniones probabiles, ſed improbabiles: quare & ex illis quadraginta quinque nuper damnatis opinionibus nulla ulli Cenſorum viſa fuit probabilis, ut mihi quidam teſtabatur, qui probabilitatem plurimi facit.

Verùm hoc eſt ſanè ſatis mirabile, quòd Theologi poſſint anteà probabilia reddere improbabilia, ut hi ipſi fatentur: Romanus verò Pontifex nequeat, nec manum mittere in ſua probabilia. Rursùs ceſſabit omnis prelatio authoritatis Pontificiæ, etiam in concurſu circa probabilia, ſiqui-

dem tangere illa nequit. Conſtabit itaque doctrinaliter *lib.2.* Romanum Pontificem poſſe dsmnare hoc genus probabilia.

Quod ad quadraginta quinquc damnstas opiniones teſpondetur, valdè ſuperficiale eſt. Nobis, ait, non ſunt viſæ probsbiles. Sed oportet aliorum etiam mcminiſſe. Nam vel illæ aliis videri potuerunt probabiles; & tunc ſuperflua eſt damnatio, quis honeſtiſſimè operabantur; vel nullis videri poterant probabiles? & tunc iterùm ſuperflua eſt damnatio; quia nemo per eas aecipe-retur, & omnes ſcirent, eas non eſſe, probabiles, & ſe peccaturos juxta illas opetando: hoc sutem idem, & nihil amplius ſciunt per condemnationem. Quorsùm deindè cura Paſtorslis moraretur in examine earum opinionum, quæ nemini futuræ eſſent probsbiles?

Hoc idem quæto de omnibus doctrinis moralibus hactenùs damnatis, & damnabilibus. Vel videri illæ potuerunt, & poterunt probabiles & tutæ, ex quibus etiam infallibilia es dictamina progerminent, vel neque potuerunt, neque poterunt? Utrovis conceſſo, omnis condemnatio, & cura Paſtoralis circa morum doctrinam redditur otioſs, & ſuperflua. Nobis, inquis, non ſunt viſæ probsbiles. Quid verò? an ſuis ſaltem Authoribus non ſunt viſæ probabiles? an non ſuis ſectariis; an non iis, qui Authores eos maximi ducunt? an non in doctoribus multis?

Oculatiores profectò exiſtunt Romsni Pontifices, & quoties doctrinas damnant, omnium ſuorum Prædeceſſorum exemplo, & doctrina ſcripturæ, & ſanctorum directi id timent, & cavent, ne oves per eas doctrinas deceptæ peteant, ue *par.2.* conſtabit Hoc nuper præmiſſum fuit ad quadraginta quinque opinionum condemnationem ſcilicet *compluret opiniones*, &c. *& animarum perniciem inferentes, partim antiquatas ſuſcitari, partim noviter prodire*: & iterum srctam ſalutis viam *in perniciem animarum, &c.* Hanc animarum perniciem vitare finis totus eſt curæ Paſtoralis in condemnationibus doctrinarum. Si nulli eæ videndæ eſſent probabiles, nulli illæ inferrent perniciem.

Jam ex his concludamus. Ergo tota quanta curs Paſtorslis in doctrina morum, & omnes, & ſingulæ condemnationes demonſtrant, probsbilitatibus, & Authoribus gravibus id privilegii non competere, quod elici mox poſſit dictamen infallibile non peccati, & non perniciei animarum.

QUÆSTIO VIII.

Vtrum abſurdum ſit, & contra lumen naturæ, quod hac via probabilium ſe ipſam per ſe ipſam defendere vellet dicendo, quæcumque opponantur, ſe manere probabilem.

HAnc impugnabilitstem nullus Author huic viæ adſcripſit: quin conſtabit, hanc defenſionem eſſe contra mentem, & facta ſapientium omnium. Occurrerunt tamen alii tam Logicæ, quàm Theologiæ ignari, eoque magis intrepidi, qui hinc laborem noſtrum, & quorumque aliorum non damnarent modo, ſed etiam riderent tanquam prorsùs vanum, & inutilem.

Aiunt enim, quæcumque à nobis, vel ab aliis quantiſcumque allegentur, & opponantur, fieri non poſſe, quin opinio docens, licere uſum quarumlibet opinionum probabilium remaneat, ſuperſitque probabilis. At hoc uno ſuperſtite omnis in contrarium labor, & libereſt inutilis. Reſumetur namque continuò, omnibus oppoſitionibus non obſtantibus opinionem illam eſſe probabilem: st ut ipſs ponit, licet uſus cujuſlibet opinionis probabilis: ergo licebit uſus hujus ipſius opinionis univerſaliter tradentis, licere uſum omnium, & qusrumlibet opinionum probabilium.

Quærunt ergo quid moliamur? Anne ſententiam, quam ferè omnium, & totius mundi ipſi vel credunt, vel dicunt, reddere, & oſtendere improbabilem? Et rident. An probabilitare ſuperſtite, quidqusm circa conſultationes, & humanas operationes proficere? Et rident; nam hoc ſibi eſt principium probsbilitatem eſſe tutam, ac rectam tegulam conſcientiæ, & humanorum actuum.

§. I.

Objecta hæc impugnabilitas declaratur magis ex doctrina celebris Authoris.

HIc eſt Illuſtriſſimus Epiſcopus Campsnenſis. Quærit itaque, quæ & quanta tequirantur ad hoc, ut quis rem aliqusm in ſpecie, aut operationem poſſit pronunciare eſſe illicitam, & percriminoſam? Eadem porrò eodem fermè jure requirent ipſe, & alii ad hoc, ut quis viam univerſalem uſus probabilitatem poſſit illicitam pronunciare. His autem ab hoc Doctore requiſitis, quæ continenter profero, praxis multorum conſentire videtur.

Reſpondet ergo, eum qui tantum facinus eſt sggreſſurus, id eſt, pronunciaturus, aliquid eſſe illicitum, & peccaminoſum, ad multa teneri. Primùm oſtendere debet, rationes ſuas eſſe demonſtrativas res liter, vel moraliter. Secundò debet oſtendere rationes contrarjas ſecundum morslem prudentiam conſideratas, nec quidem probabiles eſſe: quod faciet ſi omnibus dederit ſolutionem, quæ evidenter ſit vera. Tertiò debet oſtendere evidenter, psrtem contrarism non habere ſufficientes Authores. Hæc omnia (Concludit) debet ſimul facere, caſurus causâ etſi duo ex illis demonſtrativè oſtendat. Ecce quants requiruntur ad dicendum, sliquid eſſe illicitum: & intereà unus, vel duo non ſolùm dicere, ſed facere, ac reddere licitum poſſunt dicto ſuo. Dicent ergo eodem fermè jure, hæc ſimiliter tria ſimùl requiri, ut nos utiliter impugnare poſſimus, opinionem univerſalem approbantem omnia probabilis, uſumque illius pronunciemus illicitum.

Hæc porrò non ſolùm ſimul omnia, ſed & ſingula ſunt factu impoſſibilia, non modo nobis, non modo Auguſtinis, & Hieronymis, ſed niſi fsllor, ipſis etism Angelis Dei. Nam ut à tertio requiſito exordiar, ipſi putant ſufficientes Authores unum, vel duos, vel quatuor. At hos, & plures habet jam, & habuit ea via: factum autem infectum fieri nequit, nec à Deo glorioſo, &c. non deſit qui ei tribuat potentism expræticandi, ut loquitur,

Deindè quoad demonſtrationes, & ſolutiones evidentes, quærimus, cui vel quibus ſit demonſtrandum, & oſtendenda evidentia ſolutionum? an omnibus, an aliquibus? an multis, an paucis, & quibus? Si omnibus eſt demonſtrandum, nemo hominum hoc conſecutus eſt: ſcholæ integræ per ætates multas concertant; & neutra ceſſit, nec ſibi demonſtratum eſſe confeſſa eſt. Hoc ergo eſt impoſſibile, id eſt nunquam fiet. Sin autem omnibus non demonſtretur, ſed vel paucis, vel multis, tunc vel multi, vel pauci reliqui reclamabunt, atque reſiſtent. Horum proindè pars habebitur probabilis. Nihil ergo fiet.

§. II.

Aſſerta hæc in impugnabilitas eſt contra mentem, & facta ſapientium omnium.

SApientium, inquam, etiam eorum qui tradiderunt, licere uſum opinionum probabilium. Hoc autem luce meridiana clarius conſtat ex eorum integris libris, & voluminibus, quæ plena ſunt aſſertionibus dicentibus, hoc, & illud, & illud eſſe illicitum & peccaminoſum; idque dixerunt, & pronunciarunt ſciendo pro parte contraria adeſſe Authores illos, qui ad faciendam Probabilitatem ſufficere exiſtimantur. Et tamen, & ſæpè numero dixerunt, & pronunciarunt contra eos, aſſerendo eſſe illicitum, quod ipſi licitum tuebantur: & non ſolùm dixerunt, ſed integras quæſtiones, & diſputationes compleverunt; argumenta cumularunt fundamenta contraria diſiecerunt. Jam autem exiſtimare non poterant, ſe interimere, quin etiam expræterizare poſſe Authores illos contrarioa: rursùs nec ipſi exiſtimarunt; nec nos niſi inverecundè dicere poſſumus, tantorum virorum libros, & diſputationes extitiſſe inutiles, ac vanas. Ergo dictis, & factis, ac tota vitæ ſuæ ſerie clamant contra adſtructam iſtam inimpugnabilitatem tum opinionum moralium particularium probabilium, tum univerſalis opinionis reflexæ tenentis licitum uſum probabilium quorumcunque.

Sed forte arbitrati ſunt, ſe in ſingulis, & in omnibus attuliſſe demonſtrationes reales, vel morales. Hoc viri docti arbitrari non poterant: ſciebant, ſe ſæpè verſari non in materia ſcibili, & demonſtrabili, ſed in opinabili, & probabili: ſciebant hujuſmodi eſſe materiam moralem magna ſaltem ex parte, ut Ariſtoteles Ethicorum principio tanquam rem manifeſtam præfatus eſt: quin hoc maximè omnium ſupponunt, & deprædicant tam hi, qui opiniones probabiles modo dicto inimpugnabiles reddunt, quam illi omnes, qui uſum opinionum probabilium tuentur eſſe licitum; aiunt enim nos Angelos eſſe, ſed homines; in rebus pleriſque certitudines, & evidentias aſſequi non poſſe; ideoque licere uſum probabilitatis. Ergo dum ea volumina conſcripſerunt, haud exiſtimarunt ſe afferre demonſtrationes, & evidentias etiam morales ſemper, aut ſæpè. Et tamen utilem exiſtimarunt laborem ſuum, & tot quæſtiones, ac diſputationes, in quibus aliud non egerunt, quam probare, aliquid eſſe illicitum. Ergo etſi adſint Authores in contrarium, & deſint demonſtrationes, & certitudines & evidentiæ utiliter oppugnantur opiniones morales probabiles ex ſenſu indubitato Authorum omnium: Inquam Authorum, & non compilatorum, qui aliud non agunt, quam utrinque referre opiniones, & Authores: mox utramque partem probabilem, ac tutam dicere: tum quaſi peracto negotio ad aliud tranſilire. Hic mos non eſt Authorum, & repugnat ex toto Vazquiis Suareziis, & uno verbo omnibus, qui docuerunt, & affirmarunt directè, & negarunt.

Si quandò verò, aut ſæpè rem aliquam moralem ſcibilem, & demonſtrabilem aut ex divinà aliqua authoritate infallibilem verſati ſunt; nec tunc quidem ſperare poterant, ſe demonſtraturos omnibus, ipſiſque auditis conſenſuros eſſe omnes, ac tacituros. Satis eſſet imprudens, & à cordatis viris aliena hæc ſpes rei nunquam, vel rariſſimè (ſi quando tamen) contingentis. At ſi omnibus non demonſtrarent, ſemper vel ſcholà contraria, aut Authores alii repugnaturi prævidebantur, quod ſecundum uſum & malam intelligentiam aliquorum maximè horum, qui ſeſe inimpugnabiles conſtituunt, ſufficeret ad probabile, & tutum, quo proindè labor totus ipſorum redderetur otioſus, & vanus. Ergo ſapientes, & Authores graves, qui etiam probabilia approbarunt, hac via non inceſſerunt, ex qua fieret, ſe fruſtrà, ac vanè libros ſuos, ac volumina ſcripſiſſe; & ſi alia concordia non ſupereſſet, prius retractaviſſent opinionem ſuam de uſu licito probabilium, quam hoc aliud, vani laboris conceſſiſſent: mallent quippe in una aliqua quæſtione, quam in omnibus deceptos eſſe: decipitur autem, qui in rebus valde laborioſis omninò inutilibus vitam totam inſumit, nec unquam concedet ullus prudentium.

Ex ipſorum ergo claris documentis, quæ hi etiam inimpugnabiles quibus cum modò agimus, ultrò acceptant, conſtat evidenter, ad probabilitatem quam ipſi ad conſcientiam ſufficere docuerunt poſtulari indefectibiliter fundamentum aliquod grave, magni ponderis, roboris, &c. Quare juxta ipſos ſi opinio aliqua habuerit multos etiam Authores fundamento tamen levi, vel nullo moti ſunt, deeſt tunc probabilitas ad conſcientiam ab ipſis requiſita. Ergo qui oſtenderit, opinionem aliquam probabilem (aut talem habitam, non niti ullo fundamento gravi ſatis, & omninò utiliter eam impugnavit, pronunciareque poteſt, rem illam eſſe illicitam.

Sed hic ſunt duæ difficultates, quæ nullæ ſanè ſunt in doctrina vera, à nobis *lib.* 2. *&* 3. tradenda, & exponenda; in principiis tamen Authorum, qui probabilium uſum licitum tradiderunt; vim facere videntur.

Prima difficultas eſt, quibus oſtendere debeat, qui aliquid aſſerit eſſe illicitum, fundamenta contraria eſſe levia, an omnibus, án aliquibus? Omnibus non poterit. Aliquibus non ſufficiet. Reſpondeo, oſtendere debet rectè ea in re judicantibus ſive multis, ſive paucis. Quæris: qui ſunt iſti? Reſpondeo, in omni contradictione (quod toto opere conſtabit) ſolum rectè judicant Authores unius partis ſive multi, ſive pauci: & contrarii decipiuntur, & ignorant, vel errant ea in re ſive multi, ſive pauci. At ais: hi, qui decipiuntur, nihilominùs contradicunt: remanebit ergo pars eorum probabilis. Reſpondeo: videbitur ipſis remanere; ſed non remanebit: nam Authores, pro quorum honore, & concordia diſputo requirunt

fundame-

fundamentum grave: at in caſu ſupponimus deeſſe, licet contrariis qui ea in re ignorant, vel errant, videatur eſſe grave, ut omni leviſſimè, & imperitiſſimè opinanti ſua fundamenta videntur gravia.

Hinc ſi re ipſa fundamentum, quo aliquid dicis eſſe licitum, eſt grave, benè dicis, & contrarius malè dicit, licet utrique videatur ſe bene dicere. Si re ipſa grave non eſt fundamentum tuum, tu malè dicis, & contrarius benè. Et conſcientia tunc tua erit erronea, ſi opereris, ſi eſt invincibilis error, non peccas; ſin minus peccas, ut toto opere exponetur. Quando porrò quis rectè, & verè opinatur, tunc ſuus labor confert, ut tua tibi ignorantia auferatur. Quarè ille optimè, & utiliter per ſe loquendo pronunciat, rem illam eſſe illicitam, etſi tibi, aut aliis per accidens, & tuâ fortè culpa non ſit profuturus ejus labor: ad modum, quo nihil nobis proſunt auxilia ſufficientia; utiliter tamen à Deo glorioſo conferuntur, & de abuſu judicabimur, ſicut judicabimur etiam de non uſu, & profectu bonarum opinionum. Hæc melius intelligentur decurſu.

Secunda difficultas eſt in quo gradu oſtendere debeas fundamentum contrarium eſſe leve, vel nullum? an demonſtrativè, & certitudinaliter, an minus? Primum non fiet: ſecundum non ſufficiet. Ne in aliena cauſa plus immorer, reſpondeo breviter, debere oſtendi ſatis. Sed quæris, quid eſt ſatis? Reſpondeo, ſatis tunc oſtendi, quandò ea adducuntur, quibus intellectis nemo, qui ea in re nec ignorat, nec errat, reputare pro gravi poteſt fundamentum contrarium. Hæc ſatis in cauſa non noſtra, quæ *lib. 2. & 3.* clariùs intelligentur.

Atque hoc, vel quid ſimile invenire, reſpondereque debent omnes in caſu, in quo unus, vel duo, vel plures inducerent opiniones aliquas morales re ipſa improbabiles, quæ tamen ipſis, ut accidit, non probabiles modò, ſed etiam veriſſimæ, certiſſimæque viderentur: An eas utiliter impugnare non poterimus? an pronunciare non licebit, rem illam eſſe illicitam? Recursùs autem ad demonſtrationes, quibus etiam ipſi illi contrarii conſentirent, & obmuteſcerent, eſt vanæ plerumque ſpei. Quo ergo modo contra eas re vera improbabiles opiniones utiliſſimè ſcriberetur, & vitium eſſet eorum, quod labor ipſis non prodeſſet: ita utiliter ſcribitur contra omnes eas opiniones, quæ re vera fundamento gravi deſtitutæ ſunt.

Utiliſſimè porrò omnium impugnari, poteſt opinio univerſalis reflexa approbans uſum quarumlibet opinionum probabilium ſine diſtinctione probabilium. Primò quia ipſi Authores probabilitatum docent, opinionem aliquam non eſſe probabilem probabilitate conſcientiæ, ſi illius Authores latuit magnum aliquod inconveniens. Nos autem oſtendemus, multa ſumma inconvenientia ab illis aut non viſa, aut prætermiſſa fuiſſe. Rursùs ſperamus falſitatem illius viæ oſtendendam eſſe certitudinaliter, & demonſtrativè.

Quòd ſi in evidentia ſolutionum inſiſtatur; jam impunè regnare poterunt hæreſes. Eſt enim fere omnium veriſſima ſententia, argumenta hæreticorum, ut Arii contra Trinitatem, Neſtorii contra myſterium Incarnationis, Pelagii, & Calvini contra concordiam libertatis, & gratiæ, ac rerum ſimilium, quas quippe captivando intellectum jubemur credere, non poſſe ſolvi evidenter: ſatis eſſe ſi conſtet à Deo eſſe dicta, & difficultates probabiliter ſolvantur. Et quis non videt, aut neſcit argumenta Zenonis contra motum nondum eſſe evidenter ſoluta: multa vera difficiliùs defendi quam falſa, quin vias ignorantium eſſe plerumque faciliores.

§. III.

Logica demonſtratio contra prætexam inimpugnabilitatem.

DIcebant itaque iſtam univerſalem opinionem, quæ omnes opiniones probabiles dicit eſſe tutas, ſemper remanſuram tutam; quia quantacumque peracta oppugnatione, ſemper permanebit probabilis: at ipſa ponit tutas omnes opiniones probabiles: ipſa ergo per ſe ipſa ſemper permanebit tuta, & invicta, & utiliter inimpugnabilis.

Hæc opinio eſt earum, quas inopinabiles vocat Ariſtoteles 4. *Metaph.* quas ſcilicet nec illi ipſi, qui ore eas pronunciant, corde credere poſſunt. Etenim ſi ea eſt inimpugnabilis cur ipſi, cum illam nos, aut alii aggredimur, pro ea defendenda ſcribunt, & laborant? Habeat Princeps arces inexpugnabiles, aut milites immortales. Certè nihil pro defenſione laboraret, ut Auguſtinus contra Aſtrologos arguit in ſimili: quod ſi laboraret, factis ſuis convinceretur, ſe non credere, arces ſuas eſſe ſe ſolis inexpugnabiles, nec milites immortales. At adverſarii noſtri laborant pro iſta ſua cauſa tuenda, ac defendenda, ut eſt factum notorium. Non ergo corde credunt, eam eſſe utiliter inimpugnabilem.

Nunc ad demonſtrationem logicam, non quam omnes capiant, ſed quæ re ipſa talis ſit. Omnis diſputatio, & defenſio in infinitum procedens eſt vana, & fatua, ut omnes videntur conceſſuri, & liquet ex principiis Logicæ, & Metaphyſicæ de reſolutione omnis probationis, & defenſionis ad aliquod immediatum, & primum, in quo ſiſtatur. Sed iſta propoſita defenſio, & modus ejus procedit in infinitum. Quod nunc eſt demonſtrandum. Sed quia materia eſt obſcura, & difficilis propter reflexiones, ne reddatur obſcurior, omittam formam ſyllogiſticam.

Opinio, & aſſertio à nobis impugnanda eſt iſta: *Licet ſequi omnem, & quamlibet opinionem probabilem:* Et vocemus iſtam aſſertionem *A*, ne cum aliis mox ponendis confundatur. Aſſertio iſta habet pro objecto omnes opiniones probabiles: non affirmat, eas eſſe veras, aut falſas; nec item affirmat, eas eſſe probabiles, ſed ſolum enunciat, eas, ſi probabiles fuerint, eſſe licitas, & tutas.

Jam ſimiliter nec de re ipſa enunciat, ſe eſſe probabilem, ſed ſicut de reliquis in univerſali, de

ſe quoque aſſerit, ſe fore tutam, ſi fuerit probabilis. Hinc conſequenter ad ſui uſum licitum, & validum opus habet alia aſſertione reflexa, quæ ipſam *A* pro objecto habeat, atque de illa enunciet eam eſſe probabilem, probabilitate ſcilicet conſcientiæ (de qua eſt ſermo) & iſtam ſecundam reflexam vocemus *B*.

Iſta ergo ait, opinionem *A* eſſe probabilem probabilitate conſcientiæ. Hoc aſſertum nos negamus, & ejus falſitatem intendimus toto opere, intenduntque alii multi ſuis operibus.

Nunc quæro, vel aſſertionem *B* vis ſuſtinere, & defendere tamquam veram? vel præſcindendo à vero, & falſo vis illam defendere ſolùm ut probabilem dicendo, quidquid afferatur, ſemper aſſertionem *B* manſuram probabilem? & hæc eſt via à te inſtituta. Si de vero, & falsò defenſionem inſtituas, tunc directè ad argumenta reſpondendum eſt, & omittenda iſta reflexa inimpugnabilitas per probabile: patet enim, diſputationem de verò, & falſo non eſſe diſputationem de probabili, vel non probabili, cum maximè in via iſta contradictoria, ac proinde vera falſa ſint æqualiter, & probabilia.

Omittis ergo diſputationem, an aſſertio *B* ſit vera, & falſa, & te defendis dicendo aſſertiones tam *B*. quam *A*. ſemper manere probabiles probabilitate conſcientiæ. Nos dicimus, neutram eſſe probabilem probabilitate conſcientiæ; imò de hoc uno ſunt omnes controverſiæ præſentes de probabilibus. Ad hanc proindè noſtram negationem reſpondendum eſt per aſſertionem aliquam, qua dicatur, aſſertionem *B*, remanſiſſe probabilem. At ſicut aſſertio *A* non dicebat de ſe nec in univerſali, ſe manſiſſe probabilem, ita nec aſſertio *B*, id de ſe affirmat, ſed ſolùm affirmat de *A*, illam poſt omnia adducta remanſiſſe probabilem. Ergo ſicut aſſertio *A* indiguit aſſertione reflexa *B*, quæ poſt omnia contra eam adducta diceret eam probabilem, nec ipſa de ſe ajebat ſe eſſe probabilem: ita aſſertio *B*, indigebit alia reflexa *C*, quæ ipſam pro objecto habeat, & enunciet, eam eſſe ſemper probabilem. At eadem erit ratio de *C*, quæ indigebit alia & ſic in infinitum.

§. IV.

Aliter demonſtratur.

ASſertiò illa *A* non affirmat, ut dicebam, opiniones probabiles omnes eſſe veras, quin ſupponit innumeras, utpote inter ſe contradictorias, eſſe falſas. At vel aſſertio *A*, vel eam pronuncians, ſignatè vel exercitè, formaliter, vel virtualiter de ipſa dicit eſſe veram.

Atque hoc lumine naturæ notum eſt omnibus hominibus; idcirco quilibet etiam idiota aliquid affirmans pro injuria habet, ſi ei dicatur, *mentiris, aut falſum dicis*. Ideò ſimiliter & in ſchola, & in foro, & ubique rideretur, ſi quis aliquid enuncians nollet dictum ſuum tanquam verum defendere, ſed appellaret ad probabile dicendo dictum ſuum eſſe probabile: nam quilibet aliquid enuncians tenetur de vero, nec ſatisfacit per probabile. Deindè admiſſo hoc recurſu, quo ait dictum ſuum eſſe probabile, tenetur ſaltem hoc dictum quo ait, ſuum primum dictum fuiſſe probabile, tueri, ac defendere tamquam verum. Quod ſi in ſecundo etiam recurreret ad probabile, patet, hac via procedi in infinitum, quod fatuum eſt.

Hinc liquet, quod enuncians aſſertionem illam *A* tenetur ad eam tuendam tamquam veram. Quod ſi nolit, & appellet ad ejus ſolam probabilitatem, patet, quod ſaltem hoc ſuum ſecundum dictum tenetur tueri tamquam verum; nec ſe ſatis defendit per aliud probabile; quin abſurdo labore procedit in infinitum de probabili in probabile ſine fine.

Ex quo clarè conſpicitur, abſurdam, & ineptam eſſe eam formam inimpugnabilitatis, qua aſſertio *A* defenditur prætermittendo diſputationem de illius veritate, vel falſitate, & confugiendo ad probabile aliud reflexum, & à vero, vel non vero præſcindens. Quin hac via indiget ad ſui defenſionem, & conſtantiam proceſſu infinito; qui cum poni non poſſit, indigebit ad ſui defenſionem aliquo impoſſibili: ergo per hoc ipſum, quod ſe ponit ſic inimpugnabilem, erit impugnata, & interempta, cum ad ſui ſalutem, & vitam opus habeat remedio impoſſibili, ac interminabili.

Hoc genus defenſionis ſimile nec habet, nec habuit in ſcholis, nec in libris. Nuſpiam illud uſurparunt viri ſapientes, ne quidem illi, qui probabilitates approbarunt, ſed directè, & de vero & falſo omnes ſuas diſputationes inſtituunt, & dirimunt. In eandem fermè formam quis ſe vendere poſſet inimpugnabilem dicendo, omnia ſua dicta hoc ſolo, quod ſua ſint, eſſe aut vera aut probabilia: qui planè rideretur. Eodem modo quoties de juſtitia alicujus belli, vel cauſæ alterius hinc, & hinc contraria conſcribuntur, ceſſandum diceretur ab impugnatione, cùm probabile alterius partis, quæ ſæpè integrum regnum pro ſe habet, non plus poſſit auferri quam probabile hujus opinionis, quæ probabilia omnia ſine diſtinctione approbat.

Quandò autem tibi exprobrabunt, te inutiliter in ea oppugnanda laborare, tu diſtingue: ſi S. Thomas, Scotus, & Suarez, & Cajetanus, & Authores omnes, & homines inutiliter laborarunt, & laborarunt in multis quoquomodo probabilibus rejiciendis, concede, & prætermitte, te vanum eſſe, & fruſtrà laborare cum omnibus ſapientibus, quin cum omnibus hominibus. Sin minus nega; nec adverſarius quidquam dicere contra te poterit, quin omnes ſapientes, & libros tanquam otioſos redarguat: & tunc fit ridiculus.

Dixi verò in prima parte factæ demonſtrationis, aſſertionem *A* de ſe non dicere, ſe eſſe probabilem: intellige, id eſt, non hoc ſolùm dicit nec adſcribit ſibi probabile præſcindens à vero. Affirmat modo dicto, ſe eſſe veram, & per hoc habetur tanquam probabilis: præſcindendo autem ab aſſertione veritatis, nihil ipſa dicit de ſua probabilitate, & opus eſt alia, & alia aſſertione in infinitum.

QUÆSTIO IX.

Utrum ergo per ſententiam gravium Authorum uſum probabilitatis approbantium, nihil juvetur praxis, & conſuetudo aliquorum quaſlibet librorum opiniones conſectantium.

VTiliſſimam futuram exiſtimavi iſtam authoritatis multorum Doctorum gravium à praxi, & conſuetudine aliorum ſeparationem. Hi enim

inde

indè ſibi & authoritatem, & fidem conciliant, quod vel exiſtiment, vel dicant, ſe in ſua praxi, & modo teſolvendi caſus conſcientiæ ſequi authoritatem eotum magni nominis Doctorum: accipiunt ſcilicet libtos morales ſaltem non prohibitos quoſlibet, ſupponuntque, eorum opiniones ſaltem non notatas omnes eſſe probabiles. Subſumunt mox, per eos graviſſimos Authores licere quodlibet probabile. Concludunt ergo, licere hæc omnia, quæ in libris inveniunt, ſaltem non notata. Atque hic mos, & uſus invaluit ſanè plurimùm.

Quarè quoties caſus conſcientiæ teſolvendus occurrit, ſatis actum exiſtimatur, ſi unum, vel duos Authores, vel librorum ſcriptores invenias, & alleges, quo facto res mox dicitur probabilis: mox inde licita, & honeſtiſſima; quin evidens, & infallibile dictamen conſcientiæ formatur de non peccato, & de non honeſtate operationis. De quarum rerum falſitate toto opere,

§. I.

Conclusio affirmans.

AFfirmans, inquam, nihil hunc uſum, & praxim juvari per ſententiam eorum Authorum gravium, probabilitates approbantium: quin eorum toti menti repugnate praxim iſtam videndi ſummas, vel libtos, & mox eorum opiniones quaſlibet ſaltem non notatas in uſum, & in actus humanos convertendi. Quare qui ita vel conſuluut, vel operanrur, videant, quos duces habeant; nam ſi quos ſe habere putant, non habent, manifeſtè convincetur, ſe inconſideratè prorsùs. hanc viam diſcipulis, & indoctis omnibus tam obviam arripuiſſe.

Concluſio probatione alia non indiget, quam ſola hiſtoria facti. Authores itaque illi graves v. g. Medina, & Vazquez (eadem eſt ratio Authorum omnium) aiunt licere uſum cujuſlibet opinionis probabilis. Quid verò per probabile intelligerent, ſatis declaratum omnes unà reliquerunt.

Omnes una illi dixerunt, ad probabilitatem, quam ipſi ad conſcientiam ſufficere docuerunt, requiri inevitabilitet quod opinio, cujus uſus licitus eſſet, niteretur ratione aliqua, & fundamento gravi: alii magni ponderis, magni robotis alii nuncuparunt, & in idem convertibilibus vocibus locuti ſunt. Conceptis verò verbis ab hac probabilitate compingenda excluſerunt rationes leves, ſuperficiales paradoxas, ſophiſticas, & hoc genus cætera. Atque hæc nunc de probabilitate à ratione, ſeu ab intrinſeco.

Jam ipſi nunquam dixerunt, nec ſomniarunt, libros omnes, & ſummas eſſe graves, nitique fundamentis gravibus. Rursùs nuſpiam dixerunt, nec ſignificarunt, ipſos etiam libros, doctos, & graves in omnibus, & ſingulis quæſtionibus niti ratione, & fundamento gravi, nihilque inconſideratius, aut leviùs exciſum eſſe. Hoc inquam, ubi, vel quando dixerunt?

Quin dictis, & factis contrarium ſuppoſuerunt. Primò per ſuas excluſivas removendo à probabilitate conſcientiæ omnes rationes leves, ſuperficiales inconſideratas: quod ſi nullas hujuſmodi dari arbitrati fuiſſent, omninò vana fuiſſet cautio iſta, & diligentia. Secundò quia ſi in mente eorum hoc fuiſſet, expeditiùs, & utiliùs dixiſſent uno verbo, omnes opiniones ſaltem non notatas librorum eſſe probabiles, & tutas. Hoc nec omnes dixerunt, nec unus, nec ſub his terminis, nec ſub aliis. Non ergo; tam amplum, expeditumque documentum, quo uno omnes ſcrupuli amoverentur, in mente ſua habuerunt.

Tertiò, nec habere ſanè potuerunt. Quia ad id tutò dicendum opus fuiſſet, quòd ipſi eatenùs editos libros omnes, & ſingulos in omnibus, & ſingulis exactè noſſent, & trutinaſſent: quod nec ipſi aiunt ſe feciſſe; & cum de omnibus iis Authoribus videatur apertè falſum, de aliquo etiam uno vix credi poteſt certè opus erit poſitiva probatione in re tam ardua, & ſingulari. Dato deindè, quod unus aliquis omnes, & omnia ſic trutinaſſet, ut in ſimili loquitur Auguſtinus, an omnes eſſent, an libri aliqui ſibi ignoti ſupereſſent, ſcite non potuiſſet. Ergo nullus Authorum gravium dixit, nec cordatè dicere potuit omnes eatenùs editos libros in omnibus, & ſingulis niti eo fundamento gravi, quod ipſi ad conſcientiam uno omnes ore poſtularunt,

Quartò, quia quidquid de eatenùs editis libris arbitrati fuerint, de futuris certè poſt ipſos mortuos judicium ferre non potuerunt, nec dicere, omnes in poſterum edendos libros fore graves & fundatos: nullum proditurum levem, ſuperficialem, indoctum, paradoxum, ſophiſticum. Ad hoc opus fuiſſet divina revelatione ac promiſſione perampla. Manifeſtum eſt ergo nulli Authorum in mentem veniſſe, ut diceret, omnes libros prætetitos, præſentes, & futuros in omnibus, & ſingulis eſſe graves, & tutos.

Nihil opus eſt hìc plura allegare, ubi à vivis ad mortuos facile eſt conjectare. Paſſim alii aliorum libros contemnimus; leviſſimos multos, eorumque Authores habemus, inintelligentes, ſuperficiales: ipſos illos, quos magni habemus in aliquo, vel aliquibus vel inconſideratè, vel præcipitanter, quin etiam abſurdè opinatos eſſe paſſim alii de aliis exiſtimant. Quod vel ſummis Eccleſiæ Doctoribus, ut v. g. Auguſtino, & Thomæ id privilegium concedatur, quod eorum omnes, & ſingulæ ſine exceptione doctrinæ graves, ſanæ tutæque ſint; aliqui ægrè ferunt, quin opuſculis etiam oppugnant. An ergo delirabimus, & dicemus, hoc tantum privilegium, quod tantis Eccleſiæ luminibus concedi nolunt, omnibus vulgò Authoribus, & ſcriptoribus concedendum, quod ipſorum omnes, & ſingulæ doctrinæ graves, rutæ, ſanæque habeantur? Non adeò mundus deſipiet. Longò itaque à cordatorum omnium ſenſu, ac mente abeſt modus ille Philoſophandi; *hæc opinio in libro eſt; Authores habet unum vel duos, vel etiam plures: ergo probabilis eſt probabilitate conſcientiæ, ac tuta, & ſana.*

Quin prætetea luculenter hoc conteſtarum reliquerunt Authores quique, qui uſum probabilitarum licitum eſſe tradiderunt. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 4. *num.* 13. negare videtur, turbam etiam Doctorum aliquando ſufficere ad probabile. Apud Joan. Sanchez *diſp.* 29. *nu.* 7. Azorius, & alii ipſo etiam Joanne Sanchez probante teſtantur aliquam turbam Doctorum ſequi ſententiam aliquam ſine delectu rationum. Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *& lib.* 4. *de matr. diſp.* 44. Granadus 1. 2. *contr.* 2. *tract.* 12. *diſp.* 12. Izquierdo *in Pharo diſp.* 6. *q.* 2. *&* 3. & ſic fermè

omnes

omnes excludunt à probabilitate conſcientiæ eos omnes, (quos ſupponunt dari) qui inſtar ovium & avium ſequuntur aliorum veſtigia: exemplum porrò ovium, & avium ſatis, ſuperque ſignificat, eos eſſe multos gregis adinſtar. Vazquez *diſp.*62. *cap.*2.*n.*5. ait non debere cenſeri opinionem magis commonem, quando eam turmatim, & ſine delectu ſequuntur. Supponit ergo, dari hos turmatim, & ſine delectu ſequentes.

Patet ergo, toti menti Authorum uſum probabilitatis approbantium repugnare propoſitionem illam, qua aſſumitur, vel ſubſumitur, omnes Authores, & libros eſſe graves, eſſe doctos, ac fundatos delectu habito rationum. Quarè ego prorsùs neſcio, cujus Authoris, vel Doctoris ſit, vel cujus cordati hominis eſſe poſſit via, vel praxis, quà inventa opinione in libro; & Authore aliquo vel aliquibus mox tuta ad conſcientiam exiſtimatur.

§. II.

Vazquio in exemplum adducto res iſta magis oſtenſivè demonſtratur.

VAzquium itaque unum, qui valdè præcipuus probabilitatum aſſertor eſſe perhibetur, in omnium cum eo ſentientium ſpecimen profero, nec quod immenſum foret, omnia illius percurro volumina, ſed eam ſolam diſputationem, in qua uſum probabilitarum approbavit, ut videat quiſque oculis, quantum ipſi repugnet praxis, & conſuetudo memorata aliquorum. Eadem porrò eſt ratio reliquorum, niſi quod Vazquez acris planè vir ingenii, & ingenuus prorsùs Author liberaliùs aliis, quid de contrariis opinionibus exiſtimaret, conteſtatum reliquit: alii verò cautiores in notandis alienis extiterunt: clam porrò eodem fermè modo, atque Vazquez de alienis loqui ſolent; nec unius, vel paucorum, ſed ſcholæ etiam integræ opiniones aliquando manifeſtè implicantes, abſurdaſque cenſent.

Vazquez ergo cum cæteris fundamentum grave, ſolidumque ad conſcientiam requiſivit. Scitur autem, quam paſſim, quam ſæpè argumenta ille contraria frivola eſſe pronunciet: argumenta autem frivola non ſunt planè gravia: ſæpè, verò argumenta illa multorum, & gravium Authorum ſunt.

Sed jam 1. 2. *diſp.* 42. quæ, ut promiſi, eſt de hac ipſa materia probabilium, proponit duas ſententias Cajetani, & Navarri, Authorum ſanè graviſſimorum. His tantis auditis nominibus, qui memoratam praxim ſequuntur, rem mox exiſtimarent probabilem, & tutam. At Vazquez *cap.*5. *n.*22. ego tamen (ait) tàm doctrinam Caietani, quàm Navarri exiſtimo eſſe abſque fundamento: non ergo exiſtimat eſſe eum fundamento gravi. Rursùs *n.* 15. quod verò dicebat Cajetanus, parum, inquit, habet momenti. Hæc, quæ Vazquez calamo conteſtatus eſt, in rebus quampluri mis alii corde ſentiunt. Sin autem Cajetanus reſuſcitaret, quid ipſum repoſiturum arbitramur ad multa argumenta & doctrinas Vazquii, qui in ſuis commentariis tam parvi fecit, ac novitiorum eſſe cenſuit magnorum alioquin Doctorum oppugnationes, & opiniones permultas.

Deindè *n.* 31. ad quamdam rationem Cordubæ Authoris doctiſſimi ait: planè oſtenditur, quam parvi ea momenti ſit; non igitur magni momenti. Et *cap.*7. *num.*37. hæc docet Medina, quorum nullam omninò aſſignat rationem. Itèsum *cap.*9. *num.*42. ad quoddam Cajetani dictum dicit eſſe manifeſte falſum. Atque hoc pacto de aliis opinionibus particularibus per omnia ſua volumina judicavit.

Nec dici poteſt opiniones horum memoratorum Doctorum; etſi fundamento niterentur parvo, aut frivolo, aut nullo, ſemper ſuffecturas ad conſcientiam, non propter rationes Doctorum horum, ſed propter authoritatem, & probabile ab extrinſeco. Hoc inquam, dici nequit in ſententia Vazquii, & reliquorum approbantium uſum probabilitatum. Nemo quippe eorum, qui ſaltem momenti ſunt, dixit, aut docuit, Authores etiam graves, ubi, & quando levi, vel nulla, vel parua, ac frivola ratione moti ſunt, efficere probabile conſcientiæ: quin conteſtati ſunt, non efficere turbam etiam Doctorum, & quando alium turmatim, ſeu inſtar avium, & ovium conſequuntur. Demonſtrabitur deindè hoc opere, omnem authoritatem reſolui denique ad rationem, conſiſtereque ex doctrina omnium in non falli, nec fallere; neè hoc ablato ullam ſupereſſe authoritatem.

Atque ad iſtam confeſſionem cogamus nunc omnes ex proprio ſuo dicto. Dicunt namque omnes, multas antiquorum opiniones olim probabiles (ita loquuntur) & quæ erant graviſſimorum Authorum, redditas eſſe improbabiles: atque hoc eſt factum, & dictum notorium, & innegabile. At hoc factum non eſt faciendo, quod Authores illi antiqui (quos ad vitandam offenſionem non nomino) non fuerint Authores graves, ut patet, nec niſi ignorantiſſimi dubitare poſſunt. Ergo factum eſt oſtendendo, eos tametſi graves, & doctos, in aliquo, vel in aliquibus motos fuiſſe, vel ſine fundamento, vel aliquam rationem magnam, vel inconveniens non videndo, quod poſteri viderint. Ergo Author, vel Authores graves non ſufficiunt, ubi, & quando ſine fundamento, vel non omnibus viſis, vel manifeſtè falsò opinati ſunt.

Hinc ad principalem cauſam hujus quæſtionis ex hac omnium opinione, & confeſſione ſic argumentor. Non omnes Authores antiqui graves fuerunt, nec ipſi etiam doctiſſimi ubique & in omnibus, & in ſingulis gravi re ipſa fundamento moti ſunt, ut aiunt; alioquin nihil reddi potuiſſet improbabile, & antiquatum. Ergo nec omnes poſteri Authores graves ſunt, nec ipſi etiam graves ubique & in omnibus, & ſingulis gravi re ipſa fundamento moventur. Mihi ſanè videor argumentari à majori ad minus, ut docti videbunt: eos autem, qui nihil antiquos norunt, ſaltem cogimus ad diſparitatem dandam planè non dabilem niſi ultrò dicendo. O ſi eas conferre liceret; vel ſaltem nominare. Quod autem aiunt, eas antiquorum opiniones eo temporis fuiſſe probabiles; modò autem non eſſe: & ſic etiam nunc opiniones, quæ fundamento carent, fore nunc ſaltem probabiles. Primùm quidem *lib.*2. oſtendetur falſum. Deindè nullus gravis Author probabilitatum etiam aſſertor dixit, præſentium Authorum opiniones, quæ fundamento carent, vel levi fundamento nituntur, vel multa prætermittendo fabricatæ ſunt, eſſe modò probabiles probabilitate illa, quam ad conſcientiam poſtularunt, quin contrarium modis omnibus conteſtati ſunt,

ut eſt oſtenſum.

Ergo illa aſſumptio, vel ſubſumptio, *hæc opinio in libro eſt, Authorem, vel Authores habet etiam graves: ergo ad conſcientiam ſufficit*, non modò Vazquii, & reliquorum Authorum probabilitates approbantium non eſt, ſed toto cœlo repugnat eorum menti, ac proceſſui docendi univerſo. Unde ergo tam quietè vivunt, qui hac praxi utuntur, quam ad nullius gravis Doctoris doctrinam reſolvere poſſunt? nec ipſi illi qui eâ utuntur, conciliare illam poterunt cum reliqua ſua confeſſione, ut viſum eſt.

Sed quæris (quæ fuit origo tota, & æquivocatio hujus introductæ praxis) num opiniones omnes quæ ſunt in libris, nec à ſuperioribus, nec ab aliis notantur, probabiles non ſunt? Nemo eas dicit improbabiles; habentur ergo probabiles. At Vazquez, & cæteri aiunt, licere omne probabile. Ergo praxis, & uſus talium omnium opinionum reſolvitur ad authoritatem Vazquii, & reliquorum omnium approbantium uſum probabilitatis. Hæc, inquam, fuit origo hujus introductionis.

Cæterùm hæc æquivocatio tollitur per doctrinam manifeſtam, quam Authores omnes exercitè ſuppoſuerunt: nos autem ſignatè, & clarè *lib.2* ex ipſorum Authorum ſenſu declarabimus. Ibi oſtendemus, probabile non uno modo, ſed multipliciter, & æquivocè dici: illud probabile opinionibus dari ſolitum non eſſe probabile conſcientiæ: multa nobis levia, aliquandò etiam abſurda, aliquando etiam evidenter falſa à nobis improbabilia nec dici, nec poſſe nec debere dici. Quæ ab aliis plerumque prætermiſſa & à nobis clarè, opinor, oſtendenda hic ſupponimus tanquam veriſſima. Undè ſyllogiſmus nuper objectus ex uno probabili ad aliud tranſiliens, & inferens, totus eſt æquivocus, & inanis. Idcircò nos ſæpè cavimus non de probabili ſic in aëre, ſed de probabili conſcientiæ loquendo, ad hoc enim ex omnium confeſſione requiritur fundamentum grave: ad probabile opinionibus dari ſolitum plus ſæpè juvat conſuetum, quam fundamentum: Authoris item honor, tolerantia ſuperiorum, ac multa ſimilia.

Profectò Vazquez memoratas eas doctrinas Cajetani, Navarri, Cordubæ, Medinæ, & ſimiles non dixit improbabiles, nec hoc ſæpè ſine magna offenſione dicere licet: dixit, eas non habere fundamentum: ipſe autem ad illud probabile, quod ad conſcientiam ſufficere tradidit, poſtulavit cum omnibus fundamentum, illudque grave. Ergo exercitè ſatis, ſuperque diſtinxit ſuum conſcientiæ probabile ab eo probabilitatis genere, quo opiniones improbabiles dicere non ſolemus, nec ſæpè poſſumus, quin à ſuperioribus aliquandò prohibemus fraternæ dilectionis, & pacis conſervandæ gratia. Quin Vazquez *n.17.* ſatis etiam ſignatè hanc probabilium diſtinctionem ſuppoſuit dicendo, *non mihi videtur illa cenſenda probabilis ad hunc effectum, ut ſecundum illam poſſim prudenter operari contra propriam & communem omnium ſententiam.* Supponit ad alium effectum, puta ad non cenſurandum poſſe eam cenſeri probabilem.

§. III.

Ergo ſyllogiſmi conſcientiæ prædictam praxim ſequentium claudicant, & deficiunt.

OMnis non temerè, & præcipitanter, ſed debitè, & honeſtè operans ſyllogiſmo formali; vel virtuali utitur ad formandam rectè conſcientiam, quam S. Thomæ, & communem doctrinam nos *lib.3.* declarabimus; in hoc quippe libro magis falſa quædam, vel inconſiderata removemus, quam docemus.

Et certe omnes illi, quibuſcum hic res eſſe poteſt, facilè nobis dictam aſſertionem de formanda conſcientia ſyllogiſmo formali vel virtuali concedent; quin paſſim ipſi ſyllogiſmo ſcito, & vulgari utuntur, & conſcientiam accommodandi modum tradunt.

Syllogiſmus ipſorum hic, vel ſimilis eſt. Licet uſus cujuſlibet opinionis probabilis. Sed omnes opiniones non notatæ librorum ſunt probabiles. Ergo licet uſus illarum omnium. Mox ut ad conſcientiam quæ eſt de particularibus, veniatur ſubſumunt opinionem particularem, quâ uti hic, & nunc e re ſua ſit, & aiunt: ſed hæc opinio eſt in libro, vel in ſumma; nec notata, & cenſurata eſt ab aliis; quin Authorem, vel Authores habet. Ergo licet hic, & nunc illius uſus, & illâ utendo non peccabo. De hoc ſyllogiſmo reflexo aliter propoſito acturus ſum *lib.3.* atque nitar oſtendere, eum plures fallacias, ac falſitates continere quam verba.

Atque hæc eſt lectio brevis, quam juvenes, & indocti, & rudes etiam homines nullo negotio addiſcant; & mox accepta aliqua ſumma hiſtorica opinionum, exiſtiment, ſe ſuos, & alienos etiam conſcientiæ caſus, quin Magiſtratuum quoque, & Principum tutò reſolvere: cujus exiſtimationis ægrè ſubticeo inconvenientia ſumma in omni ſtatu hominum. Hinc Logicam, vel Phyſicam edere audent pauciores; Theologiam moralem plures: caſus autem vix non omnes brevi eo documento reſolvunt, cum ut alia nunc majora prætercam, Ariſtoteles homo ethnicus vel diſcipulos ſolùm moralis Philoſophiæ eſſe noluerit aut juvenes, aut paſſionum ſectatores.

Nunc ad ſyllogiſmum. Fateor itaque majorem illius propoſitionem de licito uſu omnium opinionum probabilium eſſe ſententiam plurium graviſſimorum Authorum. Tamen ſi de meo nunc dicerem, eam dicerem falſam, quod decurſu operis fiet: ſed nunc ſolùm tracto, quid ex ſententia eorum Authorum ſequatur: & ideò concedo eam majorem, quam ipſi ſub iis terminis docent. In minore ſubſumebatur, omnes opiniones non notatas librorum eſſe probabiles. Verùm hæc minor non ſolùm eorum Authorum non eſt, ſed apertè contra omnes illos, loquendo de probabili conſcientiæ ut factis notoriis videtur oſtenſum. Nos itaque ex illis reſpondemus, minorem illam eſſe apertè falſam de probabili conſcientiæ; eſſe veram de alio genere probabilitatis, quod authenticum, & fori quaſi exterioris, & ſecundum dici, & impunitatis, aliiſque nominibus appellabimus *lib.2.* & exponemus.

Hinc conſequens non ſequitur. Quare concluſio illa eos pro ſe Authores habet, quos habet minor

ſubſumpta,

ſubſumpta: at minor ſubſumpta nullos habet; certè non eos magni nominis Authores, qui uſum probabilium approbarunt. Eſt deindè contra adductas rationes. Ergo concluſio illa caret omni authoritate, & ratione: ergo etiam dictamen conſcientiæ indè deductum.

Sed inquis, te nolle de tam univerſali cauſa diſſerere, ſcilicet de omnibus opinionibus non notatis librorum omnium: è re tua eſſe, hac ſolùm nunc uti opinione, quæ te ad reſtitutionem v. g. non obligat; & alium conſtruis Sillogiſmum dicendo: licet mihi uſus omnium opinionum probabilium: & iſta eſt omnium eorum Authorum gravium. Subſumis: ſed iſta particularis opinio me à reſtitutione deobligans eſt probabilis. Licet ergo illius uſus.

Cæterùm quæro abs te, undè habeas iſtam opinionem particularem eſſe probabilem? Si namque minorem iſtam non probes, concluſio claudicat, & deficit; nam ut ſcitur ex logica ſequitur debiliorem partem.

Reſpondes primò: eſt in libro, & Authores habet. Ergo redis ad primum, & reſumis omnes opiniones librorum habentes Authores eſſe probabiles probabilitate conſcientiæ. Hoc porrò oſtenſum eſt, eſſe Falſum, & contra Authores approbantes uſum probabilium. Non ergo ſatis respondes, opinionem iſtam particularem eſſe probabilem probabilitate conſcientiæ, quia eſt in libro, & Authores habet; & multos tales ſine fundamento eſſe Authores illi exiſtimarunt.

Reſpondes ſecundo illos ipſos Authores, qui uſum probabilium licitum eſſe, tradiderunt ſimul de opinione particulari, qua uteris dixiſſe, eam eſſe probabilem, & tutam in praxi. Profectò ſi hoc habes, concluſio tua, & rectitudo vel non rectitudo operationis tuæ in eorum authoritatem utique reſolvetur.

At raro, vel nunquam habes eos ſaltem omnes tuam minorem approbantes, opinionemque particularem, qua uteris, probabilem, & tutam aſſerentes. Ubi enim, vel quando in aliqua particulari probanda omnes unà conſenſerunt? ſin verò rarò aliquando id contigiſſet, non de ea nunc opinione multùm diſputo. Deindè in aliis opinionibus quæ jam tunc natæ erant, & à fortiori in reliquis, quæ poſt eos mortuos natæ ſunt, ceſſat manifeſtè iſta defenſio, niſi, quod falſiſſimum eſſe oſtenſum eſt, illi omnes tunc præſentium, & poſteà futurorum librorum opiniones approbaſſent.

Concedamus rursùs, te habere aliquem eorum gravium Authorum, qui opinionem, quâ uteris, dixerit probabilem, & tutam: non ideò reliquorum authoritatem pro tua minori, vel concluſione, vel operatione habes. Dixerunt enim palàm, Authorem etiam gravem, ac proindè ipſorum etiam gravem, ac proindè ipſorum etiam quemlibet, opinari aliquandò poſſe leviter, ſine gravi fundamento, non viſo ea de re aliquo, quod maximè videndum fuerat. Nemo quippe cordatorum Authorum eſt, qui eam ſibi laudem attribuat, quod exiſtimet, & dicat ſe aliquandò dormitare non poſſe, labi non poſſe, & leviùs, aut ignorantiùs opinari: quod qui de ſe exiſtimaret magis ſuperbus quam cordatus eſſet. Ergo habito uno gravi Authore, qui opinionem, qua uteris, probabilem, ac tutam edixerit, non ideò reliquorum authoritatem, nec ipſius illius authoris reflexum, & ultimum iudicium pro te habes.

Iterùm quia Authores præteriti de futuro opinionum ſtatu, & probabilitate, & ſecuritate tutò judicare non potuerunt: iuxta ipſos quippe, & juxta omnes in præſentia nobis contrarios mutantur ætatibus ſtatus opinionum, ac tranſeunt, ut aiunt, de probabilitate in improbabilitatē, & vice verſa, ac multæ olim probabiles modo non ſunt probabiles, & à contrario, ut ipſi loquuntur, & docent. Ergo à tempore Medinæ, vel Vazquii, vel Cordubæ juxta viam contrariam mutari ſimiliter potuit ſtatus plurium opinionum, Recentioribus Authoribus multa in contrarium allegantibus, & nova invenientibus ab illis minimè viſa. Ergo quidquid ipſi dixiſſent, opinionem tunc aliquam eſſe probabilem, tutam; non tamen dixerunt, nec niſi temerè, & inconſequenter dicere potuerunt, eam opinionem fore probabilem, & tutam etiam poſt annos viginti, & triginta, & centum, & in ſæcula, quidquid poſteri Theologi judicarent, ſcriberent, invenirent. Ergo eorum authoritas nihil firmat minorem tuam. Niſi placeat, dicere veterum quidem doctorum aſſerta corruptibilia, defectibiliaque extitiſſe; poſterorum omnia incorruptibilia eſſe, & immortalia.

Ut itaque concluſio tua, ac proindè rectitudo operationis ſecutæ pro ſe haberet authoritaem Virorum gravium approbantium, uſum probabilitatum, neceſſe foret, quod eos omnes, & ſingulos haberes ſemper tecum, quos de minori à te ſubſumpta conſuleres, & quæreres, an opinio iſta particularis, ex qua operandum eſt, illud genus authoritatis, vel rationis habeat, quod ipſi pro ſecuritate conſcientiæ unanimi conſenſu poſtularunt. At eos non habes, nec quidquam de iſta tua minori locuti ſunt. Quorsùm ergo, vel undè tam inconſideratè operaris, aut conſulis, ut exiſtimes te conſulere, aut operari juxta authoritatem, Vazquii v. g. vel Suarez.

Mihi, ais, probabilis viſa eſt ea minor, ſeu opinio ſubſumpta in minori. Quid verò indè? Ecquis eorum authorum docuit, probabile continuò eſſe, & tutum, quod probabile, tutumque tibi videretur? Nec quidem, an unquam futurus eſſes in mundo, ſciverunt illi. Sum, inquis, Theologiæ Lector. Et hoc quidem minus malum eſt. At aliquandò invenies & vix dicipulus: aliquandò non Theologus, vel ineptus, ut ſcis etiam ipſe: aliquandò purus reflexiſta, aut hiſtoricus ſummiſta. Quid ergo Authores graves illi dicerent, quod tibi videretur probabile, & tutum: eſſe continuò probabile & tutum, qui de gravitate, vel levitate fundamentorum judicare non potes, utpote ſcientiæ ipſius ignarus, cùm de gravium etiam Authorum ſententiis, quas ipſi non ſolùm probabiles, ſed etiam veras exiſtimarunt, conteſtati ſint eas abſque fundamento eſſe, vel manifeſtè falſas?

Sed demus, te Theologiæ Lectorem eſſe. Verùm neque hoc illi pronunciarunt, quidquid cuilibet Theologiæ Lectori probabile, tutumque videretur, eſſe mox tutum, & probabile; quin hoc, ut de libris eſt oſtenſum contra eorum mentem omnem eſt. Quis deindè hanc ſibi provinciam defendendam ſuſcipiat omnes Theologiæ Profeſſores eſſe graves, fundatoſque Theologos? nunquam leviter, nunquam oſcitanter pronunciare? graves etiam ipſos & ingenio valentes non labi? quin iſta quam ſint falſa doctrinaliter *per. a.*

etiam mentaliter hunc ſyllogiſmum. At illum formare non poteſt mentaliter, qui de probabilitate, & gradu, ac momento fundamentorum nequit judicare; & qui rectè nequit judicare de hoc, nequit rectè formare ſyllogiſmum. Debet quippe approbare hanc opinionem particularem eſſe probabilem, id eſt, illius fundamenta non eſſe levia, ſed gravia, &c. Hoc autem, qui inter hæc non diſcernit, dicere, & judicare mentaliter nequit. Ergo nec formare ſyllogiſmum, nec conſcientiam. Peccat ergo ſive operando, ſive conſulendo.

Exemplum ſit, quod *quæſt. præc.* appoſuimus. Dixiſſent Authores, omnem bonum logicum rectè ſyllogizare. Tu prorsùs neſcis, quorsùm ſe habeat Logica, nec diſcernis inter bonos, & malos. Deſiperes ſi ſyllogiſmos formando inferre velles, Petrum, vel Paulum rectè ſyllogizare. Sed ſicut Petrus, & Paulus in hoc caſu; ſic ſunt in caſu noſtro hæc, & illa, & illa opinio particularis. Nihil ergo inferre potes.

Audit cæcus album eſſe diſgregativum viſus: nihil ipſe inter colores diſcernit. Subſumeret ergo: hoc, quod manibus contrecto, eſt album: ergo eſt diſgregativum viſus. Riſum moveret, vel miſerationem delirus homo. Ergo impotentes diſcernere inter fundamenta, nihil ſyllogizare, nec formare conſcientias poſſunt vel ſuas, vel alienas. Quæ cum videantur clariſſima, non plus immoror.

§. II.

Ipſius moralis directæ ſcientiæ ignari judicare nequeunt de probabilitate, vel non probabilitate.

ITerùm *lib.* 3. de hoc acturus ſum contra puros reflexiſtas ſub aliis terminis veri, vel falſi. Nunc ſub termino ipſo probabilitatis, atque ex ſenſu Authorum ipſorum, qui probabilia ad conſcientiam approbarunt, à conſultando, & à Magiſterio conſcientiarum repellendi veniunt moralis ipſius ſcientiæ ignorantes omnes: quod operis gratum futurum videtur ſapientibus, ac Theologis omnibus; quos ſcilicet ad conſultationes conſcientiæ neceſſarios habeo; Theologiæ autem ipſius ignaros repello.

Dixi verò, *ipſius moralis directæ ſcientiæ ignari.* Nihil pro intelligentibus neceſſarium fuit addere *τò directè*; nam ipſam moralem ſcientiam dicendo, ſatis dicimus ſcientiam moralem directam, ut dicendo hominem, dicimus utique rationalem hominem. Quemadmodùm ſcilicet homines non ſunt alii rationales, alii irrationales, ſed omnes ſunt rationales; ita neque ſcientia moralis ſive Philoſophica, ſive Theologica, directa quidem eſt una, & reflexa alia, ſed directa eſt tota, quæ de bono, & malo diſſerit, & indè etiam de humanis actibus, & virtutibus, & vitiis in communi, & in particulari ſtatuit, harum eſſentias, ac naturas ex objecto indagans, atque ſtabiliens.

Factum porrò videtur, quod aliqui ſive multi, ſive pauci ſe moralis ſcientiæ gnaros exiſtiment, ſi reflexam, & hiſtoricam cognitionem, & notitiam habeant, non quidem objecti ipſius diſciplinæ moralis, ſed opinionum quid in hac quæſtione Cajetanus, quid Suarez, & ſic alii, & alii cenſuerint, & ita in ſingulis: qua hiſtoria memoriter habita, vel in quinternione ſcripta ſe arbitrantur abſolutiſſimos morales Theologos, & ad quidlibet reſoluendum aptiſſimos. Hos ergo ut ſignificarem, atque à judicio probabilitatis repellerem, omni poſſibili expreſſione dicendum fuit, ipſius moralis ſcientiæ directè, id eſt, quæ directiſſima eſt, ignaros nihil de probabilitatibus judicare poſſe.

Quilibet porrò, ſi ſaltem hos ipſos puros opinionum hiſtoricos omittamus, planè ſcit & intelligit, quid inter hanc hiſtoriam reflexam, & ipſam moralem ſcientiam interſit, & quid inter habentes hanc opinionum notitiam, & inter habentes ipſam moralem ſcientiam differat.

Differunt ſanè non minùs, ſed magis multò quam Virgilius, & Cerda. Ille quis Æneas fuerit, quæ fecerit, promit: Cerda quid Virgilius ipſe dixerit, quo ſenſu locutus ſit, enarrat. Alterius objectum, & materia ſunt Æneas, & ejus facinora: alterius objectum poema Virgilii. Differunt tanquam Logica, & aliæ ſcientiæ. Logica tractat de aliis ſcientiis in communi, ſcientificè tamen: nec tamen Logica eſt ipſæ illæ ſcientiæ, de quibus ediſſerit, v.g. non eſt Phyſica, quæ de ente naturali diſputat: Logica verò non de hoc, ſed de ſcientia, vel modo ſciendi. Ita notitia illa reflexa, & hiſtorica opinionum, & ſanè non ſcientificè, ſed ſolum hiſtoricè tractat de ipſa ſcientia morali, & opinionibus, quæ in ea ſunt (quod non eſt objectum ſcibile, ſed narrabile) non tamen eſt ipſa moralis ſcientia potius, quam cognitio equi ſit equus. Nihil moralis ſcientiæ objectum, & materiam cognoſcit niſi in quantum eſt objectum ſui objecti, ſcilicet opinionum, quaa memorat: nihil boni, & mali; virtutum, ac vitiorum naturas indagat, aut intelligit.

Sciendum v. g. fuerat, an qui modicas quantitates huic, & illi furatur, teneatur ſub gravi ad reſtitutionem: an ſimiliter ſumptio chocolati violet jejunium? Purus reflexiſta de his propoſitis objectis nihil ſcit directè, nec curat noſſe, an chocolate ſit cibus, vel potus? ex quo reſolutio dependebat; an item modicæ illæ quantitates in unam materiam, & obligationem indiviſè coëant? Hæc itaque prætermittens, quæ ſine ingenio, & labore ſciri nequeunt, ipſe ſolum novit, talem Authorem, vel Scriptorem opinatum eſſe, furantem eas modicas quantitates teneri ſub gravi ad reſtituendum; illum alium contrà opinatum fuiſſe, atque ita in aliis.

Rei utriuſque differentia conſtat etiam ex libris, quos manibus terimus. Libri S. Thomæ, Scoti, Soarez, Cajetani, Cordubæ continent ſcientiam ipſam moralem, atque de ejus objecto diſſerunt; non quod etiam opiniones non referant; ſed quod hoc eſt minus principale: præcipuum autem, & ſcopus librorum, res ipſas examinare, & directè judicium ferre. Contrà prodierunt libri alii, in quibus aliud non agitur quam opinionum texere catenam: certè hoc principaliter agitur. Hos voco reflexos, & hiſtoricos, & minimè Theologicos. Qui hos ſolùm ſciret, ſeu hos principaliter ſciret, eſſet ipſius moralis ſcientiæ ignorans, & expers. Hos ergo dixi, ex veritate, & ex ipſorum etiam Authorum uſum probabilium approbantium ſenſu judicare non poſſe de probabilitate, vel non probabilitate conſcientiæ.

§. III.

Probatio concluſionis.

EO primùm argumento utemur, quod Auguſtinus inter alia contorſit in Academicos. Hi negabant veritatem inveniri poſſe: ideoque nihil approbandum eſſe, nec reprobandum docuerunt. Contra eos à ſectæ exordio objectum fuit eum, qui nihil approbat, vel reprobat, nihil agere poſſe, ut *lib.2.* latiùs dicetur. Argumentum iſtud ut ſolverent, Academici excogitarunt probabile, & veriſimile; dixeruntque ad operandum ſatis eſſe hoc probabile, & veriſimile, etſi prorsùs lateret veritas ipſa.

Multa in eos urſit Auguſtinus. Alia *lib.2.* proferam; è re nunc iſta illud eſt, quod eis objicit, eum, qui veritatem ipſam non novit, veroſimile, & probabile agnoſcere neutiquam poſſe, quod verè, & ingenioſè objectum fuit.

Qui enim quis parens ſit, ignorat, filium Patri ſimilem eſſe judicare nequit. Si quem prorsùs latent res Aulæ Gallicæ, vel Germanicæ, & res nova accidere feratur, judicare nequit, an veroſimilis ſit, & probabilis, an ſecùs. Atque hoc univerſaliſſima rerum omnium, & negotiorum, ac profeſſionum inductione patet eſſe veriſſimum. Ratio à priori eſt manifeſta, quia ſimile eſt relativum, ad terminum utique. Quare cui ignotus eſt terminus, ignotum eſt ſimile. Veroſimile autem eſt relativum ad verum. Cui ergo ignotum eſt verum, ignotum eſt veroſimile. At per probabile & olim Academici, & nunc eo utentes intelligunt aliquid veroſimile. Ergo cui ignotum eſt verum, ignotum eſt probabile. Ergo cui ignotum eſt verum morale, ignotum eſt probabile, & veroſimile morale.

At verum morale innoteſcit per moralem ipſam ſcientiam. Ergo non habentibus moralem ipſam ſcientiam ignotum eſt verum morale: quemadmodum non habentibus ipſam Logicam, ipſam Mathematicam, Phyſicam ipſam, ignotæ ſunt veritates Logicæ, Mathematicæ, Phyſicæ. Ergo non habentibus moralem ipſam ſcientiam ignotum eſt veroſimile, & probabile morale.

Habenti itaque peritiam militarem, expertoque Duci quæ hoſtis moliri poſſit, quæ ſecus videntur alia quidem inveriſimilia, veriſimilia probabiliaque alia, de quibus ſcilicet judicat per alia, quæ expertus eſt, viditque ipſe: imperitus credit cuncta leviſſimè, & quid rectè timendum ſit, quid ſecùs, planè neſcit. Multas veritates morales aſſecutus v. g. in materia reſtitutionis, ac principiorum bene intelligens, poteſt in occurrenti quæſtione, in qua veritas ipſa latet, judicare per ea ipſa, quæ novit, & cognoſcere, an fundamenta adducta à propriis materiæ illius principiis diſcrepent, an ſimilia, ſint atque adinſtar aliorum per quæ multas veritates aſſecutus eſt. Sin minùs nihil planè de fundamentorum momento judicare poteſt.

Hinc ſecundo probatur concluſio. Qui nequit judicare de gravitate, vel levitate fundamentorum, nequit judicare de probabilitate, vel non probabilitate; nam Authores approbantes probabilitatem ad conſcientiam, eam per grave definiunt: qui autem de definitione, vel non definitione ineptus eſt judicare; eſt pariter ineptus ad judicandum de definito, vel non definito. At ipſius moralis ſcientiæ expertes nequeunt judicare de gravitate, vel levitate fundamentorum. Quod nunc eſt amplius declarandum, & oſtendendum hoc modo.

Fundamentorum aliquod dicitur ſanè grave, vel leve ad aliquid: & *lib.2.* oſtendemus, grave, & leve in intellectualibus non niſi in ordine ad verum dici poſſe. Sed hæc nunc noſtra omittendo quærimus definitores ipſos, quid in præſentia per grave, quid per leve intelligant, & ſignificent? Certè neceſſe eſt reſpondeant, per grave ſe intelligere, quod vim movendi magnam, & conſiderabilem habet: & ita ſanè loqui ſolent. Porrò mobile hic eſt intellectus: quò autem, ſeu ad quod movetur, eſt ad aſſentiendum rei propoſitæ tamquam veræ. Sin autem quæramus, quem, & qualem intellectum movere debeat, an quemlibet, an rerum earum peritum. Dicent utique, non quemlibet, ſed rerum ſimilium intelligentem, & peritum movendum eſſe. Ergo fundamentum grave, non cuilibet, ſed rerum ipſarum moralium intelligenti, & perito, id eſt, ipſam moralem ſcientiam callenti vim magnam facit. Ergo expers ſcientiæ, in occurrenti nunc caſu, & opinione, judicare quidem poteſt, fundamenta propoſitæ opinionis ſibi quidem eſſe gravia: qualia porrò videnda ſint rerum earum intelligentibus prorsùs ignorat. Ignorat ergo, an re ipſa ſint, vel non ſint gravia.

Tertiò, probatur, aut declaratur. Vis fundamentorum, quæ probabile efficiunt, non eſt reflexa, ſed directa; non ad cognitionem reflexam, ſed ad directam inducitur, ſcilicet ad ipſam concluſionem directam moralis ipſius ſcientiæ probandam; quæ ait, v. g. in tali caſu nullam eſſe obligationem reſtituendi. Ea porrò vis conſiſtit in conformitate magna cognitionum, ſeu præmiſſarum formalium cum ſuo objecto, ac præmiſſarum rursùs cum concluſione, pro qua adducuntur: idcircò ſi cognitiones eſſent valdè diſcrepantes à ſuo objecto, vel tam ipſæ, quàm objectum nihil concluſioni quadrarent, nihil probabilitatis reſultaret in concluſione. At cui ignotum eſt objectum ipſum directum præmiſſarum, cui ignota ſimiliter concluſio ipſa objectiva, nequit judicare, nec cognoſcere, quid, aut quantum præmiſſæ concordent cum ſuo objecto, an potiùs valdè diſcrepent quid & quantum concluſioni quadrent, atque in ejus veritatem conferant: ergo nequit judicare de vi magna, vel parva, vel nulla præmiſſarum, & fundamentorum. At objecta iſta ſunt objecta ipſius Moralis ſcientiæ, ut patet: ignota ſunt ergo eam non habenti. Ergo is nequit judicare de vi magna, vel parva, vel nulla præmiſſarum ſeu probationum, ac fundamentorum. Ergo neque de probabili, vel improbali.

Declaro ampliùs, & urgeo. Ponamus tres concluſiones morales, & ſit altera ſolùm probabilis, altera moraliter certa, demonſtrativa altera: etſi enim Moralis ſcientia ut in plurimum haud demonſtret, tamen demonſtrat aliqua, & ſanè uſuras malas eſſe v. g. demonſtratum fuit à D. Thoma. Judex adſit aliquis expers ipſius Moralis ſcientiæ, qui inſtructiſſimus ſit, ac plenus hiſtoriâ illa reflexa opinionum omnium, & noverit luculentiſſimè, quid quiſque dixerit. Atque iſtum cogamus, inter tres illas concluſiones diſgnoſcere, quæ ſit ſolùm probabilis, quæ certa moraliter, quæ demonſtrativa.

Ille profectò obſtupeſcet: ſciet quidem, & dicet, omnes tres illas concluſiones eſſe inſignium planè Doctotum, aliam eſſe Scoti, aliam Cajetani, aliam Vazquii - ecquis porrò eorum ſuam demonſtraverit, aut certam moraliter fecerit, aur ſolùm probabilem reliqoerit, judicium eſſe, non ſuum, ſed ipſius Moraliſcientiæ intelligentiſſimorum; qui quippe ſolum deprehendere poſſint, qualis ſit, cujus naturæ, quantarum viriom probatio uniuſcujuſque eorum. Ergo de qualitate, & naturâ, & vi probationum jodicare, eaſque menſurare, non hiſtoricorum eſt, ſed ipſius Moralis ſcientiæ intelligentium.

Ais, diverſam rationem eſſe de probabili: nam invento uno Authore, vel duobus, quos purus hiſtoricus invenire poteſt. Scitur jam, concluſiooem, & opinionem illam eſſe probabilem. Cæterùm hoc eſt contra ſtatuta *quæſt. præc.* & contrs mentem ipſorum Aſſertorum probabilitatis pro conſcientia, ut ibi oſtenſivè commonſtratum eſt. Itaque ex eorum etiam mente noo modò vulgares Authores, ſed ipſi etiam inſignes aliquid, vel aliqua leviter, aut ſine magno fundamento tradere poſſunt. At quę, & qualia, & quanra ſint fundamenta, dignoſcere, & menſurare nequeunt puri hiſtorici opioionum, & ipſius Moralis ſcieotiæ ignari. Ergo neque judicare de probabilitate.

Hinc patet abuſus aliquorum, qui aliquando inopes ingenii, nec valdè ſtudioſi Doctioribus intereà ſubjici nolunt, ſed ipſi per ſe ipſos de probabilitate concluſionum quarumcunque, & opinionum promptè judicant, minoreſque illas pro formanda conſcientia ponunt: aſſumunt enim, ut dictum eſt, ex Authoribus gravibus, licere uſum omnium opinionum probabilium. Subdunt mox: *ſed iſta eſt probabilis*: & indè concluſionem conſcientiæ inducunt: Sed minor hæc, & conſcientia non Authorum illotum ſunt, ſed tuæ, ut patet. Quid v. g. Vazquio cum minore tua, qui objit, & nihil de tua iſta minore ſcriptum reliquit. Fortè ſi adeſſet, inane, & frivolum fundamentum dixiſſet.

Clariùs verò totum cernitur in probabili ab extrinſeco. Conſtat certè de aliquibus Authoribus ex fama publica, eas eſſe graves. At, ut dictum eſt, hi etiam ipſi non omnia gravi fundamento conſtituunt: inter quæ, & reliqua dignoſcere nequeunt hiſtorici. Rurſùs etiam hi ipſi graves occurrunt ſibi contradicentes, ac ſeſe viciſſim elidentes: & tunc, quod ex toto noſtro opere conſtabit, nec illi faciunr probabile conſcientiæ.

Sed iſta omittamus: ſunt alii multi ſcriptores, de quibus oihil conſtat. Invenit porrò hiſtoricus reflexiſta unum, vel duos, vel plures eotum, citatos quos ipſe nunquam vidit, quin cujus ſint gentis, an ſolidè, an leviter ſcripſerint; an curſim, an [illegible]ta operâ, prorsùs ignorat. In eis ergo non [illegible] probabile ab extrinſeco definitum, & re[illegible]um à Doctoribus. Denuò ſine diſtinctione [illegible]hores, & Collectores, & ipſi etiam Hiſtorici [illegible]ionum citari ſoleot. Tu legis nomina, neſcis [illegible] ſæpè, an Authorem habeas, an Collecto[illegible], an purum Hiſtoricum rui ſimilem. Neſcis ergo, an habeas probabile ab extrinſeco, quod ad au[illegible]tatem gravem omnes revocanr illi, quos tu te[illegible] affectas. Prætereà conſtat experienriâ, quàm fre[illegible]enter in his citationibus peccetur. Ergo licet [illegible] ſumma, vel Collectore invenias Authorem gravem citatum, neſcis, an illius ſit ea opinio. Etenim ſæpè Doctores conclnſionem aliquam ponunt, quam mox progreſſu limitant, vel alibi corrigunt: unum profundum Authorem ad compendium exactè colligere facile oon eſt: qui ergo omnes Morales Doctores, atque plures ſanè diffuſos in ſummam cogunt, in multis deficiant, neceſſe eſt. Unus Caramuel argumento eſt, qui ſe ab amiciſſimo Diana non rectè allegatum in pluribus dolet.

Videtur ergo notum lumine naturæ, ignaros artis alicujus de rectitudine, vel non rectitudine operum illius judicare non poſſe, quia ſcilicet rectitudo, vel noo rectitudo operum artis judicanda eſt per artem ipſam, illiuſque regulas, & principia. Hoc conſtat inductione omnium operum cujuſlibet artis. Hinc lumine ipſo naturæ inſtituti homines, ſi de fabrica judicandum eſt, vocaot, & conſulunr peritos artis: atque ita in omnibus, undè natum eſt morale principium de conſulendis peritis in arte.

Ar opinio, & concluſio probabilis, & probationes ejus, & ſyllogiſmus ipſe, quo probabilis efficitur concluſio, eſt opus ipſius moralis ſcientiæ. Hoc quidem opus, hæc concluſio, & opinio, illiuſque probario reflexè per cognitiones reflexas aſſumitur, & cõſideratur ab hiſtoricis opinionum: opus tamen ipſum, & opinio, & concluſio, & probatio non ſunt quid reflexom, ſed opus proprium ipſius Moralis ſcientiæ directæ. Ergo iſtius expertes de illius rectitudine, vel non rectitudine judicare nequeunt, magis quam poſſit ignarus artis nauticæ de rectitudine navigationis.

Quare ſicut artis argentariæ imperito moneta auro, vel argento tincta mox vera videtur; peritus porrò diſtinguit, nndè diſtinguere dictum eſt; ita imperito moralis ſcientiæ quælibet concluſio tincta colore aliquo, veritatis aut fundamenti, mox aut vera, aut fundata videtur; quia neſcit diſtinguere, & ſegregare id parum coloris, & appareotiæ, quod per artem ipſam efficitur.

At inquis, jam hoc poſito, plures ineptos fore ad reſolvendos caſus conſcientiæ. Reſpondeo, ſequi utique omnes noo bonos Theologos, ipſius Moralis ſcientiæ ignaros eſſe ineptos, nt in artibus reliquis. Undè ſicut in his copia imperitorum noceret magis, quàm prodeſſet, ita à fortiori eſt io hac artium arte. De quantitate, & qualitate doctrinæ neceſſariæ tractabitur *part.* 2. ubi S. Thomas conteſtabitur, meliùs eſſe pauciores bonos habere.

Ais rursùs, hos hiſtoricos per experientiam, quâ frequenter aut caſus reſoluunt, aut confeſſiones excipiunt, ſupplero defectum ſcientiæ. Hoc quidem allegare ſolent, quin & eò progredi, ot ſcientiſſimos non ita idoneos habeant. Verùm hæc videtur eſſe magna miſeria. Omitto quod & io aliis artibus ut in Medicina aiunt, experientiam ſine ſcientia non ſufficere. In re noſtra res eſt diverſa: in Medicioa experitur quis, an rectè curaverit, an æger objerit, an ſanatus ſit: atque ita in aliis. Undè habeant experientiam & operum ipſotum, & ſimul etiam rectitudinis, vel non rectitudinis eorum: ex experientiis proindè benè regulantur, atque ex eis, ut docet Ariſtoteles, fiunt artes. Sed in re noſtra hiſtoricus opinionum, vel alius in conſultatione, vel in confeſſione deobligavit quem à reſtituendo, vel à tollenda occaſione. Experientiam utique habe-

Digitized by Google

operis recti facti nullam prorsùs, ſed in Dei judicio habebitur. Certè ſi experientia eſſet de rectè facto, quæſtio omnis ceſſaret : & nos quoque à ſcribendo abſtineremus. Sed experientia nulla eſt; ratio in contrarium eſt. Prætereo hic alia.

QUÆSTIO XI.

Utrum qui diceret, omnes omnium Authorum, & librorum opiniones non notatas eſſe probabiles, & tutas, redderet inutilem Moralem Theologiam, & Theologos?

POſui *qui diceret*; non autem *qui dicunt* : nam ſub his univerſaliſſimis terminis vel à nullo ita dictum eſt, vel ſi aliquis invenitur ita dicens, abſtineo ab eo producendo, ne in aliquem, & non pro veritate videat ſcribere, aut paſſio inde aliqua minus cogitanti irrepat. Profectò, ut ex dictis conſtat, & ex eorum lectione palam conſpicitur, Authores quique graves, qui uſum opinionum probabilium approbant, procul abſunt ab eo dicendo, qui data opera, & ſignatè varias conditiones, & qualitates requiſiverunt ad faciendum probabile, quæ nec omnibus Anthoribus, nec opinionibus non notatis poſſent congruere. Quia tamen fortè aliqui per inconſiderationem id ab illis dictum eſſe, falsò arbitrantur, ne ſimiliter exiſtiment, nos contra graviſſimorum illorum Authorum doctrinam in hac quæſtione ſcribere, tam in hac, quam in aliis idem ipſum ſæpè cogor animadvertere.

Rursùs non ſolùm quæſivi in titulo, an omnes illæ opiniones eſſent probabiles, ſed adjunxi, *& tuta.* Hoc enim de tuto, vel non, tuto; licito, vel non licito è re eſt, & ad ſcopum noſtrum refert: nam voces *probabilis*, & *probabiles*, & *probabilius*, ſunt apud nos voces æquivocæ, ut *lib.* 2. data multiplici probabilitatis acceptione conſtabit, quantarum confuſionum hæc vox *probabile* extiterit origo. Quæritur ergo, an ſi omnes illæ tituli opiniones ſint probabiles, & tutæ, ſeu ſi eam probabilitatem habeant, quæ ſecundum graves Authores ſufficit pro regulanda conſcientia, ſequatur, Theologiam Moralem, & Theologos reddi inutiles.

Si ex ea poſitione hoc ſequitur, neceſſe eſt, omnes re Theologos, & ipſam ſacram Theologiam contra talem poſitionem eſſe: neceſſe eſt Sanctam Eccleſiam illi reſiſtere: neceſſe eſt, Principes, & Reſpublicas idem facere, quandoquidem omnes Theologos, & Theologiam tam ſpeculativam, quam Moralem utiliſſimam, imò neceſſariam eſſe tuentur; & erectis Univerſitaribus, & aſſignatis ſtipendiis id fovent, de quo *p.* 2.

§. I.

Videtur ſequi, quod fuit quæſitum.

PRimò ſunt ſeparandi caſus omnes conſcientiæ, qui in omnibus omnium Authorum, & librorum opinionibus non notatis continentur, & de his primò eſt dicendum : ad caſus autem novos deinceps venietur, an ſaltem pro illis utilis ſit permanſura Theologia moralis.

Præmitto autem, quod aliquid Logicæ ſcientibus non erat advertendum, cognitionem reflexam, & hiſtoriam, per quam ſcitur, eas opiniones extare in Authoribus, & in libris, non eſſe Theologiam moralem, nec quem per hoc eſſe Theologum; ut *quæſt. præc.* ſatis eſt declaratum.

De hac ego hiſtoria non quæſivi, ſed de ipſa Morali Theologia; non de hiſtoricis, ſed de Theologis tracto. Hos autem inutiles reddi ex illa poſitione ſic oſtendo.

Primò. Tunc aliquid redditur inutile, quando ſine illo finis ejus & ſimpliciter obtineri poteſt, & tam facile, imò faciliùs obtineri poteſt. Hoc, quod loco majoris aſſumo, eſt declarandum, ut ab omnibus intelligatur, & admittatur. Neceſſarium duplex eſſe dicimus, aliud ad ſimpliciter eſſe, aliud ad benè, vel melius eſſe. Primo modo eſt neceſſarium ad vivendum manducare, ad ambulandum pedes habere, ad videndum oculos habere: ſecundo modo eſt neceſſarium ad vivendum comedere res ſanas, nec plùs, nec minùs juſto; ad videndum habere bonos oculos; ad iter faciendum habere equum, vel currum. Hæc omnia largè dicuntur utilia : nam utile habet præterea ſuam ſignificationem particularem, quæ nil ad præſens.

Jam ea, quæ nec ad ſimpliciter eſſe ſui finis, nec ad benè, nec ad meliùs eſſe ſui finis quidquam conferunt, ſunt inutilia; nam utile, vel inutile eſt gratia finis. Sic ſi ſine labore, & ſtudio ullo quis æquè bene poſſet ſcire Theologiam, labor fieret inutilis, & ſtudium ſupervacaneum : ſic etiam eſt in curru, & in equo, ſi ſine illis æquè commodè iter fieri poſſet. Ergo vera eſt aſſumpta illa propoſitio, tunc ſcilicet aliquid reddi inutile, quando finis ejus & ſimpliciter, & æquè facilè, & benè, imò facilius obtineri poteſt abſque illo.

Sed ſi omnes omnium Authorum, & librorum opiniones non notatæ, ſint probabiles, & tutæ, ſine Theologia Morali, & Theologis; æquè benè, imò faciliùs obtineri poterit finis Theologiæ Moralis, & Theologorum. Fient ergo inutiles. Minor patet; quia finis Theologiæ moralis, & Theologorum eſt regulare actus humanos, ut rectè fiant, id eſt, ut peccata non fiant, ſed actus noſtri ſint honeſti. Hoc autem totum habebitur, & obtinebitur æquè benè, id eſt æquè tutò, & omnimodè tutò per ſolam hiſtoriam, & catalogum earum opinionum ſine Morali Theologia : ea deindè hiſtoria faciliùs, ut patet, addiſcitur, quam ipſa moralis ſcientia, breviori tempore, minori ſtudio, debiliori; imò vix ullo intellectu. Quæ ergo ad finem Moralis Theologiæ pertinent, cuncta habentur, & faciliùs, & commodiùs comparantur, relinquendo ſcientiam ipſam, & ponendo ejus loco cognitionem reflexam memorativam, & hiſtoricam opinionum ipſarum. Deberet ergo hoc ſemel declarari, & ſtatui, & Theologia ipſa tanquam inutilis amandari. Loquor hactenus quoad res illas, quæ in libris, & Authoribus extant, quæ ſunt infinitæ; & de caſibus novis dicam poſt.

§. II.

Major declaratio, & confirmatio.

FAteor ego inſipientiam, aut ineptitudinem meam: nam diu, & ſæpè in rem iſtam reflectés; nunquam aſſequi potui ſi ipſe ſemel eſſem in ea opinione, & ſententia, quis mihi finis eſſe

poſſet

poſſet ſcribendi vel librum, vel tractatum, vel quæſtionem, vel ullo modo docendi quidquam jure Morali quoad res illas ſaltem omnes, quæ jam opinionibus ſubſunt, & de quibus eſt tota fermè moralis Theologia, & de quibus multa, & magna volumina quotidiè eduntur.

Etenim vel docturus, & dictutus ſum, aliquid non eſſe peccatum, vel dicturus, & docturus ſum, aliquid eſſe peccatum? Utrumque mox occurrit inutile. Primum quidem; quia id, quod facere volo, ſuppono factum; & actum agere omnes inutile dicunt, & eſt in proverbio. Etenim in ipſo principio quæſtionis cujuſque ſuppono, & etiam cito, eſſe opinionem dicentem, id non eſſe peccatum: quare actus, de quo quæritur, jam per id habebat non eſſe peccatum, & id tutò habebat, & tam tutò, atque me, & mea quæſtione addita: quid ergo actui illi conferre poteſt labor meus, & quæſtio mea? Dicis; fiet ea pars nonnihil probabilior. Sed contrà; quia non per id fiet tutior ea pars; ſupponitur enim eſſe omninò, & totaliter tuta. Dicis; operaturus conſolabitur unum amplius Authorem habendo. Sed contrà; quia juxta poſitionem, quam impugnamus, nihil timet, ſed omninò certus eſt, & cum evidentia de non peccato operatur ſine me: vanum ergo, & inutile eſſet in illius ſolatium ſcribere, qui nullo tali indiget ſolatio.

Et hæc quidem ita, ſi dicturus doctutiſque ſum, rem illam, de qua quæſtionem inſtituo, non eſſe peccatum. Si autem dicturus, docturuſque ſum eſſe peccatum, adhuc clarius facio rem inutilem: nam ſuppono, & non nego, opinionem contrariam eſſe probabilem, & tutam; hæc enim eſt poſitio: ergo dicendo eſſe peccatum, primò quidem videor, non verum dicere, cùm ego ipſe ponam partem contrariam eſſe tutam, id eſt, omnis periculi peccati expertem: & deindè quidquid ego dixero, & reſolvero, nil omninò refert, ſiquidem ſupponimus, opinionem contrariam habere authorem, vel authores, quos nec ego, nec alius ſcriptis noſtris tollere poſſumus; illis autem non ablatis facere non poſſumus, quin nec verè dicere, actionem de qua eſt quæſtio, omninò ſine peccato, & honeſtè fieri non poſſe: nam hæc eſt poſitio, quam modò impugnamus.

Dices: ſcribere poſſumus utiliter: nam nobis docentibus, aliquid eſſe peccatum, jam operaturus ſaltem de conſilio debebit actionem illam vitare; pars enim tutior eſt eligenda ſaltem de conſilio. Verùm nec in hoc occurrit finis ullus ſcribendi, & docendi; nam quin ego, vel alius in hac, aut illa quæſtione tradenda, aut in componendis libris inſudemus, ſciunt generaliſſima aſſertione omnes, de conſilio partem tutiorem eſſe eligendam, quandò utrinque ſunt opiniones: ſupponebatur autem, extare utrinque opiniones. In quem ergo finem laboramus?

Dicis: ſcribo, & doceo, actionem aliquam non eſſe licitam, ſed peccaminoſam; quia licet nunc extet opinio non notata in contrarium, propter quam illa actio, & operatio licitè, & ſine peccato nunc fieri poteſt; at me (ais) & aliis deinceps ſcribentibus, operationem illam eſſe peccatum, tandem fiet, vel fieri poterit, ut opinio contraria notari incipiat, & improbabilis dici; & tunc fructus aliquis ſequetur, quando multis opinionem illam notantibus, jam non licebit ſecundum illam operari. Quemadmodum (inquis) opiniones aliquæ, quæ olim probabiles erant, deſierunt eſſe probabiles, & tutæ.

Cæterùm hæc reſponſio præter noſtram controverſiam eſt, & abs re: nec enim ego quomodolibet te inutiliter docere, & ſcribere contendo, quando doces, operationem aliquam eſſe peccaminoſam; ſed procedo, & diſputo ex ſuppoſitione: ſuppoſitio autem eſt, quod tu non ſolùm dicis, & & doces, operationem illam eſſe peccaminoſam, ſed ſimul dicis, & doces opinionem contrariam eſſe probabilem, & tutam, & eam eligi poſſe ſine peccato. Ergo ſicut tu ſcribendo, & docendo addis tuum ſuffragium & judicium pro peccato; ita addis tuum ſuffragium, & judicium pro non peccato. Ergo te ſcribente, & docente res undique manet ſicut erat in principio. Ais, te præſcindere, an pars contraria ſit tuta, ſed verò hoc eſt contra ſuppoſitionem: & habetur hæc conſequentia: *ergo qui ſentit, & fatetur, omnes Authorum, & librorum opiniones non notatas eſſe probabiles, & tutas, fruſtrà, & inutiliter pro alterutra parte ſcribit.* Nam ſi dicis, non eſſe peccatum; jam hoc ſine te tam tutò, atque cum te habebatur, & eſt actum agere: ſi dicis, eſſe peccatum; fruſtra laboras; quia opinio eſt in contrarium, quam tu tollere non potes, & quam tu ipſe ſentis, & fateris, eſſe tutam.

Deindè ea ſpes, quod te, & aliis contrà ſcribentibus opiniones contrariæ reddendæ ſint improbabiles, & non tutæ; In primis in quamplurimis opinionibus locum non habet de quibus nulla talis ſpes haberi poteſt in vi ſolum doctrinæ. De aliis deindè res eſt incerta; & caſu, & ſine certo ſcopo præfixo ſcribis. Deindè fieri non poſſe videtur, ut tu bona fide opinionem contrariam coram Deo putes eſſe tutam; & intereà ea intentione labores, ut ſcriptis tuis, ſi alii fortè multi accedent (quod neſcis,) incipiat eſſe intuta. Rectum enim eſt, ut quam tutam eſſe veraciter credis, tutam velis permanere; nam addere, & tollere peccata, utrumque eſt nobis prohibitum.

Quamquam verò res tota ſatis videatur declarata, & probata, placuit tamen denuò quamdam hiſtoriam in confirmationem adducere. Pervenerat ad manus meas manuſcriptus liber, in quo ea quæſtio vertebatur, an liceret Principibus Chriſtianis inire fœdera cum Saracenis? Deſiderabam librum mea quidem ſententia doctiſſimum typis mandare, ſed deerat pecunia. Dignabatur tunc temporis mecum familiariter agere Vir quidam magni nominis Theologus, & dignitate præclatus. Rei certiorem cum feci: ipſe ſumptus neceſſarios promptè pollicitus eſt, ſi liber placeret. Juſſus ergo librum ipſi trado: & poſt dies aliquos reſponſum peto. Habui: liber iſte (inquit) eſt doctiſſimus, & rem omni argumentorum genere urget, & ſtatuit: nihil tamen facimus; eſt enim opinio in contrarium, nec Principibus ea fœdera inire volentibus Theologi deerunt unquam. Tum ego, ergo ne Illuſtriſſima Dominatio veſtra, exiſtimabat, libro iſto, aut alio opinionem illam de mundo tolli poſſe, & factum infectum fieri; aut Principibus Theologos adimi; & mihi illuſum doluì. Revera tamen, quod Illuſtriſſimus ille Dominus concludebat, videtur concludi, ſi ponatur omnes omnium Authorum, & librorum opiniones non notatas, eſſe probabiles, & tutas.

Ut ergo concludamus, quæro: vel cognitio reflexa, & hiſtoria opinionum, quæ ſunt in libris, &

Autho

Authoribus ſufficit ad dirigendas, regulandasque tutò conſcientias, & ſine omni peccati periculo in rebus omnibus, de quibus ſunt opiniones, vel non ſufficit: ſi non ſufficit: ergo dici non poteſt, omnes eas opiniones eſſe probabiles, & tutas, & rectam regulam morum. Si ſufficit: ergo moralis Theologia ad nihil eſt neceſſaria circa tales omnes res, & fruſtra, & ſine fine in ea laboratur, & libri fiunt. Quarè vel Hiſtorici non ſufficiunt, vel nihil ſunt neceſſarij Theologi. At nullus verè Theologus fateri poteſt ſecundum: ergo nullus verè Theologus affirmare poteſt primum.

Suppono autem, quidquid ita faceret, faſſurum eſſe neminem, ſe librum de Theologia Morali ſcribere, non quidem propter mores regulandos, ſed ut mundus videat ingenium ſuum, & miretur. De his aut aliis inanibus finibus ego non diſputo: locutus ſum de fine ipſius Moralis ſcientiæ.

§. III.

De rebus, de quibus nullæ ſunt adhuc opiniones.

NUnc videndum eſt, an ſaltem circa res illas, de quibus nil eſt adhuc in libris, nec in opinionibus, ſed de novo occurrunt, vel occurrere poſſunt, ſit utilis, & neceſſaria moralis ſcientia.

Dicet ergo aliquis, pro rebus utique tractatis omnibus ſufficere cognitionem illam reflexam, & hiſtoriam; eſſe tamen adhuc neceſſariam ipſam Moralem ſcientiam pro novis caſibus, qui quotidiè occurrunt; qui niſi ipſius ſcientiæ, & Theologi judicio rectè decerni non poſſunt.

Jam ergo de rebus tractatis libros, & quæſtiones reſcribere, eſſet inutile. Rursùs neceſſe foret, ut hi, qui ſolam cognitionem reflexam moralis Theologiæ habent, ſcirent, caſus novos reſolvere ſe non poſſe, ſed eos remitti debere ad Theologos ipſos.

Abſolutè verò videtur, quòd nec pro novis etiam caſibus ſit ulla Theologiæ utilitas. Id probare videtur diſcurſus Mirabilis Theologi Antonii Perez; dicere enim ſolitus erat, nullam videri eſſe neceſſariam conſultationem in re morali, quoties homini non inepto, ſed alicujus ingenii, & judicii occurrunt rationes dubitandi utrinque; quia quotidiana experientia ſcitur, in talibus rebus inveniri ſemper, vel ferè ſemper Theologum, vel Theologos abſolventes. Quarè quilibet argumento bono ſumpto ex iis, quæ plerumque contingunt concludere apud ſe poteſt, in re illa, de qua dubitat, inveniendnm Theologum, vel Theologos liberantes. Ergo per hoc argumentum poterit deponere ſuum dubium, & operari, quin peccet, quin Theologos conſulat, & ſine ulla moralis ſcientiæ neceſſitate. Ergo iſta efficitur inutilis pro novis etiam caſibus.

Confirmatur; qui conſulit aliquem ſcientem, quæ opiniones ſint in libris, & quas opiniones Theologi habent, prudenter, & tutò ei credit dicenti, eſſe talem opinionem in re, de qua conſulit: nec tamen omninò, & totaliter certum eſt, dari eam opinionem; quia falli, aut æquivocari, aut excidere memoriâ potuit reſpondens, ut non tarò contingit. Ergo licet Mercator, vel Nobilis certò neſciat à ſe inveniendum Theologum qui ipſum in re, de qua dubitat, ab obligatione liberet, tamen experientiæ communiter ita contingenti fidere poterit, & credere, ſe non operari contra ſenſum omnium Theologorum, ſed fore pro ſe aliquem, vel aliquos. Aliam deindè confirmationem addere poteſt; quia ſimiliter conſtat experientia, in iis, de quibus non ineptè dubitatur, rarò, vel nunquam Theologos omnes convenire: ergo de quo ipſe dubitat, poteſt præſumere, fore Theologos affirmantes, & negantes, ut in ſimilibus contingit. Ergo ſi quælibet cujuſlibet Authoris, vel Theologi, vel libri opinio eſt probabilis, & tuta, etiam circa caſus novos tollitur neceſſitas conſultationis: Ergo moralis Theologia ad nihil erit neceſſaria, ſed reddetur otioſa, & inutilis.

Hoc unum effici poterit, ut ſcilicet aliqua peccata de novo tollantur; nam ubi Authores omnes tenent, aliquid eſſe peccatum, poterit quis inducere opinionem de non peccato, quæ ſi non notetur, tollent unum peccatum; & ſic deinceps, ut fieri cæptum eſſe videtur. At addere nullus poterit; nam cæteris, vel omnibus, vel aliquibus dicentibus aliquid non eſſe peccatum, quod tu, vel alii dicunt eſſe peccatum, nihil efficit, & nihil ſignificat. Hoc ergo erit mirabile in ea poſitione, quod quilibet Author peccata tollere poſſit, etiam aliis contradicentibus: nullus verò, & nulli aliis contradicentibus addere poſſint.

QUÆSTIO. XII.

Utrum ergo nemo corde credat prædictam poſitionem?

INquam prædictam poſitionem, ſcilicet eam, quam hac *præcedenti quæſtione* propoſuimus quod omnes Auctorum, & librorum opiniones ſint probabiles, & tutæ. Nunc quærimus, an hoc, quod fortè aliqui ore dicunt; aliquis corde credat?

Hoc genus quæſtionis nouum non eſt: jam pridem Ariſtoteles 4. *Metaph.* diſputans contra eos, qui dicebant; idem ſimul eſſe, & non eſſe notavit *text.* 9. impoſſibile eſſe, *quempiam idem putare eſſe, & non eſſe: quemadmodum quidam Heraclitum dicere arbitrabantur; non enim neceſſe eſt, quæcumque quis dicat ea etiam putare.* Nam multoties apprehenſiones cum judiciis confundendo, nos ore dicimus multa, quæ corde minime credimus, licet nos credere arbitremur: quas opiniones vocare ſolent Ariſtoteles inopinabiles, quia eas nemo corde credit, tametſi loquatur tanquam credens, nec mentitur ſæpè, ſed fallitur.

§. unicus.

Reſponſio ad quæſtionem.

VIdetur dicendum neminem corde credere eam poſitionem, qua diceretur, vel ab aliquo forte dicitur, omnes Auctorum omnium, & librorum opiniones non notatas eſſe probabiles ac tutas ad conſcientiam.

Hoc probandum eſt eo genere argumenti, quo Ariſtoteles *loco citato tex* 17. & S. Auguſtinus, & alii uſi ſunt, ſcilicet arguendo ex operibus contra verba, quibus magis, quam verbis credendum eſt, ipſo etiam Domino à verbis ad opera provocante, ſi mihi non creditis, operibus credite; Opera enim concludunt ſine contradictione.

Sic ergo Ariſtoteles contra Heraclitum arguit. *Unde, & maxime manifeſtum eſt, quod nemo nec cæterorum, nec eorum, qui hanc orationem dicunt, ita affectus eſt*, ſcilicet ut eſſe, & non eſſe fidem putet. *Cur enim Megara vadit, & non quieſcis ire putans? nec mox à diluculo ad puteum, aut ad præcipitium aliquod pergit, ſed videtur verens, tanquam non ſimiliter non bonum, & bonum eſſe putans cadere in illa?* Si enim cadere eſſet non cadere, & præcipitium, non præcipitium, non eſſet cur quiſquam vereretur cadere, aut ire; nec ſi vadere eſſet non vadere, quiſquam Romam ire volens iret magis quam quieſceret; quia quieſcere eſſet ire, & ire eſſet quieſcere. Cum ergo nemo ita operetur, ex operibus uniuſcujuſque convincitur neminem ita corde affectum eſſe, ut credat quieſcere eſſe ire, & præcipitium eſſe non præcipitium, & cadere eſſe non cadere, & cadere, & non cadere eſſe bonum.

Simili argumento Auguſtinus *epiſt.* 243. invehitur in Mathematicos, ſeu Aſtrologos omnia fato adſcribentes, ex quorum operibus convincit eos non ita ſentire, ut loquuntur. *Nam cùm aliquis eorum* (ait) *hominibus nummatis ſuina fata vendiderit: mox ut oculum à tabulis eburneis ad domus ſuæ moderamen, ac ſollicitudinem revocaverit, non ſolùm vocibus, ſed etiam plagis emendas uxorem ſi immoderatius per feneſtram aſpicientem animadverterit. Quid tamen ſi ei dicat, quid me cædis? Venerem cæde ſi potes. à qua cogor hoc facere*; & ſic alia circa famulos, & fures, & injurias proſequens concludit. *Ego ne expectabo ut contra fata diſputem. Cùm tanta eum non verbis, ſed factis eloqui deprehendam; ut prope manibus ſuis omnes Mathematicorum tabulas ſuper eos frangere videatur?*

Prætereo alia aliorum exempla, qui concludens argumentum ex factis fecerunt contra opiniones vocales. In re plane noſtra ſimile argumentum fieri videtur ex factis omnium contra poſitionem illam. Nam nemo eſt Theologorum, qui librum, aut tractatum, aut quæſtionem, aut ſcriptum aliquod non faciat, aut ore ſaltem non doceat: & nemo eſt, qui in omnibus omnino quæſtionibus dicat ſemper non eſſe peccatum. Sic autem docendo laborantes putant ſe utiliter laborare, & ipſorum laborem conferre aliquid in finem ipſius ſcientiæ. Non ergo putant ipſis laborantibus, & non laborantibus res omninò manere eodem modo. At manerent eodem modo, ut probatum eſt, ſi poſitio illa teneret, ſcilicet omnes Auctorum omnium, & librorum opiniones non notatas eſſe tutas. Non ergo credunt eam poſitionem.

Rursùs omnes, & ſinguli aliquandò affirmant, & aliquandò negant; & cùm affirmant, putant ſe debere affirmare, & non negare: & ſimiliter cùm negant, cenſent expedire ut negent, & non affirment. Non ergo æqualiter expedire credunt, ut quandò affirmant, non affirment, ſed negent: & quando negant, non negent, ſed affirment. Nec rursùs æqualiter expedire credunt, aut quòd ſemper affirment, aut quòd ſemper negent. At admiſſa illa poſitione, idem eſt, vel quòd ſemper affirment, vel quòd ſemper negent: aut quòd quandò affirmant, negent, & vice verſa. Ergo non credunt corde eam poſitionem.

Confirmatur. Quicumque docendo loquitur, aut ſcribit, credit, magis expedire, ſe docere, quam ſe non docere, ſed tacere: nullus enim docens de fruſtrà, & inutiliter laborare fatebitur. Sed ſi poſitio illa teneret æqualiter expediret, to docere, vel tacere: librum facere, vel non facere: hæc & hæc docere, vel contradictoria docere. Nullus ergo corde credit prædictam poſitionem. Nec Reſpublica credit, nec Eccleſia, nec Principes. Nihil alioquin de fovenda morali Theologia curarent: nihil inter bonos Theologos, & non bonos diſtinguerent: nihil doctrinas morales examinarent; quia omnes eſſent tutæ.

Poſtremò quia nemo eſt, qui opiniones earum aliquas non impugnet, & contra illas aliquandò non arguat. Quid ergo intendit? An exercitari ſolùm, & oſtentare ingenium? An illas oſtendere minus probabiles? At hoc nihil intereſt ad finem; quia manent tutiſſimæ. An oſtendere eas falſas? Sed nec hoc refert, ſi maneat probabilitas. An demonſtrare illas falſas? At hoc velle & putare nequit, qui eas tutas eſſe ponit, & ſupponit. Ergo ex factis naturalibus omnium concluditur, neminem corde credere prædictam poſitionem.

QUÆSTIO XIII.

Utrum etiam qui in aliquibus doctrinam ſuæ contradictoriam tutam putant, faciant in talibus ſuum laborem, vel librum inutilem.

INvenio quidem Authores graviſſimos eligere, & docere unam ſententiam, & proponere ſimul, & citare contrariam, iſtamque dicere probabilem, & tutam in praxi. De probabili ſanè nulla eſſet apud nos ſolicitudo; nam *lib. ſeq.* oſtenſuri ſumus, quantum differat probabile opinionibus dari ſolitum à probabili conſcientiæ. Verùm cùm opinionem ſuæ contrariam probabilem dicunt, & tutam in praxi, de probabili conſcientiæ palam loquuntur. Hoc moris fateor, in D. Thoma, & in multis aliis haud invenio. Explicarem etiam, atque interpretarer Authores eos graviſſimos ita loquentes per diſtinctionem illam ſuam probabilitatis ſpeculativæ, & practicæ, quæ ſunt de objecto quidem eodem, non tamen ſecundum idem, & ſecundum eaſdem circunſtantias: at illi quorum arbitrabar intereſſe explicationem, gratias non habent, offenduntur potiùs, ſi interpretemur ideoque prætereo.

Quæro ergo, an hi, qui doctrinam ſuæ contradictoriam tutam putant, faciant in talibus laborem ſuum, vel diſputationem, vel librum inutilem? quemadmodum *quæſt. præc.* oſtenſum eſt, eos, qui omnes librorum non notatas opiniones tutas ponunt, reddere vanam prorsùs, ac inutilem Moralem Theologiam.

Cum iſta quæſtione connexa eſt alia. Poteſt ſanè aliquis nimium exiſtimare, & exorbitans, quòd omnes librorum non notatæ opiniones conſtituantur tutæ, cùm conſtet non omnes ſcriptores eſſe graves, nec intelligentes. At arbitrari poteſt, omnes opiniones non notatas Authorum gravium, qui ex fama publica habentur tales, eſſe tutas. Quæſtio ergo erit, an tunc in talibus ſuus liber vel labor ſit otioſus, & vanus? reddaturque etiam vana, ac inutilis Moralis Theologia in ea parte?

§. I.

Reſponſio affirmativa ad quæſtionem.

AFfirmandum videtur propter ea ipſa, quæ adducta ſunt ad oſtendendũ,moralem ſcientiam reddi inutilem, & otioſam, ſi omnes librorum opiniones non notatæ conſtituantur tutæ, & probabiles probabilitate conſcientiæ.

Nimirùm dubitat nemo, moralem ſcientiam ſive Philoſophicam, ſive Theologicam, quod ex procemiis ipſarum conſtat, eſſe practicas: finem proinde eſſe agere; & agere quidem ſecundum ſcientiam, & rectam rationem, id eſt rectè agere: eſt ergo finis rectitudo humanorum actuum. Ad hunc verò finem, ſive ad ſimpliciter, ſive ad meliùs obtinendum inutilem eſſe omnem illam diſputationem, vel librum, qui ſupponit, & fatetur, doctrinas contrarias eſſe tutas, oſtenditur reſumendo ea ipſa, quæ paulò antè ſtatuta ſunt.

Præſtat tamen in rebus utilibus nimis dicere, quàm non ſatis dicere: breviter ergo ex jam dictis rem ſummi momenti hic quoque declaremus. Incunda eſt quæſtio, vel diſputatio, an qui in concurſu non eligit digniorem ad cathedram, vel Præfecturam, teneatur reſtituere vel Reipublicæ, vel ipſi Digniori injuſtè prætermiſſos? Moliris hoc circa diſputationem ingentem: refert in limine ſententiam negantem, ac graves pro ea Authores; dicíſque hanc opinionem eſſe probabilem, quin probabiliſſimam & tutam. Mox tamen contrariam tenendam decernens diffuſam ſubis diſputationem, & argumenta multa congeris.

Dico, hoc totum operis, & diſputationis eſſe vanum, & inutile ad finem prædictum vel ſimpliciter, vel meliùs obtinendum. Scitur enim ſine tua diſputatione, quin evidenter ſcitur, Electorem illum, ſi reſtituere velit pro damno illato, honeſtè, recteque acturum: nec tu quidem hoc doces, eum honeſtè acturum, quod in quæſtione non erat, ſed eum teneri: de hoc quippe eſt quæſtio, hoc tu affirmas dicendo, *tenetur reſtituere*. Itaque in rectitudinem, & honeſtatem reſtitutionis abs re prorsùs eſt, & vana tua diſputatio.

Evidentiùs porrò eſt, eam vanam, & inutilem eſſe pro honeſtate non reſtitutionis: nam diſputatio, & argumenta, & moles tota operis potiùs tendunt ad obligandum ad reſtitutionem, atque ad hoc oſtendendum: opus proindè potiùs eſt contra honeſtatem non reſtitutionis. Nil ergo confert ad honeſtatem, & rectitudinem non reſtitutionis.

Confert, (inquis) ad oſtendendum, non reſtitutionem non fore honeſtam. Sed planè nihil minus: nam tu ipſe proteſtatus es, eam fore honeſtam; quia quod idem eſt, palam, & apertè effatus eſſe, ſententiam contrariam es tutam. Quare Elector digniorem prætermittens poſt totam tuam diſputationem ex ipſo tuo ore, & iudicio non ſolùm honeſtè, & rectè non reſtituit, ſed ut dicis, & dicitis, prorsùs evidens, & infallibile, dictamen conſcientiæ formare poteſt de honeſtate, & rectitudine ſuæ non reſtitutionis. Nihil ergo diſputatio tua facit ad non honeſtatem non reſtitutionis; idque ex ipſa tua confeſſione & ore. Quod iuxta alios labor meus inutilis futurus ſit, abſurdum non eſt, ſed tolerandum: at quod ex me ipſo & ex propria confeſſione aërem verberem, aut nodum, ut aiunt, in ſcyrpo quæram ne quid dicam ampliùs vanum profectò eſt.

Jam maxima pars Moralis Theologiæ conſtat huiuſmodi diſputationibus; nam in ſingulis fermè occurrunt utrimque, & adſunt Authores, qui graves habentur, exiſtimantur, & quarum doctrinæ tutæ dici ſolent ab eis, qui opiniones ſuis contrarias tutas arbitrari, dicereque ſolent. Erit ergo inutilis maxima ſaltem pars moralis Theologiæ: inutiles quoque libri de ea tractantes.

Inutilitas iſta videtur prætereà palam oſtendi ex alia ipſorum confeſſione, qui hoc moris uſurpant de habendis tutis doctrinis contrariis. Etenim ipſi uno ore hoc aiunt, quod à nobis *lib* 3. convellendum erit, ſcilicet leges omnes illas, de quibus ſunt utrimque opiniones probabiles, quales eſſe ab ipſis cenſentur opiniones Authorum gravium non notatas (aiunt, inquam,) tales omnes leges non eſſe ſatis promulgatas. Hinc inferunt eas non obligare.

Hinc nos palàm inferimus inutilitatẽ operum, & librorum eorumdem ad hominem. Nam in materia legum non ſatis, neque ſufficienter promulgatarum quærere, & diſputare an hoc, vel illud ſit malum, vel non ſit, perindè eſt, atque quærere, & diſputare, ubi nullæ ſunt leges, & ubi ſupponitur, nullas eſſe; quia ex principiis de legibus, lex non ſufficienter promulgata, eſt quaſi non eſſet, & in moralibus, quoad faciendum bonum, vel malum lex non promulgata, & non lex pro eodem reputantur. At inutile, & vanum foret mundum implere libris diſputantibus de bono, & malo; de peccato, & non peccato in materiis, & rebus circa quas non modo nullæ ſunt leges, ſed libri ipſi fatentur, & conteſtantur, nullas eſſe: ſcitur quippe, ubi non eſt lex, neque eſſe poſſe peccatum. Ergo inutile, vanumque eſt libros componere, & edere plenos diſputationibus de bono, & malo; de peccato, & non peccato in materiis, & rebus, circa quas non modò non ſunt ullæ leges ſufficienter promulgatæ, ſed libri ipſi fatentur palàm, & conſtantur, eas non eſſe ſufficienter promulgatas. Huiuſmodi porrò ſunt iuxta adverſarios omnes illæ materiæ, in quibus ipſi aiunt, doctrinas ſuis contrarias eſſe tutas, & in quibus adſunt utrimque opiniones Authorum gravium, & Reputatorum. Exponant ergo, cui fini inſerviant libri ſui?

Dicat inconſideratus aliquis, eos eſſe gratiâ exercitationis. Bene: ergo hi libri non ſunt regulativi actuum humanorum, ſed exercitativi. Erit ergo una Moralis doctrina exercitativa, quæ in ſimilibus libris continetur; alia autem quæ ſit directiva, & regulativa actuum humanorum, quorum gratia ipſa ſit, & ad quorum rectitudinem tanquam in finem ordinetur. ſed mox quæro, in quibus libris iſta, quæ noſtra intereſt, moralis doctrina tradatur? Memoras fortè Evangelium, libros Sanctorum, libros Spirituales? Sed nunc nihil de hoc. Dici ergo nequit, libros illos eſſe exercitationis gratiâ. Oſtende ergo finem in recta directione morum.

Poſtremò concluſio noſtra oſtenditur. Componentes eos libros, & diſputationes nihil dicunt: ergo fruſtrà laborant. Antecedens conſtat quodam principio non ſemel uſurpato ab Ariſtotele. Scilicet dicens ſimul ita, & non ita nihil dicit: clariùs; dicens contradictoria, & affirmans ſimul, & negans

negans nihil dicit; nam altero dicto diſſicitur viciſſim alterum. Hinc Juriſtæ habent, unius legis unum eſſe intellectum, ſcilicet rectum, & legem utrumque diſponentem nihil diſponere. Superior jubens me ſcribere, & ſimul jubens non ſcribere, nihil jubet.

At componentes libros, in quibus doctrinas ſuis contrarias aiunt eſſe tutas, dicunt ita, & non ita, & affirmant ſimul, & negant. Nihil ergo dicunt. Minor conſtat; quia dicendo doctrinam contrariam tutam, dicunt ita: mox opinionem contrariam aſſerendo, & pro ea fusè argumentando dicunt longiſſimum quoddam non ita. Clariùs. Dicendo doctrinam contrariam tutam dicunt honeſtam fore non reſtitutionem in prætermittente digniorem: dicendo rursùs, ſententiam contrariam eſſe tenendam, id eſt, dicendo, eum teneri ad reſtitutionem, dicunt, non reſtitutionem non eſſe honeſtam. Ergo dicunt utrumque, & ita, & non ita. Ergo nihil dicunt. Ergo tam eſt inutilis diſputatio, & liber, atque ſi nihil prorsùs Author locutus fuiſſet.

Hujus argumentationis vim, veritatemque confirmat factum notorium; nam prodit liber aut libri prodierunt, in quibus quæſtiones morales proponuntur, an hoc, an illud liceat; an hoc, an illud ſit peccatum? Mox ad ſingulas reſpondetur: eſt, & non eſt: licet, & non licet. Licet quidem propter hoc, & quia hic & ille Author ita docent. Non licet propter hoc; & quia hic Author, & ille ita tradunt. Ecce formaliſſimè quod dicebamus, ſcilicet Theologiam de eſt ſimul, & non eſt: licet, & non licet: ita, & non ita: quod ſapientiæ ſecularis eſſe docebit nos Hieronymus *lib. 3.*

Hoc porrò factum notorium; mos hic ſcribendi prodiit ex viſceribus illius, quam impugnamus doctrinæ: quod ſcilicet univerſaliter doctrinæ contradictoriæ tradantur eſſe probabiles probabilitate conſcientiæ; quòd rursùs quis unum doceat, & ſimul contradictorium dicat tutum, & ſanum. Idcircò mos illius Authoris de *licet, & non licet,* conſentaneus habitus eſt, ac velut proles legitima doctrinarum de probabilibus: quin in eo laudem meruiſſe videtur, quod ſingulas quæſtiones paucis verbis expedierit, nec non profuturis diſputationibus aut libros impleverit, aut Lectores moratus ſit. Quod quippe ille formaliter reſpondeat, *eſt peccatum, & non eſt peccatum; licet, & non licet,* hoc æquivalenter, & ſatis clarâ planè æquivalentiâ cæteri, quibus cum hic res eſt; reſpondent, cùm ad ſententiam deobligantem à reſtitutione aiunt, *tuta eſt*; & mox ipſi aiunt & docent dari obligationem reſtituendi.

Ais, procul abeſſe à tantorum Authorum mente, & ſenſu ſimiles contradictiones, aut ludum de *eſt, & non eſt.* Et hoc quidem ego accipio libentiſſimè, inſignes certè viros ſibi fere in omnibus non contradixiſſe, nec affirmaſſe ſimul, & negaſſe.

Sed enim quæro, quis re ipſa fuerit ſenſus, & quæ mens? fateor quippe me ineptiſſimum mortalium, qui diù meditatus hoc aſſequi non potuerim: alios etiam rogavi, & nihil unquam didici. Dicis fortè, conſtare plane de ſenſu, ac mente eorum Authorum. Cum quippe proponunt opinionem deobligantem à reſtitutione, & eam tutam dicunt & tamen mox opinionem ipſi contrariam docent, ſcitur ſane, ex eorum mente, & ſenſu, Electorem illum, qui Digniorem poſthabuit, omnibus abſolutè conſideratis, quæ hic, & nunc occurrunt, & adſunt, inter quæ adeſt de facto probabilitas, & ſecuritas opinionis deobligantis, etiam ſecundum eoſdem Authores abſolutè non teneri reſtituere, & omiſſionem reſtitutionis fore honeſtam; quin de hoc baberi evidens, & infallibile dictamen conſcientiæ. Hic, inquis, eſt ſenſus, hæc mens Authorum illorum. Non ergo dicunt utrumque, & ita, & non ita; & propterea nihil.

Habemus ſanè per hoc perſpicuum ſenſum unius dicti, & abſolutum *licet*, non reſtitutionis. At alterius dicti, quo contrarium docent, ſenſus datus non eſt; & ſi verè contrarium docent habebimus aliud abſolutum *non licet*; ſin minus, contrarium non docent quid ergo altercantur, & diſputant tanquam ſibi contrariantes? Sed de hoc latè dicetur *lib.* 3. ubi conſtabit, Theologiam moralem fieri de ſecundum quid; ac multa alia.

Modò libens accipio datam reſponſionem, ſcilicet ex mente, & ſenſu eorum Authorum abſolutè, hic, & nunc honeſtam eſſe non reſtitutionem, quin hujus honeſtatem eſſe evidentem, & infallibilem. Nunc ad ſcopum meum redeo; ergo ipſorum diſputatio in contrarium eſt inutilis, & vana ſecundum ipſos. Hic enim duo actus humani occurrunt regulandi, vel unus actus, & omiſſio. Citra, & præter omnem diſputationem ſcitur evidenter actum reſtitutionis fore honeſtum; quin ipſi non de hoc diſputant, ſed an ſit obligatorius? & hæc erat quæſtio. Similiter ipſi præmittunt, non reſtitutionem eſſe honeſtam, & de hoc haberi poſſe infallibilem evidentiam. Quem ergo actum humanum regulatura eſt ipſorum diſputatio? Planè nullum, Inutilis eſt ergo. At eadem eſt ratio ferè de omnibus. Ergo ſicut prius.

Expono breviter. Diſputatio illa non dirigit; nec regulat non reſtitutionem; nam potiùs eſt contra illam. Deindè non regulat reſtitutionem ſecundùm ſe, & non tanquam obligatoriam, ſed purè voluntariam: quia diſputatio non eſt de hoc, ſed de reſtitutione ut obligatoria. Denique non regulat reſtitutionem tanquam obligatoriam: nam ſumpta integrè diſputatione abſolutè hic, & nunc reſtitutio non eſt obligatoria per te: regulare quippe actum humanum eſt hic, & nunc in particulari. Ergo nihil regulat. Ergo ſicut prius.

§. II.

Propoſita materia belli, concluſio magis declaratur, ac rei magnum momentum urgetur.

HAud illud ignorare ſanè poſſum quod omnium teritur ore, pleroſque ſcilicet, & graviores eorum, qui conſueta probabilia contradictoria pro conſcientia docent ſufficere, fortè excepturos eſſe materiam belli: eas quippe omnes materias à ſua de probabilibus doctrina excipiunt, in quibus præter licitum, vel non licitum, id eſt, præter ſolam violationem legis imminet præjudicium tertii, vel proximi: in bello autem multa nimis præjudicia imminent. Conſequentiùs alii nihil excipiunt; hocque in praxi videtur prævaluiſſe.

Sed nos modò non de hoc diſputamus, dicturi de eo poſt pauca. Diſputamus ergo de eo, & cum eo qui in materia belli ſcribens, & multa ipſe requirens pro juſtitia belli, fateretur interea, & diceret, doctrinam contrariam eſſe tutam. Tres in ſumma invenio opiniones circa juſtitiam belli in genere: una ad bellum aggreſſivum requirit jus omninò certum, & indubitatum: alia docet, ſufficere jus probabilius: alia ſatis putat jus probabile. Et hæc quidem de bello in genere. Jam in ſpecie de bello aliquo particulari paſſim occurrit diſputare, an juſtum ſit, an injuſtum? & utrinque prodeunt opuſcula, & libelli, & libri ſine fine.

Pono itaque, te indignatum tantæ facilitatis movendorum ubique bellorum, parare volumen, in quo magnis authoritatibus, & rationibus ſtatuas, ad juſtitiam, & honeſtatem belli aggreſſivi requiri jus clarum, certum, & perſpicuum. Sed ego te multa molientem interpello, & quorsùm tanta mole diſputationis irruas, amice rogo? Quorsùm, inquis? *Madet jam* (ſubdis ex Cypriano) *orbis mutuo ſanguine: & homicidium, cum admittunt ſinguli, crimen eſt: virtus vocatur, cum publicè geritur. Impunitatem ſceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, ſed ſævitiæ magnitudo.* Tam facilè, inquis, nulloque negotio moventur bella atque inſtituuntur convivia: gliſcit, ac perit ſtrage? perpetua Europa noſtra, atque ſeditionibus noſtris factum eſt, ut cuncta occupet furor Turcicus, Chriſtiana Religio vix ſit uſpiam ac quaquaverſum pereant infinitæ animæ. An ergo tanta lues omni genere argumentorum arcenda non eſt? Utinam, ais, omnes una Doctores obſiſterent. Quanta omnium ſollicitudo, quantus rigor pro arcenda peſte. Belli tamen malis peſtem Rex ille ſapientiſſimus poſthabuit.

Hæc ſanè omnia ſanctiſſima ergo dico. Sed rogo te, quid de ea ſententia exiſtimes, quæ ait, ſufficere jus ſaltem probabilius ad movenda bella? Eſt hæc, ut non ignoras, non vulgarium modò, ſed graviſſimorum etiam Authorum. An improbabilem, intutamque eam habeas? ſi ex iis es quibuſcum nunc diſſero, dices, eam eſſe falſam. Sed ego nihil de vero, & falſo: de probabili, & tuto rogavi. Durum ergo ais eſſe, opinionem tantorum virorum condemnare, intutam habere; & ægrè quidem, fateris tamen demùm, eam tutam eſſe.

Infero: ergo illa tua tanta diſputatio inutilis eſt arcendis bellis, aut reſtinguendis ex ipſa tua confeſſione, & judicio. Patet. Ecce Princeps moturus bellum ex jure non claro, & certo, ſed probabiliori, te ipſum conſulit, an licitè aggredi poſſit? Tu tuam longam diſputationem offers. Ille diſputationes non quærit, ſed concluſionem. Rogat ergo, an non obſtante tua tanta diſputatione tutò, & licitè ſequi poſſit opinionem contrariam, quam tu ipſe faſſus eras tutam eſſe? Conſentis demùm, & dicis, ægrè quidem, dicis tamen licitè, & honeſtè moveri poſſe bellum illud. Quære ergo in quem finem tua diſputatio deſerviat.

Dices fortè Principi, ſe incurſurum malitiam materialem. Haud intelligit ipſe hos terminos: quærit ergo, an ſua operatio honeſta futura ſit, an gratiam, & Dei amicitiam, ac deindè gloriam amiſſurus ſit hac de cauſa? Reſpondes, nihil horum amittendum, & cætera ille parui pendit, quæ nec culpa quidem venialis ſint. Agemus latè de his materialibus malitiis *lib.* 3. & rurſus *parte* 2. dicemuſque ſumpta integrè ſerie doctrinæ contrariæ nullas fore nec malitias quidem materiales.

Profectò abſurdum non eſt laborare, ac opus facere, quod ex alterius malitia, & abuſu inutile reddatur in finem ſuum. Ut infinita Præteream, Deus ipſe, ab exordio ſæculorum gratiam hominibus diſtribuit, quam præſcit, inutilem futuram in ſuum immediatum, ac proprium finem converſionis hominum ex ipſorum abuſu, atque malitia. At hoc planè foret abſurdum, non à Deo glorioſo ſolùm, ſed ab homine ſapiente alienum, opus facere in finem aliquem, cujus non uſum probaret ipſe. Ego ſanè nunc quæſtiones iſtas inſtituo parùm fortè profuturas: ſed non me probante: ſuperſunt proindè fines alii mediati.

Hinc illud ſequitur, quod poſt pauca tractabo denuò, hoc more doctrinarum retento, nulla ferè bella vitari poſſe propter doctrinam; nec proindè propter conſcientiam. Videtur enim moraliter impoſſibile, quod Principi cuique volenti quodlibet bellum movere, deſint graves Doctores Juriſtæ, & Theologi approbantes: vel deſint experientia aliquandò aliqua in contrarium. At dicebas omnes non quidem omnium, Doctorum tamen gravium v. g. præcipuorum celebrium Academiarum eſſe tutas. Si liceret exempla recentia in ſpecie proponere & in materia belli, & in aliis graviſſimis, rei veritas, ac momentum perſpicuè cerneretur, & quanta hinc mala obveniant, viderent omnes.

Hanc diſputationum, & librorum inutilitatem, quam in materia belli proſequutus ſum, juvat etiam proponere in collationibus caſuum conſcientiæ, quas ſanctè exercent multi Sacri Ordines, ac Sacerdotes etiam non regulares, eas quippe futuras inutiles, & otioſas plerumque, ſi vel ſemel ſtatuatur omnes Authorum gravium opiniones eſſe tutas, vel doctrinas contrarias tutas eſſe præſcribamus.

Sit caſus diſputandus, & conferendus iſte, an Sacerdos ſub gravi teneatur ad celebrandum attentè, & cum attentione? Is, qui præeſt, præmittit pro more, in hac quæſtione duas eſſe ſententias, alteram affirmantem, negantem alteram; & refert Authores graves, & reputatos pro utraque. Mox dicit, ſententiam negantem eſſe probabilem, & tutam, quandoquidem eos Authores habet: ſibi tamen videri, dari obligationem gravem attentionis. Arguit latè pro hac parte: argumenta deindè contraria affert, & ſolvit; ac ſic diſputando vel horam, vel ſemihoram explet.

Dico hanc diſputationem, hoc laboris tum ſuum tum adſtantium eſſe inutile. Hoc palam oſtendi videtur, per argumenta ſuperius adducta. Etenim dicendo ſententiam contrariam tutam, dediſti plenam ſolutionem tuæ diſputationi, & argumentis quoad dirigendos, & regulandos actus humanos, ut fuit oſtenſum: ſi ſolum gratiâ exercitationis, diſputas, ſtatue hoc, primum & dicito, te non pro ipſa ſic, vel celebranda, ſed exercitationis ſolùm gratia diſputare. Sin verò finis eſſet oſtentare ingenium, hoc eſt vanitas vanitatis. Diſputo, inquis, pro veritate. Sed de hoc *quæ. 7. ſeq.*

Con-

Digitized by Google

Confirmo. Si concluſionem iſtam poneres : *tenetur quis ſub gravi, & non tenetur attentè celebrare*, inutilis eſſet, & nihil ſignificaret tua diſputatio. At hoc idem æquivalenter dicis dicendo *tenetur quis*, & ſimul dicendo tutum contrarium. Omitto alia. Certè diſcurſui meo fidens minùs, rogavi aliquandò aliquos, qui his Collationibus præerant, quem ſibi ſerium ſcopum præfigerent? Nova eis accidit mea quæſtio; multa quippe facimus, quia fiunt: poſt reflexionem tamen aliquam alii exercitationem, alii malitias materiales prætexerunt.

Videtur ergo interpretanda doctrina prædicta, & mos prædictus.

Sanè contra lumen naturale eſt omnium ea inutilitas diſputationum, & librorum, quam ſequi diximus, vel ſi ſententiæ contrariæ tutæ dicantur, vel ſi præſcribatur, tutas eſſe omnes opiniones Authorum gravium, ut ex factis omnium argumentando *ſupra* commonſtratum eſt.

Nunc breviter in Collationibus caſuum, de quibus modo dixi, conſtat, eas omnium ſenſu ſanctè, & utiliter eſſe inſtitutas: eas deindè dirigi, ut in confeſſionibus, & conſultationibus mores fidelium rectè regulentur, & hunc eſſe finem potiſſimum. Idcirco, ut Ariſtoteles ſuprà arguebat in ſimili, Superiores non æquè bonum putant, ſi is vel ille præſit, ſi argumenta, & diſcurſus futiles adducant; ſed dignos eligunt, Theologiæ gnaros, qui graviter diſputare ſciant; ac potentes ſint exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Sperant ergo omnes naturæ ſenſu, ex his collationibus fructum colligi poſſe, quin colligi pro bono regimine animarum. Interpretanda eſt ergo omnis doctrina, vel mos his obſtans.

Ipſi potentiſſimi Reges, ut de bello dicam, non ſe ſatis juſtificatos arbitrantur, ſi libellum, ſeu Manifeſtum, ut vocant, divulgent, quo conſtet hoc unum, ſe ſcilicet pro belli ſui juſtitia habuiſſe tres, aut decem Doctores graviſſimos: ſed libros, & opuſcula cudi curant, ac divulgari, quæ de ſua juſtitia directè tractent, eamque oſtendant: hoc enim niſi oſtendatur, & conſtet, putant, ſe injuſtos habendos. Ideò in contrarium etiam pro contrario Principe libri eduntur. Hoc naturæ ſenſu faciunt naturaliter omnes hîc, & ubique Regnorum, ubique gentium. Putant ergo creduntque naturaliter omnes, hos labores, & libros conferre ad hoc, ut ſciatur, Principem moventem bellum juſtè agere, vel injuſtè agere; illius operationem aggreſſivam honeſtam, & laudabilem eſſe: vel inhoneſtam, ac vituperabilem eſſe.

Ipſi demùm Authores, qui morem illum habuerunt, omnibus ſuis libris loquuntur, & tenent utilitatem eorum, ac his tantis factis docent, ſe tutas non habuiſſe omnes opiniones authorum etiam gravium; quod Vazquio in ſpecimen omnium exhibito oſtenſivè ſuprà firmatum eſt. Et omnes ſanè mallent, ſe in una aliqua quæſtione de Probabilibus deceptos eſſe, aut in doctrinis contrariis tutis dicendis non ſatis advertiſſe, quam omnes ſuos libros inutiles eſſe pro moribus hominum.

Quandoquidem ergo tam promptè quaſlibet Scripturæ, & Sanctorum authoritates interpretantur, vix ut authoritate confici quidquam poſſit, abſurdum non erit, ſi aliquos aliquandò Theologos interpretemur; hoc potius abſurdum foret cenſere, Doctores ipſos Eccleſiæ, ſanctoſque alios vix unquam extitiſſe perſpicuos, & liquidos, ſed ambiguos; Theologos porrò nunquam, horumve authoritatem magis intemeratam eſſe ſervandam.

Interpretamur itaque, eos, dum opinionem ſuæ contrariam tutam dicunt, voluiſſe dicere, eam non ita à vero exorbitare, quæ ex aliqua ignorantia ſatis ordinaria non poſſit aliis putari vel vera, vel probabilior, & ſic eis eſſe tuta, ſi ignorantia fuerit involuntaria. Vel rursùs eos non de opinione prorsùs contraria locutos; ſed de contraria ſolùm ſpeculativè, cui poſteà pro praxi adeſſe poſſit circumſtantia aliqua, vel ratio particularis, ob quam liceat diſcrepare & diſcordare in judicio practico à ſententia eorum Authorum, & ſic fiet tuta: aliæ quippe opiniones adeò à ratione exorbitant, ut nulli, & nunquam tutæ eſſe queant: hoc enim modo ipſi illi Authores exponere ſolent probabilitatem ſpeculativam, & practicam. Hoc rursùs modo dumtaxat licere in judicio practico diſcordare à ſpeculativo docent expreſſiſſimè.

QUÆSTIO XIV.

Utrum non inutile modò, ſed illicitum etiam videatur, doctrinas, quas tutas, ſanáſque putas, oppugnare, & quatere.

DE inutilitate operis dictum eſt: nunc videndum ſupereſt, an vel mortaliter, vel ſaltem venialiter illicita ſit, inhoneſta, vituperandaque ea oppugnatio?

§. Unicus.

Reſponſio affirmans.

VIdeatur oppugnationem illam illicitam eſſe. Primò ex dictis de inutilitate; de omni enim verbo otioſo reddituri ſumus rationem: quantò ergo magis de diſputatione, & de libro. Atque hoc confirmatur ex jactura temporis tam tui, quam aliorum, ex expenſis item, & ſumptibus inſtrumentorum: maximè verò; ſi edendus eſt liber, quod tanti conſtat.

Secundò probatur directè ex ipſa natura operis; nam eſt operatio naturâ ſuâ tendens in deſtructionem rei per ſe, & intrinſecè bonæ; quia talis eſt in ſcientia Morali omnis doctrina tuta, & ſana; ſuppono quippe, omnem doctrinam tutam eſſe ſanam, & rectam. Etenim in ſcientia Moralis omnis illius doctrina tuta, & ſana confert ad virtutem, exiſtitque gratia rectitudinis morum. Eſt ergo per ſe, & intrinſecè bona. At oppugnatio cujuſlibet doctrinæ eſt operatio natura ſua tendens in deſtructionem illius, fundamenta ejus convellendo, & argumentis eam quatiendo, & refutando. Eſt ergo operatio natura ſua tendens in deſtructionem rei per ſe, & intrinſecè bonæ.

Confirmatur, & exponitur. Hoc eſt in doctrina morali eam tutam, ac ſanâ eſſe, quod eſt in moribus eos honeſtos eſſe. At oppugnare mores honeſtos

turpe eſt, & illicitum. Ergo oppugnare doctrinas tutas, & ſanas illicitum eſt. Rurſùs qui oppugnant doctrinam ſanam, eam propriè non ſuſtinent, nec ferre volunt. At hi non probantur à Paulo, ſed reprobantur, & tanquam malè agentes arguendi ſunt contradicunt doctrinæ. Illicitum eſt ergo oppugnare doctrinas tutas, & ſanas atque illas docentibus contradicere.

Ego, ais, contradico, & oppugno, non quia certæ, & ſanæ non ſunt, ſed quia falſæ ſunt. ſanctum eſt autem falſa refellere. Video ſanè, te unam eamdemque doctrinam falſam ſimul, & tutam, ac ſanam exiſtimare. Hoc *libr. ſeq.* convelletur oſtendendo, omnem ſanam doctrinam eſſe veram, nec ſanitatem doctrinæ aliud eſſe, quam veritatem.

Sed modò ex iſta tua complicatione utrumque ſequitur, & ſanctè te oppugnare, quia doctrinæ falſæ ſunt; & te inhoneſtè oppugnare, quia tutæ, ſanæque ſunt. Quemadmodum, quod eſt exemplum S. Thomæ ad præſens; ſi quis exiſteret ſanus, & ſimul pateretur inæqualitatem humorum, id eſt, ſi ſanus ſimul eſſet, & non ſanus curandus ſimul eſſet, & non curandus, & curatio eſſet ſimul bona, & mala. Quin in re noſtra omnibus ſumptis, & conſideratis ſequetur, abſolutè, & ſimpliciter oppugnationem eſſe malam; quemadmodum curatio eſſet mala, ſi inæqualitas humorum integram ſanitatem non impediret, aut læderet.

Etenim eorum omnium bonitas, appetibilitas, & æſtimabilitas, quæ gratia alterius exiſtunt, ſumitur ab hoc, quod in id conferant, vel non conferant, & finis eſt menſura bonitatis & quantitatis eorum, quæ ſunt ad finem. Doctrina porrò, ac ſcientia moralis eſt propter mores & rectitudinis eorum gratiâ, ut dictum eſt. Hinc ergo, & per hoc menſuranda eſt illius bonitas, & appetibilitas. Ergo doctrina moralis falſa, ſi tuta, & ſana eſt, & æqualiter conferens in rectitudinem morum, atque vera, erit doctrina moralis abſolute, & ſimpliciter bona. Ergo illius oppugnatio, & intentata deſtructio erit abſolutè, & ſimpliciter mala; ac proindè illicita, & vituperabilis.

Patet hoc exemplo poſito ſanitatis corporis; nam ſi æqualitas humorum æqualiter conferret in ſalutem, atque debita illorum æqualitas, mala eſſet curatio intendens inducere æqualitatem. Aliud exemplum eſt in actibus ipſis noſtris, qui re ipſa fiant inculpabiliter contra legem Dei ex ratione errante invincibiliter. Actus iſti juxta adverſarios, licet materialiter mali, ſunt tamen boni, & honeſti, non minus, atque ſi re ipſa eſſent juxta legem Dei. Tum ſic arguo. Sic ſe habet materialitas iſta in moribus, ſicut falſitas in doctrina morali; nam ſicut materialitas illa nihil prorsùs adimit honeſtati morum, ac proindè nec utilitati, & conducentiæ in finem morum; ita nec falſitas juxta adverſarios quidquam conducibilitatis adimit doctrinæ morali falſæ in finem ejus, Sed mores illi, & actus materialiter mali, abſolute tamen honeſti deſtruendi non ſunt; nec oppugnandi; ſed laudandi, quin æqualiter laudantur à Deo glorioſo, & æquali præmio donantur juxta adverſarios, atque alii materialiter non mali. Ergò ſimiliter de doctrina morali falſa quidem, tam tuta tamen, & ſana; atque ſi vera eſſet, & quam eſt tuta & ſana alia vera.

Sed demus, falſitatem defectum aliquem eſſe in doctrina morali, etſi impertinenter ſe habeat ad finem illius. Profectò in hac doctrina concurrunt & falſitas ejus, & ſanitas ejus. In comperto eſt, ex his duobus potiſſimum ſaltem eſſe, quod tuta, & ſana doctrina ſit. Doctrina verò ipſa hæc duo ſibi identificata habet, ſcilicet bonum magnum, & exiguum defectum, & dum doctrina ipſa oppugnatur, utrumque oppugnatur. Illicitum autem, & turpe videtur, ut tollas exiguum defectum, velle tollere magnum bonum; quod multis exemplis declaratur, & à fortiori comprobat ſententia Evangelica, ne ſimul eradicetis & triticum.

Sed verò velles fortè tollere hoc bonum cum ſuo defectu, inducere loco illius aliud purum bonum ſine illo defectu: id eſt, velles tollere doctrinam licet tutam, & ſanam, tamen falſam; & inducere loco illius aliam tutam, & ſanam, & veram. Hoc ſanè honeſtum eſſet. Non tamen huc tendit tua diſputatio; nam doctrina tuta, & falſa tollenda; in quod ſcilicet tendit tua oppugnatio, eſt doctrina tuta deobligans a reſtitutione, quam tu inducis, eſt contraria; & obligans ad reſtitutionem. Nequit ergò induci loco illius: illa quippe ſanitatem habebat, quam conferret non reſtitutioni, iſtam honeſtam efficiendo; oppugnatio verò tua potiùs eſt contra iſtam honeſtatem; certè ex oppugnatione tua, & argumentis non reſtitutio non redditur honeſta, ut patet.

Hinc duo conſtant primum, doctrinas tutas falſas eſſe bonum quoddam inſupplebile per doctrinas veras, & bonum utique magni momenti, ex quo ſcilicet plurimi actus humani reddantur honeſti. Aliud eſt, falſitatem harum doctrinarum tolli non poſſe, neque deſtrui, non deſtructo bono ipſarum; nam falſitas deſtrui nequit, non deſtructis ipſis doctrinis; his autem deſtructis deſtruitur bonum ipſarum. Ergo operari in deſtructionem ipſarum eſt operatio mala natura ſua. Et quidquid operans bonum aliquem ſibi finem præſcriberet, nequit ex hoc operatio ipſa reddi bona. His intelligendis exemplum ſit, quod Medicis eſt in proverbio, nullum medicamentum eſſe adeò undequaque ſalubre, quod aliqua ex parte non noceat: tamen quia bonum prævalet, & abſolutè ſalutem conferunt, eſſet per ſe mala oppugnatio omnium medicamentorum. Sanitas doctrinæ falſæ ſanitatem confert actibus per ipſam regulatis; falſitas nihil prorsùs nocet. Ergo à fortiori illicita erit, & per ſe mala illius oppugnatio, & conatus in deſtructionem.

Adde, quod potiſſimum erat, hoc, quod de falſitate ſuppoſuimus, eſſe de ſubjecto non ſupponente; nam doctrinæ hujuſmodi falſæ non ſunt juxta ipſos; quia juxta ipſos ut *præc. quæſt.* eſt notarum in rebus, in quibus ſunt hujuſmodi doctrinæ probabiles, & tutæ, leges non ſunt ſatis promulgatæ. At vera eſt omnis doctrina docens, aliquid non eſſe peccatum in rebus, in quibus leges ſatis promulgatæ non ſunt. Ergo nulla falſitas eſt in ejuſmodi doctrinis.

Prætereo alia, ex quibus oppugnationes dictæ oſtendantur illicitæ: ac proinde libri ipſi. Habent enim plurimum fictionis; nam verbo quidem proteſtatus es, doctrinam contrariam eſſe tutam, & ſanam: factis autem, quæ plus fidei merentur, fortiſſimè negas, dum adeò fortiter in illam inveheris. Incurris hinc vitium illud veritati morali oppoſi-

oppoſitum, de quo 4. *Ethicor. cap. 7.* Lectores, & auditores in ambiguitates, & ſcrupulos conjicis; nam plus moventur factis tuis, quam proteſtatione facta: certè moventur aliquid, & credunt te non fruſtrà laborare in actuoſa diſputatione. Adverſarios contriſtaris, & vexas, eos ad reſpondendum cogendo, illorum commodis, & ſaluti, & tuæ etiam præjudicas. Cernit ſanè quiſque, intutas doctrinas promovere eſſe malum ſiſtendo in eo, nec eas denuò redarguendo: malum ergò etiam erit inſectari, & perſequi doctrinas, quas tu ipſe tutas, & ſanas habes.

Si haberemus moralem Doctorem, cujus doctrinæ omnes infallibili Eccleſiæ judicio eſſent tutæ, & ſanæ. Turpe profectò foret inſequi, & oppugnare hunc Doctorem; quin ſubſcribendum ei eſſet, & intimandum omnibus videretur, ipſum audire. Unde nihil foret ulteriùs movendum, altercandum, contendendum, ſed pax ineunda de univerſa re morali. Adverſarii noſtri omnes fermè doctrinas contrarias tutas aiunt, & ſanas. Certè quo jure eas mox inſectentur, non aſſequimur, magis quam ſi Medicus oppugnaret potionem quam Collega ſuus ordinat, & quam collaturam ægro ſalutem ipſe etiam credit, nec aliam ipſe habet, quam loco illius præſcribat.

QUÆSTIO XV.

Utrum ſi conſuetum probabile eſt alicubi regula morum ſit regula ubique ſine exceptione, & in judiciis, & in Bello, &c.

BRevitatis ergo conſuetum probabile voco, quod opiniones omnes probabiles complectitur, ſive magis, ſive minùs, ſive æqualiter tales, quodque contradictoriis ſimul doctrinis convenire tuentur. Nec quæſtionem, vel quæſtiones inſtituo de probabili, nam aliquod probabile regulam morum eſſe, nos etiam ipſi tradituri ſumus, ſed de hoc probabili, de quo nunc diſputamus.

§. I.

Authorum mens circa judicia.

SUperiùs propoſuimus, eos Authores, qui hoc probabile regulam morum eſſe tradiderunt, diviſos eſſe, & graviores quoſque limitaſſe, reſtrinxiſſeque hoc ſuum dictum ad eas ſolùm materias in quibus ſolum eſt quæſtio de licito, vel non licito, neque ulterius imminet præjudicium aliquod tertii, aut proximi: alios maximè verò Recentiores repuliſſe limitationes omnes, ac univerſaliſſimè docuiſſe; probabile ubique eſſe regulam morum. Dum porrò regulam dico, rectam intelligo, ut cum hominem dicimus, verùm omnes homines ſignificamus, & intelligimus.

Authores itaque graves communiter aiunt, dictum probabile non eſſe regulam in iis rebus, in quibus præter licitum, aut illicitum imminet damnum vel tertiæ perſonæ, vel Communitatis. Hinc docent primùm, Judices non poſſe judicare juxta opinionem ſaltem minùs probabilem; & mox de Medicis, ac aliis idem docent.

Ut nunc de judiciis, & judicibus præcipuè dicamus, quærunt, an ſequi debeant opiniones magis probabiles? an communes contra ſingulares? quid in quæſtione juris? quid in quæſtione facti? quid in opinionum æqualium conflictu? quid in civilibus? quid in criminalibus?

Graviores quique Authores obligant eos ad opiniones probabiliores, & ad communes contra ſingulares tam in civilibus, quàm in criminalibus. Quandò partium jura ſunt obſcura propter conflictum æqualium fundamentorum ex quo mens Judicis irretitur, docent, debere Judicem compellere partes ad compoſitionem, vel rem dividere, ſi eſt diviſibilis, ſi poſſeſſio, vel quid ſimile non favet uni partium, habent quippe pro poſſeſſore, pro reo; & pro cauſis privilegiatis ſuas, quas ſequantur, regulas. Minoris notæ alii has limitationes refutant: nec tamen ſcio quemquam eò uſque proceſſiſſe, qui diceret, Judicem in criminalibus damnare poſſe ad mortem ſequendo opinionem vel in jure, vel in facto minùs, aut æqualiter probabilem. Id contra jura omnia eſſe, probè ſcio, quæ clamant ad ſententiam mortis requiri probationes ſole ipſo, & luce meridiana clariores, id eſt, omninò concludentes, & perſpicuas.

Ex his duabus viis mihi placet Logica poſteriorum, ſed Theologia priorum: quam prorſus tenendam arbitror. Hic tamen vides conſiderando univerſam moralem materiam valdè paucorum, nec gravium Authorum ſententiam eam eſſe, quæ uſum licitum concedit opinionum minùs, & æqualiter probabilium: nam in materia morali pars illius maxima pertinet ad juſtitiam commutativam, vel diſtributivam, & caſus plerique conſcientiæ ſunt reſpectivi ad tertiam perſonam. At hanc partem excipiunt vel expreſsè, vel per conſequentiam illi Authores: excipiunt etiam partem, quæ de valore Sacramentorum tractat. Excipere etiam debere videntur caſus omnes ſuperiorum erga ſubditos, ac vice verſa; item caſus de juriſdictione: item de gabellis aut imponendis, aut ſolvendis, ne alia percurram. Quibus profectò excluſis quota pars ſupereſt Moralis Theologiæ? Undè ſententia de uſu licito opinionum minùs, aut æqualiter probabilium, univerſim non ut aliqui Confeſſores putant, plurimorum, ſed valdè paucorum eſt. Quin totius Moralis Theologiæ facta computatione Authores graves, qui uſum probabilium approbarunt, minus diſtant, & diſcrepant à ſententia obligante ad probabiliora, quam à concedente univerſim uſum quarumlibet probabilium, & quam à praxi aliorum, qui tamen interea falſo arbitrantur, ſe tutos eſſe authoritate plurimorum, Doctorumque gravium.

Sed nunc ad rem noſtram de judiciis; de quibus dicimus, & eam limitationem, ac exceptionem neceſſariò faciendam tenendamque eſſe; & tamen eam inconſequenter fieri ab eis; qui in rebus aliis uſum approbant minùs, & æqualiter probabilium. Tanti autem eſt, eum uſum in judiciis non concedere, ut exiſtimemus, Authores eos graves ſi ad alterutrum admittendum cogerentur, vel ad negandum eum ubique, vel ad concedendum etiam in judiciis, mallent eum ubique negare, quam in judiciis concedere.

§. II.

Limitatio, & exceptio prorsùs tenenda eſt in judiciis.

HAud inſtituto conſilio animus eſt dicere de obligatione Judicum, de diligentia in veritate indaganda: de ſententia mox, uti invenerunt pronuncianda: ſed quoniam de conſequentia, vel inconſequentia dicturi ſumus; & ſunt aliqui audentiores, qui abſurdas etiam conſequentias, & conſequentia mox in opiniones, ac in mores convertunt, cùm potius ex abſurdis conſequentibus oporteat antecedentia retractare, aut temperare, & circumſcribere; idcircò prius obiter oſtendenda hic fuit abſurditas, & præjudicium de uſu quorumque probabilium in judiciis admiſſo, ut mox tutò dicamus, id tamen ſequi, non ut concedatur, ſed ut antecedens falſum eſſe commonſtretur.

Uſus itaque ille in judiciis admitti nequit. Primò quia illo admiſſo, jam judices non Adminiſtri juſtitiæ, ſed Arbitri eſſent rerum omnium litigioſarum, ut cui mallent, parti eas adſcriberent. Conſtat enim experientia notoria, in nulla lite Advocatum virum ſæpè doctum deeſſe ulli partium, qui jura, & opiniones, Authorum alleget pro ſuo cliente. Ergo pars quælibet habet pro ſe opinionem ſaltem minùs probabilem. Si ergo juxta iſtam licet judicare jam Judices Arbitri ſunt ſemper rerum litigioſarum ut cui voluerint parti eas adſcribant: ſed non ſit ſemper; certè fere ſemper ita erit. Conſequens autem eſt abſurdum.

Expono: lites haud moventur de rebus omninò manifeſtis, & liquidis, ſed de habentibus aliquid ambiguitatis, & dubii. In talibus autem, ſicut in libris Moralibus, ſic etiam in legalibus ſunt interpretationes, & opiniones Authorum hinc, & hinc. Ergo ſemper habet Judex opiniones probabiles eo modo, quo noſtræ ſunt probabiles, ut faciat, quod vult, & ſententiæ erunt vel amicorum, vel potentiorum. Hoc porrò malum eſſe omnium ſenſus, & conſenſus affirmat.

Expono rursùs applicandò probationem cujuſdam Magiſtri pro uſu opinionum minùs, & æqualiter probabilium, quæ ipſi demonſtrativa videtur. Tenet propoſitis intellectui duobus objectis contradictoriis æqualiter; vel inæqualiter probabilibus, poſſe voluntatem, & prudenter quidem, determinare intellectum ad aſſenſum cujuſlibet, nec, opinor, volet, voluntatem Theologi poſſe; voluntatem judicis non poſſe. Determinet ergo intellectum ad minùs probabile. Ecce habemus aſſenſum & prudenter quidem præſtitum objecto, vel concluſioni minùs probabili. Mox ſubdit: ſed quilibet prudenter operatur, vel conſulit juxta ſuum prudentem aſſenſum. Prudenter ergo, ac proinde honeſtè operamur juxta aſſenſum, vel opinionem minùs probabilem. Nunc ego. Determinet voluntas intellectum Judicis ad aſſenſum partis minùs probabilis. Ecce habemus in mente, & corde Judicis aſſenſum, & quidem prudentem partis minùs probabilis. At ſanctum, eſt & per Evangelium, & jus omne licitum, quod ſententia oris Judicis ſit, ſicut ſententia mentis, & cordis; & *eſt eſt*, & *non non*. Ergo in omnibus probabilibus in manu, & libertate judicis erit, opinari, & judicare corde, quod vult: ergo etiam ore, Ergo Judices ſiunt Arbitri rerum omnium litigioſarum. Atque hoc medium ſimul oſtendit inconſequentiam limitationis, & exceptionis Judiciorum.

Secundò quia hoc arbitrio facto judicibus, jam nulla eſſet obligatio Principum deligendi viros doctos, & digniores, ſed quilibet ſufficerent: nec ipſi rursùs Judices tenerentur ad ſciendam juriſprudentiam, nec ad examen, & diſcuſſionem cauſarum contra quam omnes ſentiunt. Et enim præſumere in primis poſſent, in omni lite adeſſe utrinque opiniones probabiles propter attactam paulò ante experientiam.

Licet autem fuerit ſupra oſtenſum, ad judicandum de probabilitate requiri ipſius ſcientiæ peritiam: hoc tamen magis urget in conſultationibus noſtris, & confeſſionibus, quam in judiciis propter multa. Nam cauſæ in judiciis valdè agitantur, & cum mora diſcutiuntur: conſultationes noſtræ brevi expediuntur. In judiciis adſunt Advocati, qui opiniones earumque momenta diſcutiant, ac ponderent: adſunt ſæpè Collegæ alii ex quibus diſcas: deſunt hæc omnia in conſultationibus conſcientiæ, & confeſſionibus. Quod rursùs maximum eſt, judicia ſunt publica; veremur porrò in conſpectu aliorum levia, & frivola allegare: adeſt pars contraria quæ alleget, quæ leviora, aut falſa refellat & in jure, & in facto redarguat. Conſultationes noſtræ fiunt in ſecreto, nemo nos inſtruit, nemo audit: in confeſſione concurrunt pœnitens ſolus, & confeſſor, & aliquando non multùm verſatus, nec ingenioſus: allegat pœnitens ſuam magnam neceſſitatem, ne obligetur reſtituere: creditor abeſt, ſilet, nec ſuam fortè majorem allegat. Propter quas omnes diverſitates, & alias facile eſt, ignarum ſcientiæ æquivocare circa cognitionem probabilitatis in noſtris conſultationibus, & in confeſſione, non ita in judiciis, in quibus tot ſupplementa habent. Ergo ſi probabilitas quælibet ſufficit ad judicia, nec Principes tenentur bonos Juriſtas deligere in Judices; neque hi ad ullum ſtudium & examen cauſæ. Quod eſt abſurdum.

Tertiò quia eo arbitrio conceſſo Judicibus melius eſſet loco Judicum, ac totius fori judiciarii inſtituere ſortes: ac tot, & tanta expenſarum hominum proceſſuum, ſtrepituum, atque hoc genus alia vitare in Republica. Etenim ideò medium hoc ſortium malum eſt, quia purè caſualiter ſe habet, ut jus adſcribat illi parti, cujus re ipſa eſt, vel contrariæ, ut caſus, & ſors tulerit. Sed ſumptis opinionibus contrariis æqualiter probabilibus, hæ eodem modo caſualiter ſe habent; ac ſimiliter probabilitatis utrique communis: opiniones autem minùs probabiles quoad nos potiùs declinant magis ad non jus: quo argumento latius utemur decurſu operis. Si ergo ex hac ſola probabilitate ſic caſuali poteſt Judex judicare, purè caſualè erit, ut jus adſcribatur illi parti, cujus re ipſa eſt, vel contrariæ, ut caſus, vel voluntas prorsùs libera Judicis tulerit. Ergo.

Poſtremò patet ex ipſa Judicum judiciorumq; natura eam libertatem pro hac parte, vel illa ſecundum obvias opiniones judicandi, quia volunt, & ſine alia ſpeciali ratione, eſſe perabſurdam. Finis enim Judicum, & Judiciorum eſt, ut unuſquiſque habeat, quod re ipſa ſuum eſt, vel ad ſe pertinet. In hunc unicè finem tot homines occupantur, ac Principes, & Regna tam immenſas

ſum-

Digitized by Google

ſummas expendunt: ac litigantes etiam ipſi contribuunt. Inde Judices non aliud ſunt, nec vocantur, quam Miniſtri juſtitiæ.

Jus porrò, & juſtitia unius ſolùm partis, non utriuſque ſimul ſunt: in quo directè, & formaliſſimè jus, & probabilitas ſibi repugnant, quod probabilitas utrique parti, jus uni ſoli conveniat. Diſputant quidem fusè aliqui, an unius, ejuſdémque rei dominium in ſolidum repugnet eſſe penes duos, & hoc genus quæſtiones arbitrantur plenas ingenio, & metaphyſica. Sanè quod noſtra intereſt, de facto unius rei unus ſolus eſt Dominus in ſolidum Dominium: ergo inſolidum unius eſt jus quoque, & juſtitia. Ergo in omni lite non eſt pro hac parte ſimul, & illa, ſed pro hac contra illam: ſed probabilitas eſt pro hac ſimul, & illa. Ergo ſecundum illam judicare non eſt ſecundum jus, & juſtitiam judicare.

Expono. Ponatur, fundum litigioſum eſſe re ipſa Titii, ſeu ad Titium pertinere, non ad Sempronium. Jam probabilitas, quæ pro Sempronio adeſt, ita eſt contra Titium, ſicut Advocatus Sempronii eſt contra ipſum. In quo ergo, & quantum Judex pro illa Sempronii probabilitate eſt, utique eſt contra jus, ſicut Advocatus Sempronii. Ergo contra finem ſuum. Aliter exercitium Judicis nequit magis extendi quam ſuus finis, cujus gratia eſt: & in quo finem ſuum egreditur, agit contra officium ſuum, & ſupra, & præter poteſtatem ſuam. Sed ſphæta probabilitatis eſt amplior, quam juris re ipſa; quod uni parti ligatur; probabilitas utramque tranſcendit, & complectitur. Ergo Judex per probabilitatem judicans, fines ſuos tranſgreditur, ac ſupra, & præter poteſtatem ſuam, quin contra ſuum proprium finem agit. Eſt ergo Judex ex ipſo ſuo fine ligatus uni parti, ſicut jus ipſum, & juſtitia: & velle ſe eſſe liberum ad utramque partem, re vera aliud non eſt, quam velle ſe eſſe liberum ad juſtitiam, & injuſtitiam & ſuum finem eſſe utramque; & Judices non magis conſtitutos eſſe, ut unuſquiſque habeat potiùs, quod re vera ſuum eſt, quam ut non habeat.

Hinc per ipſum lumen naturæ dicitur 5. *Ethic.* læſos confugere ad judicem tanquam ad *animatam quandam juſtitiam*. Juſtitia autem, ut dictum eſt, non eſt verſatilis alicujus naturæ ad utramque partem ſe habens, & ſi loqui poſſet, pro una ſolùm allegare poſſet, & clamaret: quemadmodum æterna juſtitia, quæ Deus eſt, non niſi pro una adeſt. Propter iſtam alligationem ad unum, nec vertibilitatem utrolibet, Judices 1. *Rhetoric.* 1. regulæ comparantur: & ſic etiam in *Pſal.* regere, & judicare jubentur *in virga ferrea*, non opinor, propter acerbitatem, ſed propter inflexibilitatem: ut enim ipſa juſtitia utrolibet flecti nequit, ita neque recti Judices. Indè 1. *Rhetoricor.* 15. aſſeritur, Judicem eſſe quaſi auri, argentique cognitorem, *ut verè juſtum ab adulterato diſtinguat.* Eſt autem jus adulteratum jus omne repræſentatum à qualibet opinione falſa licet apparentiſſima: quia eſt contra verè juſtum. Tenentur ergo Judices verè juſtum dignoſcere, & diſtinguere: & quemadmodum peſſimi Judices, & cognitores monetarum forent, qui adulteratas, & apparentes, ſed falſas monetas approbarent: ita Judices ſequentes falſas opiniones, & judicantes contra jus re ipſa pro jure adulterato, & falſato

Quoniam verò quod eſt jus in rebus hoc eſt verum illius in intellectu Judicis, jubet Dominus *Exod.* 18. *provide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam.* Et *Deuter.* 19. *cùmque diligentiſſimè perſcrutantes invenerint falſum, &c.* Et *Iobi* 29. *cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam*, ut ſcilicet verè juſtum inveniret, qui eſt finis Judiciórum. Item *Ex.* 23. *non ſuſcipies vocem mendacii.* Quin in communibus etiam opinionibus ligatus es vero, *Exod.* 23. *nec in judicio plurimorum acquieſces ſententia*; ego teneris ad verè juſtum, ad jus re ipſa, & ad veritatem. Undè ergo liceat per opiniones non magis veras, quam falſas judicare?

Hinc ſunt in Scriptura, & in ſanctis plurima, quæ Judices timeant. Nunc ſolùm *ex Eccleſiaſtici* 7. *noli fieri Iudex. Væ vobis ò Iudices, væ vobis in æternum, & ultra, quia non eſt in vobis veritas* Et *Sap.* 6. *Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Eſt nimirùm multis de cauſis difficile juſtum judicium judicare; judicium veritatis facere, propter ignorantiam, propter negligentiam, propter inſufficientiam naturalem, propter amorem, & odium, quæ perturbant judicium veritatis, ut docet experientia, & traditur 1. *Rhetoricor.* 1. atque ideò docetur, quod minimum eſt, Judicibus relinquendum. Quæ omnia, præterquam quod ad ipſam re ipſa veritatem, ad ipſum re ipſa jus obligent, vana ſanè forent, ſi per quaſlibet currentes opiniones ultrò judicare liceret.

Tanti porrò eſt in judiciis ipſam re ipſa veritatem, ipſum verè juſtum invenire, ut hæc ſola cauſa torturæ horrendæ adeò pœnæ uſum juſtificet. Auguſtinus *lib.* 7. *de Civit. Dei cap.* 6. *Et quod eſt intolerabilius, magiſque plangendum, rigandúmque ſi fieri poſſet; fontibus lachrimarum, ne occidat neſciens innocentem fit per ignorantiæ miſeriam, ut & torium; & innocentem occidat; quem ne innocentem occideret torſerat.* Una itaque, & ſola veritatis cognitio hæc, & ſimilia cohoneſtat. At probabilitas contradictoriis communis à vero, & falſo præſcindit; verum ſimul, & falſum complectitur, claudit. Abhorret ergo à natura Judiciorum hac regula uti. Hæc modo ſufficiant.

At inquis, in judiciis maximè criminalibus plura relinqui arbitrio Judicis. Reſpondeo, ea ut jura ipſa docent, non relinqui puro, ac libero arbitrio, ſed arbitrio regulato per regulas generales juris, ac per rationes ſpeciales tunc occurrentes, quas Legiſlator non vidit. Quæris, an ergo puro arbitrio Judicis nihil prorsùs relinquitur? Reſpondet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 67. *ar.* 2. *ex* Auguſtino: *bonus Iudex nihil ex arbitrio ſuo facit ſed ſecundum leges, & jura pronuntiat*: & jura valdè odio habent arbitrium, & æquitatem cerebrinam, quam ita vocant. Et confirmatur, quia nulla juſta ſententia videtur reſolubilis in voluntatem Judicis, & quod rogatus Judex, cur hanc ſententiam tulerit purè reſpondeat, quia volui.

Accidit ſanè, quod in criminalibus plura videantur ex arbitrio fieri, quæ tamen non ex puro arbitrio fiunt, ſed regulato per rationem. Unum idemque delictum diſpari ſæpè pœna mulctant; id tamen juxta rationem eſt, ſi hoc in loco, vel tempore ſint v. g. homicidia, vel furta frequentiora, ſeveriùs puniuntur: atque ita in aliis. Sed inſtas an

caſus dabilis non erit in quo Judex ex puro arbitrio aliquid poſſit? v.g. damnare reum in centum, aut in centum, & decem? Reſpondeo, me nolle eſſe nimis ſuperſtitioſum; & hos raros caſus parùm Reipublicæ, & ſingulis præjudicantes facile negligere. Hoc noſtrùm eſt Judicem non id poſſe, quia opiniones probabiles ſequi poteſt, ſed quia ſi ita eſt, jura ipſa id ſibi indulgent.

Judex ergo tenetur ſaltem plerumque noſſe ipſum re ipſa jus, & verè juſtum, & ab adulterato diſtinguere: ſin minus meliores eſſent ſortes loco Judicum, & Judiciorum. Deinde ut lumen naturæ dictat, & *l. qualem ff. de arbitr.* & aliàs ſtatuitur, *omninò dicat, quod ſibi videtur:* nam ad hoc tenetur.

§. III.

Inconſequens tamen eſt exceptio in judiciis.

CLauſo jam ſatis oſtio admittendi conſequentis, oſtendendum eſt modò, quod potiſſimum operis noſtri erat, inconſequens eſſe, probabile conſuetùm, & contradictorium alicubi admittere; & in judiciis non admittere: quod idem de materia belli, & de quacumque alia eodem modo oſtenditur.

Inconſequentia iſta oſtenditur multipliciter. Primò ad verbum, & in terminis applicando ad Judices omnia fundamenta contraria. Nimirùm pro uſu licito opinionum omnium magis, & minùs, & æqualiter probabilium hæc allegant, veritatis ipſius inveniendæ difficultatem, vel impoſſibilitatem in controverſiis; rerum humanarum incertitudinem, Dei miſericordiam: item aiunt, ubi ſunt opiniones probabiles, legem non eſſe ſatis promulgatam: inculcant prudentes, & prudentiam: prudenter, aiunt, peritis credi, prudens eſſe viri gravis ſtare judicio: certum requirere eſſe nimium; prudentiam eſſe ſectari probabilia. Hæc dicere ſolent, & ſimilia.

Sed ecce, Juriſtæ quoque habent innumeras controverſias, & libros plenos opinionum etiam communium contra communes: Judicum vita magis eſt occupata, quam noſtra. An ergo ipſi nihilominùs veritatem, verè juſtum ipſum invenire poſſunt; nos non poſſumus. Ipſorum leges hominum ſunt, noſtræ potiſſimùm Dei. An ergo leges Dei, quia leges ſunt Dei, ubi ſunt opiniones, ſatis promulgatæ non ſunt; & leges tamen hominum promulgatæ ſunt? nihil his virium adimunt opiniones noſtræ; & illis adimunt. An Authores Juriſtæ graves non ſunt, aut periti, aut docti, & noſtri ſunt. Eumdem ergo utrobique prudentia locum habet, vel non habet. An incertior materia, quæ divinis infallibilibus legibus ſubeſt, quàm quæ legibus hominum? Si ergo ibi certum eſt nimium, & quodlibet probabile ſufficit, à fortiori ſufficiet in jure civili.

Quin ſecundo ex genere ſuô abſurda videtur exceptio fori exterioris, & judiciarii. Etenim in illo tractatur de rebus hominum; aliquandò etiam de vita hominum; & leges explicantur præcipuè humanæ. In foro conſcientiæ de ſumma rerum agitur, & de anima noſtrâ; & leges potiſſimùm tractantur divinæ. Abſurdum porrò videtur certiorem regulam requirere pro rebus noſtris, quam pro anima noſtra. Certè videmus, pro rebus vilibus menſurandis, aut ponderandis non adeò curare homines menſuras, & pondera exactiſſima: at ſi aurum, pretioſioreſque res aliæ ponderandæ veniunt, pondus quæritur minutiſſimum, exactiſſimum, quodque in nihilo fallat. Abſurdum ergo videtur plus certitudinis velle pro foro exteriori, ubi comparatiòne animæ de nihilo ferè tractatur, quam pro foro conſcientiæ, & animæ.

Aiunt, & hòc dicere ſolent, Rempublicam nolle, ut judices ea regulâ quarumlibet opinionum probabilium utantur in judicando. Sed primò viſum eſt paulò antè, hoc non à voluntate libera Reipublicæ natum eſſe, ſed ex natura ipſa, & fine judiciorum, & Judicum. Deindè quod hujus argumenti eſt, abſurdè id nollet Reſpublica, nec obligare ſaltem in conſcientia poſſet. Si enim pro rebus ſummis, & divinis dijudicandis ea regula recta eſt, apta eſt, ut aiunt adverſarii, Rempublicam plus requirere pro rebus comparative viliſſimis aliud non eſſet, quam eam pluris res haſce facere, quam animam, & ſalutem æternam: quæ eſſet voluntas abſurda, & mala. Reſpublica itaque non putat idoneam regulam iſtam pro rebus ſuis: per hoc ipſum eam aptam non habet pro rebus majoribus. Nolles tu, ferrum tuum ponderari iſto v.g. pondere, quod quippe è re tua non putas. Minùs multò velles ponderari aurum tuum: minùs ergo multò, ſi ſapis, res animæ tuæ.

Sed præteriit nos diſcrimen illud vulgatiſſimum, in quo aliqui quieſcunt velut in primo principio notiſſimo. Aiunt enim, in judiciis, atque ita etiam in rebus aliis præter violationem ipſam legum imminere malum aliud, quod quis patitur, v.g. amiſſionem fundi, vel vitæ. Aiunt itaque, ubi quæſtio eſt ſolùm de licito, vel non licito, etſi ſequendo opinionem minùs probabilem fortè erremus, nullum malum ſequitur; non in primis peccatum; quia prudenter, ac proindè honeſtè operati ſumus; non malum aliud, quod ſupponitur non imminere; nullum ergo. At ſi erret Judex ſequendo opinionem minus probabilem, privat re ipſa fundu ſuo, vel honore Sempronium, contra quem judicavit.

Verùm jam ante nos ad hoc alii reſponderunt dicendo unu verbo, *ſibi imputet Sempronius*, vel infœlicitati ſuæ; quemadmodùm ſi terræ motu aliquo fundus abſorptus fuiſſet; non autem culpæ Judicis, qui prudenter egit; quandoquidem viri gravis, & docti opinionem eſt ſecutus: quandoquidem ea menſura menſus eſt, quæ ad res ſummas recta dicitur, & qua ipſe res animæ ſuæ, quæ pluris ſua intereſt judicare ſolet: abſurdumque ait, Sempronium plus certitudinis, & examinis velle pro fundo ſuo. Subdit, ubi ſolùm de licito, vel non licito, de violatione, vel non violatione legis eſt quæſtio, ſibi opinionem minùs probabilem ſequenti, etſi contingat legem violari, non tamen imputari violationem, quia probabilia ſecutus eſt, & prudenter proindè ſe geſſit. Ridet ergo, quòd Sempronius ſibi culpæque ſuæ imputare velit, amiſſionem fundi: materiale id ait, fuiſſe.

Tertiò hinc; quia; ut *lib. 3.* magis declaratur, violationem legis eſſe materialem, vel formalem; imputari, vel non imputari ad culpam, non ex hac materia, vel illa naſcitur, nec ex hac, vel illa cauſa, ſed ſolùm, & unicè ex hoc, quòd ſit, vel non ſit voluntaria, & volita, vel non volita:

&

& omne liberè volitum, nobis imputatur; ſin minùs non imputatur. Habeo ergo opinionem probabiliorem pro lege: minùs probabilem contra legem; & iſtam ſequor. Juxta adverſarios hoc ſufficit, ut violatio non ſit formalis; ergo hoc ſufficit, ne violatio ſit mihi voluntaria, & volita. At ego ſequens opinionem minùs probabilem contrà Sempronium, non plus volo, nec amo amiſſionem fundi illius, quam amaviſſem, vel voluiſſem violationem legis. Ergo ſicut iſta non fuit mihi voluntaria, nec volita, & ideò neque imputabilis ad culpam; ita neque erit mihi voluntarium, & volitum, neque proindè imputabile ad culpam, quod Sempronius fundo privatus ſit.

Quartò patet inconſequentia ex concurſu ejuſdem prorsùs materiæ, & cauſæ in utroque foro; nam pars magna confeſſionum, & conſultationum conſcientiæ ſunt res juſtitiæ de ſolutionibus, de reſtitutione, de tributis concedendis, vel ſolvendis; de emptione, & venditione, & univerſo genere contractuum: item de juſtitia diſtributiva. In hac ergo tanta parte nulla eſt diſparitas, ſed manifeſta inconſequentia aliter, & aliter philoſophari. Ergo hoc ſaltem ſcire oporteret Confeſſores, & Conſultores omnes, in hac tanta parte caſuum ſaltem ſe habere manus ligatas, neque poſſe ſequi opiniones minus probabiles, aut æqualiter probabiles contra legem, ſed teneri ad ipſum verè juſtum, quemadmodum tenentur Judices, & propter eas, quibus ipſi obligant Judices, cauſas, & rationes.

Quæ tanta res ut fiat manifeſtiòr, ſciendum eſt, ut videre eſt apud Vazquez 1. 2. *diſp.* 66. *cap.* 1. & Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 11. *& lib.* 2. *de matrim. diſp.* 41. *num.* 12. *& lib.* 1. *diſp.* 5. *num.* 20. & alios paſſim, non eſſe opinionem, ſed velut indubitatum principium Theologorum, utrumque forum conſcientiæ, & judiciarium, ſeu interius, & exterius, ſecluſo errore, & concordare in omnibus ea ſolùm excipiendo, quæ in jure civili tolerat ſolum, non probat Eccleſia. Convictus eſt de homicidio Petrus re ipſa innocens duorum teſtium omni exceptione majorum teſtimonio: mihi in foro conſcientiæ conſtat ex ſua confeſſione, eum eſſe innoxium. Abſolvere ego debeo, & Judex condemnare: ſed eſt propter errorem. At verò conſtarent omnia eodem modo in utroque foro, & in neutro eſſet ulla ignorantia, vel error. Una debet eſſe utriuſque ſententia abſolutionis, vel condemnationis; non eadem pœna; & ſi secùs fiat; altera erit juſta, injuſta altera. Ratio eſt manifeſta quia ratio, & ratio non magis opponuntur, quam verum, & verum; quia ut notatur, 1. *magnor. Moral. cap.* 32. idem eſt ratio, & recta ratio; recta autem ratio pugnat quidem cum mala ratione, non verò cum recta, & rectitudo rationis eſt veritas. Quarè ſi iiſdem quoad omnia concurrentibus, & intellectis, unum forum abſoluit, & alterum condemnet, evidens eſt, quod alterutrius ſententia eſt contra rationem, id eſt, contra rectam rationem. Ergo per ſe loquendo, & ſecluſa ignorantia, & errore, concordare debet utrumque forum.

Jam hinc plura ſequuntur, & innumeri caſus conſcientiæ reſolvi poſſunt hoc uno principio. Primò viſum eſt, juxta rationem eſſe, quod Judices non utantur in judicando eâ regulâ opinionum probabilium. Ergo contra rationem erit, quod eâ utatur Confeſſor vel Conſultor conſcientiæ ſaltem in ipſa materia juſtitiæ. Rursùs ſiſtitur in judicio debitor, vel fur, qui ſi ſolvat, vel reſtituat, magnam neceſſitatem paſſurus eſt. Forum exterius jubet ſolvere, vel reſtituere, nec eam exceptionem admittit: tu admittis, & liberas, etſi fortè, quod neſcis, creditor ſatis multum patiatur. Neceſſe eſt, alterutram ſententiam contra rationem, & injuſtam eſſe. Porrò Judices in his juxta leges, & jura judicare ſolent: ergo præſumptio eſt contra te. Quod ſi nihilominùs velis, Judices malè judicare; ergo eos, niſi mutare mores velint, non debes abſolvere. Item Adminiſtrator pecuniæ Principis emit obolo à creditore Regis jus ejus ſummæ ingentis, & mox ab ære Principis exigit totam ſummam. Hic certè adminiſtrator damnaretur in foro judiciario. Quo ergo tu eum jure abſolvis? ex quo, ubi benignus erga iſtum avidum pecuniæ videris, maxima præjudicia Regi primùm qui ſæpè ſolvendo non eſt, tum Regno integro obveniunt. His occultis compenſationibus, aliiſque modis, quin Princeps ipſe audiatur, neque alii creditores, abſumuntur æraria regia; inde regni deſolatio. Et hæc eſt magna illa miſericordia, quæ prætexitur. De quibus plèniùs aliò dic, ſi Deus concedet.

Poſtremò addo pro inconſequentia argumentum reflexum ipſorum Adverſariorum. Nam diſputant, an unus Author ſufficiat facere probabile conſcientiæ? Alii aiunt, licet jam de uno juniore ſit damnatum: alii requirunt tres, vel quatuor. Sed primi arguunt, ut credunt, inſolubiliter ad hominem: per vos tres, vel quatuor Authores ſufficiunt pro probabili conſcientiæ: ſed pluſquam tres, vel quatuor aiunt, unum ſufficere. Ergo ſufficit. Nunc nos: per hos ſufficit unus Author; per contrarios ſufficiunt tres, vel quatuor pro conſcientia. Sed pluſquam tres, vel quatuor Authores docent, Judices judicare poſſe juxta quaſlibet opiniones probabiles. Sed doceat unus ſolus. Jam ſuo argumento reflexo hoc ſufficiet. Et hoc quidem ad hominem; nam per nos hoc arguendi genus eſt illegitimum, nec reſolubile ad ſyllogyſmum niſi quatuor ut minimum terminis conſtantem. Ais, eos, qui ad judicia extenderunt uſum probabilium non habuiſſe fundamentum grave. Sed primò ut viſum eſt, habuerunt manifeſtam conſequentiam. Deindè Authores requirentes pluſquam unum ad probabilitatem, hoc idem reſpondiſſent de ſuis contrariis: quo facto deſeritur argumentatio reflexa tanti facta, & venitur ad diſputationem directam.

§. IV.

Ergo etiam in bellis eſt inconſequens exceptio, & limitatio.

NEceſſe non eſt iſtam hic denuò demonſtrare inconſequentiam, cum ea conſtet eodem prorsùs modo per illa, quæ de judiciis, & Judicibus dicta ſunt. Et iſta quidem applicatio reducta videtur ad praxim: nam omnes Catholici Principes bella moventes habent Confeſſarios, qui eos abſolvunt, quin ad damna illata reſarcienda, aut reſtituendas arces captas eos obligent: ubi certè valdè chriſtiané chriſtianus verè Scriptor Philippus Comineus dolet, & urget fidem deeſſe de inferno: legantur utiliſſimæ memoriæ.

Obten-

Obtendas ſortè pro diſparitate rei hujus momentum, & magnitudinem: tot quippe conſequentias ſecum affert, tot mala infert bellum unum & animabus, ac corporibus, & Regnis, & ſingulis, ut niſi evidentiſſimo jure vix videri poſſit licitum, ut inter alios ſapienter urget Vazquez. Ergo licet pro rebus aliis minoribus opiniones æqualiter probabiles, & minùs probabiles pro regula ſufficiant pro re tamen tanta ſufficere prorsùs nequeant, requiraturque jus prorsùs elatum, liquidum, & evidens; non minori, ſed majori planè jure, quam ad damnandum ad mortem jura inconcuſsè poſtulant probationes ſole ipſo, ac luce meridiana clariores. Quantò quippe pluris eſt bellum unum, quam mors unius hominis etiam inſontis? ſicut ergo in Eccleſia Dei (quod ſolum ſimilitudinis gratia inducimus) cauſæ quidem minores Epiſcopis, Metropolitaniſque relinquuntur, at in majoribus pro momento rei ad Sedem Apoſtolicam perpetuò recurſum eſt; in hunc modum dicas pro rebus quotidianis, & minoribus ſufficere opiniones probabiles; pro ſummis autem, maximè verò pro bello minimè ſufficere.

Cæterùm ſatis, ſuperque oſtenſum eſt, conſequentiam tenere à rebus minoribus ad ſummas, & ad bella, & ad omnia. Hoc nunc addo, charitatem eſſe ſummam virtutum, & excedere virtutes reliquas; ac proindè juſtitiam, ad quam bellum pertinet ex ſua materia. At adverſarii docent, pro ſingulis, & omnibus, licet ex charitate pendeat ſalus æterna ſingulorum, & omnium, ſufficere pro regula opiniones prædictas. Sufficient ergo pro bello: major quippe eſt charitas, quam juſtitia. Omitto alia, & relegantur dicta de judiciis.

§. V.

Ergo bellum non neceſſitatis, ut inquit Auguſtinus, ſed voluntatis erit.

COmprehenſivè profectò Auguſtinus, ait bella non voluntatis, ſed neceſſitatis eſſe, hoc uno principio ſatis intellecto, & penetrato univerſalem de bello tractationem exhauriens. Pacifici ſanè Poſſeſſores hoc modo bellum defenſivum ineunt non voluntate, ſed neceſſitate: ipſi enim bellum nollent, ſed ab hoſte illud inferente ad propriam defenſionem ſui, & ſuorum neceſſitantur. At oſtenſum eſt, ſemel poſito, opiniones, æqualiter, & minus probabiles regulam alicubi eſſe, per conſequentiam eas regulam fore etiam pro bello. Undè non dictum Auguſtini, quod omnium plauſu celebratum eſt, ſed contrarium erit uſurpandum, & dicendum, *bellum non neceſſitatis eſt ſed voluntatis.*

Scilicet ut ex dictis aliquid hìc reſumam in propriis terminis, Ariſtoteles quidem pridem docuit, opinari non eſſe in nobis, id eſt, non eſſe liberum ex propoſitis opinari hanc, vel illam partem, de quo in Appendice. Jam verò hodie multi adverſariorum tenent contrarium, opinari hanc partem, vel illam in omnibus probabilibus eſſe in nobis, id eſt liberum, ut ſcribere, vel non ſcribere. Ergo Principi cuilibet in omnibus probabilibus liberum eſt opinari pro jure ſuo: ergo voluntatis ſuæ eſt ita opinari, & quidem prudenter, ut aiunt. At cuilibet licet operari juxta ſuum prudentem aſſenſum, ut ipſi etiam adverſarii conteſtantur. Ergo voluntatis Principis erit bellum movere in omnibus probabilibus. Et hoc quidem ſatis evertit dictum Auguſtini. Sed inferamus plus: ergo ſemper, vel ferè ſemper voluntatis Principis, vel Principum eſt movere bellum.

Hæc ultima conſequentia probatur; quia ſemper, vel ferè ſemper pro bello quocumque, quod movere ipſis placeat, habent in manu ſua ſaltem minùs probabile: quod utinam nimis verum non eſſet. Hæ res ſtatuendæ non ſunt per principia à rebus humanis avulſa, in quo aliqui deficiunt, ſed Philoſophi, & Theologi Moralis planè eſt, mores, actaque hominum circunſpicere, & ex illis, & concretè, ut aiunt, philoſophari, quod Ariſtoteles egregiè, & ſancti Patres præſtantiùs executi ſunt; non autem ſermonem abſtractum inſtituere, quem Metaphyſicum, ſeu quod voles appelles.

Nunc verò maximè ſumus in quæſtione facti, quæ per rerum humanarum experientiam aptiſſimè omnium terminetur. Probandum eſt mihi, Principibus rarò, vel nunquam deeſſe ſaltem minùs probabile pro quocumque bello movendo, quod ſibi placuerit, vel in mentem etiam venerit, ſatis multa bella mota ſunt ætate noſtra & ſæculo; non modò à ſupremis Principibus contra ſupremos alios, ſed à ſubditis quoque adverſus ſuos reges, & Principes: & quandò iſta ſcribo, habemus præ manibus exemplum ſane miſerandum, Nunquam vidimus, nuſpiam vidimus, Principi alicui etiam non ſupremo defuiſſe & Juriſtas, & Theologos ſequaces non unum, aut duos, quos ad probabile aiunt ſufficere, ſed plurimos qui ſubſcribant, qui abſolvant, qui libellis etiam cauſam illius tueantur. Habemus ergo inconcuſſam experientiam, quæ probet, nunquam deeſſe Principibus ſaltem minùs probabile pro quolibet movendo bello Neque certè defuturum eſt, nam permanebunt eædem cauſæ potentiæ Principis, dependentiæ, connexiones, affectiones, & ignorantiæ quoque aliorum.

Sed ais, experientia quidem conſtare, nunquam deeſſe Principibus Juriſtas, & Theologos, non unum, aut duos, ſed plurimos pro ſe. At non ideò habent minùs probabile, etiam ſi Theologi hi, atque Juriſtæ graves ſint, & reputati. Etenim nos ipſi ex ſenſu ipſo, & mente Authorum commonſtravimus ſuperiùs, non omnes opiniones Doctorum etiam gravium eſſe probabiles. Habent ergo, & habebunt ſemper Principes potentes Theologos, & Juriſtas pro ſe; non autem probabile.

Fateor equidem ex eorum Authorum ſenſu, qui uſum probabilium approbarunt, non omnium Doctorum etiam graviſſimorum opiniones eſſe continuò probabiles. Nihilominùs hoc in praxi multi illius viæ; non ſolùm admittere nolunt, ſed mirantur, quin etiam iraſcuntur, ſi quis aſſerat, vel inſinuet, ſequendo talem Authorem, unum v. g. eorum ſuæ maximè ſcholæ, vel gentis, non operari honeſtiſſime, & prudentiſſimè. Ergo apud hos ſaltem opiniones gravium quorumque Magiſtrorum, & Doctorum erunt probabiles. At ex his habet pro ſe aliquos quilibet Principum.

Deindè licet examinata exactè doctrina Authorum præcipuorum probabilia approbantium non omnes ejuſmodi opiniones ſint probabiles pro probabilitate conſcientiæ, ipſi tamen aliquam errori occaſionem dediſſe videntur. Cùm enim probabile ſufficere pro conſcientia docuerunt, non ſatis decla-

declararunt, cujus judicio probabile dignoſcendum eſſet. Romæ v. g. vel Viennæ docet eorum aliquis, ſufficere probabile pro conſcientia: mox probabile definit per authoritatem gravem, & per fundamentum grave. Senſus ſanè non eſt, hoc probabile, quod aiunt ſufficere, ipſorum dumtaxat judicio eſſe cenſendum, & dijudicandum, & quoties caſus occurrit, miſſis hinc, & indè curſoribus ipſos eſſe conſulendos de probabilitate. Hoc namque & ridiculum foret; & deindè ipſis obeuntibus, ut multi obierunt, quos relinquet Judices, & Arbitros dijudicandarum probabilitatum?

Ergo ne doctrina ſit protsùs ridicula, & ſit utilis, ac reducibilis ad praxim, ſenſus eſt, quoſlibet Authores & Doctores, graves viros eſſe Judices competentes dijudicandarum probabilitatum. Hos habet pro ſe Princeps quilibet. Ergo habet probabile. Tu rides Viennæ, vel Romæ levitatem fundamentorum Principis. At ipſi, & ſuis gravia viſa ſunt: te conſulere non tenebatur ex tua ipſa ſententia; habuit alios, qui Pariſiis, aut Bruxellis tanti habentur, quanti tu Viennæ, vel Romæ. Ergo tu rides quidem ex una parte levitatem fundamentorum; & bellum, reprobas: ex alia tamen te Authore, & ex tuo probabili bellum motum eſt. Non enim probabile dixiſti, quod tibi ſolùm tale videretur; nec item Petrum, Antonium, Franciſcum Judices determinaſti; viros graves in confuſo nominaſti: hos habet Princeps, quin ſibi ſummi Theologi videntur. Nihil ergo præterit eorum, quæ tu ipſe præſcripſiſti.

Prætereà per ipſos indocti non tenentur examinare fundamenta, ſed ſufficit ipſis purum probabile ab extrinſeco. Principes autem inter indoctos numerantur, ignari quippe Theologiæ, & Juriſprudentiæ, per quas juſtitia belli judicatur. Sufficit ergo ipſis, quod ſui Senatores, & Theologi ita dicant.

Poſtremò, quia licet inſpecta doctrina de probabilibus Authorum præcipuorum, vel omnium probabilia approbantium non omnis opinio Authoris etiam, gravis ſit probabilis probabilitate conſcientiæ, ut ſuprà videtur demonſtratum; at inſpecta eorumdem doctrina alia, ut opinor, manifeſtè contraria id ſequitur; quin juxta iſtam, cujuſlibet Theologi, vel Conſultoris dictum videtur ſufficere. Tenent enim, omnem illum, qui putat, ſe non peccare, hoc ipſo non ſolùm non peccare, ſed honeſtè etiam agere operando ſecundum quod exiſtimat, & putat. De hoc nos copioſè tractabimus *part.* 2. & hanc falſam opinionem refellemus. Modò ad præſens inferamus. Ergo licet rationes Principis ſint leviſſimæ, Doctores etiam ineptiſſimi, ſi tamen ipſi ſecùs videtur, hoc ſufficiet, ut honeſtè bellum inferat. At unicuiq; ſuæ rationes graves videri ſolent; boni etiam Doctores ſui quos quippe diligit, nec alios expertus eſt. Concludamus itaque: Ergo bellum quodlibet non neceſſitatis, ſed voluntatis erit.

Mirum porrò eſt, quantum Theologia de bello immutata fuerit per uſum probabilium. Scilicet non antiquiſſimis temporibus, ſed ipſa fermè ætate noſtra aut paulò ante, & tempore Vazquii abſurdum habebatur bellum utrimque juſtum concedere, ut in ipſo videri poteſt inferente tanquam inconveniens, dandum alioquin bellum juſtum ex utraque parte.

Modò autem, uſu probabilium ad bella protracto, bellum utrinque juſtum ponere res cenſetur adeò perſpicua, ut vix dubitationi ſit locus. Occurrente quippe jure æqualiter utrimque probabili juſtum eſt, & ex regula ipſa juſtitiæ movetur utrimque bellum: & eodem modo occurrente jure inæqualiter probabili: quia & qui jus probabilius habet, & qui minùs probabile, uterque juſtè bellum movet: nam tanti eſt probabilis juſtitia, atque ipſa juſtitia.

Cæterùm quod hìc non promoveo, anterior Theologia eſt proculdubio vera. Etenim perindè eſt bellum utrimque juſtum dicere, atque dicere, Petrum, & Paulum de quæſtione aliqua diſputantes, & ſe oppugnantes, utrumque benè, rectè utrumque dicere: quod abſurdum eſt, & ut paulò ſuperiùs diximus, ratio cum ratione non pugnat magis, quam verum cum vero. Alterutèr proinde bellum moventium in allegatis ſuis non benè, non rectè dicit: ergo nec bellum rectè & juſtè movet. Solùm proindè poteſt eſſe quæſtio, an ex invincibili errore excuſetur à peccato? Et hæc erat Theologia priorum majorum noſtrorum. Vides verò, quæ novitates in ſtatu etiam ipſo Regnorum ſecutæ ſint ex uſu probabilium.

QUÆSTIO XVI.

Utrum uſus probabilium contradictoriorum quoad mores perinde uno verbo ſit, atque ſi admitteretur Heracliti optimo de eſt ſimul, & non eſt?

HEraclitus, & alii, ut habetur 4. *Metaphyſ.* tote ſaltem dixerunt olim rem eandem ſimul eſſe, & non eſſe; utrumque proindè contradictorium verum exiſtere, & affirmantes, & negantes rectè utroſque, vereque dicere. Non ex hoc principio, ſed ex alio in idem abſurdi, ut in quibuſdam exemplaribus legitur, Pythagoras, ſeu ut ſcientioribus videtur, Prothagoras quidam prolapſus eſt: arbitratus ſcilicet, ipſam rè ipſa veritatem nos prorsùs latere, nec inveniri poſſe; veritatem definivit per videri id verum dicens, quod unicuique ita eſſe videretur. Undè quoties nobis contradictoria videntur, rectè, vereque utrique dicimus.

In eundem latentis, & ininvenibilis veritatis errorem lapſi quoque ſunt Academici, viri alioqui graviſſimi & doctiſſimi, ut vel unus Tullius Academicus, quin Auguſtinus ſæpè, ut fatetur eodem inclinans argumento eſſe poſſunt, ut non ita facilè eos tanquam ſtupidos, ſibi proindè diſſimillimos quidam habeant. Academici tamen recuſarunt errorem de utroque contradictorio vero; ac loco latentis & ininvenibilis veritatis probabile & veriſimile, ex quo homines viverent, induxerunt. Cæterum ego neque in Tullio, neque in Auguſtino, neque in alio invenio, illos, ut tenetur modò, utrumque contradictorium probabile, & veriſimile cenſuiſſe; quin ut ex eorum declarationibus accipitur, & fortè poſteà aliquid dicam, ſolam unam partem exiſtimarunt probabilem, ac veriſimilem ea probabilitate; ex qua homines vivere regulareque actus ſuos juxta ipſos deberent. Via ergo probabilium contradictoriorum

riorum modò magis conſerenda venit cum Heracliti, Prothagoræque opinione, quàm Academicorum.

§. I.

Reſponſio ad quæſtionem.

CONſultiùs fore exiſtimavi, ſi per partes ad quæſtionem reſponderem. Suppono verò, eos, qui uſum probabilium contradictoriorum approbant, neque cum Heraclito utrumque contradictorium verum dicere, neque cum Prothagora verum explicare per ita videri: atque in omnibus contradictoriis unam ſolùm partem veram cenſere; & ex omni affirmatione, & negatione veram alteram habere, & alteram falſam.

Quo ſuppoſito, primò videtur dicendum, eo approbato uſu contradictoriorum probabilium, ſequi in omnibus probabilibus bellum rationis juſtum ex utraque parte: quemadmodùm ſequeretur admiſſo errore Heracliti, aut Prothagoræ. In hoc ſcilicet errore omne bellum rationis, id eſt, contentio, & contradictio rationis eſſet utrinque vera: ergo juſta, & laudanda; quia unaquæque pars pro ſalute veritatis pugnaret, quo nihil honeſtius.

Hoc idem juſtum bellum rationis ſequitur admiſſo hoc uſu contradictoriorum probabilium in probabilibus omnibus. Haud verò putes, hæc probabilia paucula eſſe: libros morales accipe, vel etiam ſpecularivos, qui fidem faciant immenſæ adeò multitudinis probabilium; quin de his pœnè ſunt diſputationes, & libri. Sequitur itaque in his omnibus juſtum bellum, & pugua rationis utrinque. Nam ex probabilibus alteruttum opinari, & judicare, imò prudenter, honeſteque opinari, & judicare, liberum eſſe aiunt: erit ergo juxta rectam rationem alteruttum opinari, & judicare: ergo & tueri, ac pro eadem parte inire certamen: & quemadmodùm in Heracliti, aut Prothagoræ opinamento uterque ſibi contradicentium juſtè contendit, nam verè dicit; ita etiam in re noſtra uterque ſibi contradicentium juſtè contendit; nam rectè, & juxta rationem opinatur; rectè ergo, ac juxta rationem, juſtéque contendit.

Sed plerique, & præcipui approbantium dictum uſum probabilium planè negant hanc opinandi libertatem. Nihilominùs idem ſequitur, & hic defectus opinandi ſupplebitur mox per reflexas: ita ſcilicet ipſi docent quoad alios actus humanos, nos quippe opinari non poſſe, neque judicare, quæ nobis minùs probabilia eſſe videntur; poſſe tamen nos per cognitionem reflexam accipere eam aliorum opinionem minùs probabilem, atque ex ea vivere, conſulere, abſolvere. Ergo etiam, quod non tanti intereſt, diſputare, contendere, ac bellum rationis tam juſtè inire, quam juſtè ex illa & in magnis negotiis conſilia damus, & ipſa Sancta Sacramenta adminiſtramus. Sequitur ergo bellum rationis juſtum utrimque; quemadmodùm ſi contradictoria forent ſimul vera.

Hinc mox à contrario ſequitur, nullam contentionem in probabilibus eſſe juſtam, ſed eſſe bellum utrinque injuſtum: quo eodem genere argoendi Philoſophus Heraclitum redarguit; *Quia omnes dicerent verum, & omnes mentirentur*, &c. Quod probatur; nam rectè, juſteque dicenti reſiſtendum non eſt, ſed conſentiendum; & hac una de cauſa vera loquenti, & glorioſo in primis Deo contradicendum haud eſt, ſed conſentiendum; quia vera dicens rectè, juſtéque dicit (ſuppono ſervari debitas circunſtantias) & lumine naturæ notum ſupponunt omnes, contradictionem eſſe non rectè dicti redargutionem. Certè omni rectè dicenti annuendum eſt, & dicendum: benè, rectéque dicis. At per contradictionem oppugnatur quaſi non benè, juſteque loquens. Quemadmodum ergo in ſententia Heracliti omnis contradictio eſſet injuſta, ac injuſtum utrinque bellum, quia veritati non eſt contradicendum; ſic admiſſo uſu probabilium omnis contentio in probabilibus erit injuſta, & bellum fit utrimque injuſtum.

Hæ autem ſequelæ ſunt contra lumen naturale hominum, quod palam conſtat ex factis naturalibus, probatiſque omnium, ubique gentium, ubique locorum, quandocumque temporum ab orbis ipſo exordio: & ut *ſuprà* eſt habitum, adverſarii ipſi omnibus ſuis libris loquuntur falſitatem ſequelarum & abſurditatem.

Tertiò tamen ſequitur ulteriùs omnes contentiones, & bella fieri interminabilia naturâ ſuâ, & per ſe loquendo. Certè cum hæreticis inimus ſæpè certamen ferè nunquam terminandum. Id tamen non eſt per ſe, & ex natura cauſæ ipſius, ſed ex vitio, & obſtinatione eorum. Sic Deus glorioſus ſæpè contendit cum peccatore, ut eum adducat ad pœnitentiam. Sic paſſim nobis accidit cum indiſciplinatis quibuſdam congredi, apud quos nullum principium tutum ſit, nulla authoritas valeat. Hæc tamen non ſunt ex natura cauſæ. At per ſe, & ex natura cauſæ hoc ſequitur in uſu probabilium; nam contentio, & bellum ſolùm terminari poteſt, oſtendendo, alteruttum contendentium non rectè dicere, & contrarium dicere debuiſſe. Hoc porrò fieri nequit in probabilibus magis, quam in ſecta Heracliti: nam tu rectè dicis dicendo tuum probabile: adverſarius quoque. Fit ergo bellum per ſe, & ex natura ſua interminabile.

Itaque nulla lis aut contentio terminari poteſt niſi approbando unam partem, & damnando contrariam, niſi res litigioſa eſſet diviſibilis, & pars unicuique litiganti concederetur. Sin autem res dividi nequit, & utraque pars rectè diceret, rem litigioſam ſibi deberi, ſibique adjudicandam, profectò in foro nulla lis terminari poſſet niſi injuſtè; nam ſolùm terminatur ferendo ſententiam pro una parte condemnando aliam: injuſtum porrò eſt condemnare rectè dicentem. Sicut, quo exemplo rem iſtam univerſam complectimur, admiſſa Heracliti ſententia, nulla lis poſſet finiri in foro. Eadem autem eſt ratio de ſchola, de libro, de bello, &c. Ergo fiunt omnia interminabilia.

Quin hoc eſt maximè obſervandum, terminabilitatem litium, & juris bellorum, & reliquorum pendere ab eo, quod bellum rationis, & contentio ſit terminabilis; nam illa omnia per rationem terminanda, & extinguenda ſunt. Ergo fiunt omnia interminabilia, ſi interminabilis ſit ipſa lis, & contentio rationis. Hæc autem fit interminabilis, ut eſt oſtenſum. Ergo &c.

Iſtam litium, ac proindè reliquorum interminabilitatem experientia confirmat nimium. Nam integræ etiam ſcholæ pugnant viciſſim per ætates, & ſæcula, & nihil videmus terminari. Hoc quidem poterat eſſe ex vitio, ſeu defectu alterutrius

partis;

partis, quæ contrariæ utpote rationem habenti, contra rationem obſiſtit. At admiſſo uſu probabilium, qualia ſunt placita ſcholarum, fit cauſa omnis per ſe interminabilis, & ſempiterna.

Hoc verò eſt contra lumen naturæ; nam habemus principium omnium experientia confirmatum, quod ait neminem moveri ad impoſſibile, quòd ſcilicet tale ſibi videatur; eſſet enim alioqui fatuus. At omnes moventur ad diſputandum, & ad bellum rationis; nec omnes fatui ſumus. Ergo credunt poſſibile eſſe vincere, & adverſarium malè dicti convincere.

Eſt deindè iſta ſempiternitas contentionum rationis, & interminabilitas directè contra Apoſtolum adhortantem nos idipſum ſapere, &c. Hoc ex natura ipſa probabilium redditur vanum; & deindè in æqualiter probabilibus nec de conſilio eſſe poſſet magis hoc, quam contrarium ſapere. Sicut ergo in errore Heracliti, & Prothagoræ lis omnis eſſet interminabilis, nec ulla honeſtas eſſet magis tecum, quàm contra te ſentire, ſic & in probabilibus admiſſo dicto uſu.

Ais, contentiones, & bella rationis non eſſe de probabili, ſed de vero, & falſo: veritas autem una eſt, & unius ſolùm partis. Cæterùm hoc quoad actus humanos rejectum fuit ſuprà. Deindè quoad contentiones ipſas & bella rationis, quod veritas ſit unius, vel utriuſque partis eſt impertinens, nam licet utraque pars contradictionis non ſit vera, eſt tamen, ut aiunt, probabiliter vera. At non verum ipſum præcisè, ſed probabiliter verum eſt objectum opinionum, & opinantium, & contendentium. Salvum eſt ergo in utraque parte quidquid neceſſarium eſt ad rectè dicendum utramque partem; quemadmodum ſi utraque ſimul eſſet vera; de quo mox. Confirmatur; nam quòd veritas ipſa ſit unius non facit, quod uterque non rectè, prudenter, & honeſtè juſteque dicat. Ergo nec facit, ne utrinque bellum ſit juſtum; nec rursùs, ne utrinque ſit injuſtum: nec denique, ne ſit naturâ ſua interminabile, & ſempiternum.

§. II.

Ulterior collatio.

ITaque ut modò dicebam, loco ſimultatis veritatis, quam Heraclitus, Prothagorasque poſuerunt, inventum eſt medium ſimultatis probabilitatis, ſeu veritatis probabilis, & utraque ſimul pars ponitur probabiliter vera: hoc rursùs probabiliter verum aſſeritur eſſe regula vitæ humanæ. Quarè quoad actus humanos, ac mores hominum in probabilibus omnibus, quorum immenſus eſt numerus, ac latus admodùm campus, eadem ſequuntur, atque ſi Heraclitus, & Prothagoras admitterentur.

Expono: Semper utique exiſtimatum eſt utramque partem contradictionis eſſe objectum, & materiam apprehenſionum, & apprehendentium: item dubitationum, ac dubitantium. Porrò ex hoc nihil jure reſultabat in vitam humanam; quia non apprehenſionibus, & dubitationibus oportebat regi homines, ſed judicio rationis. Heracliti tamen ac Prothagoræ error inducens veritatem contradictionis, tranſivexit utramque partem contradictionis ad ipſa etiam judicia rationis. Et hoc quidem in omni materia neceſſaria, & contingenti, & in ſcibili, & in opinabili.

Uſu probabilium admiſſo in ſcibilibus ſanè, & certis utraque pars contradictionis non intra, ſed extra eſt, ac præter ſphæram judicii rationis; non tamen extra, & præter ſphæram judicii rationis opinativi, ac proinde nec judicii rationis in univerſali; nam ut dictum eſt, utraque ſimul pars ponitur probabilis, & probabiliter vera, & propriè opinabilis, ſive unus, & idem utramque ſimul opinari poſſit, ſive non, de quo mox: & qui ſimultatem opinabilitatis negant, ſupplent hunc defectum per reflexas, ut paulò antè notatum eſt. Ergo uſus probabilium contradictoriorum in probabilibus omnibus infert, quoad mores hominum eaſdem ſequelas, atque Heraclitus, & Democritus.

Quæris, an ſequatur, poſſe unum, & eumdem opinari ſimul contradictoria? Reſpondeo, de hoc dicenda eſſe alia *lib. ſeq.* Nunc reſpondeo, eodem modo philoſophandum eſſe de ſimultate judiciorum opinativorum: atque philoſopharemur apud eos philoſophos de ſimultate judiciorum univerſaliter omnium. Quia ſicut illi ſaluabant verum in utraque ſimul parte; ita opinio de probabilibus contradictoriis ſaluat probabiliter verum in utraq; ſimul parte: ſaluis autem objectis propriis judiciorum, ſalua ſunt ipſa judicia. Et quæcumq; adverſarii afferent facilè retorquentur ex dictis. Sed hæc nunc parùm attinent ad ſcopum noſtrû; nam de moribus vitaque hominum tractamus.

Poſitâ itaque utraque parte contradictionis probabiliter vera univerſaliter in omnibus probabilibus, ſequitur, quod in ſpecie in unaquaque virtute utraque ſimul pars ſit probabiliter vera: ſic autem eſt ipſa virtus, ſicut veritas illius. Ergo unaquæque virtus eſt probabiliter in utraque parte ſimul, ſicut veritas ejus. Hoc deindè probabiliter eſſe virtutis, ita ſufficit ad mores hominum, ſicut ipſum verum eſſe virtutis, ut aiunt.

Hinc in probabilibus eſt utrinque, & utrobique probabiliter juſtitia; quæ tanti ſit, atque ipſa re ipſa juſtitia quoad vitam moreſque noſtros. Ergo in materia juſtitiæ v.g. in probabilibus omnibus quoad vitam noſtram eadem ſequuntur atque admiſſo Heraclito, juxta quem in utraque ſimul parte eſſet ſimul ipſa re ipſa juſtitia: & in opinione de probabilibus in utraque ſimul parte eſſet, quæ tanti ſit, probabilis juſtitia, ſeu probabiliter juſtitia.

In ſententia Heracliti circa juſtitiam ſequeretur in primis, vanam, & nullam eſſe rerum diviſionem, quæ in eum finem facta eſt, ut res hæc mea eſſet, & non tua; illa tua, & non mea; & ſic ſervaretur pax, & ſocietas inter homines, ne omnia fierent potentiorum, ac perirent cæteri. Hoc totum fruſtrat Heraclitus; nam res unaquæque eſſet, & non eſſet mea; & eſſet ſimul tua, & non mea, & ſimul non eſſet tua ſed mea: quare pax, & ſocietas turbaretur, ac omnia re ipſa eſſent potentiorum. Undè Heraclitus tecum loquens, & omnia tua eſſe dicens, videretur quidem tibi benignus; at ſimul omnia non tua dicens, & omnia turbans, nihil minus, quam benignus foret.

In probabilibus omnibus in materia juſtitiæ idem ſequi videtur inconveniens: nam eadem res eſt probabiliter mea, & tua; & ſic probabiliter mea, & non mea, & tua, & non tua. Undè ſi tu es potentior in foro, erit tua, ſi probabilia in foro etiam valeant. Rursùs ſi Regis pecuniam adminiſtras, quæ probabiliter ſit tua, & illius, erit re ipſa, & de facto tua, quia quoad hoc es potentior. Omnis deindè poſſidens cæteris paribus eſt poten-

tior: Frequenter autem accidit rem eſſe ſuam, & non ſuam probabiliter: jam re & de ſacto erit ſua. Clariùs verò Reges inter, & principes, præcipuè finitimos, quorum pax maximè intereſſet, cùm ſinguli jura quædam obſcura habere ſoleant, erunt multæ res probabiliter ſingulorum, & de facto potentioris. Undè diviſio Regnorum, quæ eſt potiſſima diviſio rerum fruſtratur plurimũ; ac ſinextinguibilibus probabilitatibus bella ſempiterna fiunt, & licet aliquando interrumpantur, rumpentur tamen nunquam; capiet verò potẽtior.

Hæc quidem plus minùs ita facta ſunt omni tempore, & potentia valuit magis, quam ratio. At in præſentia non quid fiat, vel factum ſit jure, vel injuria diſſerimus, ſed quid jure, & juxta rationem ipſam fieri poſſit, ac debeat, examinamus. Dicimus porrò, ex uſu probabilium contradictoriorum ſequi, ea omnia jure, ac juxta rectam rationem fieri poſſe, quæ memoravimus: quia ſcilicet utrobique eſt probabiliter, juſtitia quæ tanti ſit, atque; ipſa re ipſa juſtitia.

Rursùs ſequeretur ex Heracliti placito in aliis quoque virtutibus utrumque contradictorium eſſe ſecundum ipſas virtutes. Atque in probabilibus ex uſu probabilium idem ſequitur. Hinc cum ſit de ratione virtutis, recta ratio, utrumque contradictorium eſſet juxta rectam rationem: ergo & veritas quæ quippe ſola eſt rectitudo rationis, nec ratio falſa rectè habet, & jure falſo opinantes ægrotantibus confert Philoſ. eo *l. 4 Met.*

Deindè in humana conſuetudine haberet abundè Heraclitus, unde omnibus placere poſſet, & nulli. Omnibus quidem, quia cuilibet de quacumque re contendentium conſentire, & annuere poſſet: & ſimul parti contrariæ, & tibi hoc, & adverſario contrarium dicere, quia veritas eſſet omnium. Undè eodem jure nulli, ſi rem omnes benè perpenderent placiturus eſſet; quia veritas eodem modo nullius eſſet: omnes proindè ille condemnaret, & pro te ſimul & contra te: tecum una & cum adverſario tuo eſſet. Ex quo, quæ omnium rerum confuſio ſequeretur, ſi Heraclitum imitari aut, omnes aut multi vellent?

Propono ergo, idem in probabilibus ſequi videri, ſi in contradictoriis utrumlibet opinari, & cenſere liberum eſt; aut ſi hoc liberũ non eſt, poſſumus tamen ex aliena opinione probabili vivere, eam per reflexas pro regula aſſumendo. Opinio mea pro te creditore eſt, pro te læſo, pro te principe impetito ab alio, pro te ſubdito, pro te Eccleſiaſtico, &c. Tecum ergo vivere mihi licet ex mea opinione, tibi per omnia conſentire, atque placere. Mox verò eodem modo ex aliena opinione probabili agere poſſum cum tuo adverſario, atq; in inſinuatis his rebus, & aliis illi conſentire, jus dare, atque placere. Unum Romæ, contradictorium docere, vel loqui Pariſiis: aliud Venetiis, contrarium Viennæ, ut ex re mea erit. Ex quo demùm non tam impoſſibile ſit quam præ ſe fert Evangelium ſervire duobus Dominis, & cum Dei ſervis uno modo, contrario cum mundi ſectatoribus ſentire, loqui, & agere. Si tamen reſciatur totum, & non quid tibi, ſed quid etiam adverſario tuo dicere poſſim, benè perpendas, non dubium quin diſcipliturus etiam ſim. Sequelæ veritatem confirmat praxis illa, quam ſuperiùs memoravimus, proponendi in univerſa re morali quæſtiones, an hoc, aut illud ſit peccatum? & reſpondendi, *eſt, non eſt; licet, & non licet*, ut ſuprà magis declaratum eſt. Occurrebant alia; ſed iſta nunc videntur ſufficere de collatione cum Heraclito, & ut quiſque benè conſideret; an hoc medium adinventum inter verum, & falſum, ſcilicet probabiliter verum ſimul, & falſum, quod utrique contradictorio convenit, è re chriſtiana ſit ſatiuſque ſit firmiter ex Evangelio aliam vitæ noſtræ regulam accipere de *eſt, eſt; & non non.*

§. III.

Collatio ſpecialis cum Prothagora & Democrito.

Haud ſanè exiſtimandum eſt, hos priſcos Philoſophos fatuos extitiſſe, & ultrò in hæc opinionum deliramenta incidiſſe. Homines erant, & homines ſumus; ingenio valebant; tamen apparentibus rationibus, quas expedire neſcierunt, coacti ſunt delirare.

Prothagoras itaque verum in rebus ipſis non eſſe ſed id verum eſſe, quod unicuique videretur, Democritus autem cautiùs vel verum in rebus ipſis non eſſe, vel à nobis ſaltem inveniri non poſſe, arbitrati ſunt.

Fundamenta fuerunt hauſta maximè ex ſenſibilibus. Aiebant ergo, de eiſdem ſenſibilibus inveniri opiniones contrarias. Primò quia quibuſdam guſtantibus videtur dulce, quod aliis amarum; & inſipidum uni, quod alteri jucundum: ex quo in proverbio eſt, de guſtibus non eſſe diſputandum; quia ſcilicet non magis eſt verum, unum, quam contrarium: alioqui recta foret diſputatio, & falſum dicens convinci poſſet.

Secundò quia multa animalia contrariò judicant de ſenſibilibus, & quod eſt ſapidum bovi eſt intolerabile homini: & idem eſt de utili. Tertiò quia idem etiam homo diverſis temporibus diverſè, & contrariè judicat de ſenſibilibus tam quoad guſtum, quam quoad alia. Nec aſſignari poſſe videtur certa & firma ratio, quarè ex his opinionibus una magis, quam alia debeat dici vera. Ergo oportet, quod æqualiter ſint veræ, & falſæ, & quod verum ſit reſpectivum, & relativum; & uni hoc ſit verum, & contrarium alteri; & ego verè dico, cibum iſtum eſſe dulcem, quia dulcis mihi eſt; & tu verè dicis, eſſe amarum, quia amarus tibi eſt. Hæc pœnè, ad litteram ex D. Thoma.

Removebant autem quandam ſolutionem obviam, nec ultrò, ſed fructum indè collecturi, ad iſta digredimur. Dici itaque poterat, verum non ex huius, vel illius guſtu, aut judicio, ſed ex plerorumque judicio cenſendum eſſe. Aiebant contra hoc, *verum non pluralitate aut paucitate judicari debere*: & quandoque, ut ſubdit S. Thomas, quod eſt pluribus, ſeu pleriſque, opinabile, non eſt verum. Secùs eſſe videtur de ſanitate, & ægritudine: de ſapientia, & ſtultitia; quia hæc differre videntur ex paucitate, vel multitudine, quarè ſi ut ibi dicitur, omnes, vel plerique eſſent, quales modo ſunt ſtulti, hi reputarentur ſapientes, & ſtulti pauci reliqui, quos fortè etiam ligarent.

Hæc de his ſatis, & nunc conferamus. Profectò via opinionis probabilium contradictoriorum ex ſimilibus prorsùs cauſis nata videtur; quia ſcilicet diverſę & contrarię opiniones de bono, & malo, ſicut ibi de ſenſibilibus: quin ejuſdẽ diverſis temporibus diverſæ ſunt opiniones. Nec ad paucitatem, vel pluralitatem eſt recursùs; tum quia ſæpè falſum eſt, quod pluribus videtur ut dictum

eſt; tum quia frequentiſſimè plurium contra plures ſunt contrariæ opiniones, & communes contra communes. Nec eſt appellatio ad ſanos, vel prudentes. Quia omnes æqualiter ſani eſſe videntur, vel prudentes.

Hinc concluſa fuit veritatis re ipſa ipſius inveniendæ difficultas ingens, vel moralis impoſſibilitas. Hinc inductum medium inter verum, & falſum, & utrique contradictorio commune, non utique medium, quod re ipſa utrimque verum ipſum ſit; ſit tamen verum ipſum probabiliter, quod quoad mores hominum tanti ſit, atque verum ipſum.

Hinc ſi quis verum diſtinguere velit, & aliud dicere purè ſpeculativum, ac parvi momenti; & aliud practicum, quod maximè noſtra interſit, haud ſanè facilè malè dicti convincetur. Speculativum itaque dicat illud, quod Ariſtoteles explicuit per conformitatem ad res ipſas, quas enunciamus; practicum illud, per quod vitam noſtram, moreſque inſtituere oportet. Illud ſanè quid noſtra interſit, ſi ex illo vivendum non eſt? Itaque quod probabiliter verum Ariſtotelicè dicitur, ſi tanti valet ad mores noſtros, cur non verum practicè, ſeu verum practicum appelletur? cum ut ſuprà eſt habitum, in morum doctrina hoc ſit maximum, hoc finis, hoc ferè totum, rectè regulare, & dirigere vitam noſtram.

Hoc poſito verum practicum erit in utraque parte contradictionis. Quæſtio erit, an hoc verum ſit ſimpliciter tale? ac proindè liceat ſine ulla diſtinctione loqui cum Heraclito contra Ariſtotelem, & ſi tibi hoc bonum videtur, & mihi malum, verum utrumque dicere pleno ore? Cogitaveram de enodanda iſta quæſtione per quæſtionem illam ſubtiliſſimam, quam Auguſtinus movit *libr. de mendacio cap.* 4. ſuo planè dignam ingenio: huic quippe operi ſubtilia aliqua immiſcere, quæ præ ipſa veritate coluntur, in finem ipſum operis non parum cōferre arbitratus ſum. Sed tamen quia Auguſtini quæſtio, illiuſque ſolutio ſubtilis adeò eſt, quæ plurimos prætereat, omiſſa tandem eſt, maximè verò quia paucos eam curam tangere video diſtinguendi ſimpliciter talia, & aſſertiones ſimpliciter à non talibus, nec in eam ſe legem induci volunt negandi, vel concedendi ſimpliciter, ſed ſemper diſtinguunt, & ſemel diſtincta ſubdiſtinguunt, & ſic ſine fine diſtinguunt, & hoc eſt magnum ingenium. Sufficiat ergo & nobis ſemel ſaltem in diſtinctione ſiſtere, & dicere, in omni contradictione alteram partem eſſe veram, alteram falſam ſpeculativè: at practicè eſſe utramque veram ex opinione de probabilibus contradictoriis: ac rurſus in doctrina morum id primum, id maximum eſſe, quod ad conſiderationem practicam pertinet: ſicut & doctrina ipſa practica eſt.

Hactenùs reſtrictè, & ſolùm in probabilibus comparavimus opinionem de probabili contradictorio. Nunc addo, abſolutè prorſùs, ac in omnibus ad ita videri, vel non videri tam ex integro revocari vitam, moreſque hominum, quam Prothagora ad verbum admiſſo revocari potuiſſent. Per noſtram namque exiſtimationem, & ita videri definiunt morum omnem malitiam, & honeſtatem, quin res ipſas ita, vel ita ſe habere quidquam interſit.

Si tu hic, & nunc bonum exiſtimas malum, nec actu aliud advertis, ſi illud non vites malè agis; & hoc quidem omnes dixerunt; ſin vero vites, malè agere in eo non potes: quod non omnes tradiderunt, ſed contrarium. Si contra tibi malum videtur bonum, illud ſequendo rectè, honeſteque agis. In indifferentibus ſimiliter regula unica, ad momentum omne exiſtimatio, vel non exiſtimatio noſtra eſſe dicitur, ſi indifferentia bona, vel mala eſſe tibi actu exiſtimentur. Neque hoc reſtringunt ad exiſtimationem probabilem: ſed quacumque exiſtimatione etiam erronea, etiam hæretica, etiam paganica, malum bonum exiſtimandò rectè agis, ſi juxta agis: quin tanquam indubitatum ſupponunt, ſecùs eſſe non poſſe, de quibus nos copioſè *par.* 2. diſſeremus.

Vides ergo, omiſſo ſaltem eo, quod in morali ſcientia vix conſiderationis eſt, ac prorſùs præter finem ejus, quod ſcilicet nihil ad morum malitiam, rectitudinemvè refert, de reliquo ad ita videri, vel non videri, quomodocumque res in ſe habeant, tam ex toto revocatam eſſe moralem ſcientiam, atque ab ipſo Prothagora revocari potuiſſet. Licet autem ad verum ipſum quærendum obligent, ac rarò in omiſſione; culpam ſaltem gravem agnoſcunt in vita communi hominum, & vivendo, ut vivitur: neſcio, an etiam venialem in vita ordinaria. Jam verò alio ſuo placito ad utrumque contradictorium verum dicendum cogi videntur: de quo ſit alia quæſtio.

QUÆSTIO XVII.

Utrum opinio dicens, nos agere, conſulereque poſſe contra propriam opinionem vel contradictoria verificet, vel ſenſum non habeat?

De hac materia, & quomodò contra propriam opinionem de peccato nec agere, nec conſulere liceat, latè agendum eſt *lib.* 3. ubi etiam de ejus ſenſu iterum dicetur. Nunc ſolùm hoc quæro, an ſententia iſta id concedens cogatur contradictoria verificare, vel minus nec ſenſum, nec intellectum habeat?

Status quæſtionis, & rei difficultas proponitur.

Ponamus caſum in ſpecie, & ſit in ea quæſtione, an liceat commutare officium pro officio, & quodlibet pro quolibet, v. g. officium Reſurrectionis pro feriali? Ponamus vero caſum in homine rectè intelligente, in Petro bono Theologo, qui poſt rem undique, ſatis diſcuſſam opinatus demum eſt, non licere eam commutationem officiorum, & ſic illius opinio eſt iſta enunciatio, *non licet commutare feriale officium pro officio reſurrectionis.*

Supponimus utique enunciationem iſtam non ſcientificam eſſe, ſed opinativam quæ proindè ſecum afferat ſuam formidinem, quam in appendice explicamus. At ſimul ſupponendum eſt, eam nihilominùs enunciationem eſſe, & aſſertionem; quippe ut jam in Ethicis nos commonuit Ariſtoteles, opinio non inquiſitio, ſed enunciatio jam eſt: alioqui nulla eſſet contradictio inter opinantes, quia nulla neque affirmatio, neque negatio; & prætermittere has curas poſſemus tenendo opiniones eſſe ſolùm apprehenſiones, in quibus non ſit nec verum, nec falſum. Supponendum itaque eſt citra omnem tergiverſationem, opinionem illam Petri Theologi, eſſe propriè enunciationem quandam negativam, qua negat, licere eam officiorum commutationem.

Modò Petrus recitaturus eſt, vultque uti opinione contraria contra ſuam, & commutare officium Neceſſe eſt, ſormet conſcientiam. Vt porrò licitè, & ſine peccato commutet, conſcientia ſibi ſua dicere, dictareque debet, *licet tibi commutare officia; licet tibi commutare feriale officium pro officio Reſurrectionis*. Hoc dictum, & dictatum videtur contradictorium ſuæ opinioni. Quod eſt nunc urgendum.

§. I.

Concluſio, & illius probatio.

VIdetur ergo dicendum, eum, qui operatur, vel conſulit contra propriam opinionem, aut verificare, & ſimul vera habere contradictoria; aut ſententiam hoc docentem non habere ſenſum, neque intellectum.

Caſus jam poſitus eſt. In illo itaque Petrus habet in mente ſua propoſitionem univerſalem, qua ait univerſaliter, non licere eam commutationem officiorum. Mox ut ipſe contra hanc ſuam opinionem licitè, & ſine peccato recitet, neceſſe planè eſt, ut formet dictamen conſcientiæ, quo dicat, licere ſibi eam commutationem. Jam iſta duo dicta habet ipſe ſimul in mente: ergo putat ea ſimul vera; nam intellectus eſt ad verum & omnis aliquid mentaliter dicens, verum habet dictum ſuum ut eſt indubitatum. Deindè verò ea duo dicta ſunt contradictoria, ſcilicet univerſalis negativa, & particularis affirmativa; alia dicit, nulli licere; alia Petro licere eam commutationem: quæ eſt contradictio ex omni logica; quemadmodum nullus currit,& petrus currit. Caſus porrò non eſt, ſi Petro recitaturo aliqua nova ratio, & circunſtantia occurreret ſe eximendi à dictu ſuo univerſali,ut aliqualis valetudo,aut nimia juſta occupatio, qua officium ſeriale explere nequeat, poſſit autem brevius aliud, ut liquet, & dicetur.

Pauci quidam mali ſanè Logici cum Ioanne Sanchez haud inconveniens putant, duas aſſertiones contradictorias, modò motivis differant, in uno, eodemque intellectu ponere; diverſitate quippe motivorum omne inconveniens putant adimi, & Patronum voluut Patrem Vazquez realis ſane, magnique ingenii virum. Sed ut ſuperiùs eſt habitum, fortè non minùs erratur in intelligentia, citationeque Authorum, quam in rebus ipſis: & Vazques quidem 1.2.*diſp* 42. *cap* 3. *n.*10. ubi de his tractat, contrarium ſupponit tanquam manifeſtum, Et cæteri communiter contemnunt hanc ex diverſis motivis contradictoria conciliandi opinionem. Etenim dicere *ſecundum hoc licet, ſecundum illud non licet*, nihil eſt dicere; non enim dicitur, nec reſpondetur an abſolutè liceat vel non liceat: & potius committitur nihil dictio, quam contradictio, de quo *lib.* 3.

Hoc ergo paucorum prætermiſſo dicterio, videtur, quod Petrus contra ſuam opinionem recitans habeat ſimul in mente ſua, quas utique veras habeat, univerſalem negativam, & particularem affirmativam, quæ juxta omnes ſunt contradictoriæ. Quod ut magis explicem, ſumo tritum ſyllogiſmum reflexum, quo adverſarii contra, vel præter opinionem operantis conſcientiam accommodant.

Syllogiſmus eſt. Licet omnibus, ac proindè etiam mihi operari juxta opinionem probabilem: ſed opinio docens, licere commutare officium eſt probabilis. licet ergo omnibus juxta eam operari. Ergo licet etiam mihi. Omitto dicere de propoſitione majori, & loquar ſolùm de conſequentibus. Alia eſt univerſalis, quæ ait, licere omnibus juxta eam opinionem operari, id eſt, licere omnibus commutare officium & alia particularis dicens, licere Petro. Opinio Petri ait nulli licere. Ergo opinio Petri, & Propoſitio primæ conſequentiæ opponuntur contrariè tanquam univerſalis affirmativa, & univerſalis negativa: item propoſitio ſecundæ conſequentiæ, & opinio Petri opponuntur contradictoriè tanquam univerſalis negativa, & particularis affirmativa. Mox verò ab univerſali negativa valet deſcenſus ad particulares negativas; nulli licet; ergo nec Paulo, nec mihi,&c. Sunt ergo in mente Petri Theologi contra opinionem ſuam operantis propoſitiones contrariæ & contradictoriæ univerſales, & particulares, quas proindè ſimul veras putet. Ergo ſatis nimiùm in Heraclitum incidi videtur.

Ego ſanè nixus ſum intelligere ſenſum hujus opinionis docentis, licere conſulere, aut operari contra propriam opinionem, utque illum meliùs aſſequerer finxi mecum,me illius opinionis eſſe,& de ſenſu rogari. Profectò illum aſſequi non potui, nec quid rogatûs reſpondere deberem. Ponam tamen, quæ occurrerunt.

§. II.

Viterior argumentationis declaratio.

SCrutemur itaque, quid Petrus in mente ſua enunciet per ſuam opinionem, contra quam licitè recitare poſſe aſſeritur. Opinio ſanè iſta aliquid enunciat de recitatione commutando officia: alioqui Petrus non operaretur contra ſuam opinionem, ut eſt caſus. Deindè non aliud enunciat, quam recitationem illam non eſſe licitam & ſine peccato fieri non poſſe: & ideò contra propriam opinionem recitat, ut eſt caſus. Rursùs opinio contraria dicit contrarium; alioquin non eſſet contraria; dicit ergo, licere eam recitationem, ac fieri poſſe ſine peccato:ergo & dictamen conſcientiæ ex iſta contraria opinione deductum dicit particulariter contrarium, ſcilicet Petro licere eam recitationem,ac ſine peccato fieri ab eo poſſe. Ergo ſemper ſumus in univerſali negativa, & particulari affirmativa: ergo in contradictione. Quædã porrò inanes diſtinctiones per *ſpeculativè, & practicè*: per *materialiter, & formaliter lib.* 3. contemnuntur. Et ad preſens omnes hoc genus diſtinctiones ſunt contra caſum; quia tollunt contrarietatem opinionum.

Urgetur abſolutè, & ad hominem. Ponamus de ea recitatione contrariè Paulum affirmantem licere, & Petrum negantem licere: ut re ipſa Auchores hujus utriuſque opinionis affirmant, & negant. Revera, & etiam juxta adverſarios iſtæ opiniones Petri, & Pauli vel contrariè, vel contradictoriè opponuntur. Hoc patet: quia demptis paucis illis, juxta reliquos etiam adverſarios illa duplex opinio in eodem intellectu eſſe nequit; nec Petrus ſolus ea ſimul duo opinari poteſt, quæ Petrus, & Paulus opinantur, & affirmãt, & negant. Eſt ergo vel contrarietas, vel contradictio inter iſtas duas opiniones. Quod rursùs patet; quia Petrus, & Paulus tanquam ſibi contrarii ſeſe viciſſim oppugnant, & alter ad alterũ dicit *nego* &c. Ergo vel neſciunt, quod dicunt, & ſunt

ſatui: vel contraria, aut contradictoria opinantur & dicunt.

Nunc ſubſumo: ſed dictamen conſcientiæ, quod Petrus elicit ex opinione ſuæ contraria Pauli, id ipſum particulariter, & reſpectu Petri dicit, quòd opinio Pauli dicit univerſaliter, & reſpectu omnium Hoc etiam videtur evidens, quia opinio Pauli ait, *licet*, id eſt omnibus commutare officium: dictamen ſuum dicit Petro, *licet* tibi commutare officium; & utraque iſta aſſertio idem ijſdem terminis enunciat, una quidem univerſaliter, & altera particulaetier. Patet rursùs Logicè: quia dictamen conſcientiæ infertur ex opinione univerſali Pauli: ergo clauditur, & includitur ſub illa: ergo id ipſum particulariter dicit, quod dicit univerſaliter opinio Pauli, alioqui ex illa inferri non poſſet; ut ſcitur ex regulis manifeſtis Logicæ. Ergo ſicut opinio Petri & opinio Pauli opponuntur univerſaliter, ſic prorsùs opinio Petri, & dictamen conſcientiæ opponuntur tanquam dictum, alterum quidem univerſale, & alterum particulare. Sed hoc contradictionem non impedit. quin oppoſitionem contrariam univerſalium transfert propriè ad contradictoriam. Habemus ergo in mente Petri contra propriam opinionem operantis aſſerta contradictoria; quæ vtraque ipſe putat vera: nam veram putat ſuam opinionem; alioquin non id opinaretur: verum etiam ſuum dictamen; alioquin ex illo licitè operari non poſſet: ergo verum utrumque.

Quod ipſum urgetur amplius, & declaratur. Si petrus contra propriam opinionem recitaturus, ut id facere poſſet, deberet ſimul cum Paulo opinari, nec niſi opinando cum illo poſſet recitare, planè juxta ipſos adverſarios cogeretur ad impoſſibile, ut ſcilicet contraria ſimul opinaretur, & ſecum ipſe diſputaret, contenderet, pugnaret, & contradiceret. Quare ſi aliquis doceret, Petrum poſſe utique recitare contra ſuam opinionem; ad hoc tamen poſſe eum, & debere ſimul opinari cum Paulo: iſte ſanè doceret, Petrum poſſe ſimul opinari contraria, eaque ſimul habere vera. At qui docent, poſſe Petrum recitare contra ſuam opinionem, idem ponunt, & inducunt inconveniens in dictamine conſcientiæ, quod ut eſt oſtenſum, id ipſum particulariter dicit, quod dicit univerſaliter opinio Pauli; nec hæc diverſitas contradictionem impedit, ſed formaliſſimè ponit. Ergo ſicut prius.

Quinimò docentes, Petrum recitare poſſe contra ſuam opinionem, per conſequentiam concedunt. Petrum poſſe ſimul cum Paulo opinari. Erenim Petrus per dictamen ſuum dicit, ſe poſſe commutare officium: ſupponimus non adeſſe rationem particularem eximendi Petrum præ Antonio, & præ reliquis. Ergo etiam de Antonio dicit, vel rogatus dicere debet, eum poſſe: & ſic de ſingulis: ergo de omnibus: nam ex ſingulis ad omnes in præſenti materia eſt aſcenſus, & conſequentia, quam intellectus, negare non poteſt. Ergo dicit, omnes poſſunt, & omnibus licet. At nihil aliud opinatur Paulus: Ergo Petrus eſt ejuſdem cum paulo opinionis. Simul autem retinet ſuam, quâ ait, nullus poteſt, nulli licet.

§. III.

De famoſâ quâdam ſolutione.

Dices itaque, fruſtrà nos tanta argumentatione laboraſſe, perſpicuum eſſe ſenſum dictaminis conſcientiæ Petri abſque ulla contradictione; aut oppoſitione cum ſua opinione. Nam opinio Petri directè enunciat, non licere eam recitationem: dictamen verò eam recitationem non ſic conſiderat, ſed ut ſubeſt contrariæ opinioni probabili; atque de ea ita conſiderata enunciat ipſam licere. Nulla autem eſt contradictio de eadem recitatione directè, & in ſe dicere, non licere: & de eadē non directè, & in ſe, ſed ut ſubeſt cōtrariæ opinioni probabili, dicere eam licere; quia ſunt quidem affirmatio, & negatio ejuſdē de eodē, ſed non ſecundum idem, ſed ſecundum diverſa.

Hæc ſolutio ſpecimen, aliquod habet & bona verba: nullam tamen capio rem ſignificatam. Petrus namque recitaturus eſt recitationem in ſe, & directè; non recitationem, ut ſubeſt opinioni probabili Pauli, quod ad ſecundas intentiones pertinet, quæ non ſunt in rebus: recitare autem eſt in rebus: ac bene etiam, vel malè recitare. Quid ergo Petro dicit ſua conſcientia de recitatione ipſa in ſe, & directè? Si dicit, eam licere; contradictorium dicit ſua opinio: ergo ſicut prius. Si aliud quid libet conſcientia dicit, abs re dicit, nam Petri, ut benè recitet, hoc unum ſcire intereſt, an ea recitatio in ſe, & directè liceat, vel non liceat: & quandiù ad hoc non reſpondetur, Petrus licitè nequit commutare officia.

Quæ ut clariora fiant, ponamus, in quo juxta datam ſolutionem nullum eſt inconveniens, in quam ponamus, Petrū ex ſua opinione univerſali, qua de ea recitatione directè, & in ſe enunciabat, nulli eam licere, intuliſſe iſtam particularem, quâ de ea recitatione directè, & in ſe enunciat, *mihi non licet iſta recitatio*; valet enim iſte deſcenſus. Ergo Petro recitaturo ſua conſcientia, vel ſuus intellectus de recitatione ipſa in ſe, & directè dicit *tibi non licet iſta recitatio*: ſimul autem ex reſponſione ſua conſcientia ſibi dicit; *tibi licet iſta recitatio, ut ſubeſt opinioni probabili contraria.* Petrus autem non recitat, ut ſubeſt opinioni Pauli de quo eſt ſecundum dictamen ſuæ conſcientiæ, ſed recitat recitationem in ſe de quo eſt primum: ergo operatur contra dictamen, quod ad ſuam operationem pertinet; nec illud aliud è re ſua eſt, cùm non recitet, ut ſubeſt. Deindè hic ſunt duo dictamina, alterum clarum contra eam recitationem: aliud ambiguum, & per circumloquia. Ergo recitatio nequit reddit licita ex conformitate ad ſecundum, magis ſaltem, quàm fiat illicita ex contrarietate ad primum. Unde ut ſummum formabitur conſcientia perplexa, & ſibi contradicens aiens, eſſe licitam, & non eſſe licitam eam recitationem.

Ulteriùs. Petrus iſte rudis eſt, ſicut & ego. Reſponſum ipſi eſt licere ſibi eam recitationem; ut ſubeſt opinioni probabili contrariæ. Vult ergo ſibi categoricè reſponderi, an hoc modo ſibi licere ſit ſibi abſolutè, & ſimpliciter licere? Si hoc eſt, precatur, ut ſibi ſine additamentis dicatur, *tibi licet iſta recitatio.* At contradictorium ait ſua opinio. Sin autem eo modo ſibi licere, non ſit abſolutè, & ſimpliciter ſibi licere, ſed alioquin minùs, quàm hoc; ſeu aliquid præter hoc. Sanè Petrus queritur,

& ait, id non ſibi ſufficere, ut licitè recitet. Et rursùs ſi nunquam ſimpliciter ſibi reſpondeatur, ſed ſemper illud, *ut ſubeſt*, addatur, ait, ſe non non capere iſtam reſponſionem: ſe quidem hæc, & ſimilia probè intelligere quoad prædicationes; quoad operandum tamen, minimè intelligere.

Præterea hoc, *ut ſub eſt*, planè recidit in eam opinionem paucorum, quam unà cum adverſariis breviter rejecimus paulò ante, de diverſitate motivorum. Scilicet *τὸ ut ſubeſt* niſi motivum ſignificet, ſenſum non habet, & pertinet ad ſecundas intentiones, ut modò dicebamus, quemadmodùm ſi diceres, te occidiſſe Petrum, ut-ſubeſt tuæ cognitioni, aut ſaltare, Petrum, aut rectè citharíſare, ut ſubeſt tali cognitioni, ac ſimilia, quæ, niſi prorsùs fallor, proponi vix poſſunt, nec ſenſum habent.

Ex mente itaque ipſa Adverſariorum recitationem illam eſſe licitam, ut ſubeſt opinioni probabili contrariæ, aliud non ſignificat, quam vi hujus, & authoritate hujus opinionis probabilis eam fieri, reddique licitam. Quare Petrus motus ſuis fundamentis opinatur, & putat, eam non licere. Reflectens mox in opinionem probabilem contrariam dicit, concluditque, licere ſibi eam recitationem. Propterea ſyllogiſmo etiam reflexo utitur, quo tanquam concluſionem infert dictamen conſcientiæ. Hinc rursùs cernitur, opinionem probabilem contrariam eſſe motivum, aſſumitur enim tanquam præmiſſa: præmiſſæ autem motivum ſunt, & cauſa formalis concluſionis; & licet ſit opinio docens, concluſionem per particulam illativam *ergo* reflectere in præmiſſas ipſas: tamen enunciatio concluſionis non enunciat concluſionem, ut ſubeſt, vel non ſubeſt præmiſſis, ſed abſolutè enunciat. v.g. omnis homo: eſt animal: Petrus homo: ergo Petrus animal; hæc concluſio abſolutè dicit Petrum eſſe animal: non autem dicit, Petrus ut ſubeſt his præmiſſis eſt animal. Sic & in re noſtra aſſumunt, licere omne illud, de quo eſt opinio probabilis: ſubſumunt: de hac recitatione eſſe opinionem probabilem: concludunt, licere ergo iſtam recitationem, abſolutè utique, non ut ſubeſt, vel non ſubeſt. Alioquin reſultabit ſyllogiſmus planè ineptus, ſi *τὸ ut ſubeſt* in concluſione reponas: ac rursùs idem, *ut ſubeſt* reponendum etiam veniet in majori.

Ex his itaque conſpicitur, opinionem probabilem contrariam, eſſe quidem Petro præmiſſam, eſſe motivum, ut concludat, licere ſibi eam recitationem; eum tamen ex hoc motivo abſolutè concludere, licere ſibi eam recitationem. At ſuis propriis motivis, & per ſuam opinionem aſſerit univsrſaliter nulli eam licere, ac proindè neque ſibi. Sumus ergo ſemper in contradictione; quam diverſitas motivorum non tollit, ut partim viſum eſt, & adverſatii concedunt, & conſtabit ampliùs *lib.3.* Et eſt ſanè res perſpicua; alioqui nulli ſibi contradicerent; nam qui diſputant, & affirmant, & negant, non per eadem motiva, & per præmiſſas eaſdem, ſed per diverſas affirmant alii, & alii negant. Omitto ſublimia quædam ingenia, quorum laus magna in ſyllogiſmis mirabilibus ſita eſt, quos cæteri frequenter ſaltem imitari non poſſumus; non enim frequenter adverſarios offendimus ita ſtupidos, ex quorum præmiſſis, & concluſione ſequatur concluſio contraria.

His, credo, omnibus ſatis confectum eſt ſententiam docentem, nos operari, vel conſulere poſſe contra noſtram opinionem, aut nullum habere ſenſum, neque intellectum; aut illam ex plano verificare contradictoria cum Heraclito; ac Petrum, quem in quæſtione introduximus, habere ſimul, vel habere ſaltem poſſe has omnes contrarias, & contradictorias aſſertiones. Per ſuam opinionem univerſaliter dicit, nulli licere eam commutationem. Hinc per deſcenſum neceſſarium inferre ſaltem poteſt: ergo neque mihi licet neque tibi. Mox motus authoritate opinionis contrariæ concludit: ergo, & mihi licet, & tibi; & quia de cæteris eadem eſt ratio, per aſcenſum infallibilem concludit: ergo licet omnibus. Ergo habet, vel habere poteſt hæc omnia ſimul in mente: nulli licet, omnibus licet: mihi licet; &c. & omnia putat vera.

§. IV.

Interpretatio Authorum eam opinionem docentium.

QUapropter ſemper arbitratus ſum, Authores quoſque graves tradentes, nos operari poſſe, & conſulere contra propriam opinionem ex opinione probabili contraria, explicandos eſſe, & reducendos in ſanum ſenſum. Et quod, precor, eſt dedecus Authores etiam graviſſimos in aliqua ſua ex infinitis una quæſtione non nihil etiam torquere, ſi oporteret? cum videamus, quanta promptitudine, quamque liberè omnis authoritas Patrum ipſorum Eccleſiæ utrolibet interpretur, vix ut locus ſit arguendi ab authoritate.

Authoribus itaque valdè familiaris eſt diſtinctio probabilitatis, ſpeculativæ, & practicæ. Has portò non explicant in ordine ad unum idemque objectum, ſub eiſdem omnibus circunſtantiis, ſed ſub diverſis. Speculationes noſtras putant eſſe de rebus ſecundum ſe, vel de rebus ſecundum ſe ſub illis circunſtantiis, quæ regulariter eas comitantur, & circunſtant; & ſic ſunt etiam leges humanæ. At judicia practica, quæ ſunt de ſingularibus, & deſerviunt hìc, & nunc ad operandum conſiderare inſuper debent omnes circunſtantias, quæ hìc, & nunc occurrunt, & regulares, & etiam irregulares, & quæ præter ſcientiam, & ſpeculationem erant.

Quandò Autboribus, vel etiam nobis eſt ſermo de opinionibus, per opiniones ſignificamus & intelligimus eas, quæ ſunt in libris, in ſcholis ſcilicet univerſales. Hæ ergo ſine ulla violentia ex Authorum ipſorum ſenſu pertinent ad probabilitatem ſpeculativam. Mox docent, nos operari poſſe, & conſulere contra has noſtras univerſales opiniones: operari autem, & conſulere pertinent ad probabilitatem practicam. Hinc rectè docere poſſunt, nos operari poſſe, & conſulere contra noſtras opiniones, quia de facto hìc, & nunc circunſtantia aliqua adeſt cogens variare judicium practicum ab opinione, & judicio ſpeculativo. Speculativum loquor cum ipſis, id eſt, minus practicum quam judicium particulare; nam de reliquo tota moralis ſcientia eſt practica.

Ad ipſos ſic intelligendos cogit etiam aliud ipſorum horum Authorum placitum, quod ſemel, & iterum tanquam indubitatum præſcribunt, ut videbimus *lib.3.* Aiunt enim judicium practicum

Digitized by Google

cum & dictamen conſcientiæ concordare debere cum judicio ſpeculativo, id eſt, cum opinione univerſali, niſi hic, & nunc occurrat circunſtantia, vel ratio particularis cogens variare, & diſcordare. Opinio autem contraria probabilis non eſt ratio, vel circunſtantia particularis occurrens hic, & nunc, nt patet; quin illa directè, & primò quaſi in loco ſuo comparuit, & occurrit in ſchola, & in libro, quando illa non obſtante contrarium, & contra ipſam opinati fuimus ipſâ auditâ, repulſaque.

Videtur ergo modo dicto ritè explicari, intelligique, ſibique concordare Authores prædictos. Certè quod noſtra magis intereſt, ſic ſunt accipiendæ aliquæ diſpenſationes Romanorum Pontificum. Clamant quippe aliqui adverſarii hoc ex loco Romanos pontifices uſos eſſe opinione minùs probabili, & caſus proferunt. Diſtinguimus; uſi ſunt opinione minùs probabili ſpeculativè, tranſeat; minùs probabili practicè, negamus. Dato enim, quod ſit minùs probabile, Papam non poſſe diſpenſare in matrimonio rato; dato, inquam, (nã magis, aut minùs probabile opinionum univerſalium haud facile digitis menſuratur) in raris illis caſibus, in quibus ſuper hoc, aut ſimilibus diſpenſarunt, babuerunt ibi, & tunc circunſtantias, & cauſas particulares maximas diſcordandi ab opinione univerſali; & aliquandò, vel ſemper ita faciendo, non ſolùm benè, ſed meliùs etiam fecerunt, & non contra conſilium, ut tenet opinio contraria de ſequente minùs probabilia. Atque ex boc principio diſſolvuntur, quin etiam retorquentur quæcumque ex factis Romanorum Pontificum ſatis odioſè producũt aliqui Recentiores.

§. V.

Prædicta opinio videtur prætereà multùm præjudicare convictu humano, & ſocietati.

HOc prætereà caput non exiguæ offenſionis habere videtur opinio iſta operádi, & conſulendi contra propriam opinionem & ſenſum; ſenſus quippe proprius eſt omnis aſſenſus proprius; opinio autem eſt aſſenſus, cum formidine quidem, tamen aſſenſus. De eo itaque accuſabunt etiam opinionem iſtam, quòd bumanum convictum vel tollat, vel valdè lædat.

Hoc fortè reveritus Johannes Sanchez aſſeruit, de factis, & circa factum non dari opiniones probabiles. Sed hoc eſt evidenter falſum; nam circa facta dantur aſſenſus, ar non omnes certi, ut patet: ergo opinativi, & cum formidine. Rursùs circa facta dantur aliquandò magna fundamenta; non ſemper concludentia: ergo probabilia. Dantur ergo & opiniones, & opiniones probabiles circa facta. Et Iudex non habens plenam probationem, ſed ſemiplenam, habet aſſenſum contra reum; non certum ergo probabilem. Hæc de re ſatis contra futile dictum. De modo autem loquendi nibil eſt uſiratius loquendo circa ſacta, quam dicere; hoc eſſe probabile, hoc veriſimile; hoc ſecùs, &c.

Itaque in bumano convictu ſunt opiniones, & probabilitates, & opiniones probabiles: quin fides humana, quæ fundamentum eſt convictus, & ſocietatis hominum, ſicut fides divina eſt fundamentum convictus hominis cum Deo, & totius juſtitiæ, aliud uno verbo non eſt, qnam opinio probabilis ab extrinſeco, id eſt ab authoritate loquentis, atque nobiſcum agentis, & conviventis, & licet aliquandò fides humana ſit certa, plerumque tamen eſt aſſenſus cum formidine; & ita propriè opinio probabilis ab extrinſeco, & probabile ab extrinſeco prorsùs coincidit cum credibili non certo.

Hinc eodem modo licere debet loqui, & vivere & convivere circa facta contra propriam opinionem, ſenſum, & fidem ex fide, & opinione probabili alterius, vel aliorum; ſicut in materia doctrinæ licet vivere, & conſulere contra propriam opinionem, & ſenſum ex opinione, & ſenſu probabili alterins, vel aliorum. Deindè verò nemo bactenùs docuit, me non poſſe etiam vivere, & conſulere ex opinione probabili mea; hoc quippe licere, ſupponunt omnes præterquam in adminiſtratione Sacramentorum, in quo variant.

Jam ergo primum nniverſaliſſimè, quoties de factis eſt fama fundata utrinque, & opiniones contrariæ virorum gravium de ſcientia v. g. vel ignorantia alicujus: de magnis divitiis, vel nullis: de bono, vel malo regimine alicujus Præfecti provinciæ, vel urbis, vel nihil opinando, vel pro una parte opinando potero, ut è re mea erit, & ad placendum unicuique conferet (nam placere in licitis, & honeſtis illicitum non eſt) unum hic dicere, contrarium ibi: apud conſanguineum, vel amicum ſapientiam commendare; apud ſuos æmulos illis conſentire, & eundem illum ignorantem eſſe palam affirmare. Atque ita in aliis ferè rebus omnibus humanis.

Hos porrò ita loqnentes ſenſus innatus, ac naturale hominum lumen condemnat; eos mendaces babet, & bomines duplicis cordis, & qui in corde & corde loquantur: nam duplicis cordis eſſe, & duplicis linguæ, & in corde & corde loqui idem planè eſt, atque duplicis ſenſus eſſe, & judicii, & linguam babere jam affirmantem, jam negantem, nam nullus eſt homo habens duo corda, & duas linguas materialiter. Hos univerſus ſacer textus doloſos, mendaces, at malos habet.

Prætereà ſi quid ego opinor, alii tamen viri graves contrarium opinantur, & à quolibet, vel etiam à ſuperiore legitimo quærar de ea re, an ita ſit an Petrus crimen illud commiſerit, potero ex aliorum probabili reſpondere, non commiſiſſe: & alibi contrarium affirmare, & reum eundem Petrum dicere.

Quod ſi hoc reſciat ſuperior, vel Judex, & me iterùm cõveniat, & de contradictione etiã arguat: reſpondebo, nulla eſſe, & illegitima, quæcumque opponit: nam ego verè, & honeſtè loqui poſſum & ex ſenſu, & opinione, & Judicio meo, & etiam ex probabili judicio aliorũ; atq; hoc ſine ulla contradictione, nam in quibus non eſt conrradictio in corde, non eſt cõtradictio in ore. At per adverſarios non eſt contradictio in corde, & per directas, & reflexas, cuncta conciliantur. Ergo nec erit contradictio in ore: quin locutio exterior ex ſua definitione aliud non eſt, quam manifeſtatio conceptus: habeo autem per adverſarios eos duos conceptus, aliũm per propriam opinionem; alium ex alieno probabili per reflexas. Ergo in mea locutione nulla fuit contradictio. Illegitimè ergo de contradictione convenior, aut falſus teſtis damnor. Ais: forum exterius iſta non admittit. Sed contra; nam ego vel mentitus ſum, & mihimet contradixi? & tunc minùs multò forum interius admittit mendacia: vel mentitus non ſum, nec mihimet

contradixi? & tunc iniquum erit forum exterius, non mendacia pro mendaciis mulctans, & non contradictiones condemnans tanquam contradictiones.

Ais rursùs, forum exterius de proprio ſenſu quærit, non de alieno. Cæterum jam ergo deſiſtant aliqui dicere, quandò quatuor v. g. Judices ſedent, & jam tres unum dixerunt, quartum qui contrariæ eſt opinionis, poſſe, ſe illis accommodare, & ex eorum contra ſenſum ſuum judicare; nam non minus, quin, formaliùs, & principaliùs Judices, & Judicia pertinent ad forum exterius, quam teſtes, & alia quæque. Jam rursùs deſiſtant aliqui univerſaliùs dicere. Judices poſſe, ex collegarum judicio, contra ſuam opinionem jus dicere: in quo, ut amicum Judicem ad hoc inducerem, me multùm quidam moleſtarunt, ſibique id licere ita expeditum videbatur: ut me repugnantem paradoxum etiam, ac incivile animal habuerint.

Nunc ad rem. Ille etiam ſenſus, & conceptus, quem ex alieno probabili per reflexas colligo, eſt ſenſus, & conceptus meus. Ergo juxta illum reſpondeo. Deindè ſundamentum nullum eſt, ut ego ſim obligatus, niſi ad verè reſpondendum circa rem propoſitam, v. g. circa delictum, vel non delictum: ego autem veré reſpondeo ex alieno ſenſu probabili, & jam per reflexas, meo, & verè coram Deo loquor. Ad hoc ſolùm obligat, humana ſocietas vniverſim: ad hoc ergo & ſocietas, & convictus univerſus ſive paris cum pari, vel inferioris cum ſuperiore, vel Judice, vel Rege. Et certè ſi hic modus ſufficit ad convivendum cum Deo ipſo, & me juſtificandum coram ipſo etiam Judice, nec me vult ſecum agere præciſe ex mea opinione, & judicio, ſed vel ex hoc, vel ex alio formato ex opinione probabili aliorū, nunquam ſanè videtur reddenda realis ratio, cur homines vel pares, vel ſuperiores, vel Judices me ad amplius obligare valeant.

Perit inquis, hoc admiſſo fides humana, ergo, & ſocietas, & convictus. Sed rogo, vel eodem admiſſo perit divina adminiſtratio, & regimen, quo per ſuas maximè leges & doctrinas, & Doctores dirigit homines in ſuum finem, vel non perit, nec læditur, ſed magis hinc humanæ fragilitati ſuccurritur? Si Dei regimen neque perit, neque læditur, neque, peribit, neque lædetur humana fides, & ſocietas, nec ſi ita læditur, poteſt non lædi divina gubernatio, & robur relegum. Sin vero Dei regimen læderetur, profectò minus multò intereſt, quod lædatur, vel pereat humana ſocietas niſi in quantum in læſione iſtius læderetur iterùm ipſum divinum regimen. Maximè porrò humanæ fragilitati ſuccurritur, ſi ſingulis liceat agere cum aliis, & loqui, quin offendamus, & diſcipliceamus, ſed in omnibus placeamus.

Sicut itaque convivere licet Deo, licet convivere homini.. Quarè ſi cum Deo tectè ago ex alieno judicio probabili voluntatem ſuam faciendo, contra meam opinionem non eſt, cur hoc non liceat circa homines. Urgetur ſanè multùm, & jure merito urgetur, quod qui ſuperiores informant de probitate, vel doctrina aliorum verè, & citra paſſiones, & malas affectiones id muneris expleant. Habeo ſanè ego de aliquo ſiniſtram opinionem; attamen alter vir gravis habet bonam. Potero non ex mea particulari notitia, & opinione, ſed ex contraria informare. Raro autem occurrit, quod ulli deſint pro ſe viri graves, vel vir, vel patronus. Raro ergo obligabor ad non approbandum quemlibet.

Patronus eſt, ais, & hæc exceptio eſt. Verùm vir gravis prudenſque eſt; & homo conſcientiæ: an eum reum habeam peccati ſaltem mortalis? ſanè unuſquiſque ſuæ opinionis, quam ipſe, vel ſui excogitarunt, Patronus eſt; & tamen facit probabile. Quid ni ergo vir ille gravis non faciat. Quod ſi hæc exceptio in morum doctrina valeat, certè non multa probabilia ſupererunt. Sin verò ibi, & circa divina non valet, non eſt, cur circa cætera admittatur. Adeò omnia ex modo doctrinarum pendent, atque his quomodolibet ſe habentibus cætera recta velle, dicent eſſe velle impoſſiblia, & iſta velle ſimul, & nolle.

Similiter qui, ut in Hiſpania moris eſt, Regios Senatores de dignis, dignioribuſque ad cathedras informent; qui Principem ipſum de dignis, & dignioribus ad Præfecturas, ad Epiſcopatus, & ad reliqua belli, ac pacis munia, dicere, loquique poterunt ex alieno probabili contra proprias opiniones, & ſenſa; & omnia ſienc amicitiæ, & amoris, & odii; & ut modò dicebam, indigni quique, & minus digni habere ſolent Patronos viros graves. Exiſtimabit verò Princeps ſe habere plura ſuffragia pro ſuo electo; & re ipſa unum habuit, ex cujus ſenſu cæteri contra proprias opiniones reſcripſerunt. Et rurſus ut de judiciis ſuprà diſputatum eſt, cur in ipſis etiam electionibus id ipſum non liceat? & electio re ipſa coram Deo unius ſolius judicio ſiet; nam cæteri ex illo per reflexas contra proprios ſenſus dedere ſuffragia. Concurrentes verò decipient dicendo ſuam opinionem, & ſenſum, ac judicium pro ipſo fuiſſe.

Mitto plurima, quibus oſtendatur, & humanum regimen, & ſocietatem convictumque hominum peſſum ire, ſi iſta quaſi duplicitas liceat. Certè ego niſi apertiſſima demonſtratione convictus nollem illius fieri opinionis, quâ ſidem mihimet meam videar adimere, & quâ mihi liceat: hic uno modo loqui, ibi contrario. Ridiculum quippe dictu eſt, me poſtquam ex alterius opinione probabili tecum locutus ſum pro te, liberum non manere, ut tibi contra te loquar ex mea propria opinione & ſenſu, quem verum exiſtimo, & quod ex contraria opinione quam falſam arbitror, loqui licuerit, & poſt non liceat ex mea, quam veram habeo.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE NATURA PROBABILITATIS Realis & Poſitivæ.

P*Oſt ea, quæ* lib. præc. *circa conſueta probabilia diſcuſſa ſunt, quibus ad dubitandum ſaltem, & conſiderandum induci quis poſſe videtur, atque ad deſiderium ſciendi res tantas ab origine, noſſéque probabilium naturam, ac diverſitates, ſupereſt, ut modo doctrinaliter multiplicem probabilitatem accuratè diſtinguamus: mox indè ad eam probabilitatem perveniamus, quam realem, & poſitivam voco, & de qua ſola lis eſſe poteſt, an ad rectam morum doctrinam, ritèque dirigendis humanis actibus ſufficiat. Neque verò aut aliquam novam probabilitatem compingam, aut novas definitiones inducam ex cerebro, quaſi quod ſatuum eſſet, nunc mihi primo morum ſapientia, & doctrina illuxerit. Antiquum ergo Probabile & antiquis ſanè definitionibus tradam, & explicabo.*

QUÆSTIO I.

Vtrum ſatis explicetur probabilitas recurrendo ad fundamenta gravia, & hoc genus alia?

SErmo non eſt de ſophiſtica probabilitate, de qua paulò poſt, ſed de reali, & quæ re ipſa eſt. Jam ergo hoc probabile ſumptum in genere, & quaſi præſcindendo à ſuis ſpeciebus probabilitaris intrinſecæ & extrinſecè definiunt, vel deſcribunt, vel explicanr dicendo probabile eſſe, illud quod nititur fundameoto gravi non omnino convincenti; ſi namque adeo eſſe grave, ut convinceret, rem faceret non probabilem ſolum, ſed certam. Id ipſum explicare etiam ſolent æquivalentibus aliis terminis, requirendo fundamenta, vel fundamentum magni ponderis, magni momenti, ſolidum, & hoc genus alia convertibilia, & ſimilia.

Quæſiri mox de utroque illo membro vulgaris diviſionis probabilis ab intrinſeco & probabilis ab extrinſco. Reſpondent; probabile ab intrinſeco id eſſe; quod nititur ratione gravi, ratione conſiderabili magni momenti, magni ponderis &c. ſemper tamen infra certitudinem. Similiter probabile ab extrinſeco aiunr, id eſſe, quod pro ſe habet authorem, vel authoritatem gravem, vel conſiderabilem, magni momenti, ponderis &c. Addere etiam ſolent recurſum ad prudentes, & ad prudentiam. Sed quia hæc ad prudentem, & ad prudentiam appellatio multarum confuſionum, & æquivocationum origo eſſe poteſt, viſum eſt, *quæſt. ſeq.* ſigillatim de illa dicere.

§. I.

Data explicationis inſufficientia.

DIcimus ergo, eam ſive definitionem, ſive deſcriptionem in genere, & in ſpecie eſſe quidem veram, tamen, inſufficientem, & nihil quæſito ipſo clariorem. Rurſus modum ulterius eam explicandi eſſe vitioſum. Denique applicationem illius ad multa eſſe falſam.

Prima parts de veritate conſtabit ex ſequentibus; & cum ea nobis haud negetur, non opus eſt laborare. Secunda pars de inſufficientia, & obſcuritate definitionis ſic probatur.

Nimirum certum, & indubitabile videtur, illa cuncta de gravitate, de magnitudine, de magno momento, pondere, robore, & hoc genus cætera dici talia relativè ad intellectum movendum, oſtendendo illi veritatem aliquo demùm modo. Alioršum enim hic gravitas, & pondera locum non habent.

Hoc ſuppoſito, quærendi ſunt ulterius: definitio ipſorum iſta erat, vel æquivalens: probabile eſt, quod infra certum gravi aliquo fundamento nititur vel magni momenti, vel magni ponderis, &c.

Quærimus, an magnitudo, & gravitas iſta talis ſit, & cenſeatur relativè, & reſpectivè ad quemlibet cujuſlibet intellectum, an ſolum reſpectivè, & relativè ad aliquos ſolùm intellectus? Primum non dicunt, nec dicere poſſunt de quo mox: ſecundum nihil explicat illos aliquos intellectus, nec explicare poteſt ſine vitio Ergo tenent ſecunda, & tertia pars concluſionis noſtræ, ſcilicet de obſcuritate, & vitio traditæ definitionis, & modi eam explicandi.

Declaremus ſingula. Primum, inquam, non dicunt, nec dicere poſſunt, ſcilicet grave, & magnum, & cætera illa dici relative & reſpectivè ad quemliber intellectum. Hoc perindè eſſet dicere, atqoe ſi quis explicaturus magna onera, magnàſque ſarcinas, eas magnas diceret ralativè, & reſpectiue ad quoſliber pueros quippe, & debiles & ægrotantes, & ſemivivos; rideretur ſanè: Conſtat autem non minorem eſſe differentiam intellectuum, ſcilicet hebetum, & levium, & facile credentium, ignorantium, errantium, deceptorum &c. Ergo gravitas, & magnitudo fundamenti, efficacia, & cætera his ſimili

ſim: nec dicuntur, nec dici in præſenti poſſunt talia relatiuè, & reſpectiuè ad intellectus quoſlibet. In quo non plus immoror; quia partem iſtam dabunt ex adverſariis graves quique.

Dicent itaque; quin dicere ſolent fundamenta gravia ita eſſe, quibus non quilibet ſed viri graves doctique moventur. (omitto hic ſcilicet prudentes ad *quæſt. ſequent.*) & idem eſt de momentis magnis &c.

Sed ecce jam primùm, uti dixi, vitium committitur. Eramus enim in explicando genere, & venitur ad unam ejuſdem ſpeciem, quod præcepta trita logicæ damnant. Nam eramus in explicando probabili in genere; quod ſemel explicatum, & intellectum, erat ſubindè dividendum, diviſumque fuit in probabile ab extrinſeco, quod habet authoritatem gravem, vel doctam, & improbabile ab intrinſeco. At ad declarandum definitionem probabilis in genere, ventum eſt ad probabile ab extrinſeco, ſcilicet ad homines graves, & ad authoritatem gravem. Ergo pro explicando genere ventum eſt ad ſpeciem: ſicut ſi pro explicando animali veniretur ad hominem, quod non licet ut ſcitur.

Deinde ſicut probabilo, ſic etiam ſunt nobis ignoti qui ſint revera homines graves, & docti ſaltem omnes, vel plurimi, licet de quibuſdam omnes conveniant; de quo rurſus ad finem quæſtionis. Ergo explicatur ignotum per æqualiter ignotum.

Sed probabile hoc in genere relinquamus tanquam inexplicabile & ad ſpecies ipſas probabilitatis intrinſecæ, & extrinſecæ, per hanc viam intelligendas veniamus, in quibus quippe intelligendis, & ipſo definito clariùs exponendis idem ſanè ſupereſt labor.

Nimirum dicunt, aliud eſſe probabile ab extrinſeco, quod ſcilicet in authoritate gravi fundatur; aliud ab intrinſeco, Quod nititur ratione gravi &c. Videtur certè hanc ſecundam probabilitatem eſſe naturâ priorem, & per prius exponendam, ut mox conſtabit magis. Iam ergo quærimus, quid ſit rationem aliquam eſſe gravem, magnam magni momenti &c.

Reſpondere non poſſunt, eſſe rationem, quæ movet quemlibet, ſeu ut in verbis metaphoricis metaphoricè etiam loquar ipſe, eſſe rationem, quæ cuilibet gravitat. Proinde aliud reſpondere non ſolent, quam eam eſſe rationem gravem, quâ, & cujus ſimilibus viri graves moveri ſolent. Sed vides jam, ſupra pro explicando genere deventum eſſe ad ſpeciem, quod erat vitium, nunc verò pro una ſpecie exponenda, & definienda iri ad aliam ſpeciem, quod aliud eſt vitium, ut ſcitur ex logica. Deindè non rationes à viris, ſed viri à rationibus, quibus, moveri ſolent, graves eſſe cognoſcuntur. Per prius ergo era ſcire, quid eſſet, rationem aliquam eſſe gravem, & magnam: &c,

Rurſus ſi de hac ipſa alia ſpecie probabilitatis ab extrinſeco quæramus adverſarios quid ſcilicet ſit, virum quoad præſens eſſe gravem? dicere ſolent, eum non moveri ad aſſenſum, & fidem levibus, & quibuſlibet, ſed gravibus, & fundatis ſolùm rationibus. Hoc autem eſt circulum committere, & pro una exponenda ſpecie ad aliam, ac vice verſa circuire. Ergo ut in concluſione poſuimus, definitio, aut deſcriptio data non eſt ipſo definito clarius quidpiam: item pro illa exponenda incurritur in vitia.

§. II.

Vlterior declaratio, & confirmatio ex Ariſtotele.

INquirit ille 6. *Ethic. cap.* 1. medium virtutis inter exceſſus, & defectus quid ſcilicet ſit ac undè: & per quid dignoſcendum, hoc medium? Reſpondere incipit dicendo id ipſum, quod in re noſtra dicunt adverſarij, medium utique inter exceſſus; & defectus eſſe, quod recta ratio præſcribit, *neque amplius, neque minùs eſſe elaborandum, aut otiandum*, ſcilicet pro agnoſcendo medio. *Nam qui ſolùm hoc habet, nihil amplius cognoſcet* (etiam ſi laboret) *Verbi cauſa: qualia corpori exhibenda ſint, ſi quis dixerit, ea quæ jubet Medicina, & ſicut is, qui ea præditus eſt, ſtatuit* Hæc ſanè ipſa eſt reſponſio adverſariorum.

Ariſtoteles eo loci hanc quidem explicationem, ſeu doctrinam veram dicit, ſed inſufficientem. Ecquis enim neget: & verum eſſe non videat, medium inter exceſſus, & defectus illud eſſe, quod recta ratio præſcribit? Si namque illud non eſſet medium, ea quæ ponitur, non foret recta ratio, ſed alia, quæ hoc aliud medium præſcriberet. Quare ſi medium non eſſet, quod recta ratio præſcribit, ex hoc ipſo haberetur medium eſſe, quod recta ratio præſcribit.

Cæterum dictum illud eſt inſufficiens: nam ſicut ſupponitur ignorari, quod ſit medium, ita ſupponitur ignorari quæ ſit recta ratio præſcribens, niſi hoc vlterius per aliud declaretur: Et cùm medici contradicunt circa ea, quæ exhibenda ſunt corpori, ignoratur quorum illorum ratio ſit recta ratio. Sic autem eſt inter Theologos qui de ſingulis penè opinabilibus contradicunt: & utrorum ratio ſit recta, aut gravis ratio, ignoratur, cum maximè juxta hos Auctores, & veritatem non omnium ratio ſit recta, aut gravis ratio.

Dicit itaque Ariſtoteles: *Si ita dicamus, ſcilicet medium eſſe; quod recta ratio præſcribit, verum quidem eſt: non tamen perſpicuum. Idcircò oportet etiam circa animi habitus non ſolum verè hoc dictum eſſe, ſed etiam determinatum quænam ſit recta ratio, quæque ejus finitio, & definitio.*

Hic ipſe eſt caſus noſter, ſi loco rectæ rationis gravem, vel magnam rationem reponas. Niſi quod melius dicitur recta ratio, quam gravis; aut magna, aut fortis ratio; tum quia in hoc, ſecundo plus ineſt metaphoræ, ut liquet; tum quia ratio dicitur recta maximè relativè ad veritatem; gravis autem, vel magna relativè ad movendum intellectum ex vi, & efficacia movendi illum. Scitur autem rectitudinem rationis explicandam præcipuè eſſe relativè ad veritatem: tum quia illa eſt immobilis, & una; intellectus autem movendus non unus ſed multiplex, & toto Cœlo diverſus, & varius; tum quia ut *infrà* oſtendetur tota rectitudo, & ſanitas doctrinæ, & rationis conſiſtit in veritate illius. Quinimo Authores præſentis explicationis recurrere demum debent ad rectam rationem; cum enim tam authoritas, quam ratio ſit gravis & levis, & quæ levis eſt re ipſa, ſecundum pravam, & non rectam rationem, judicetur gravis, & vice verſa, concedere tam debent illas rationes,

& illos

& illos Anthores eſſe graves qui ſecundum rectam rationem ſunt graves. Ergo devenire tandem debent non ad ſimilem ſolum, ſed ad eumdemmet caſum Ariſtorelis. Ergo licet verum dicant, nihil tamen dicunt perſpicuum, & doctrinale, atque determinatum.

§. III.

Datæ explicationis aliud inconveniens.

DAta explicatio probabilitatis, aliud præterea inconveniens habet, quod contra ſenſum, & doctrinam Auctorum ipſius, per aliorum tamen inintelligentiam, & inconſiderationem re ipſa ſecutum eſſe videtur, quod ſcilicet omnes omnino Authores, & omnes, & quælibet rationes, & ratiunculæ, & rationum umbræ habeantur, & reputentur eſſe graves.

Scitur ſanè & *ſupra* oſtenſum fuit, nec dubitare quiſquam poteſt, apud Authores datæ explicationis, non omnes, & quoslibet Auctores, nec omnes, & quaslibet rationes eſſe graves. Scitur præterea, & notorium eſt, eſſe aliquos Authores, vel Doctores indubitatè graves, & famoſos, ut S. Thomam, & Scotum, & Cajetanum, & Suarez, & hoc genus alios. Scitur ſimiliter; certè apud Auctores datæ explicationis ſupponitur, eſſe aliquos Auctores mediocres, & alios leves, & ſuperficiales, non ſatis penetrantes, nec intelligentes quæſtiones de quibus ſcribunt: quorum exempla producere planè non licet.

Hæc licet indubitata ſint, & in mente Authorum datæ explicationis ſit fortè determinatus numerus incluſivus Authorum gravium determinatè huius, & illius &c. & alius numerus excluſitivus determinatè huius, & illius &c. & ſimiliter in rationibus nihilominus videtur, quod etiam ipſis datæ explicationis Authoribus ſit impoſſibile, vel ſaltem difficillimum talem determinationem Auctorum, & rationum incluſivam, & excluſivam facere: & aliis, qui per datam explicationem edocendi, inſtituendique erant eſſe protsùs impoſſibile prædictam certam, & determinatam excluſionem, & incluſionem facere.

Enitendum eſt, ut mentem & difficultatem hoc circa meam ſatis explicem. Nam puto univerſaliter, quòd ſimiles regulæ nullam tandem exceptionem admittant; ſed gradatim ad ea omnia includenda cogantur quæ in primis excipere ibant, & excepta ipſi vellent. Affero ſimile. Nullam Rex noſter Magnatum, & non Magnatum Hiſpaniæ feciſſet, & determinaſſet diſtinctionem, ſed juſſiſſet eos ſolùm, & nullos alios coram ipſo coopetiri qui, ſummæ, vel maximæ nobilitatis eſſent. Per hanc certè regulam Equites ordinarii, & Nobiles alii palàm, & notoriè excludebantur, ut nemo non videt. Nihilominus lex, vel regula poſita includeret denique omnes, nec in ullo determinatè ſibi poſſet, ſed mox alius ſequeretur, & mox alius uſque ad omnes ſaltem nobiles. Eſſet v.g. Petrus quaſi ultimus ſummæ illius, vel maximæ nobilitatis requiſitæ ad coopertionem. Jam eſt alius, qui vix à Petro in nobilitate diſcrepat, & cui ſi excludarur, incluſo Petro videatur non minor injuria fieri, quam facta fuiſſet Petro, ſi ipſe excluſus fuiſſet incluſo priori alio. Quarè ſi per purã rationem, nullaque intercedente gratia Principis, nulloque interpoſito arbitrio cauſa decidenda eſt, vel Petrus excludi debuit, vel includi ille alter à Petro ferè nihil diſcrepans. Hunc autem ſimiliter alius ſequitur, qui vix ab ipſo diſcrepat. Ergo includendi erunt Equites & Nobiles omnes. Quinimo ſi ſaltem officiis, & profeſſionibus non differrent, ſed una omnium eſſet occupatio, & profeſſio ad agricolas tandem ipſos, atque ad viliores quoslibet homines fieret deſcenſus.

Erant ad hanc rem exponendam ſimilitudines aliæ, quas prætermitto. Certe in re noſtra cum una ſit Theologorum omnium, vel ſolum docentium in ſcholis, vel ſcribentium etiam libros occupatio, & profeſſio, nec fieri poſſit certa aliqua determinatio Doctoratorum, vel non Doctoratorum ut patet: nec hujus ordinis vel illius: aut hujus ſcholæ, vel illius: aut tantæ ætatis, & non minoris, nec alia certa, & conſpicua: cum præterea educatio, & ſcholarum diviſio maximè variet ſingulorum judicia, & hujus ſcholæ hominibus ſui auctores etiam mediocres ſæpè videantur graves, & contrariæ ſcholæ Auctores graviſſimi vix videantur mediocres: efficitur plane, quod ex data probabilitatis explicatione id apud multos ferè neceſſario conſequatur quod contra mentem, & doctrinam Auctorum datæ explicationis ſequutum eſt, ut ſcilicet auctores omnes & libri, & rationes habeantur, & judicentur graves, & ita probabiles ut ad conſcientiam ſufficiat.

Itaque quod *infrà* declarabimus, ſicut abſurdum eſſet, ſi Ariſtoteles ſcibile definiviſſet recurrendo ad ſcientes, & ſic ſingula ſingularum ſcientiarum objecta recurrendo ad Profeſſores, ita etiam in præſenti accidit. Nam contra potius habitus, & ſcientia cognoſcitur per actum, & actus per objectum, & ad objectum debet eſſe ultima reſolutio, ut ſapientes præſcribunt.

QUÆSTIO II.

Utrum ergo malè etiam explicetur probabile recurrendo ad prudentes, & ad prudentiam?

PEt ea ſanè ipſa, quæ *præc. quæſt.* data ſunt, res etiam iſta conficitur. Quia verò hic, & aliàs frequentiſſima eſt iſta ad prudentes, & ad prudentiam appellatio, de hoc in terminis dicere neceſſarium eſt.

Itaque dum adverſarii requirunt fundamenta gravia, magni ponderis &c. *ut quæſt. præc.* viſum eſt, quæſiti, quæ fundamenta ſint, vel cenſenda ſint gravia: quæ ſecùs? appellare ſæpè ſolent ad prudentes, prudentiam, & prudenter, dicendo, ea gravia eſſe, quibus quis prudenter movetur, vel quibus prudentes moveri ſolent ad aſſenſum, ſeu etiam ad operandum.

Hæc ad prudentes appellatio uſitatiſſima eſt in ſpeculativis, & moralibus. Et certe ad prudentes illos appellando quos tales eſſe certò, & indubitatè, & determinatè conſtat; & ad quos ad finem operis nos quoque appellaturi ſumus, quieſcendum ſanè eſſet. At appellatio præſens non ad illos eſt, ſed ad alios, qui ut dicebamus *quæſt. præcedenti*, determinari non poſſunt, nec in quoquam determinate ſiſti.

§. I.

Recurſus propoſitus non eſt doctrinalis.

DE recurſu ad rectam rationem pro medio inter exceſſus, & defectus dicebat Ariſtoteles nihil dici *perſpicuum*, id eſt, nil clarum, & notum, & docens: nihil item *determinatum*, quia nequeunt determinari prudentes ad quos appellatur, dicendo eſſe hunc, & hunc &c. & non hunc, & hunc includendo ſufficientes omnes, & excludendo

dendo inſufficientes omnes; niſi ulteriùs quod faciendum fuerat, prudentes declarentur per prudẽtiam & prudentia rursùs per ſuam definitionem, & fiat reſolutio omnium ad objectum, quod eſt menſura, & regula actuum, ut ex Ariſtotele, & D. Thoma communiter, & verè traditur. Sin autem, ut fit ſolum ſiſtatur in recurſu ad prudentes, ſequitur omnium confuſio, & incluſio.

Appoſitum eſt in hanc rem documenrum Socratis, quod ex Stobæo refert Stapletonius *in prompr. Domini. 3. Adventus* §. 2. *Si quis* (aicbat Socrares) *in theatre juberet, coriarios omnes ſurgere, illi ſoli ſurgerent : ſimiliter ſi fabros ferrarios, textores aut alios generatim : ſi vero prudentes, aut juſtos jubeat ſurgere, hic omnes illico conſurgerent.* Veriſſimum ſanè documenrum; vel enim omnes conſurgcrent, vel ſi qui modeſtiæ cauſa non conſurgerent, hi ſibi adhuc prudentiores viderentur. Ecce quantis ſit erroribus obnoxia iſta ad prudentes appellatio, quam in doctrinalibus nunquam me lcgiſſe memini in D. Thoma.

Quinimo incertior, & periculoſior eſt iſta ad prudenres, quàm ad Doctos appellatio. Sciunt enim plurimi, ſe parum eſſe in ſtudiis verſatos, ſe in Theologia profeciſſe parum, & parvl fuiſſe habitos. At in prudentia vix aliquis alicui cedit; certe qui ſe prudenrem non putet, vix unua invenierur. Ergo ſi ad ſolùm prudentes appelletur, nulli non ſolum auctorum, ſed etiam Confeſſariorum non includentur? quia licet multos excludant Auctores datæ explicationis, ipſi tamen ſe inevitabiliter includent, niſi per ulteriorem aliquam doctrinam perſpicuam, & determinatam excludantur.

Præthereà ſcitur ex Ethicis, & ex 2. 2. prudentiam multipliciter dici. Et eſſe prudentiam ſimpliciter, & prudentiam ſecundum quid, & in ordine ad fines particulares : eſſe item aliam prudentiam ſecundum carnem, & aliam ſecundum ſpiritum. Diſtinguenda ergo hæc ſingula fuerant, & afferendæ ſingulorum definitiones, & determinandum denique de qua prudentia ſic per ſuam definitionem determinata, & perſpicua facta ſermo eſſet. Quod cum factum non ſit; inſufficienter dictum fuit.

Prætereà quia quærenti, quæ ſint demonſtrabilia, quæ ſcibilia, quæ certa, quæ incerta, reſponderi poſſet per prudentes uniuſcujuſque ſcientiæ, & res omnes, & ſcientias explicare per hanc unam ad ſingularum ſcientiarum prudentes appellationem.

Denique, quia ut ſatis *queſt. prae.* declaratum eſt, ſi pergas ulteriùs de his prudentibus quærere qui ſint prudentes : incurrirur circulus : nam reſpondent prudentes eſſe, qui non leviter, ſed magna cum conſideratione, ac rebus motiviſque rectè libratis, atque perpenſis moventur ad aſſentiendum, aut ad operandum. Quare magnirudo fundamentorum per prudentes, & prudentes viciſſim per magnitudinem fundamentorum, quibus moveri ſolent, vitioſo circulo declaratur.

§ II.

Major rei declaratio ex Definitione prudentiæ?

PRudentia *6. Etic. cap. 6.* definitur *Habitus vera cum ratione activus.* Ibidem rursùs dicitur : *prudentes appellamus, cùm ad finem aliquem bonum de ijs quorum non eſt ars, rectè ratiocinantur.* Hanc rationis veritatem prudentiæ idem Ariſtoteles *cap.* 2. & ex ipſo S. Thom. 1. 2, *queſtion* 57. *art.* 5. & Theologi communiter declarant per conformitatem ad appetitum rectum circa finem, quem appetitum circa finem, ſeu intentionem finis præſupponit ſemper prudentia; nam ut modo dicebat Ariſtoteles, & ſæpè tradit, prudentia non circa finem verſatur, ſed circa media. Ideo veritatem prudentiæ accipiunt per conformitatem ad appetitum rectum : *ſed activa mentis veritas eſt conſentanea appetitui recte*, ut eo capite ſecundo dicitur. Mox autem denuò declaranda eſt rectirudo ipſius appetitus & intentionis finis : quod tandem ut Vazquez 1. 2. *d.* 58. *n.* 10. rectè docet, & tradit, fieri omnino non poteſt niſi recurrendo ad veritatem ſimplicirer, quæ vel in conformitate ad naturam rationalem ut rationalis eſt, vel in conformitate ad divinam legem tandem conſtituta ſit, de quo *infrà* : de qua prudentiæ narura nos latè *lib. ſeq.* Jam modo ad datã explicationem probabilitatis per prudenres, & prudentiam veniamus. Vel per prudentiam intelligunt hanc ex Ariſtorele uſurpatam, & definitam, & à Theologis acceptam prudentiam, vel intelligunt aliquam aliam, vel aliquid aliud? Si hoc ſecundum reſpondeant, cùm ipſi non explicaverint nec dixerint, quid intelligerent, aut intelligere vellent, voces ſanè dederunt nihil ſaltem aliis ſignificantes & neceſſe erit, ut declarent, & dicant, quid per prudentiam intelligant.

Sin autem per prudentes, & per prudentiam intelligunt habirum vera cum ratione activum, ſeu habirum conformem appetitui recto, quæ rectitudo appetirus eſt demum reſolvenda ad veritatem, ſcilicet ad conformitatem vel cum divina lege, vel cum narura rationali ut rationali, jam ſub hac prudentia collocare non poterunt opiniones non magis veras, quam falſas, & æqualiter ad verum, & falſum ſe habentes & ſpeculativè, & practicè ſine ulla conformitate magis, qnam difformitate ad naturam rationalem ut rationalem, vel ad æternam legem. Cùm ergo appellando ad prudentiam velint ſub prudentia collocare opiniones, quibus nulla magis veritas, quàm falſitas ineſt; ſed ſe habent omninò, & totaliter indifferenter ad verum, & falſum, ſequitur quod ipſi per prudentiam non intellexerint habirum vera cum ratione activum nec habitum conformem appetitui recto, ſed aliquid : aliud ac proinde rem inexplicatam reliquerunt.

Et ſanè quod prudentia multo magis ſe habeat ad verum, & quod prudentes rectè ratiocinari ſit magis verè, quàm falſò ratiocinari, manifeſtum videtur ex conſultatione, quæ eſt actus prudentiæ. Vel enim intereſt verum magis quam falſum invenire, vel nihil id intereſt? Si nihil intereſt, ad nihil eſt neceſſaria conſultatio; nec enim conſultatio eſt ſui gratia, ſed gratia alterius, ut ſcilicet inveniantur ea media, quæ re ipſa ſunt conformia appetitui recto. Et rursùs, ſi nihil intereſſet magis verum, quam falſum invenire, ad nihil eſſet neceſſarium conſulere homines doctos, & peritos magis quàm indoctos; nam illi præ his conſultandi ſunt, quia illi præ his ſciunt, aut præſumuntur ſcire veritatem : Et ideò abſurdum eſſet conſultare in Theologia Mathematicos.

thematicos. Intereſt ergo ad prudentiam magis verum iuvenire quam falſum. Ergo prudentia non eſt habirus non magis veram, quam falſam rationem habens, ſed eſt habitus vera cum ratione activus, id eſt, operans dijudicando, & diſcernendo media re ipſa conformia appetirui recto, nec aſſumes media re ipſa indifferenter ſe habentia conformitatem, vel difformitatem. Sed de his plura inferius, ubi explicabimus quo modo accedens ad non ſuam ex ignorantia invincibili, ut Jacob, operetur per habitum conformem appetitui recto.

Ad rem Auguſtinus *lib. 3. centra Academicos cap. 15.* poſtquam eorum unum introduxit iter facientem, qui cuidam verum iter oſtendenti, ne leviter crederet, credere noluit: mox vero magnifico cuidam equeſtri viro falſum iter oſtendenti credidit, & diu per avios montes errabundus laboravit. *Vere* (ait) *cum iſta cogitarem riſum tenere non potui, fieri per Academicorum verba neſcio quomodò ut erret ille, qui veram viam, vel caſu tenet, ille autem qui per avios montes probabiliter ductus eſt, nec petitam regionem invenit, non videatur errare.* In re noſtra ſi Mathematicum conſuleres de caſu conſcientiæ, & ſi fortè illo caſu verè diceret, te non eſſe obligatum, peccares eum ſequendo, eundo tamen ad prudentes non magis veros re ipſa quam falſos, ſi reſpondeant, te non eſſe obligatum, cum re ipſa eſſes obligatus, nihil peccares, ſed prorsùs evidenter & infallibiliter operaris honeſtè, aut aiunt, & tanta ſecuritate, quanta dicerent duo, & tria eſſe quinque

QUÆSTIO III.

Utrum ad reflectendum, & diſtinguendum inter probabilia cogat auctoritas Auguſtini.

VIſum eſt, *hac quæſtione* Auguſtinum audire, & præmittere contra Academicos differentem. Conſtabat enim indè, non ex quolibet quomodolibet probabili ſine diſtinctione licere vivere: diſtinguendum ſaltem illud eſſe, & aliquod quidem approbandum & reprobandum aliud.

§. I.

Academicorum probabile.

SCitur de quo latè aliàs diſſeruimus, Academicorum ſcholam, quæ & alia nomina ſortita fuit illud quoad præſens dogma habuiſſe, veritatem ſcilicet eſſe ininvenibilem, in quem illi errorem abrepti fuerũt ex ſcholarum maximè diviſionibus, & diſcordiis; in quibus cum contradictoria dicerentur, & à ſingulis ſua obſtinatè vindicarentur, ad omnia porrò examinanda tempus, & vita non ſuppeteret: alterutris citra examen ultrò accedere, eſſet ultro errare velle, in medio hærendum putarunt, nihil approbandum, reprobandum nihil dicentes.

Illud verò à principio huic ſectæ fuit objectum, nihil ſcilicet fieri poſſe, ſi nihil approbari, reprobari nihil liceret; neſcietur enim, quò demum humana omnis operatio vertitur, quid ſit bonum, ut proſequaris; quid malum ut fugias: porrectum cibum non accipies, præcipitium non effugies: haud proſequeris virtutem, nec declinabis turpia, ſi nihil inter iſta diſcernitur; ſi nec approbatur, nec reprobatur quidquam.

Hæc nec concederent, & ſe fatuos demonſtrarent, excogitarunt acuti homines probabile & veriſimile, per quod effugerent, dixeruntque, ad agendum ſufficere probabile, & veriſimile, ut quiſque probabilia, & veriſſimilia proſequeretur: Vitaret autem mala; nullo intereà, ne errare contingeret, ipſis rebus probabilibus *tanquam veris* præſtito aſſenſu.

Non itaque de probabilitate, ſicut de veritate philoſophati ſunt: nam hanc quidem ininvenibilem, illam contra invenibilem eſſe ſtatuebant: hinc nihil quidem tanquam verum approbandum dicebant: de probabilitate quam ſcilicet pro ſolutione excogitarunt approbationem non prohibebant, ut conſtat, & eſt teſtis Auguſtinus ipſe *lib.* etiam *de util. credendi.* Jam nunc dicendorum omnium intelligendi cauſa præmittendum eſt ex Auguſtino *lib. 2. centra Academicos cap. 11.* quid illi intelligerent per probabile, & veriſimile. *Audite ergo inquam, quid ſit vos? Id probabile, vel veriſimile Academici vocant, quod nos ad agendum ſine aſſentione poteſt invitare. Sine aſſentione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur, verum eſſe, aut nos ſcire arbitremur, agamus tamen. Ut verbi cauſa, heſterna nocte tam liquida, an: purâ, hodiè tam latus ſol exoriturus eſſet, ſi nos quiſpiam rogaret, credo, quod nos id ſcire, negaremus: diceremus tamen ita videri. Talia inquit Academicus, mihi videntur omnia quæ probabilia, vel veriſimilia putavi nominanda, quæ ſi tu alio nomine vis vocare nihil repugno.* Hæc Auguſtinus.

Conſtat Academicorum probabile, & veriſimile illud demum eſſe, quod haberet majorem aliquam connexionem, & ſimilitudinem veritatis, quam falſitatis; tum quia nec nomen ipſum veriſimilis alioquin congrueret; non enim eſſet magis veriſimile quam falſimile, nec proſequendum magis, quam fugiendum; tum quia id cernitur in exemplo inducto liquidæ noctis, quæ magis, licet ſæpè fallat, ſe habet ad hilarem diem futurorum quam ad oppoſitum: indeque paſſim navigantes lætari ſolemus pura, & liquida conſpecta nocte.

Hinc vecors ille vel Philoſophus, vel Theologus foret, qui ad adducendam auctoritatem Auguſtini reſponderet, eum loqui de probabili Academicorum, non autem de ſuo, niſi ulterius inter illud, & ſuum redderet perceptibile, & reale diſcrimen. Alioquin ad omnia loca ſcripturæ. Conciliorum, & ſanctorum illud unum reponere ſufficeret, ea quippe de Judæis, vel de Gentilibus, aut Hæreticis, non autem de nobis agere. Quilibet non prorsùs ineptus, credo, videt eam reſpondendi formam eſſe alienam.

Probabile porrò Academicorum non aëreum, & leviſſimum quid fuiſſe, conſtat tum ex deſcriptione Auguſtini, tum ex Cicerone *lib. 1 de natura Deorum* atteſtante, *multa eſſe probabilia, quæ quamquam non perciperentur, tamen quia viſum haberent quemdam inſignem & illuſtrem, his ſapientis vita regeretur.* Adeo non apparentiam quamque & non contemnendam, ut modò loquuntur aliqui, ſed inſignem & illuſtrem poſtularunt.

Jam modo poſtquam mentem, & probabile Academicorum habuimus, & intelleximus, ut videndum ſupereſt, quid non quoad intellectum, & hujus veritatem, vel falſitatem, ſed quid quoad

voluntatem, & mores Auguſtino viſum fuerit de vita ducta ex iſto, quod propoſuimus Academicorum probabili.

§ II.

Auguſtini mens, & verba.

POſt proluſionem aliquam antiquum in Academicos argumentum eligit Auguſtinus. (Jaciam igitur, quibus viribus poſſum, fumoſum quidem jam, & ſcabrum, ſed niſi fallor, validiſſimum telum. Qui nihil approbat, nihil agit.) Hoc eſt argumentum: mox inducitur Academicos ſe deridentes, & dicentes, (O hominem ruſticum; & ubi eſt probabile; Ubi eſt veriſimile; Hoc volebatis: audiſtiſne, ut ſonent ſcuta Græcanica exceptum eſt, quod robuſtiſſimum quidem *&c.* nec aliquid ut video, vulneris fecimus. Convertam me ad ea, quæ villa, & ager miniſtrat; onerant me potius majora, quam præparant. Nam cum otioſus diu cogitaſſem in iſto rure, quonam modo poſſet iſthuc probabile actus noſtros ab errore defendere) hæc eſt quæſtio (primo viſum eſt mihi, ut ſolet videri, cum iſta vendebam, bellè tectum, & munitum) notentur ſingula) Deinde ubi totum cautius circumſpexi, viſus ſum mihi vidiſſe aditum, quà in ſecuros error irrueret. Non enim ſolum puto, eum errare, qui falſam viam ſequitur, ſed etiam eum, qui verum non ſequitur.) Totus eſt ut conſtat, & conſtabit in errore, vel non errore actuum humanorum, id eſt vitio, vel non vitio.

Habes jam, hac de re diu meditatum Auguſtinum: deindè tam bellè eſſe cuncta tecta, & munita, ut ipſi quoque id verum videretur aliquando. Cautius mox totum circunſpexiſſe, & vidiſſe aditum, quà in ſecuros error irruet, rem proinde eſſe in qua falli ſi facile caute totum non circumſpicientes, ad quam ſanè totius cautam circumſpectionem pertinuiſſet, etiam Auguſtinum tam cautè circunſpicientem ſaltem circunſpicere, & allegare.

Nunc poſt tantum examen, quid tandem concluſerit, partim viſum eſt, & cætera proſequamur. Ut id probet quod aſſumpſerat, ſcilicet errare etiam eum, qui veram viam non ſequitur, inducit Academicũ quendam cum alio inrer facientẽ *per avios montes probabiliter ductum,* & riſu dignum.

(Hinc jam (ſubdit) adverſum iſta verba vigilantior, ipſa facta hominum, & mores conſiderare cœpi. Tum verò tam multa mihi, & tam capitalia venerunt in mentem, ut jam non riderem, ſed partim ſtomacharer partim dolorem homines doctiſſimos, & acutiſſimos in tanta ſcelera ſententiarum, & flagitia devolutos.

Certè enim non omnis, qui errat, peccat; omnis tamen, qui peccat, aut errare conceditur, aut aliquid pejus. Quid ſi ergo aliquis adoleſcentium cum hos audierit, dicentes, turpè eſt errare, & ideo nulli rei conſentire debemus, ſed tamen eum agit quiſque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.

Id igitur audiens adoleſcens: inſidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te conſulo, Marce Tulli; de adoleſcentium moribus, vitaque tractamus, cui educandæ, atque inſtituendæ omnes illæ litteræ tuæ invigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam non tibi eſſe probabile, quod id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt *&c.* Adulterabit ergo ille juvenis conjugem alienam, qui deprehenſus ſi fuerit, ubi te inveniet, à quo defendatur? Quamquam etiam ſi inveniat, quid dicturus es? Negabis profecto. Quid ſi tam clarum, ut fruſtra inficiere? Perſuadebis nimirum tamquam in Cumano Gymnaſio, atque Neapolitano, nihil eum peccaſſe, nec erraſſe quidem: non enim faciendum eſſe adulterium pro vero ſibi perſuaſit: probabile ſibi occurrit, ſecutus eſt, fecit.

Paucis mox interpoſitis. (Sed vos, me jocari, arbitramini. Libet per omne divinum dejerare, neſcire me prorsùs, quomodo iſte peccaverit, ſi quiſquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat: niſi fortè aliud dicant, eſſe errare; aliud peccare, ſeque illis præceptis egiſſe, ne erremus, peccare autem nihil magnum eſſe dixiſſe.

Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſquè omnino, quæ fieri, aut cogitari poſſunt, flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod eſt gravius apud ſapientiſſimos Judices defenduntur, nihil, conſenſi, & ideo nihil erravi. Qui autem putant, iſta non poſſe probabiliter perſuaderi, legant orationem Catilinæ, quâ Patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera perſuaſit. Jam illud quis non ridet? Ipſi dicunt nihil ſe in agendo ſequi niſi probabile, & quærunt magnopere veritatem, cum eis ſit probabile non eſſe inveniri. O mirum monſtrum! ſed hoc omittamus: illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, eum cuiquam probabile viſum fuerit faciendum, tantum nulli quaſi vero aſſentiatur non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione comimittatur.) Hæc tanta Auguſtinus.

Videbatur alicui, hoc adulterio; hæc alia de parricidiis, omnibuſque omnino; quæ fieri, aut cogitari poſſunt ſceleribus ultrò dicta fuiſſe ab Auguſtino, quomodo enim, vel undè, vel ex probabili Academicorum, aut ex alio quoquo modo probabili tot hæc tãta ullo ſequi colore poſſũt?

Sed quiſquis ille, & quantuſcunque erit, cui id in mentem veniet, modò conſiderationis alicujus capax exiſtat, advertat, Auguſtinum eſſe, qui hæc tanta pronunciavit. Auguſtinum, inquam, cui quis, precor; æqualis ingenio; Auguſtinum, hac de re diù meditatum: ipſi primum eam viam viſam fuiſſe bellè tectam, & munitam: mox tamen cautius eam circunſpexiſſe: aditum ſubinde occuriſſe, quà in ſecuros error irrueret: vigilantiorem indè factum, mores, factaque hominum conſideraſſe: adeò vigilanti Auguſtino id de adulterio ſequi viſum fuiſſe: reflexiſſe deindè ad hoc ipſum, quod tibi nunc in mentem venit, ſcilicet exiſtimaturos aliquos; ipſum ultro, jocove locutum eſſe. Hinc coactum Doctorem tantum ad conſignandum etiam juramento dictum ſuum: *libet;* inquit *per omne divinum dejerare, neſcire me prorsùs quomodo iſte peccaverit, ſi quiſquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat.* Stupidus ſanè videtur fore, vel nimis impudens, quiſquis his tantis ad conſiderandum non inducitur: & ſi de hoc ipſo articulo cauſa ſua in ultimo judicio movebitur, quis vel undè ſatisfaciat, qui nec conſiderare, nec examinare quidem voluit.

Sed verò ex tota noſtra doctrina: quin ex ipſa una mox ſecutura quæſtione, ſatis, credo, conſtabit, quanto jure quantoque fundamento ea omnia, & occurrerint, & ſequi etiam viſa ſint Auguſtino: ſub quo tanto Doctore libet etiam mihi

per

per omne divinum dejerare, poſt multos annos in examine iſto expenſos, neſcire me prorsùs, quomodò quidquam ſit illicitum; & peccatum, ſi probabile illud, quod non magis cum vero, quam cum falſo connectitur, & utrique contradictorio convenit, excuſat actus noſtros à peccato.

QUÆSTIO IV.

Utrum ergo hinc primùm repellenda ſit omnis probabilitas & probabilioritas, & etiam certitudo purè ſophiſtica? & in quo illa conſiſtant?

NIhil, opinor, eſt in univerſa hac tractatione adeò diligenter obſervandum, nihil futurum utilius, quam ſemel, & iterum reflectere in omne genus ſophiſticæ probabilitatis, aut probabilioritatis, aut etiam certitudinis: hinc quippe maximè imminet error ille, qui in ſecuros irruat. Ita enim natura; vel vitio potiùs noſtro comparati ſumus, ut rationem, & ingenium in ſummo loco ponamus, & vix non pro Deo noſtro accipiamus phantaſmata noſtra, ut idem Auguſtinus *lib. de vera relig.* ſapienter locutus eſt. Hinc rationis plurima ſemper fuit in mundo exiſtimatio, & ratio ſubtilis, & acuta pluris fieri ſolet, quam vera: & veritas ipſa non tam authoritate; quam ratione comparata placet: quin vix illa placet, nec veritas videtur.

Quid enim me aliud cogebat (ait idem Auguſtinus *lib. de utilit. credendi cap. 1.*) *annos ferè novem ſpreta religione, quæ mihi puerulo à parentibus inſita, erat homines illos* (ſcilicet Manichæos) *ſequi, ac diligenter audire, niſi quòd nos ſuperſtitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: ſe autem nullum premere ad fidem, niſi priùs diſcuſſa, & enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præſertim adoleſcentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in ſchola hominum diſputationibus ſuperbus, & garrulus?* Rursùs *cap. 9. Sed ut aliquam concilient multitudinem nomine rationis.*

Quia enim, quæ ratione acquirimus, nulli videmur debere alteri; ſed noſtra eſſe; quæ autem per authoritatem alteri accepta referimus; nam ut loquitur Doctor, *quod ſcimus; igitur debemus rationi; quod credimus authoritati:* ratio autem noſtra eſt, authoritas autem non noſtra, ſed alterius: hinc rationi tantum pretium, & authoritati exiguum, juxta illud, *genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi &c.* Indè eſt, quod nemo ſit fere, qui nolit eſſe inventor, & falſorum apparentium inventio pluris fiat, quam notæ veritatis nuda traditio. Quoniam rursùs uſua fermè omnis argumentationis eſt ad alios, & contra alios, pluris fieri ſolet ratio multùm ſtringens, & involuens falſa quam facilis vera.

Propter hæc pericula errandi, nunc primùm à morali ſcientia & à regula conſcientiæ repellenda eſt omnis purè ſophiſtica probabilitas, & probabilioritas, & certitudo, quæ per multiplicem ſophiſticam rationem inducitur, & cauſatur.

§. I.

Doctrinæ explicatio, & confirmatio.

DIcimus itaque nullam probabilitatem, nec probabilioritatem, nec certitudinem purè ſophiſticam eſſe illam probabilitatem realem, & ſecundum eſſe, & conſcientiæ, quam inquirimus; nihil eorum eſſe poſſe regulam conſcientiæ; quia probabilitas, vel probabilioritas, vel certitudo purè ſophiſtica non ſunt nec probabilitas, nec probabilioritas nec certitudo.

Hæc doctrina nec explicatione opus habere videbatur, nec probatione; nemo quippe ſub his terminis contradicit, & videtur eſſe manifeſta. Nihilominus quia propter illam modò propoſitam rationis, & ingenii, ſeu acuminis ſummam exiſtimationem, aliqui propter inconſiderationem inter rationem, & rationem nil videntur velle diſtinguere, & habendo quamlibet rationem jam ſibi videntur habere quidquid ſufficit; ſi porrò acutam, & ſubtilem habere contingat, nihil jam amplius deſiderari poſſe; contra hanc inconſiderationem exiſtimavi, operæ fore pretium magnum, ſi hic ſignatè dicamus, & oſtendamus, in unaquaque ſcientia partem ſophiſticam plenam eſſe & rationibus, & ſubtilibus rationibus, & ſtringentibus, & implicatis, & quas ſolvere difficilius ſit, quam expedire, & eludere multas rectas, & ſolidas, ac fundatas rationes.

Ad hoc oſtendendum alio opus non eſt quam duobus libris elenchorum. Conſtat enim ſumpto initio à capite 1. in quo declaratur, quid ſit eſſe ſophiſtam: *quoniam autem quibuſdam magis operæ pretium eſt, videri eſſe ſapientes, quam eſſe, & non videri; &c. manifeſtum profectò eſt, quoniam neceſſarium eſt illis & ſapientis opus videri facere magis, quam facere, & non videri.* Hinc ſophiſta facit videri ſe facere ſapientis opus & non facit. *Eſt autem* (ſubdit Ariſtoteles) *ut unum ad unum dicamus in uno quoque genere ſapientis opus, non mentiri quidem ipſum, de quibus novit; mentientem autem manifeſtare poſſe.* Sophiſta ergo debet poſſe videri ſe facere hoc opus, quin faciat. Clarius: ſapientis opus in demonſtrabilibus eſt demonſtrare: in iis, quæ demonſtrationis incapacia ſunt (ut ſcientia Moralis) noſſe verum juxta capacitatem materiæ, & poſſe manifeſtare errorem eorum qui falluntur. Ad quæ duo Paulus quoque Apoſtolus ad Titum 1. ſapientiam Epiſcopi revocat, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere:* ad hæc nimirùm duo totum opus reſolvitur ſapientis. Hinc opus ſophiſtæ eſt hæc ipſa videri ſe facere, quin faciat; videri ſe demonſtrare, quin demonſtret; videri ſe in Morali ſcientia pro natura, & capacitate materiæ veritatem noſſe, quin norit: & deindè poſſe videri ſe oſtendere & manifeſtare errare eos, qui re vera non errant.

Hinc ſophiſtis ingenio, & ratione multiplici opus eſt, & ideò in materia fallunt, & in forma, ut præmittit *cap. 1. nam quemadmodum & in aliis* (id eſt rebus) *id ſi per quamdam ſimilitudinem, ſic & in orationibus ſe habet;* in materia quidem aſſumendo rationes, quæ videntur veræ aut probabiles, ſed non ſunt: in forma faciendo ratiocinationes, quæ videntur ſyllogiſmi, ſed non ſunt. Adeò ingenioſum, quin ingenioſiſſimum eſſe, & ſapientem eſſe; ſubtiliſſimè diſputare, & ſanam, rectamque doctrinam tradere diſcrepant, quorum

ſcilicet primum in puro, putoque, quin vaniſſimo etiam ſophiſta reperitur.

Ut porrò *cap.* 3. præmittit, quinque ſunt fines ſophiſtarum, & quinque incommoda, quibus vult afficere adverſarium, redargutio, falſum, inopinabile, ſolæciſmus, nugatio: id eſt, vult eum cogere vel ad concedendum, quod negavit, vel ad falſum vel inopinabile aliquid, vel ad nugandum; vel ad incongruam locutionem: id eſt, vult hæc omnia quoad apparentiam, ſcilicet, quod ita videatur, quamvis re ipſa nihil obtineatur eorum. Hinc Ariſtoteles proſequitur modos omnes fallaciarum, & numerat tredecim pertinentes ad formam, & tredecim pertinentes ad materiam, ac multa alia pertinentia ad ſophiſticam.

Nunc omiſſis ſophiſtis, quales nullos eſſe credere par eſt, inſtituti, & rei noſtræ eſt opus ipſum conſiderare ſophiſtarum. Etenim hoc inter ſophiſtam, & opus ipſum ſophiſticum intereſt, quod ſophiſta quidem intentionem habeat eorum omnium: opus autem ipſum ſeu opera expertia ſint omnis intentionis: & quoniam nobis, ut præmiſimus, cum hominibus res non eſt, ſed cum fallaciis, ſophiſtaa ideò ipſos reliquimus, eorum dumtaxat opere aſſumpto ad noſtram inſtitutionem. Tota verò quidditas, & eſſentia, ſeu, quidquid mali opus ſophiſticum habet, in eo totum collocatur, & eò revocatur, ut appareat eſſe, & non ſit: fallat in materia, fallat in forma: videantur aſſumi vera, & vera non ſint; videantur aſſumi probabilia, quæ tamen probabilia non ſiut: videatur eſſe ſyllogiſmus, & non ſir, ſed paralogiſmus: videatur concludere, videatur redarguere, videatur facere concedere falſa, concedere inopinabilia; cogere ad nugandum, quin tamen ſequatur horum re ipſa quidquam.

Hoc in loco habent, unde abundè timeant nimii amatores rationis, & nulla, vel exigua ope, & uſu authoritatia omnia audentes, aggredienteſque ingenio: *ſi autem* (inquir Auguſtinus? *lib. de util. credendi cap.* 9. (*non jugum credendi imponere, ſed docendi fontem aperire gloriantur. Quid inquis, dici potuit, quod ad eorum laudem magis pertineret? Non ita eſt. Hoc enim faciunt nullo robore præditi, ſed ut aliquam concilient multitudinem nomine rationis: qua promiſſa naturaliter anima gaudet humana, nec vires ſuas, valetudinemque conſiderans, ſanorum eſcas, appetendo, quæ malè committuntur niſi valentibus, irruit venena fallentium.* Nimirùm doctrina noſtra non ſolum fidei, ſed etiam morum, de cœlo edocta fuit, & in authoritate maximè collocatur, de quo plenius *par.* 2.

§. II.

Ulterior doctrinæ comprobatio.

NUnc patet, ad ſcientiam Moralem non ſatis eſſe habere rationes etiam acutas, & difficiles, & quibus etiam redarguere poſſis, & reliquos illos conſequi fines apparenris ſolùm, ac re-vera ſophiſticæ ſcientiæ: Quidquid hoc totum erit, ſi ſolum videtur eſſe, & non eſt, extra ſcientiam ipſam eſſe, & pſeudoſcientiam ſolam conſtituere patet.

Habet autem hæc para ſophiſtica ſuas certitudines, ſuaa probabilitares, ſuas probabiliorıtates, evidentiaa, demonſtrationes, ſed ficta cuncta, hoc eſt, quæ videantur eſſe, & non ſint. Quare hoc genus certitudlnum & probabilitatum Judæis, hæreticis, errantibuſque cunctis concedere non abſurdum, ſed verum eſt. Hoc genere probabilitatis viguit oratio Catilinæ: hujus generis illa probabilitas fuit, qua adoleſcenti inducto ab Auguſtino probabile videri potuit adulterium. Nihil ſcilicet eſt in hoc à rigore ſcholæ exorbitans; paſſim S. Thomas exemplum inducit illius, qui ſimplicem fornicationem licitam eſſe, vel etiam obligatoriam crederet: peccaret ſanè: tamen ei probabile, imo certum etiam videri potuit. Mirum ergo non eſt, ſi Auguſtinus per omne divinum dejeret, neſcire ſe prorsùs, quomodò adoleſcens peccaverit, ſi quiſquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat. Nil enim eſt, quod huic, vel illi, hic vel ibi; in hac religione, vel illa probabile videri non poſſit.

Neque verò dici poteſt, errantibus, & Judæis, & hæreticis ea, quæ credunt, quin ſæpè obſtinatiſſimè credunt, non videri probabilia, fide digna, quin etiam aliquandò, & aliqua certa: Imò neceſſe eſt, errantibus quibuſque ea videri vera, quæ corde credunt: ergo videntur ea illis vel certa, vel ſaltem probabalia, & credibilia; niſi illud placeat probabilibus tribuere privilegium, ut multa, quæ certa non ſunt, videri quidem queant eſſe certa; probabilia autem ſola ea videri poſſint eſſe, quæ ſint. Sin vero recurtas ad prudentiam; jam ſupra dictum eſt, hoc niſi amplius nobia declaretur, nihil eſſe doctrinale. Profectò cum Calviniſta, vel Hebræo nihil per hoc proficerem, & rixa potius fieret, quam diſputatio, ſi per ipſorum imprudentiam, & noſtram prudentiam vellem cauſam terminare. Id ergo faciendum eſt, quod omnes, & ſinguli facimus, ſcilicet oſtendere, ea quæ ipſis certa, aut probabilia videntur non eſſe talia. Ergo totum revocatur ad ſophiſticum, vel non ſophiſticum.

Quod autem de rationibus, idem ipſum de fundamentis, de motivis, de gravitatibus, & hoc genus cæteris nominibus, & nominabilibus eſt decernendum; totum enim diſtinguitur in re tale, & in ſophiſticum: quidquid re ipſa eſt, quale nobia videtur eſt veriſſime tale, eſt certitudo, eſt evidentia, eſt probabile, eſt credibile, & ſic de cæteris: ſi ſolum nobis tale videtur, eſt opus ſophiſticum, nec ad opus ſapientis pertinet, ſed ad opera ſophiſtarum: quemadmodùm & inter opera virtutis, & hypocriſis cernitur.

Syllogiſmus peccana in forma, quantumcumque quantiſcumque bonus videatur, & ſummam habeat apparentiam, nunquam eſt ſyllogiſmus. Sapientiſſimi de cætero homines putant, ſyllogiſmos illos, quibua ex evidentia veræ religionis evidentet myſterium aliquod concluditur eſſe rectos, v. g. dicendo: *quidquid Deus dicit dari, datur: Deus dicit dari Incarnationem: ergo datur Incarnatio.* Hunc, & ſimiles ſyllogiſmoa, qui re ipſa quinque terminis neceſſariò conſtant, videntur boni graviſſimis viris: at eorum gravitas efficere non poteſt, eos eſſe ſyllogiſmos, ſi re ipſa quinque terminos habent, uti habent. Similiter eſt quando peccatur in materia. Nulla authoritas, nulla gravitas materiam immutare poteſt: quæ certa ſunt, quæ vera, quæ probabilia re ipſa, cuicumque licet ignorantiſſimo talia videantur, certa ſunt, vera ſunt, probabilia ſunt, fundata ſunt: ſi re ipſat alia

non

non fuerint, etiamſi ſapientiſſimis quibusque talia eſſe viderentur, non fierent certa, aut probabilia, aut fundata, & nobis ita videri nihil objecta variat.

Altiſſima proindè ſunt, & plena ſapientiæ illa Auguſtini documenta *lib. de ver. relig. cap. 55. non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris: melius eſt enim qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt:* &c. *Melior eſt vera ſtipula, quam lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.* Sed non ſit pro voluntate, ſit ex errore ſuſpicantis formata; melior eſt proculdubio vera ſtipula; quam lux quantalibet, quam Olympus mons inani cogitatione formatus. Audeamus, ſi licet ſub doctore tanto melior eſt una vera propoſitio, quam liber integer, quam Bibliotheca magna plena rationibus, & fundamentis acutiſſimis, graviſſimis, ſolidiſſimis, quæ videntur quidem talia eſſe, & delectent, & fallant, & tamen non ſunt: ſimilia omnia ab Auguſtino vocantur phantaſmata noſtra, quia ſolum habent eſſe phantaſticum: ab Ariſtotele ſophiſtica dicta ſunt, quæ quippe cuncta ad opus pertinent ſophiſtæ, non ſapientis: qui ſcilicet in eo, in quo fallitur ſapiens non eſt & in quo ſapiens eſt, non fallitur: poteſt quidem eſſe ſapiens, & in aliquo falli; at in quo fallitur, ſapiens non eſt.

Hinc diſcurſus illius vigorem intelliges, quo *lib. de utilit. credendi cap.* 11. uſus eſt, & quantum falſos quoſque opinantes improbet. (Duæ enim perſonæ ſunt in religione laudabiles: una eorum, qui jam invenerunt: quos etiam beatiſſimos judicare neceſſe eſt; alia eorum, qui ſtudioſiſſimè, & rectiſſimè inquirunt; primi ergo ſunt in ipſa poſſeſſione: alteri in via, quâ tamen certiſſimè pervenitur.)

(Tria ſunt alia hominum genera, profectò improbanda, ac deteſtanda. Unum eſt opinantium, id eſt, eorum, qui ſe arbitrantur ſcire, quod neſciunt. Alterum eorum, qui ſentiunt quidem, ſe neſcire, ſed non ita quærunt, ut invenire poſſint. Tertium eorum, qui neque ſe ſcire exiſtimant nec quærere volunt.) De quibus tribus hominum generibus erit à nobis dicendum denuò *lib. ult.*

Jam nunc inter eos collocat opinantes, id eſt, eos qui ſe arbitrantur ſcire, quod neſciunt. Diſtinguit mox actus hominum omnes in intelligere, credere, & opinari: quorum primum, ait *ſemper eſſe, ſine vitio*, ſecundum, id eſt credere; *aliquando cum vitio*: tertium id eſt opinari, *ſemper cum vitio.* Vides porrò hic multorum Merenda duce oſcitantiam, qui hoc de opinantibus, & opinionibus dictum ad opiniones probabiles modò ita compellatas tranſvertunt: cum adeò ſit evidens. Auguſtinum opinionis nomine apparentem ſcientiam intelligere, & per opinantes eos, *qui ſe arbitrantur ſcire quod neſciunt.* Quod autem nos voce opinionis intelligimus, repoſuit ipſe ſub credere, quod aliquando ait eſſe cum vitio: utilitatem verò, ac neceſſitatem credendi tam ibi perſpicuè, efficaciterque ſtatuat: quid aliud ibi non agat, quam aliqua credenda eſſe contra Manichæos, aliqua ſciri poſſe contra Academicos demonſtret, nec immeritò opinionem, nunc ita vocatam, quam revera objecta non intelligimus, ad fidem, & ad credere revocavit.

Accipitur tamen ad opus præſens, eos, qui ſe arbitrantur ſcire, quod neſciunt, eſſe genus hominum improbandum, & deteſtandum, ſi in materia religionis ſimus, aut morum, reducitur enim totum ad phantaſmata noſtra: item opinari, ſemper eſſe cum vitio, hoc eſt, ſcire, arbitrari, quod neſcimus. Quid verò ſi phantaſmata, ſi apparentiæ fuerint vehementiſſimæ, violentiſſimæ? Ex Auguſtino ſemper erit cum vitio. Quid ſi non credenda credamus, ſeu etiam noſtro vocabulo opinemur, arbitrantes nos rectè opinari, quando etiam male opinamur; ſanè ex Auguſtino tunc credere eſt cum vitio: quia erit phantaſticum, & ſophiſticum. Quid ſi apparentia fuerit maxima? Profectò tunc erit plus de phantaſtico, & ſophiſtico. Haud tamen ſermo eſt de vitio voluntatis, ut *ex cap. ſeq.* 12 liquet aliquando enim excuſatur, de quo poſteà.

Concludamus ergo probabilia, fundamenta, rationes, gravitates, ſicut certitudines, & evidentias, non reddi talia per intellectum noſtrum ſi objectis rectè correſpondet intellectus, benè res habet: ſi ſecus totum pertinet ad ſophiſticum.

Nominales tota ſcholæ ſuæ mole invehuntur in diſtinctionem rationis: illud eorum robur omne, quod intellectus noſter nihil res cognoſcendo variet, immutet, alteret nihil: indiſtincta manent indiſtincta; diſtincta jam erant diſtincta: nihil ergo per intellectum diſtingui poſſunt: poteſt ſanè ille cogitare eſſe diſtincta, quæ non ſunt diſtincta: non tamen diſtinguit, ſed fingit, & errat. Laboramus reliqui in hoc enodando: damus nihil objecta mutari per intellectum: damus de fictionibus non eſſe ſermonem: recurrimus tamen ad præciſiones, in quibus nil ſit fictionis, nil objectis ipſis repugnans, & citra omnem prorsùs fictionem res in ſe indiſtincta, & una ſit apud nos; & quoad nos diſtincta. Fatemur tamen hoc, quidquid eſt diſtinctionis, eſſe ſolum tale ſecundum quid.

Hoc ſcholæ exemplo intelliges, omnes rationes, & probationes peccantes in materia aſſumendo falſa, vel in forma, quantæcumque veriſimilitudines, & apparentiæ adſint, eſſe plenas fictione: nec per eas immutari objecta.

Jam his pro rei neceſſitate ita declaratis, probabilitas: ſicut & certitudo diſtinguenda eſt in probabilitatem non in re, ſed quoad nos ſolum talem; & in probabilitatem talem in re, quam appellamus realem: ſicut primam fictam, & ſophiſticam. Secunda pertinet ad moralem ſcientiam: prima pertinet ad pſeudomoralem ſcientiam: ſicut ſimilitudine reliquarum omnium ſcientiarum, & artium, rerumque cernitur.

Secunda facit Theologum: prima apparentem Theologum. Secunda facit hominem doctum; prima facit hominem, qui videatur doctus, & non ſit. Secunda facit hominem peritum, hominem ſcientiæ, &c. prima facit re imperitum, & apparenter peritum, & hominem non ſcientiæ moralis, ſed pſeudoſcientiæ.

Cum ergo juxta omnes ipſa doctrina, ſcientia ipſa, & peritia requiratur; cum item nemo ſufficere dicat homines pſeudoſcientiæ, & pſeudoconſcientiæ, ſed requirant homines ſcientiæ, & conſcientiæ, concluditur, probabilitatem ſolùm talem quoad nos ſufficere pro regula conſcientiæ, ſed requiri probabilitatem realem.

QUÆSTIO V.

Vtrum detur aliquod probabile etiam contra certum, & evidens; & ideò probabile pro conſcientia poſitum, & probabile opinionibus dari ſolitum prorsùs differant?

IN ęquivocis omnibus ex lege ſcientiarum præmittenda eſt non tam diviſio, quæ æquivocis non convenit, qnam diſtinctio, & unius ab alio ſeparatio definitione, vel deſcriptione, quæ regula ſcitur, & regulæ manifeſta ratio. Hæc porro vox *probabile* ſubeſt multis æquivocationibus, & multa æquivocè ſignificat: quibus non priùs diſtinctis, & ſeparatis velle probabile definire, aut unâ aliquâ explicatione comprehendere ſit prorsùs impoſſibile, ut viſum fuit *ſupra* in uſitatis definitionibus. Quin par eſt etiam probabilioris ratio, ut ubique videas, quam procul à ſcopo Janſeniſtæ, & alii jaculati ſint tanto molimine, dum obligando ad probabiliores ſibi viſi ſunt totum confeciſſe negotium: non enim id ſufficit.

Nunc ergo hac quæſtione unam iſtam probabilium diſtinctionem propono reſpondendo ad quæſtionem, dari ſcilicet aliquod probabile etiam contra certum, & evidens, & hujus generis eſſe probabile opinionibus dari ſolitum.

§. I.

Affirmatur ex ſententia omnium.

HInc ex concordi eorum omnium ſententia, qui probabile ad conſcientiam ſufficere tuentur, infero: *ergo probabile opinionibus dari ſolitum non eſt probabile ab ipſis pro conſcientia poſitum, & ſecundum veritatem ponendum.* Hæc conſequentia ſequitur ex poſitis, à nobis, & mox in hac quæſtione clarè probandis. Sequela patet hoc ſyllogiſmo: probabile opinionibus dari ſolitum ſaluatur, & locum habet etiam contra certum, & evidens, ut mox oſtendam: ſed probabile pro conſcientia poſitum, & requiſitum non ſaluatur, nec locum habet contra certum, & evidens, ut omnes concedũt, & ipſe etiam Joannes Sanchez affirmarè tuetur, àc vividiſſimè exponit, & promovet Illuſtriſſ. Caramuel in ſua Apologia, & aliàs, & res videtur ſanè demonſtrabilis. Ergo probabile opinionibus dari ſolitum non eſt probabile ab Authoribus pro conſcientia poſitum, & ſecundum veritatem ponendum vel ponibile.

Hinc rursùs patet, eos qui audientes probabile ſufficere pro conſeientia, & mox videntes, hanc, & illam opinionem dici probabilem, hanc, & illam opinionem pro conſcientia ſufficere concluſerunt, aberraſſe toto cœlo arguendo ex æquivocis: non ſecùs ſanè, atque ſi quis audiens, omne ridens eſſe rationale; & prata Vere ridere, concluderet, prata Vere, ſeu verno tempore eſſe rationalia.

§. II.

Oſtenditur probabile opinionibus dari ſolitum ſaluari etiam contra certum, & evidens.

HOc nunc eſt diligenter, & clarè oſtendendum. Et primò quia omnes vel paſſim, vel ſæpè, vel aliquandò ſententiam ſuam tuentur ut certiſſimam: & intereà contrariam nec dicunt, nec dicere ſæpè ſaltem poſſunt improbabilem, ſed probabilem ut ex omnibus libris ſaltem gravibus conſtat. Ergo probabile opinionibus dari ſolitum ſaluatur etiam contra certum, & certiſſimum, & evidens; nam etiam quando ſua cui eſt certiſſima, vel evidens ſententia, ab ipſo opinio contraria dicitur probabilis. Hoc confirmatur, & ſenſus à nobis intentus indubitatè conſtat ex phraſibus, & locutionibus plurium Authorum, quibus paſſim dicunt, *hoc patet: ratio eſt manifeſta: hoc eſt evidens, evidenter ſolvitur*, & aliis convertibilibus: quibus quidem rebus ſummam quandam authoritatem conciliat uſitatiſſima locutio D. Thomæ, *ad cujus evidentiam ſciendum eſt; ad quorum evidentiam ſciendum eſt*, quem etiam Cajetanus, & alii imitati ſunt. Et intereà dicebant contra currentes aliorum, & etiam ſcholæ integræ opiniones, quas proindè nec cenſuraſſent, nec cenſurare, aut notare potuiſſent, aut voluiſſent: eas ergo vel dicunt, vel ſupponunt eſſe probabiles. Stat ergo probabile opinionibus dari ſolitum etiam contra certum, & evidens.

Secundò probatur: in iis etiam, de quibus ſunt utrinque opiniones, aliquid utique aliquando certò ſcitur, & etiam demonſtratur: quod ſine injuria librorum, & Doctorum, & ſcholarum nequit planè in dubium revocari. Alioquin ſanè deleantur procœmialia omnia omnium ſcientiarum, in quibus traditur & Theologiam eſſe ſcientiam, & Phyſicam, & Metaphyſicam eſſe ſcientias: tollatur Logica tradens modum ſciendi, ſi nihil ſcire contingit. Neminem itaque futurum credo, qui his non conſentiat, & cui in iis, de quibus ſunt opiniones, non ſit aliquid certum, aliquid certiſſimum, aliquid demùm evidens. Imo in hac ipſa noſtra controverſia, quam ad magis, & minus probabile reduxerunt, eo calore unaquæque partium ſcripſit, quo uti ſolemus in rebus certiſſimis. Et intereà quidquid utrinque audaciùs aliquandò excidat, per ſuperiores, quorum judicio eſt ſtandum, utraque pars eſt adhuc probabilis; & ita eſſet loquendum. Stat ergo, & ſaluatur probabile opinionibus dari ſolitum etiam contra certum & evidens.

Hinc nemo prudens videtur negare poſſe, ſcholam v.g. Thomiſticam, quæ ab hinc tribus ſæculis cum Scotiſtica, & Nominaliſtica pugnat, & fermè in omnibus diſſentit, aliquid utique aliquando demonſtraſſe, & certò oſtendiſſe, & eviciſſe. Sed minora poſtulemus: nemo negare poteſt, ſcholæ ſaltem ipſi Thomiſtarum videri, ſe aliqua vel pauca, vel multa certo oſtendere, vel etiam demonſtrare, ut v.g. non dari diſtinctionem ex natura rei inter divinam eſſentiam, & relationes; quia hæc diſtinctio eſt, vel infert manifeſtè diſtinctionem realem ex univerſali, & primo omnium principio, *quodlibet eſt, vel non eſt*: & ſimiliter gratiam habitualem non poſſe ſaltem ex natura rei exiſtere cum peccato mortali: Chriſtum Salvatorem eſſe intrinſecè, & propriè impeccabilem. Et tamen ipſa illa ſchola has integræ ſcholæ opiniones improbabiles non dicit. Ergo ſcholę Thomiſticæ videtur, aliquid ſe certò oſtendere, & concludere, cujus contrarium non dicit improbabile, ſed probabile. Et tandumdem vice verſa induco de ſchola Scotiſtica, cui fortè videbitur, ſe certò oſtendere, poſſe idem corpus

poni

poni circumſcriptivè in dopliei loco adæquato, & in aliis. Jam mihi, & aliis nihil videtur evidentiùs demonſtrari, quam quod contra Nominales demonſtratur, dari ſcilicet aliqua entia modalla diſtincta ab entibus abſolutis: & ſi non demonſtratur, fateor, me in omnibus ineptire. Et tamen non poſſumus opinionem Nominalium dicere improbabilem, ſed probabilem; quam quippe qootidie aliqui & in ſcholis defendunt, & in libris edunt ſine cenſura, nec nota nec impedimentis. Stat ergo: & ſalvatur probabile opinionibus dari ſolitum contra certum & evidens, & evidentiſſimum ex ſenſu, & modo loquendi omnium.

Jam ponamus nunc, de opinione aliqoa morali dari apud aliquos hoc genus certitudinis, & evidentiæ, quale mihi, & aliis, (quorum mentem ex certa ſcientia ſcio) certum & evidens eſt, dari modos ſaltem aliquos, ſeu hanc eſſe doctrinam moralem. Tunc ſanè mibi, & illis non liceret operari juxta opinionem illam negantem omnes modos, de cujus falſitate nobis videmur habere certitudinem, & demonſtrationem: quod idem non exemplifico in aliquibus opinionibus moralibus; qoia odioſum eſt. Et tamen non obſtante tota noſtra certitudine, opinionem negantem modos habemus probabilem, nec licet eam cenſurare dicendo eſſe improbabilem, aut impediendo defenſionem, aut editionem. Stat ergo probabile opinionum ſine probabili conſcientiæ, & ſalvatur probabile opinionum etiam contra certum, & evidens.

§. III.

Dictorum confirmatio ex caſu in ſpecie de phyſica Prædeterminatione, & ſcientia Media

ADerant exempla multa ad factam diſtinctionem ſtabiliendam: ſed placuit de phyſica Prædeterminatione, & ſcientia Media caſum in ſpecie proponere; quia habemus in bac re decretum etiam Pontificium. Poſt acrem illam de gratia indifferenti, & de gratia prædeterminante, & ſcientia media inter Patres Dominicanos, & Societatis natam litem, & coram Romanis Pontificibus decennio diſcuſſam, Pauli V. ſententia fuit, ut alterutra pars ſententiam ſuam impune defenderet: neutra aliam notaret, & cenſuraret: idcircò nec Patribus Dominicanis licet ſententiam contrariam improbabilem dicere: nec Patribus Societatis licet phyſicam prædeterminationem olla nota afficere: & ſi quidquam loquuturi ſumus alterutra pars contrariam ſententiam probabilem dicere debet, idque utraque pars dictis, vel factis religioſè obſervat, & ſe mutuò tanquam in rebus probabilibus impugant.

Iotereà tamen nulli eſt dubium, quin vel plurimis, vel aliquibus Patribus Dominicanis ſcientia media certò falſa, & omninò fictitia videatur: & vice verſa tantumdem Adverſariis videtur phyſica prædeterminatio: ad quas omninò firmas perſuaſiones quantum educatio, affectio, conſuetudo, & ſimilia faciant nemo neſcit, quin pro boc probando quod paſſim manibus ipſis contrectamus, neceſſe ſit adducere probationes. Paſſim Thomiſtæ Idque fortiſſimè, & qualiter in rebus firmæ perſuaſionis fieri ſolet objiciunt ſemipelagianiſmum: Jeſuitæ ipſis ſequi Lutheranifmum: binc gratiæ Dei derogari; indè libertatem humanam de medio tolli animitùs viciſſim obijeiunt. Et cum utraque pars hoc modo ſit quoad intellectum affecta, ut nulla fortè res ſit aliquibus ſaltem Thomiſtis videnda falſior, quam ſcientia media; nulla contrariis falſior, quam pbyſica prædeterminatio; utrinque tamen ſententiam contrariam dicunt probabilem, & prohibemur dicere improbabilem, aut ulla minima cenſura afficere.

Sed ad hanc rem, quæ tanti ad mores, & ad tollendas æquivocationes intereſt, magis declarandam, objicies: Ergo Paulus V. cum utramque partem ſic intellectualiter affectam à cenſurando, vel notando probibet, inducit ad non dicendum verum, ſed vel ad mentiendum, vel ad fingendum verbis, & operibus gerendo nos erga ſententiam contrariam tanquam erga ſententiam probabilem, & ad modom aliarum opinionum currentiom, & quæ non ſolum probabiles, ſed etiam probabiliſſimæ dicent ſolent. Licet bujus objectionis ſolutio ex jam dictis ſit obvia, & facilis juvat tamen amplius explicare, in quo propriiſſimè conſiſtat probabilitas opinionibus dari ſolita.

§. IV.

In quo conſiſtat probabilitas opinionibus dari ſolita.

HÆc probabilitatis conſiſtit in impunitate alicujus opinionis, vi cujus defendi, vel etiam edi poſſit ſine ulla cenſura aut nota, aut impedimenta. Hæc impunitas habetur principaliter à ſuperioribus, maxime autem à Judice ſupremo doctrinarum ſidei, & morum; qui eſt Romanus Pontifex; vel cum Conſilio. Quare ſuperioribus doctrinam aliquam prohibentibus maximè autem probibente Romano Pontifice impunitas iſta tollitur; ac proindè etiam tollitur probabilitas in illa conſiſtens. Aliquando etiam tollitur tacentibus ſuperioribus ex concordi judicio Theologorum omnium, qui ſententiam aliquam omnes tuentur: & tunc ſententia illis contraria cenſetur improbabilis, ſi ſaltem maximum aliquod fundamentum à cæteris prætermiſſum non afferat. Opinionem ergo aliquam eſſe probabilem probabilitate opinionibus dari ſolita, eſt, & ſignificat hæc duo collectivè: eam ſcilicet nec eſſe contra oniformem doctrinam Theologorum, nec à ſuperioribus Judicibus doctrinæ impeditam, aut prohibitam.

Probabilitas iſta aliquando purè negativè convenit opinionibus, quia ſuperiores nihil omnino nec pro, nec contra determinarunt, ſed tacuerunt. Aliquando convenit poſitivè, ut in caſu noſtro, quia Romanus Pontifex poſitivo decreto omnem cenſuram & notam alterius opinionis inhibuit.

Jam ex his patet ad nullum mendacium, aut fictionem nos inductos a Paulo V. dum juſſi ſumus opinionem contrariam tractare, & nos erga illam gerere tanquam probabilem: nam impunitas defenſionis, & cenſuræ pertinet tanquam ad ſupremum Judicem ad Romanum Pontificem, nec in illis quidquam nos decernere poſſumus ſaltem ſine ſubjectione ad ipſum, ad quem pertinet doctrinas approbare, & reprobare, & etiam

tolerare

tolerare, quando, & quandiu ipſi viſum fuerit; Quare ſi ediceremus doctrinã aliquam eſſe improbabilem: ipſo interea volente eam tolerare, vel cognoſcendo eam eſſe falſam, vel nondum de falſitate, & veritate determinato, factoque judicio peccaremus,..

Ex his accipitur hanc probabilitatem opinionibus dari ſolitam prorſus præſcindere à vero, & falſo, & ab approbato, vel tolerato; illamque eſſe ſaltem principaliter fori exterioris & publici. Hinc non forte ineptè hæc probabilitas appellari poteſt probabilitas *ſecundum dici*: & probabilitas conſcientiæ probabilitas *ſecundum eſſe*: quemadmodum de relationibus loquimur. Similiter etiam ex eiſdem relationum nominibus probabilitas opinionibus dari ſolita poteſt aptè vocari probabilitas tranſcendentalis: ſicut enim relatio tranſcendentalis ita vocata eſt, quia prædicamenta: & genera omnia tranſcendit, & in omnibus invenitur in *ſubſtantia*, in *quali*, & in *ubi* & in *quando* &c. Si probabilitas opinionibus dari ſolita tranſcendit libros omnes non prohibitos, & opiniones omnes & ſingulas non notatas, & ubique invenitur; probabilitas autem conſcientiæ eſt quædam particularis probabilitas, fundatior, & ſolidior, ut ex omnium Authorum gravium ſenſu oſtendi *lib.* 1. & hic tanquam indubitatum ſuppono.

Hæc probabilitas opinionum; & quaſi tranſcendentalis, & *ſecundum dici*, admittit magis, & minùs: quia majorem, vel minorem difficultatem etiam juſtam habere poteſt vel prohibitionis; vel cenſuræ, vel notæ; quia vel plurium eſt, vel quia alicujus Doctoris celeberrimi, qui in aliquo lapſus eſt; nam aliquandò etiam bonus dormitat Homerus; vel quia alia inconvenientia imminent. Quin contingere raro aliquandò poteſt, quod docti, credo, concedent, opinionem aliquam eſſe communiſſimam; & tamen ut Vaſquez, Azor, Joannes Sanchez, & alij *lib. præc.* dicebant, negari videtur non poſſe, aliquando rarò turbam Doctorum ſine delectu rationum ſequi aliquid: & fortè tunc pauciorum ratio eſt concludens. Ecce prima illa opinio eſſet probabilior hoc explicato probabilitatis genere: & tamen quis melius ſaltem faceret ſequendo contrariam. Vides jam, quam procul à vero abierint obligantes ad probabilius ſic præcisè

QUÆSTIO VI.

Vtrùm ergo hinc pateat: quid ponant in eſſe ſubſcriptiones Theologorum, & approbationes librorum, & ſimilia, & quomodo ſuperiores prohibeant doctrinas etiam habentes multas ſubſcriptiones?

§. I.

Aliqui in his æquivocari ſolent.

NOn pauci per hæc æquivocari ſolent. Videntes enim aliquam opinionem impunè currere, vel aliquos auctores pro ea citari, mox concludunt eam ſufficere ad conſcientiam: de qua æquivocatione, & diſtinctionis neceſſitate dictum eſt quæſtione præcedenti. Alii recurrunt ad Reviſores dicendo, quemlibet librum eſſe approbatum à duobus, vel pluribus reviſoribus: ac proindè in ſingulis librorum opinionibus inveniri probabile conſcientiæ. Hoc ſenſu aliqui etiam libri pure citativi, & hiſtorici eduntur, in quibus nihil ſit aliud, quam hiſtoricè opiniones referre, & auctores utrinque citare: quaſi hoc facto confectum ſit totum de conſcientia negotium. Sed harum rerum inſufficientia oſtenſa eſt denique hac quæſtione præcedenti.

Rurſus alii vix ſatis intelligunt quomodo vel ipſe etiam Romanus Pontifex, qui interea juxta ipſos rem aliquam etiam de fide facere poteſt, quomodo inquam opinionem aliquam quæ probabilis erat, improbabilem reddere valeat: quærunt enim quomodo Papa alicui opinioni adimere poteſt ſuam intrinſecam, & propriam quam habebat probabilitatem? ut ſi quærerem ego quomodo Papa alicui opinioni ſuam intrinſecam, & propriam veritatem detrahere valeat? tanti enim quidam inter Theologos Primarios probabilitatem faciebat, ut ipſe quidem intelligeret, quomodò Romanus Pontifex poſſet aliquid facere de fide: prorſùs autem non intalligeret, quomodò opinionem hoc anno probabilem reddat improbabilem anno ſequenti.

§. II.

Probabilitas videtur eſſe inauferibilis.

AD majorem autem harum rerum, quæ plurimi interſunt, declarationem, juvat argumentum proponere pro primario illo Theologo, cujus ſolutio proceſſui noſtro lucem dabit. Aſſumamus ergo opinionem illam, quæ erat probabilis hoc anno in genere & univerſaliter nulla facta diſtinctione, quæ fieri non ſolet. Jam illa opinio erat recta regula morum hoc anno: ſed Romanus Pontifex nullam legem de novo condendo, aut derogando, efficere non poteſt, quod ea regula, quæ erat recta regula morum hoc anno, non ſit recta regula morum anno ſequenti: Ergo Romanus Pontifex efficere non poteſt, quod ea opinio non ſit recta regula morum anno ſequenti; ergo erit probabilis anno ſequenti, nec poterit aliquid ſemel probabile efficere improbabile.

Quod autem Romanus Pontifex non poſſit facere ut id, quod hoc anno eſt recta regula morum, non ſit recta regula morum anno ſequenti, niſi legem aliquam de novo condat, aut deroget, probatur primo quidem à ſimili, nam in aliis regulis, & menſuris nec Romanus Pontifex, nec Principes alii facere poſſunt, quod horologium, vel libra, vel ulna & alia, quæ hoc anno erant rectæ menſuræ, & regulæ, non ſint ſimiliter rectæ menſuræ, & regulæ anno ſequenti. Probatur ſecundò à paritate dando rationem à priori; nam opinioni hoc anno probabili ſic à ſuis fundamentis, & rationibus eſt intrinſeca ſua probabilitas: ſicut opinioni hoc anno veræ eſt intrinſeca, aut propria ſua veritas per conformitatem ad objectum: ergo ſicut nihil variando objectum nemo efficere poteſt ut opinio hoc anno vera fiat falſa anno ſequenti; ita nihil variando de rationibus, & fundamentis ejus nemo efficere poteſt, quod opinio hoc anno probabilis fiat improbabilis anno ſequenti, ſeu quod opinio, quæ hoc anno erat recta regula morum deſinat eſſe recta regula morum anno ſequẽti. Sed Romanus Pontifex niſi legem aliquam de novo conſtituat, aut tollat nihil variat de

funda-

Digitized by Google

fundamentis, & rationibus opinionis probabilis hoc anno. Ergo efficere illam non poterit improbabilem anno ſequenti.

Ecce in quæ abſurda æquivocatio conjiciat: cum in primis ſit factum notorium multas opiniones antea probabiles, & quæ ſine nota, & impune defendebantur redditas eſſe poſtea improbabiles non ſolum à Romano Pontifice, ſed ab inferioribus etiam Judicibus fidei, & doctrinarum: Cum item conſtet apud nos, eum eſſe Romanum Pontificem qui poſſit etiam nos obligare ad credendum aliquid divina fide, ad quod antea non tenebamur, & quod doctrina aliqua, quæ prius nobis nondum erat hæretica, ſit inpoſterum hæretica. Ex quibus clarè conſtat, in facto argumento, & in cæteris in hac quæſtione attactis ſubeſſe magnas æquivocationes, quæ ſigillatim prodendæ ſint, & primo dicendum de approbationibus Reviſorum.

§. III.

Quid ergo ponant in eſſe approbationes ordinariæ Reviſorum?

EX dictis quæſtione præcedenti de probabilitate opinionibus dari ſolita deducitur per eadem argumenta, & per eaſdem probationes, ordinarias approbationes Reviſorum, & nihil addendo extraordinarium, ſolùm tribuere opinionibus approbatis probabilitatem opinionibus dari ſolitam, quam vocavimus probabilitatem ſecundum dici, & probabilitatem tranſcendentalem, quæ tota reducitur ad impunitatem illam, quam declaravimus, majorem, vel minorem.

Argumenta ibi adducta hoc probant, ut ſi Thomiſta ex officio Reviſor fieret librorum Scotiſtarum, illos approbare poſſet, & etiam deberet & vice verſa: & D. Thomas ſi Reviſor ex officio fuiſſet, approbaſſet, multa vel aliqua illis rebus contraria, ad quarum *evidentiam ſciendum* eſſe præmittere in more habuit, & tantus ſane, & tam Angelicus Doctor veraciter loquutus eſt. Sic paſſim tum Reviſores ipſi, tum Præfecti ſtudiorum multas opiniones eis etiam ſubſcribendo approbant, quas falſas eſſe, & contrarias veras eſſe pro indubitato habent; & domi etiam ſciri ſolet, Patri Præfecto, vel Regenti eas putari falſiſſimas. Eas tamen cenſurare, aut notare, aut impedire, aut eis non ſubſcribere ex officio non poſſunt, nec debent. Similiter etiam Reviſores aliquas libri opiniones putant eſſe leviter fundatas, alias non benè examinatas, & penetratas: durum autem, ac inſolitum videretur omnia talia tollere. Ergo habetur ex his, approbationes Reviſorum ſtare, & ſaluari etiam contra certum, & evidens, & etiam pro leviter, & non ſatis fundatis. Ergo quemadmodum *quæſt. præc.* de probabilitate opinionibus dari ſolita eſt latè declaratum, probabilitas per has approbationes habita differt à probabilitate conſcientiæ; nam hæc non datur contra certum, & evidens ex concordi Authorum ſententia; illa autem, datur; & ideò quilibet Societatis, qui à Romano Pontifice Reviſor fieret libri continentis phyſicam prædeterminationem; imò de ea una tractantem, non ideò approbare non poſſet librum, ſed poſſet & deberet: & vice verſa Thomiſta Reviſor conſtitutus libri de ſcientia Media.

Sed objicies: ergo Reviſores ea approbando, quæ certò falſa putant, primò quidem mentientur; & deindè etiam peccabunt graviter in doctrina morum decipiendo certò, & ſcienter. Probatur hæc conſequentia; quia in approbationibus ordinariis, nihil etiam extraordinarium adjungendo contineri ſolet generalis illa clauſula, nil eſſe in libro, quod rectæ fidei, aut bonis moribus præjudicet, at doctrina moralis ſaltem, certò falſa præjudicat bonis moribus: ergo decipiunt in re gravi, ſi ſaltem doctrina fuerit de peccato mortali, vel non mortali.

Reſpondeo hoc eſſe punctum graviſſimum, & ſcitu valdè dignum: addo in eo contineri quæſtionem illam ipſam, in qua diſputans, quid poſſit, vel debeat facere Judex erga reum, qui ex actis convincitur commiſiſſe homicidium: ipſe autem Judex ſcit certè per privatam, & extrajudicialem cognitionem, eum eſſe innocentem? & quid, ſi contingat vice verſa, reum ex actis quidem apparere innocentem: ſcit autem certò Judex extrajudicialiter, eum perpetraſſe homicidium.

De primo quidem diſſentiunt S. Thomas, & Scotus: & ego ſanè quoad hoc & hac vice à ſancto Doctore diſcedo: at de ſecundo conveniunt uterque, & quod ſciam, conveniunt omnes, reum eſſe abſoluendum, & privatam quidem ſcientiam Judicis prodeſſe poſſe reo, ut cum Scoto dicimus; obeſſe tamen non poſſe. Cujus rei utriuſque diſparitas dabitur, cum agemus de Judicibus.

Ita eſt judicandum de Reviſoribus; quia ſunt perſonæ publicæ: ipſorum privata ſcientia prodeſſe quidem poteſt, obeſſe nec debet, nec poteſt libro reviſo: nam Author ſiſtitur ipſorum judicio tamquam reus, vel, ad modum rei vel approbandus, vel reprobandus. Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, quamlibet probabilitatem dicere reſpectum ad non certum: nam per ſui generis certum tollitur. Hæc ergo probabilitas, quæ opinionibus, aut libris datur, dicit reſpectum ad non certum publicum, & commune: quod, ut dictum eſt *quæſt. præc* conſiſtit collectivè in eo, quod nec à Superioribus ſit prohibita, aut notata; nec ſit contra concordem Theologorum ſententiam, ſi ſaltem egregium aliquod ab illis prætermiſſum fundamentum non affert. Ergo probabilitas, & impunitas libro concedenda non dicit reſpectum ad non certum particulare Reviſoris. Quemadmodum ergo Judex debet abſolvere reum, quem ex privata ſcientia ſcit, eſſe homicidam, quoties ex actis publicis apparet innocens, & ſcientia privata, & particularis Judicis non debet obeſſe reo; ſic eſt de libro quoad Reviſores, qui approbare eum debent, quoties publico certo non opponitur. Hoc autem dicimus, quando nullæ eſſent particulares leges juſtæ alicujus v. g. Religionis prohibentes aliquam opinionem: debet enim per iſtas etiam judicari.

At ſi vice verſa contingeret, ut non quidem à ſententia ſuperiorum Judicum doctrinæ; maximè verò Romani Pontificis (qui in doctrina morum univerſali Eccleſiæ propoſita errare non poteſt;) ſed à concordi v. g. Theologorum alicujus ætatis haberetur pro certa aliqua doctrina; Reviſor autem ſive ex veritate, ſive ex errore pro certo putaret, opinionem contrariam, quæ affertur in libro revidendo eſſe veram, tunc non poſſet eam reprobare, & videtur eſſe ad litteram textus *Exod. 23. non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.*

Quandò

Quandò autem Reviſores non obſtante privata ſcientia contraria, opinionem, vel librum approbant, nihil mentiuntur dicendo; eum dignum eſſe, qui edatur; hoc enim eſt reſpectivum ad publicum judicium tum ſuperiorum, tum commune aliorum: per quod habetur talia edi poſſe: quemadmodum in caſu Judicii liberantis, & abſolventis eum, qui ex actis publicis innocens apparet, clare conſpicitur. Nec præjudicant bonis moribus dicendo nihil eſſe in libro bonis moribus contrarium, quia hoc etiam eſt ſimiliter reſpectivum, nec ipſi intendunt, approbatum librum fieri alicui regulam morum, ſed ſolum illud probabile conferre volunt, quod cæteris libris, qui edi ſolent, commune eſt: Hoc autem non eſt probabile conſcientiæ, ut toties ex communi Authorum conſenſu oſtenſum fuit.

§ IV.

De Citationibus, & Subſcriptionibus.

DE citationibus, ne nimis dicam: paucum dicam. Ex dictis in hac utraque quæſtione habetur clarè per puram citationem ſolùm haberi probabile opinionibus dari ſolitum: non ergo habetur probabile conſcientiæ præcisè per id, niſi accedat gravitas Authorum ſine exceptione ea in re, ut infrà declarabimus. Deinde in citationibus contingunt frequentiſſimè deceptiones, ſicut in rebus: & vel unus Illoſtriſſimus Caramuel in moltis conqueritur, ſe non rectè citatum, aut intellectum à doctiſſimo Diana. Ergo hoc medium eſt valdè fallax, & incertum etiá ad habendum probabile opinionibus dari ſolitum loquendo univerſaliter in genere de omnibus, & de quibuſlibet; non autem de aliquibus, quos exactos experimur: qui autem nihil per ſe experiri ſolent, nihil in hoc per ſolos judicare poſſunt. Rurſus cõtingit, citare Authores tibi omninò ignotos, qui aut quales, aut ubi, aut quando fuerint: ergo per horum ſolum hiſtoriam nihil ſcis, an habeas Authores bonos, vel malos; graves, vel leves, vel ſuperficiales, vel manifeſtè deceptos: nihil ergo judicare potes ſaltem quoad probabile conſcientiæ. Denique hoc circa illud videtur conſiderandum, illos, qui inſufficientes ſunt ad judicandum de rebus ipſis, inſufficientes videri ad rectè allegandum, & citandum: quia Authores doctrinales, & propriè Authores nequeunt intelligi, non intellectis ipſis rebus, quas tractant. Ergo à non intelligente res, non intelligitur mens, & ſenſus Authoris; maximè cum ſenſus ipſe concluſionum ut rectè intelligatur; ſæpè pendeat ex tota ſerie doctrinæ. Ergo inſufficientes ad judicandum de ipſis rebus videntur inſufficientes ad rectè citandum, & eo magis, quo doctores citati erunt profundiores. Ex quibus nunc, & ſemper conſtat utilitas magna & neceſſitas bonorum Theologorum, & Doctorum, contra quam aliqui non docti in propria cauſa pro ſe dicere, & credere volunt.

De citationibus hæc ſatis. De ſubſcriptionibus id ipſum per eaſdem rationes eſt dicendum, & habendum quod de Reviſoribus nuper declaratum eſt, & de probabilitate opinionibus dari ſolita quæſtione præcedenti dictum fuit. Idem enim ipſum, & nihil plus habetur per puram ſubſcriptionem, & ſcitur ſubſcribi ab aliquibus multa, quæ ipſis certo falſa videntur. Ergo per puras ſubſcriptiones non habetur probabile conſcientiæ.

Dixi *per puras*, nam aliquando non ſolum opinionibus ſubſcribitur, ſed etiam eas in praxi tutas eſſe additur: tunc enim ſenſus ſubſcribentium eſt, dari probabile conſcientiæ. In hoc genere dari fortè nimiam aliquam facilitatem, timere poſſumus: nam partes petere, & exigere iſtas ſubſcriptiones ſolent tanquam res vel puræ liberalitatis, vel urbanitatis, vel amicitiæ: & antiquum dictum eſt *caſus pro amico*, *quem caſum pro Diabolo* vocat apud Larream author quidam Juriſta, cujus nominis oblitus ſum. Certè hoc ſi quod eſt malum, non ſæculo noſtro tribuendum eſt, ſed omni, ſeu potius conditioni humanæ depravatæ.

Aliquando autem (dicebat *lib.* 1. Auguſtinus) *ſic vivunt, ut de tollenda villa aliena cum Epiſcopo conſilium habeatur, & petatur ab ipſo tale conſilium. Aliquando nobis contigit, & experti dicimus; nam non crederemus: multi à nobis conſilia mala petunt, conſilia mentiendi, circumveniendi, putantes quia placent nobis. Sed in nomine Chriſti, ſi Domino placet, quod dicimus, nullus talis nos tentavit, & invenit quod nolebat in nobis, &c.* Adeo ubique factioſa eſt garrulitas Montaltij, Vuendrochii, & Novatorum aliorum. Adeò ſimiliter periculoſa ſit facilitas ſcribendi.

Profectò quia nec ſemper omnes fuerunt Auguſtini, nec nunc ſumus, irrepunt fortè aliquando facilius dictæ ſubſcriptiones. Videmus enim aliquando doctrinas plures, & libros etiam habentes multas ſubſcriptiones; & intereà omnes illæ non ſufficiunt, ut doctrina, vel liber permittatur, aut non prohibeatur tam à ſubordinatis Judicibus doctrinæ, quam ab ipſo etiam ſupremo Judice Pontifice Romano. Cujus generis quia ſunt multa facta omnibus notoria, nullum eſt in præſentia adducendum. Licet autem aliquis per audaciam dicere poſſit librum aliquando aliquem vel doctrinam eſſe immeritò notatam, aut prohibitam, nullus tamen non prorsùs excors dicere poteſt omnes, & ſemper malè notatas, aut prohibitas fuiſſe. Ergo per ſubſcriptiones præcisè & unicè non habetur, nec probabilitas illa impunitatis opinionibus dari ſolita, ſeu probabilitas ſecundum dici, & tranſcendentalis.

Jam ſi dicant ſubſcriptiones vi ſua ſolum, & præcisè inducere probabile: ergo inducere impunitatem: ergo immeritò notari doctrinas ſubſcriptas. Hæc inquam ſi dicant quæ per inintelligentiam, & æquivocationem probabilitatis dicere ſolent, ex dictis conſtat ſolutio, & nunc amplius declarabitur.

§ V.

Quomodo ergo Superiores notent, & prohibeant opiniones anteà probabiles, & etiam habentes ſubſcriptiones?

HOc quærere tantundem eſt apud aliquos, atque quærere quomodo ſuperiores id, quod antea erat recta regula morum, poſſint facere non rectam regulam morum, & quomodo queant rectum diſtortum facere, cum potius diſtortum, & obliquum rectificare ſit Paſtorum, & Judicum officium, ut per Ezechielem conſtat: Hanc difficultatem initio hujus quæſtionis propoſuimus: & tota naſcitur ex æquivocatione qua

quodlibet

quodlibet quomodolibet probabile ſine diſtinctione confunditur cum probabili conſcientiæ atque recta regula morum. Solutio autem ſatis clarè conſtabat ex jam dictis: ſed erit operæ-pretium, utiliſſimam doctrinam magis illuſtrare.

Sancta Mater Eccleſia multa mala tum alia, tum etiam doctrinæ ad tempus tolerat; ut docti non ignorant: tamen pro indoctioribus aliquid hic delibare conſultum erit. In Decretalibus itaque de præbendis, & dignitatibus *cap. Cum jam dudum* eſt textus tritus, quem & *2. 2. & in Quodlibetis*, S. Thomas citat: *cum multa per patientiam toleren tur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia, non debeant tolerari.* Et ſunt alia in jure. Et Vigilius Papa jam olim Ruſtico, & Sebaſtiano Romanæ Eccleſię Diaconis ad Theodorum Mopſueſtenum in doctrina declinantes, & errantes ſcripſit: *Dum vobis Ruſtice, & Sebaſtiane Canonibus, & Deceſſorum noſtrorum conſtitutionibus congruentem ultionem inferre pro Apoſtolica moderatione diſtulimus &c.* Eodem etiam conſilio Honorius Papa ſub initium hæreſis Monotelitarum determinationem cauſæ tunc temporis differendam judicavit. Sunt in hanc rem plurima de tolerantia Eccleſiæ circa doctrinas argumenta, quas tantiſper tolerat propter majora vitanda incommoda, & propter majora ex ipſa tolerantia colligenda bona: Videri aliqua poſſunt, *in Catena D. Thomæ ad caput 13. Matthæi.*

Ex hac ſanctæ Eccleſiæ tolerantia habetur quod doctrina aliqua hoc anno toleretur, & anno ſequenti non toleretur: hinc conſequenter habetur quod illa ſit hoc anno probabilis probabilitate impunitatis, & non cenſuræ, ſeu notæ: anno autem ſequenti nec hoc quidem modo ſit probabilis, quin per ſubſcriptiones noſtras manus ligentur Eccleſiæ, cui & non ſubſcriptionibus data eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi. Etenim probabilitas illa collectivè conſiſtebat, & in eo quod à Theologis omnibus non reprobaretur, nec ab Eccleſia, aut illius judicibus. Doctrina autem hoc anno probabilis habet utrumque hoc anno: deſinit autem habere anno ſequenti, & ſic ſine miraculo per ablationem conſtitutivi ſuæ probabilitatis deſinit eſſe probabilis hoc anno, & ſemper impoſterum.

Ad Argumentum porrò ad principium quæſtionis propoſitum, quomodò Papa rectam regulam morum poſſit ſine nova lege, aut ſine derogatione antiquæ legis facere, ne ſit deinceps recta regula morum &c. Reſpondetur negando ſuppoſitum: nam Papa nullam rectam regulam morum, quæ verè, & reipſa eſſet recta regula morum, facit, non eſſe rectam; ſed primo facit, ne deinceps doctrina, quæ tolerabatur, toleretur, & hæc eſt probabilitas, quæ adimitur. Facit rursùs, ne aliquis per ignorantiam per doctrinam illam vel regulari velit, vel potius excuſari. Abſolute ergo tenendum eſt, quod infrà magis conſtabit, quando agetur de regula, nullam unquam doctrinam fuiſſe à Romano Pontifice prohibitam, quæ aliquandò fuerit recta regula morum, ſed potius diſtortas regulas rectificari, ſeu diſtortas eſſe indubitato judicio declarari, & oſtendi quod ad ipſum tanquam ad Paſtorem Paſtorum ipſorum, & omnium fidelium pertinet.

§. VI.

Opiniones ergo, quæ factæ ſunt improbabiles nunquam fuerunt rectæ regulæ morum.

PAſſim dicitur, etiam ſeorſim à Superiorum judicio aliquas, vel multas antiquorum Theologorum tunc temporis probabiles opiniones redditas eſſe improbabiles à ſequentibus Theologis in vi ſolum doctrinæ, quia detexerunt aliquod ſummum inconveniens, vel ſummum aliquod fundamentum, & concludentiſſimum, quod eos prætererat, invenerunt. Et hoc quidem verum eſt ſaltem in aliquibus. Ex dictis tamen ne quis æquivocetur, notandum eſt, illas opiniones tunc temporis non fuiſſe rectas regulas morum, ſed ut ſummum per ignorantiam haberi tunc potuiſſe pro rectis regulis: Verius autem dicetur ut infra magis conſtabit, illas non tam regulas morum fuiſſe, quam excuſaſſe à peccato, ſi invincibilem errorem, vel ignorantiam continebant. Atque hæc etiam comprobantur ex dictis latè, *lib. 1. quæſt. 7.*

QUÆSTIO VII.

Utrum etiam detur alia probabilitas purè negativa, quæ ex ſenſu Authorum differat à probabili conſcientia, & quò pertineat probabilitas puræ defenſionis, & impugnationis aliorum; & paritatum?

SUnt hæc omnia in ſcholis, & in libris, & mox contra ſenſum Authorum confunduntur cum probabili conſcientiæ; & cui videtur ſe totum peregiſſe negotium ſi argumenta contraria ad unum omnia diſſoluat, ſeu ſibi videatur diſſoluiſſe, valeatque in publico partem contrariam etiam egregiè defendere.

§. I.

Quid ſit opinionem eſſe purè negativè probabilem.

NUnc in hac quæſtione de materia, & rebus tractamus, in quibus nullum eſt pro alterutra parte argumentum certum, & concludens, ut in quæſtionibus præcedentibus. Dicimus ergo tunc dari aliquando mutuam, aliquando non mutuam probabilitatem purè negativam: item majorem probabilitatem unius partis, quam alius: hanc tamen probabilitatem, vel majorem probabilitatem ex ſenſu Authorum differre à probabilitate conſcientiæ, ſeu non ſufficere pro conſcientia.

Opinionem aliquam purè negativè probabilem eſſe conſiſtit in eo, quod adverſus ſe non habeat ullum argumentum certum, aut concludens, nec ipſa pro ſe habeat ullum fundamentum ſaltem grave. Nunc cum ex ſenſu aliorum loquar, & loquuturus ſim, utor ipſorum terminis fundamenti *gravis* &c. quorum verus intellectus conſtabit ex dandis quæſtionibus.

Probabilitas itaque negativa ſupponit probabilitatem illam tranſcendentalem, de qua diximus tanquam genus: deinde addit negationem fundamenti certi contra ſe; in quo convenit cum poſitiva probabilitate: & denique pro ſua ultima differentia addit negationem, & defectum fundamenti ſaltem gravis pro ſe.

Cum

Cum nulla partium habet fundamentum grave, eſt probabilitas negativa mutua, utrique ſcilicet extremo conveniens: & tunc pars illa, quæ habuerit vel Authores plures cæteris paribus, vel habuerit fundamenta levia quidem, ſed plura, vel conjectnras aliquas non tam leves, atque pars contraria, erit negativè probabilior; neutra tamen poſitivè probabilis; quia neutra habet poſitivum fundamentum grave. Quando autem una pars nullnm babet fundamentum grave; altera autem habet fundamentum non quidem apertum, & convincens, ſed tamen grave, & conſiderabile, tunc prima illa pars eſt ſolum negativè probabilis: ſecunda vero poſitivè probabilis, & datur probabilitas negativa non mutua; & ſimiliter probabilitas poſitiva non mutua; quia altera eſt poſitiva, altera negativa.

Duo ergo bic poſſunt dubitari, primum, an ſemel conceſſo, dari has probabilitates pure negativas, illæ ex mente Authorum quorumque ſaltem gravium differant à probabilitate conſcientiæ, & quam ipſi pro conſcientia ſufficere docuerunt, & ex quorum nominibus opinio approbans probabilitatem, totam ſuam commendationem nanciſcitur? Secundò dubitari poteſt, an dentur prædictæ probabilitates purè negativæ tam mutuæ, quam non mutuæ?

Ad primum indubitatè conſtat, ex ſenſu Authorum illorum, imò ex communi apprehenſione terminorum, probabilitates purè negativas, ſi quæ ſunt, differre à probabilitate conſcientiæ, nec ſecundum eos ſufficere pro conſcientia. Patet hoc primò ex terminis explicatis; nam probabilitas pure negativa nullum habet fundamentum grave, ut ſupponimus: ergo vel ſolùm leve, vel nullum. At lumine naturæ notum eſt, imprudens eſſe moveri quem ad credendum, vel operandum aut levi fundamento, aut nullo. Deindè ex Authorum illorum ſenſu; quia ipſi exquiſitè, & diligenter requiſiverunt fundamenta gravia pro ea probabilitate, quam pro conſcientia ſufficere tradiderunt, & omnia non talia repulerunt. Ergo ſi datur probabilitas purè negativa, differt à probabilitate conſcientiæ ex ſenſu Authorum, & ex apprehenſione terminorum. Videamus nunc, an detur?

§. II.

Dantur probabilitates purè negativa.

PRobabilitatem purè negativam breviter declaravi *lib.*1. per caſum, in quo Petrus de homicidio accuſatus baberet unum teſtem oculatum contra ſe; pro ſe autem & pro probanda ſua innocentia nihil baberet niſi puram ſuam negationem, ſi v.g. alienigena eſſet, nec anterioris quidem ſuæ probitatis ullam poſſet probationem producere. In hoc caſu innocentia Petri haberet contra ſe fundamentum grave, ſcilicet depoſitionem de viſu unius teſtis ſine exceptione; non haberet certam, & concludentem probationem contra ſe, id eſt, plenam; ideoque ad pœnam ordinariam damnati de rigore juris non poſſet, niſi adeſſent aliæ circunſtantiæ, ut frequentia delictorum, vel nobilitas occiſi, aut aliud indicium ſupplens defectum alterius teſtis; nam ad mortem requiritur probatio ſole meridiano clarior ſecundum leges. Quare reducendo factam probationem ad terminos noſtros illa eſſet infra certam; & ſolum poſitivè probabilis. Et tamen innocentia, pro qua nullum poſitivum fundamentum adeſt, non eſſet poſitivè probabilis, nec enim defectus alterius teſtis eſt ſua probatio, ut patet: ergo in noſtris terminis eſſet pars illa negativè probabilis, id eſt, pars à Petro, & ejus Advocato defenſa, & non convicta à contrario.

Prætereà ſic reflecto. Vel hæc, quæ pro hac concluſione adduco, & adducam, ſunt fundamenta gravia, vel non ſunt; Quodcumque dicas, habeo concluſionem; nam ſi gravia eſſe concedas, jam in peimis poſitivè probabilis, ac prudenter poſita illa erit; & deindè ſi illa eſt poſitivè probabilis, pars oppoſita erit ſolum negativè probabilis ex *quæſt. ſeq.* ergo habeo concluſionem. Sin verò dicas, iſthæc noſtra fundamenta non eſſe gravia, jam per boc ipſum fiunt gravia; nam jam per hoc probant concluſionem, pro qua ſunt; ſi enim illa gravia non ſunt, erit ergo concluſio noſtra ſolùm negativè probabilis, pro qua quippe nullum eſt poſitivum fundamenrum grave: habemus ergo grave ex non gravi, & probamus concluſionem per defectum probationum.

Rursùs ſic. Abſurda, & per ſe falſa, & nimis injurioſa foret concluſio ponens, omnia omnium Theologorum fundamenta eſſe ubique in omnibus ſemper levia, aut leviſſima: quod facilè ulterius oſtenditur, Ergo per ſe falſa videtur concluſio ponens, omnia omnium Theologorum fundamenta eſſe ubique in omnibus ſemper gravia. Utraque enim nimis videtur exorbitans, altera per defectum, altera per exceſſum ſicut ſi quis poneret, omnes homines eſſe bonos, vel omnes malos; vel omnes divites, vel omnes pauperes: ſic namque videtur, & omnes Theologos graves, ac fundatos ubique ponere, vel omnes negare. Et confirmatur; quia poſirio contraria coincideret cum illa, quam ſæpè ex omnium ſenſu rejecimus, quæ dixit, omnes, & ſingulas omnium, ac ſingulorum opiniones ſufficere pro conſcientia, nam omnes haberent fundamentum grave: omnes ergo ſufficerent; quod eſt contra communem ſenrentiam.

Denuò à priori: eſſe quem bonum Theologum, cujus eſt fundamenta vel concludentia, vel ut minimum gravia adducere; ant eſt materia natura ſua facilis aut eſt natura ſua difficilis; ſi ſecundum; in pleriſque deficit ſi primum, eriam deficit aliquando, & in paucioribus; ut ex natura rerum facilium, & difficilium uſus frequentis conſtat per experientiam, & per Philoſophos. Ergo vel ut in pluribus, vel ut in paucioribus de ſunt fundamenta gravia. Habetur ergo probabilitas negativa vel frequenter contingens, vel raròſaltem contingens,

Poſtremò quia facto ipſo ſcitur, jam propter naturam materiæ, quæ eſt in ſe valde, recondita, jam propter defectum noſtrum deeſſe nobis ſæpè fundamenta gravia poſitiva pro utralibet partium contradictionis; tùncque illas defendi magis, quam oſtendi, de quibus Hiſpana pbraſi dicere ſolemus, *ſe pueden echar a pares, o, nones*, id eſt, eas in ſortem mitti poſſe numeri paris, vel imparis: quin nil urgens occurrat. Opiniones ſpecificare, cum res ad partes pertineat, odioſum foret. Scitur generaliſſimè, ſæpè nos uti etiam voce ipſa *negative* in probando, & vocare argumentum *negativum*. Quin in integra etiam ſcientia, ut in Phyſica, paſſim reſumitur principium illud de non multiplicandis entitatibus ſine neceſſitate, &

ſimilia

ſimilia, quæ pro inferenda, & ſtatuenda intenta propoſitione minori dicente nullam ibi eſſa neceſſitatem; quod probari ſolet progreſſu negativo. Sunt ergo in ſcientiis noſtris multæ probabilitates negativæ; nam major ſola propoſitio non facit unum fundamentum concluſionis, ſed major ſimul, & minor: concluſio autem ſequitur debiliorem partem non: non ergo habet fundamentum poſitivum grave. Erit ergo probabilis negativè; ut enim probatur, ſic eſt probabilis. Omitto alia in hanc rem, quam omnes credo, conceſſuri ſunt, amplius ſtabiliendam.

§. III.

Huc pertinent probabilitates inductæ per puras defenſiones: per puras aliorum impugnationes, & paritates.

Iam hoc genere probationum pleni ſunt libri, & quæſtiones. Prætereo hic ultrò illos quibus de potentia abſoluta putandò placet libros explere, & annos: quorum univerſa probatio reducitur ad unam majorem veram, qua aſſumitur, Deum poſſe facere, quidquid non implicat contradictionem; & ad aliam minorem, quæ ſubſumitur, quâ nihil ſit incertius, nam dicitur, *ſed hoc nullam implicat contradictionem*, quæ in ſenſu probantium huic univerſali ſubeſt, & per iſtam probari ſolet; *nota ſunt nobis omnes contradictiones*, vel *ſaltem pleraque*; nam probatur nullam eſſe, quia nulla affertur, & proditur: univerſalis autem illa adeò eſt incerta, & ad utrumlibet, ut conſideratè vix videatur à quoquam corde poſſe credi, Haberet coloris, vel fundamenti aliquid ſi Deus in eum nos finem condidiſſet, ut ſcrutaremur ipſius abſolutam omnipotentiam: fecit nos certè, ut mandata ejus, & voluntatem ſciremus; & hi ipſi ponunt paſſim circa mandata Dei, & legem ignorantias invincibiles non tot, quin plures: & volunt, omnes, vel pleraſque ſaltem poſſibiles contradictiones nos ingenio noſtro aſſequi, & vincere poſſe. Quid de his dicam, non occurrit, & dixerunt ſatis alii. Patet ad ſcopum noſtrum, hoc genere probationis ſtatutas concluſiones ſolùm negativè, & in infirmo gradu poſſibili eſſe probabiles: nam habetur non contradictio purè negativè; & deindè materia eſt ſupra nos; nec revelatio adeſt, &c. quemadmodum ſi dicas, *Turca nunc dormit*; quia non probatur non dormire: non enim eſt de rebus, quæ ſubſunt cognitioni noſtræ. Excipio quæſtiones de potentia abſoluta Doctorum, ut an idem corpus poſſit eſſe definitivè in duplici loco? Habemus enim tunc revelationes, vel facta, ex quibus argumenta poſitiva eliciuntur, ut ex ſacramento Euchariſtiæ.

Veniamus ergo ad inſtructiores, qui de naturis rerum, & proprietatibus, & effectibus, & cauſis, &c. diſſerunt ex lege ſcientiarum, ſed etiam in his rebus contingunt multæ probabilitates negativæ proceſſus enim eſſe ſolet puræ defenſionis, & impugnationis aliorum. Hoc genus defectus Hieronymus Lactantio Firmiano adſcripſit, illum quippe deſtruxiſſe magis aliena, quam ſtatuiſſet noſtra. Hoc genus ſceleris committunt paſſim hæretici adverſus veram religionem, ut Auguſtinus *lib. de utilit. credendi cap.* 1. de Manichæis prodit: *niſi quod ipſo quoque* (inquit) *animadvertebam, plus in repellendis aliis diſertos, & copioſos eſſe, quam in ſuis probandis firmos, & certos manere.* Et paulò poſt: *ſed quia diù, multúmque de imperitorum erroribus latiſſimè, ac vehementiſſimè diſputabant, quod cujuſlibet mediocriter erudito eſſet facillimum ſerò didici. Siquid enim ſuorum nobis inſerebant, neceſſitate tenendum, cum alia non occurrerent, in quibus acquieſceremus, arbitrabamur.*

Rem mox declarat ſimilitudine mirabili. *Itaque nobis faciebant*, (ait) *quod inſidioſi aucupes ſolent, qui viſcatos ſurculos prope aquam defigunt, ut ſitientes aves decipiant. Obruunt enim, & quoquo modo cooperiunt alias, quæ circum ſunt, aquas, vel undè etiam formidoloſis molitionibus deterrent, ut in eorum dolos, non electione, ſed inopia decidatur.*

Nihil ſanè ad rem noſtram declarandam afferri potuit illuſtrius: eſt enim ars illa aucupum ſine dolo eorum, & longè à dolo malo hæreticorum, quoties aliena oppugnando noſtra ſtatuimus, atque defendimus per ſtragem latiſſimam argumentorum adverſæ partis, in quo momentum vel omne, vel præcipuum ponitur: obruimus quippe, & quoquo modo ſolutionibus cooperimus, quæ circum ſunt opiniones reliquas; formidoloſis etiam imminentium abſurdorum molitionibus noſmet ſæpè, & alios deterremus, quia modus nobis non occurrit illa vitandi; & tunc inopia quadam magis, quam electione trahimur in opinionem, vel ſententiam aliquam cum alia non occurrant, in quibus acquieſcamus, ut dicebat Auguſtinus: ſit autem de more aliquid dicendum, vel tenendum, aut corde, aut ore: quo eodem artificio utuntur ambitioſi probando ſe dignos per excluſionem cæterorum. Quod ſi Auguſtinus, ſtupor certe ingeniorum, & in ſumma rerum, hoc artis, & probationis genere *annos ferè novem*, ut deflet, captus fuit, dedecus non eſt, quòd nos in infinita quadam quæſtionum ſerie aliquandò capiamur.

Certè exerrant, non toto cœlo, toto dicam ſpatio imaginario hujus temporis hæretici in hoc genere argumentorum; non aliud agunt, quam ut Papatum, Eccleſiamque diruant. Demus factum, quod impoſſibile factu eſt: damus eja antecedens: quid indè? eſtis ſectæ ſine numero: non alia præ alia vera eſſe ſequitur, imò non magis aliqua ſequitur, quam nulla. Quò ergo eundum? Ante annos aliquot Nobiliſſimus Anglus Romam veniens pervenit Monaſterium: aliquos alloqui Calviniſtas neceſſe habuit: illi, qui noverant eum, non ita pridem ad Catholicam fidem converſum, ut ſuum prædicantem, ſeu Miniſtrum audire vellet, ſuadent. Annuit ille nihil timens. Miniſter librum manuſcriptum, quem compoſuerat, legendum tradit: accepit, legitque Catholicus. Miniſter quid ipſi videretur, an rectius conſilium capeſſeret, interrogat. Tum verò ille: In hoc libro momentum omne eſt, Papam errare, & Romanam Eccleſiam. Hinc porrò non ſit, quòd Calvino præ Luthero, aut Luthero præ Zuinglio, & ſic ſine fine aliis accedere debeam: aptior itaque erat, ut me Atheiſtam, aut Epicureum redderet, quam ut Calviniſtam. Rem ab ipſo in eo itinere tunc temporis narratam tanquam documentum egregium ſemper memoria retinui. Nulli mea quidem ſententia unquam extitere magis inexcuſabiles.

Amor matris Eccleſiæ in hoc me parergon induxit. In re noſtra, quiſquis purè ſolvendo, & aliena deſtruendo ſua defendit, etſi evidenter omnia argumenta contraria conterat, hoc unum evincit, adverſarium ſine fundamento dicere;

ſe autem cum fundamento dicere, nihil evincit; non enim ex eo, quo adverſarius ſine ratione ſufficienti dixerit, ſequitur, te fundatè dicere. Qui arenas maris pares eſſe loquitur, utique ſine fundamento loquitur; non tamen ſequitur, te fundatè dicere, eas eſſe impares: nam licet non ſit medium inter eſſe, & non eſſe; eſt tamen inter dicere alterutrum cum fundamento, ſcilicet, nec te nec me cum fundamento affirmare arenas eſſe pares, aut negare eſſe pares.

Ex his cernitur manifeſtè quoties per puram defenſionem, vel per puram aliorum impugnationem opiniones conflantur, illis ſolum ineſſe probabilitatem negativam. Adeò neceſſarium eſt, ut quis in diſputationibus proficiat, non ſolum in res ipſas diſputatas attendere, ſed in modos ipſarum diſputationum bonos, minus bonos, ſummos, & infimos, & in malos accuratè reflectere.

Nec probabilitas negativa deſinit eſſe negativa per quam libet adductam, etiam poſitivam congruentiam. Modus Judicum, utpotè qui legibus ſuis addictiores ſunt, nos ſæpè juvare poteſt. Profectò ipſi in varios gradus probationes cujuslibet criminis diſtinguunt: corpore delicti primum probato, per puras probationes negativas ad nihil procedunt: habito indicio aliquo capturam rei faciunt: mox plus aliquid requirunt ad interrogationem: plus multò torturam: ad pœnam extraordinariam tantum; ad ordinariam multò plus. Diſtinguunt probationem quaſi in ſubſtantiam & quaſi accidentia, ſcilicet adminicula: diſtinguunt indicia in levia, & fortia & violenta: circa teſtes, qui authores quoad noſexiſtunt, omne genus exceptionum examinant: & his peractis conceptum formant. Miſeri planè nos, ſi iſthæc omnia confunderetur; paſſim innocentes damnarentur, & omnia eſſent fors, & fortuna, & caſus, & ſtrages.

Sic in probationibus noſtris ſunt gradus varii: & ſicut qualibet additione pecuniæ pauper, non efficitur dives; ſic nec qualibet additione congruentiæ probabilitas negativa aut ſit poſitiva, aut deſinit eſſe negativa: nam non quælibet additio eſt magna: probabilitas autem poſitiva indiget fundamento magno; ſicut dives magna, vel multa pecunia. Et ſi omnes mox gradus, & genera probationum confundantur, erit, ſicut de judiciis dictum eſt.

Jam de probabilitate conflata per puras paritates, quarum uſus eſt frequentiſſimus, quales probent, quando probent; quales, & quando nihil probent, ſed ludant, multa ordine ſcientifico dicenda erant, ſi hûc cauſa iſta pertineret. Nunc ſolum dicimus, probabilitatem viâ puræ paritatis conflatam eſſe negativam. Res quidem, ex quo paritas efficitur, ſæpè eſt poſitiva, & ſatis etiam groſſa. Conſequentia autem purè negativè ſequitur. Voco paritatem puram eam, per quam ex una re ad aliam præcisè arguitur, nullam addendo rationem à priori, quæ probet, prædicatum, de quo diſputatur, æqualiter utrique rei convenire Niſi enim hoc fiat, totum ex more reducitur ad petendam diſparitatem: reſpondens autem eam ignorat; & ſic ad illius neſcientiam eſt ultima reſolutio: & hanc vim habet probatio: *ſi qua eſſet diſparitas, eam ſciret adverſarius: neſcit autem: ergo non eſt.* Plus ſanè dedecoris, hæc argumenta afferunt reſpondentibus, quam fundamentum opinionibus.

Quoties ſumus in rebus genere differentibus, paritati puræ non eſſet reſpondendum: quie tunc præſumptio potiùs eſt diſſimilitudinis; talia enim in pluribus differunt, quam conveniunt. Fortè etiam ita eſt in differentibus ſpecie etiam quoad prædicata identificata: quoad accidentalia ſanè & quoad compoſitionem organicam ſaltem viventium in pluribus differunt: demus neſciri. Non ergo conſequentia magis ſequitur, quam non ſequitur. In doctrina etiam Morali uſitatiſſimæ ſunt iſtæ paritates ex lege ad votum, ex uno ſacramento ad aliud: ex defenſione vitæ ad defenſionem honoris etiam nihil conferentis ad vitam æternam, ex damno emergenti ad lucrum ceſſans: ex uſu licito oſculi ex conſuetudite Patriæ ad oſculum ex affectu: ex uncia una parvitatis ad ſeſquiunciam, &c. Quæ ſanè quandò per puram paritatem deducuntur, probabilitatem conficiunt ſolum negativam, aut vix ullam.

§. IV.

Hûc etiam pertinet alia probabilitas purè comparativa, & ad hominem.

Quot ſunt genera argumentorum infra certum, tot ſunt genera, vel modi probabilitatum; nam probabilitas efficitur per fundamenta; fundamenta autem alicujus concluſionis ſunt argumenta, quæ pro illa afferuntur, Jam in ſchola frequens eſt nomen argumenti negativi; & ſic vocavimus probabilitatem negativam. Eodem modo eſt uſus, & nomen argumentorum ad hominem: ex quibus proindè reſultat ſua proportionata probabilitas comparativa, ad hominem. Multitudinis autem nimiæ vitandæ gratia omnes iſtas reducimus ad probabilitatem negativam; quia omnes carent poſitivo fundamento gravi.

Argumentum ad hominem aliquandò bonum eſt & in re, & in apparentia: aliquandò ſolum in re, & non in apparentia; aliquandò ſolum in apparentia, & non in re.

Eſt argumentum ad hominem ſolùm in re, quandó vim re ipſa habet: tamen propter infœlicem modum arguentis non agnoſcitur, nec conſpicitur vis nec ab adverſario, nec ab aliis. Eſt bonum in re, & in apparentia; quando & re ipſa vim habet, & illam etiam vident vel adverſarii, vel ſaltem cæteri. Eſt bonum ſolum in apparentia; quando re ipſa vim nullam habet; tamen vel propter dexteritatem arguentis, vel ineptitudinem defendentis videtur habere; & ſic re ipſa ſtringit defendentem. Hic tertius modus eſt propriè artis ſophiſticæ; & idem eſt, ſive arguat ex conceſſis,& quaſi ex homine ad hominem, ſive non ex conceſſis arguat, nec ex homine ad hominem, ſed aliundè; hominem tamen ſtringit, & nihil rem. Et idem eſt etiam ſi argumenta ſint valdè difficilia, ut ſupra dictum eſt: ſcitur enim, artem veram, & ſophiſticam non differre per facile, & difficile; & artem ſophiſticam abundare mediis ſolutu difficilibus; verum ſæpiſſimè eſſe falſo difficilius: hoc ſenſu dictum ab Ariſtotele falſa aliquando eſſe probabiliora veris, quia talia eſſe judicantur. Scitur tandem præcipua ſaltem myſteria noſtræ ſanctæ fidei ſubeſſe argumentis contrariis difficilibus.

Hic modi argumentorum, & fundamentorum ad hominem non faciunt poſitivè probabilem partem

tem

tem impugnatæ contrariam, ſolumque probant vel partem impugnatam eſſe difficilem, quod veris ſæpe quadrat; vel defendentem eſſe inconſequentem, vel defendentem eſſe ineptum; vel arguentem eſſe ingenioſiorem: & ſic videmus falſa quælibet non notata defendi; & vera impugnari facili negotio ab ingenioſo adverſum minus ingenioſum. Ex his ergo argumentis habetur, illum, vel illum eſſe inconſequentem: alium ingenio non valere, te eſſe potentiorem: argumenta ſunt pro hominibus, & contra homines; non pro vero contra falſum, nec pro concluſione. Quare ex his nullum magnum fundamentum reſultat pro veritate concluſionis: nulla ergo poſitiva probabilitas, nulla probabilitas conſcientiæ, ad quam ſcilicet omnes exegerunt fundamentum magnum. Vide jam, quot modos probabilitarum & fundamenrorum diſtinguere par fuiſſet; & non uno negotio ſine ulla diſtinctione enunciare univerſaliſſimo effato, quodlibet probabile ſufficit pro conſcientia.

§. V.

Concluſio quæſtionis, & corollaria.

IAm ex hac quæſtione, & præcedentibus videt quilibet, confuſionem opinionum, & probabilitatum, & quam omni umbræ ſcientiæ, & ſenſui ſapientium omnium repugnet velle omnes quomodolibet ſine diſtinctione probabiles opiniones mox pro regula conſcientiæ uſurpare.

Conſtat præterea, quam ſit inſufficiens, illa aliquorum aggreſſio reducens omnia ad magis probabile. Omnes enim hactenùs repulſæ probabilitates habent magis, & minus; & ideò magis, & minus probabile. Cujus tamen generis, ſicut probabilitas, ſic nec major probabilitas ſufficit.

Hinc denuò vides, majorem probabilitatem prædictorum generum eſſe quid multò minus, quam ſit minus probabile, quod Authores dicunt ſufficere pro conſcientia: hoc enim juxta ipſos habet fundamentum grave: probabilius autem præcedentium generum non habet.

Eſt pro his doctrina perſpicua Ariſtotelis in prædicamento quantitatis. *Nihil enim* (ait) *per ſe ipſum magnum, vel parvum dicitur, ſed eo, quod ad alterum refertur: ut mons quidem parvus dicitur, & milium magnum; quod hoc iis, quæ ſunt ſui generis, majus ſit; illud verò iis, quæ ſui ſunt generis, minus. Rurſus in vico quidem plures homines eſſe dicimus; Athenis verò paucos, cum ſint illic multò plures*: Et ſic de domo, & de theatro &c. Sic etiam Principem pauperem eſſe, agricolam divitem eſſe; hunc ditiorem, illum minus divitem eſſe, & ſic paſſim effamur, & loquimur. Et ita eſt de magis, vel minus probabili, & minus probabile unius generis majus eſt magis probabili alterius.

Ex quo tandem pro praxi nunc univerſalitèr infertur, quod infra diſtinctius erit declarandum, aliquando ſaltem procul omni dubio licere uſum opinionis, quæ minus probabilis dicitur, & cenſetur communitèr: magis enim, & minus probabile dicuntur ſine diſtinctione; & ideò contingit, aliquando appellari aliquid magis probabile, quod non in genere poſitivo, ſed in alio tale ſit; & ideo re ipſa vincitur à minus probabili. Et enim in appellando magis, vel minus probabile communiter attendimus ad magis, vel minus commune; quia multitudo, vel paucitas Authorum cernitur & diſcernitur facilius. Contingit autem, magis communia aliquandò habere minora fundamenta; imò contingere poteſt, nulla habere gravia: habere autem magnum fundamentum opinionem minus probabilem, & ita nuncupatam, & reputatam. Tunc ergo omni jure licet ea uti; de quo iterum *infrà*.

QUÆSTIO VIII.

Utrum in omni contradictione fundamenta utriuſque partis nequeant eſſe gravia nec in ſe, nec quoad nos?

REmotis hinc probabilitatibus degeneribus, ac inſufficientibus, aggredimur propiùs indagare naturam probabilitatis realis, & poſitivæ, & quæ pro regula conſcientiæ ſufficiat. Utimur autem, ut eſt ſupra notatum, communibus vocibus fundamentorum gravium; quorum demùm verus intellectus per hanc ipſam indagationem, & inquiſitionem habebitur.

§. I.

Status quæſtionis, & declaratio.

QUæſitum eſt, utrum in omni contradictione alterutrius partis fundamenta nec in ſe, nec quoad nos poſſint eſſe gravia, ſed neceſſariò alterutra nec in ſe ſint gravia, noſque ſciamus, utraque ſimul non eſſe gravia. Poſitum eſt autem *in omni contradictione*: quod pro ſenſu multorum Authorum gravium ex dictis *lib.*1. eſt diligentèr obſervandum: poſſunt enim fundamenta unius partis eſſe gravia & in ſe, & quoad nos in ordine ad judicium ſpeculativum: quod juxta ipſorum vulgatam diſtinctionem pertinet ad probabilitatem ſpeculativam; & poſſunt ſimul fundamenta alterius partis eſſe gravia & in ſe, & quoad nos in ordine ad judicium, & dictamen practicum, quia hoc formatur adjuncta, & conſiderata aliqua alia circunſtantia, quod juxta illam eamdem diſtinctionem probabilitatis pertinet ad probabilitatem practicam. Non eſt de hoc noſtra quæſtio; quia in his nulla eſt contradictio, ut patet, ſed eſt de fundamentis propriæ contradictionis.

Aſſumatur itaque concluſio aliqua purè ſpeculativa, & alia ſimilitèr purè ſpeculatiua contradictoria, quarum altera affirmet, & altera neget idem quoad omnia objectum, ſeu retenta identitate objecti quoad omnia, altera concluſio dicat, operationem licere, altera operationem non licere. Vel aſſumantur ſimilitèr duæ concluſiones practicæ omninò contradictoriæ, ſeu duo judicia practica contradictoria retinendo idem objectum quoad omnia quoad ſubſtantiam actus, & circunſtantias omnes illius. Quærimus, utrum neceſſe ſit, fundamenta alterutrius partis non eſſe gravia nec in ſe, nec quoad nos?

Senſus porrò eſt in ſenſu compoſito, & quando utraque ſimul concluſio, & fundamenta concurrunt. Nam ſi ſolum nobis occurrat fundamentum unius partis, non autem fundamentum alterius; tunc poterit ſaltem quoad nos eſſe grave fundamentum illud: & ſimilitèr fundamentum contrarium, ſi ſeparatim, & ſolum occurriſſet. Et

ſic nihil repugnat, fundamenta utriuſque partis diviſivè, & in ſenſu diviſo eſſe gravia quoad nos. Et idem eſt, ſive fundamenta ſint æqualia, ſive etiam inæqualia loquendo ſolùm in ſenſu diviſo: Quæſtio ergo ſaltem reſpectu illius partis, *quoad nos*, intelligitur in ſenſu compoſito, & concurrentibus ſimul utriſque concluſionibus, & fundamentis.

§. II.

Quid videatur tenendum?

IAm ſapientiores, & doctiorum Authorum doctrinas examinare incipimus. In hac quæſtione ſub his præciſis terminis propoſita nullos invenio nec affirmantes, nec negantes. Mihi tamen videntur affirmaturi illi omnes, qui dicunt, poſſe duo contradictoria & eſſe, & proponi nobis proximè opinabilia, & ſimul probabilia ſimultate probabilitatis, licet non probabilitate ſimultatis, id eſt, poſſe & eſſe, & nobis ſimul proponi duplex contradictorium, ut dignum aſſenſu, non quidem ut ſimul utrique aſſentiamur, ſed alterutri ut placet, ex determinatione voluntatis.

Hoc declarant, & confirmant paritate voluntatis, cui poſſunt ſimul proponi ut vel digna amore vel ſaltem ut amabilia duo bona incompoſſibilia, & contradictoria diverſæ rationis, ut ſunt jejunare, & non jejunare, & univerſaliter bonum honeſtum, & delectabile contra poſitum. Voluntas quidem nequit utrumque ſimul amare utrumque tamen & eſt, & proponitur, ut proximè amabile; & amatur quolibet prætermiſſo altero, ut nobis libet. Ergo ſimiliter fundamenta incomparabilium concluſionum, & contradictionis, quando ſaltem ſunt diverſæ rationis, poterunt & in ſe, & quoad nos eſſe gravia: ideòque & opinari poterimus alterutrum, ut libet.

Confirmantur arguendo de ſenſu diviſo ad compoſitum. Quando fundamenrum dicendi, operationem eſſe licitam, ſolùm nobis occurreret, illud ſaltem quoad nos foret grave: ſed quod aliud ſimul nobis occurrat contra illud, nihil illi detrahit, ſed manet prorsùs idem, & cum ſuo toto robòre, & efficacia: ſicut ſi ſtrenuus miles contra ſtrenuum alium pugnarurus adveniat, nihil illi detrahit virium, & dexteritatis ille concurſus ſed manet, quantus antea. Ergo fundamentum illud manet grave etiam concurrente alio gravi in contrarium ſaltem quoad nos. Alia decurſu removebimus.

Nihilominus propter contraria principia Authorum Societatis & aliorum communia, & noſtra, videtur ex eorum, & noſtra ſententia tenendum, fundamenta duarum contradicentium concluſionum non poſſe eſſe gravia nec in ſe, nec quoad nos.

Ptincipium contrarium omnium, quos ſciam, prærer Valentiam, Authorum Societatis graviorum eſt, numquam nobis duo contradictoria proponi poſſe ut proximè opinabilia, ſeu ut digna aſſenſu; quia concurrentibus fundamentis concluſionum contradicentium, ſi æqualia ſint, nulli parti aſſentiri poſſumus; ſi inæqualia ſint, poſſumus quidem aſſenſum nullum dare, ſed ſi dandus eſt, darur neceſſario parti majorum fundamentorum, & probabiliori. Hæc eſt ſententia Ariſtotelis, S. Thomæ, & antiquorum communis, ut conſtat ex appendice. Eam tenent Suarez 1. 2. *tract. de actib. human. diſp.* 20. *ſect.* Vaſquez. 1. 2. *diſp.* 42. *cap.* 2, *n.* 6. *& diſp.* 68. *cap.* 1. *n.* 4. & alias Leſſius, *de actib. hum. q.* 17. *art.* 6. Layman, *tract.* 1. *de conſcientia cap.* 5. *§.* 2. *n.* Breſſerus, *lib.* 3. *cap.* 2. Comitolus *lib.* 5. *reſponſ. mor. q.* 16. Conimbricenſes, *in lib. poſter. cap.* 26. *art.* 3. Fellex, *diſp.* 19. *Logicæ ſect.* 1. Eam viderur ſatis demonſtraſſe Emin. Card. Pallavicinus, *to. de act. hum. diſp.* 8. *q.* 6. *ar.* 4. *& lib.* 3. *de fide cap.* 6. *n.* 112. cujus maximè rationibus moti idem ſententiæ ſubſcripſerunt in Hiſpania, & in Italia nobiliſſimi Recentiores; & ſubſcripſi ego. Et eam latè tracto, & oſtendo, *in Appendice quæſt.* 1. *&* 2.

Sed quid de Sanchez? Certè tum aliàs, tum *li.* 1. *in Decalog. c.* 10. *n.* 4. & Vaſquez *diſp.* 67. *cap.* 2. *n.* 7. tradunt, quando aſſenſus eſt ita tenuis ob *rationes vehementes ſerò pares eam* actionem *illicitam eſſe perſuadentes*, tunc tenuem illum aſſenſum percipi vix poſſe, & fore ſolum ſuſpicionem quamdam, ex qua operari noh liceat. Rurſus Vaſquez, *diſp.* 68. *cap.* 1. *n.* 4. *Prætereà dico dupliciter rectè deponi poſſe conſcientiam: primum abſque ulla ratione, ſi etiam abſque ulla ratione conceptum fuit: deindè ſi ratione probabili conceptum fuit, alia efficaciori deponendum eſſe; nam ſi ſit minus efficax ratio, & minus probabilis, non ſufficiet generare aſſenſum.* In paritate nil judicari poſſe ſæpe conteſtanrur.

Ex his communibus principiis palam haberi videtur, fundamenta illa tunc non eſſe gravia ſaltem quoad nos, nec proponi nobis ut digna aſſenſu: quia ſi ut talia proponerentur, & eſſent quoad nos, aſſentiri poſſemus; cum ſecundum rationem ſit, aſſenſum dare rebus dignis aſſenſu: & patet à contrario per ipſam bonorum paritatem, quam adverſum nos inducunt Adverſarii. Sed juxta Authores hos omnes tunc aſſenſum dare non poſſumus. Ergo runc non ſunt concluſiones dignæ aſſenſu quoad nos. Ergo nec fundamenta gravia quoad nos; Nam fundamenta gravia etiam ſecundum Adverſarios ſunt, per quæ dignè, & etiam prudenrer aſſenſum damus. Sed in caſu propter fundamenta illa nec dignè, nec indignè, nec prudenter nec imprudenter poſſumus aſſenſum dare ſecundum hos omnes Authores. Ergo ſecundum eoſdem fundamenta illa non ſunt gravia quoad nos. Sed ex quo habetur, illa non eſſe gravia quoad nos, manifeſtè habetur, illa non eſſe gravia nec in ſe, ut ex probatione noſtra nunc adducenda perſpicuum fiet: quin illa eſſe in ſe gravia, nihil facit ad conſcientiam, ſi non ſint gravia etiam quoad nos, ut patet.

Nec dicere quiſquam credo, poteſt, fundamenta illa in caſu non eſſe gravia quoad intellectum; nec proponi ut digna aſſenſu; eſſe tamen gravia quoad operandum. Nam gravitas, vel dignitas dicitur, & ſumitur in ordine ad intellectum, ut infrà latius diſputabo: & de ſe abſurdum videtur, te in operando ſtare poſſe iis fundamentis, & momentis, quibus in credendo, vel aſſentiendo ſtare nequis aut moveri, nec digna occurrunt, quibus movearis ad alterutrum credendum; vel judicandum. Sed de his latè infrà.

§. III.

Probatio concluſionis.

ILla videtur ſumi manifeſtè ex hoc principio ab omnibus admiſſo, quòd ſcilicet ex vero nunquam ſequitur falſum; & ex hoc alio ab omnibus ſimiliter admiſſo, quod in omni contradictione alterutra pars ſemper eſt falſa?

Ex his duobus principiis infero: ergo in omni contradictione fundamenta alterutrius partis in

ſe, &

ſe, & quoad nos ſunt gravia. Probatur hæc conſequentia. Fundamentum illud in ſe, & quoad nos grave non eſt reſpectu alicùjus concluſionis, quod evidenter ſcitur, vel falſum eſſe, vel nihil exillo ſequi concluſionem, ad quam probandam affertur. Hoc principium videtur innegabile; & ideò nullum eſſet nec in ſe, nec quoad nos fundamentum, ſi augures, *Deus non eſt: ergo ego non teneor jejunare*; quia aſſumis evidenter falſum: & ſimiliter nullum fundamentum eſſet, ſi argueres. *Deus eſt, ergo ego non teneor jejunare*; quia licet aſſumas verum, nihil tamen ſequitur concluſio: ſed eſt, ſicut cum dicimus: Turca dormit; ergo baculus eſt in angulo. Ergo verum eſt aſſumptum principium, quod fundamentum illud grave non eſt nec in ſe, nec quoad nos, quod evidenter ſcitur, vel in ſe falſum eſſe, vel ſi verum eſt, nihil ex illo ſequi concluſionem ad quam probandam adducitur.

Subſumo nunc: ſed de fundamentis adductis pro qualibet contradictione ſcimus evidenter disjunctivè, alterutra vel eſſe in ſe falſa, vel ex alterutro nihil ſequi concluſionem: & hoc videtur demonſtrari ex propoſitis principiis, quod ex vero nunquam ſequitur falſum, & quod in omni contradictione alterutra pars ſemper eſt falſa: quæ duo principia ſunt nobis evidenter nota; ergo eſt nobis evidenter notum, alterutra fundamenta eſſe falſa, vel ex alterutris nihil ſequi concluſionem, ad quam probandam adducuntur. Conſtat ergo tota noſtra probatio.

Itaque in caſu noſtro proponitur tibi duplex concluſio contradictoria, v.g. te eſſe obligatum, & te non eſſe obligatum ſub eiſdem omnibus circunſtantiis. Scis evidenter, alterurram harum concluſionum eſſe falſam ex lege conrradictionis, licet neſcias, quæ ſit determinatè falſa. Tunc habes fundamenta pro utralibet earum. Dicimus itaque, quod ſicut tibi evidenter conſtat, alteruttam concluſionem eſſe falſam, ſic eadem evidentia ſcis, alterutra fundamenta eſſe vel falſa, vel nulla quoad concluſionem, licet neſcias determinatè, quænam fundamenta ſint vel falſa, vel nulla & illegitima. Quare ſicut impoſſibile eſt, te utramq; ſimul concluſionem judicare veram; ita impoſſibile eſt, te utraq; ſimul fundamenta, & argumenta judicare gravia; cum ſicut falſitas alterutrius concluſionis evidenter conſtat, ſic tibi conſtet falſitas, vel nullitas alterutrorum fundamenrorum indeterminatè. Hoc ſanè videtur manifeſtum, & in exemplum adducitur ſtrenuus ille miles qui pro Adverſariis inductus eſt, ſi v.g. tibi evidenter conſtaret, ex omni binario incedentium militum alterum eſſe ſtrenuum alterum ſemper inertem: certe tunc impoſſibile eſſet, utrumque ſimul vel in ſe, vel quoad te eſſe ſtrenuum, & pugilem. Hic autem eſt caſus noſter.

§. IV.

Quædam æquivocatio repellitur.

PRo iis, qui ſcientiis aſſueti ſunt, aut doctrinam habent, nihil hanc æquivocationem proponerem: ſunt tamen alii qui per voces illas, *probabile, & probabiliter* involuunt omnia, & ipſi primum involvuntur. Ad illud ergo principium, & indubitam tegulam Logicæ, quod *ex veris non ſequitur falſum*, dicent ex veris quidem non ſequi falſa ſcientificè, ſequi autem *probabiliter*. Jam ergo Logici monendi erunt hanc gloſam apud eos inauditam de novo addere, & commentari.

Nunc quoad præſens in eo immorandum non eſt, & ſatis erit, æquivocationem manifeſtare. Ad hoc autem ſufficit, ſi quæramus quid intelligant per illud *probabilitatem ſequi*. An ne ex vero magis ullò modo ſequi falſum, quam falſi contradictorium, quod neceſſario eſt verum? ſi intelligunt non magis ullo modo ſequi falſum; hoc eſt nullo modo ſequi, & hoc eſt quod ſimpliciter dicimus non ſequi: ergo probabiliter ſequi eſt nullo modo ſequi: ergo dicere *probabiliter ſequitur*, nihil eſt dicere. Si autem dicant, ex vero magis aliquo modo ſequi falſum quam non ſequi, hoc eſt contra totam logicam, & logicos: quarè id dicentes ibi conuictos ſuppono: & deindè ſi una pars magis ſequitur, contradictoria ſequetur minus: non ergo probabiliter; quia non magis ſequitur, quam non ſequitur.

Deindè *τὸ probabiliter* ſignificatum non habet. Quia probabilitas explicatur per gravitatem fundamentorum: quare probabiliter ſequi erit graviter ſequi: quod nihil ſignificat. Prætereà infrà oſtenditur, non eſſe aliam formam ſyllogiſticam probabilem, & aliam ſcientificam, ſed unam eſſe formam ſcibilium, & probabilium, & concluſionem probabilem, & ſcientificam non differre ex forma, ſed ex principiis, quia aliæ ex per ſe primis, & immediatis, & neceſſariis ſequuntur: probabiles non ita, ſed ex aliis. Ergo locum non habet *τὸ ſequi probabiliter*. Data deinde diverſitate ſequelæ probabilis; illa hic locum non habet, ut dicam. Dicis: ego per probabiliter ſequi intelligo ſequi ex fundamentis gravibus: cum autem (inquis) per me in caſu quæſtionis utraque ſimul fundamenta ſint gravia ex illis ſequi, probabiliter ſequi. Sed contra: nam oſtenſum eſt, tibi evidens eſſe alterutra fundamenta, vel eſſe falſa, vel ex alterutris nihil ſequi concluſionem: item oſtenſum eſt, illi fundamentum illud grave non eſſe, cui evidenter indeterminatè conſtat illud vel in ſe falſum eſſe, vel ex illo non ſequi concluſionem. Deinde quidquid eſſet de hoc, ut modo dicebamus, *τὸ probabiliter* locum non habet in ſequi vel non ſequi, ſed omnis concluſio vel benè, & legitime, & ita ſequitur, vel malè, & illegitimè, & ſic nullo modo ſequitur; & omnis probatio eſt reducibilis ad ſyllogiſmum in forma logica, & ſcientifica.

§. V.

Fundamenta contradictionis qualiter ſint gravia in ſenſu diviſo.

EX facta probatione concluditur quid ſit habendum de fundamenris omnis, & cujuslibet, contradictionis etiam diviſivè, & in ſenſu diviſo conſideratis: tunc enim, cum pro una parte contradictionis occurrat fundamenrum, & pro contradictoria nihil occurrat, diximus, fieri poſſe, quod fundamentum illud quoad nos ſit grave: id eſt, à nobis reputetur grave: quare diximus, ſi ſufficienrem diligentiam feciſti, te & aſſenſum dare poſſe; & ſine peccato operari etiam ſecundum illud.

Ex facta tamen probatione ſequitur, quid ſit habendum de fundamentis illis in ſe, vel quoad

ſe etiam diviſivè. Nam ſequitur, numquam utrumque fundamentum cujuſlibet contradictionis eſſe grave in ſe, & quoad ſe etiam diviſivè.

Hoc colligitur, quia juxta factam probationem alterutrum fundamentum in ſe, quoad ſe, vel falſum eſt, vel ſi verum, nihil ex illo ſequitur illa concluſio. Rursùs probatur; quia quando ſimul nobis occurrunt, & concurrunt illa fundamenta, non ſunt utraque ſimul gravia quoad nos: ſed á parte rei, & in ſe utraque ſimul concurrunt, & exiſtunt: ergo alterutra non ſunt gravia in ſe, & quoad ſe; id eſt, alterutrum vel ſi verum eſt, nihil ſequitur ex illo concluſio illa.

Hæc omnia confirmantur ex ipſa voluntatis, & bonorum paritate, quæ contra nos adducebatur. Nam ſi bonum honeſtum, & bonum delectabile contra poſitum repugnarent eſſe utrumque ſimul bonum, ſicut utraque pars contradictionis repugnat eſſe ſimul vera, concurrente ſimul duplici bono æquali æqualiter alliciente, neutrum poſſemus amare; & quia inter bonum honeſtum, & purè delectabile æqualitas in ſe eſſe nequit, ponamus exemplum in duplici bono purè delectabili, v. g. reſpectu guloſi in duplici cibo, qui æqualiter Petro placeat; & ſciat certò Petrus alterum eſſe utrum, & realem cibum: alterum illuſorium, & merè fictum, & phantaſticum, ſanè ſaltem juxta noſtra principia, quæ in appendice ſignifico, neutrum cibum poſſet voluntas eligere; quia ſecundum nos voluntas nequit ſe determinare ad unam partem præ alia præcisè, quia vult ſine ulla particulari ratione objectiva, ob quam unum eligat, & alterum non eligat, ſed omittat. At in caſu realis, & ficti cibi, quin ſciatur ullo modo, quis ſit fictus, & quis realis, nullam rationem objectivam habet voluntas in uno cibo præ alio, ut unum præ alio eligat: nequit enim ad delectationem moveri à bonitate præſcindendo ab eo, quod ſit vel ficta; id eſt, præſcindendo ab eo, quod ſit, vel non ſit bona. Ergo nequit unum cibum præ alio eligere.

De facto ſanè poſſumus eligere inter bona æqualia diverſæ rationis; & ſic eligimus bonum delectabile minus, & relinquimus bonum honeſtum; amamus temporalia, prætermittimus æterna. Etenim non per hoc, quod bonum honeſtum ſit majus bonum, efficitur, bonum delectabile, ut comedere, non eſſe verè, & realiter bonum delectabile; & ſic una bonitas non interimit aliam, ſed exiſtunt ſimul, & coëxiſtunt tum in ſe, & á parte rei, tum verè etiam in intellectu noſtro. Quare in quolibet illorum etiam in concurſu alterius ſalvatur objectum voluntatis, quod eſt bonum.

At veritas unius partis contradictionis interimit aliam, & ſi una eſt vera, altera neceſſariò eſt falſa, & in ſe & quoad nos: quare in caſu quæſtionis nequit eſſe in ſe, nec nobis repræſentari ut uera, utraque, cum potius evidenter conſtet, alterutram eſſe falſam. Deeſt ergo veritas, quæ eſt objectum intellectus.. Et idem eſt de fundamentis; quia quoties ſunt pro contradictione, alterutra vel ſunt falſa, vel ſi vera ſunt, non ſequitur concluſio, idque tam in re, quam quoad nos; & prorsùs, & per omnia eodem modo, ſive fundamenta ſint ejuſdem rationis, & apparentiæ, ſive diverſæ: nam ex veris ſive ejuſdem, ſive diverſæ rationis, eodem prorsùs modo non ſequitur falſum: eſt autem in omni contradictione altera pars ſemper falſa, ſive ejuſdem rationis, ſive diverſæ rationis fundamenta habeat. Itaque hæc conſequentia ſemper eſt evidens: *Hæc concluſio eſt vera: ergo hæc contradictoria falſa.* Iſta alia eſt inepta: *Hoc bonum præceptum eſt honeſtum v.g. jejunare: ergo non jejunare non eſt delectabile.*

Ex hoc conſpicitur, quid quoad nos operetur concurſus fundamentorum pro utraque parte nam quandò mihi occurrit fundamentum ſolum pro una parte, poteſt mihi videri eam partem eſſe veram; quia fundamentum illud mihi videtur grave; nec contra illud quidquam habeo, cur non illi fidam. At in concurſu habeo aliud, ex concurſu ſcio alterutrum eſſe deceptorium: ergò ſcio utrumque ſimul non eſſe grave, ſed alterutrum ſolum: quod autem ſit neſcio.

Res autem videtur conſtare caſu frequenti: Vir gravis, & fide dignus tibi aliquid refert: nihil prudentius. Occurrit mox alius ſimiliter gravis, & fide dignus: & pone utrumque eſſe æqualiter per omnia fidedignum: & dicit tibi contradictorium: jam tunc neutri credes, quia alter alterius eſt impugnatio. Profectò uterque ſimul nequit nec re ipſa eſſe fidedignus quoad eam rem, in qua contradicunt; nec ſimul fidedignus quoad te: nam nequis hoc judicium formare: uterque *horum eſt fidedignus quoad hanc rem:* Nam eſſe quem fidedignum quoad aliquam rem ſignificat, eum nec falli, nec fallere quoad eam rem, vel ſaltem nullum eſſe fundamentum exiſtimandi, quod fallat, vel fallatur quoad eam rem: ſed in caſu poſito habes judicium evidens, quo dicis; *alteruter fallit, vel fallitur*; ergo nequis judicare: *Neuter fallit nec fallitur*; Eſſet enim contradictio. Ergo nequis dicere; *Neuter non eſt fidedignus*, ſeu *neutri non convenit eſſe fidedignum quoad eam rem.* Ergo nequis dicere, & judicare, *uterque eſt fidedignus*, ſeu utrique ſimul convenit fidedignitas ſimultate fidedignitatis. De eſſe autem eſt res clarior; quia reipſa aliquis eorum fallit aut fallitur: non ergo uterque nec fallit, nec fallitur: non uterque eſt fidedignvs. Et de his infrà iterùm.

Per hæc & concluſio noſtra ſatis videtur ſtabilita; & argumenta propoſita pro contraria remota ſunt. Solum ſupereſt exemplum duorum militum concurrentium, quorum utervis ſeorſim in ſe ſtrenuus eſſe ſupponitur. Per hoc ipſum conſtat diſparitas, ſicut etiam de bonis philoſophati ſumus: nam poſſunt re ipſa, & in ſe dari duo tales milites: at duo fundamenta gravia in ſe non poſſunt dari pro contradictione: ſed neceſſario alterum vel eſt falſum in ſe, & ſic in ſe non eſt fundamentum; vel ſi verum eſt in ſe, ex illo non ſequitur concluſio, ſeu non habet connexionem cum illa; quia repugnat duplex ſimultanea connexio cum contradictione, ſeu eum eſſe, & non eſſe.

QUÆSTIO IX.

QUÆSTIO IX.

Vtrum ergo in omni contradictione fundamenta unius partes non ſint ſimpliciter gravia, ſed ſolum ſecundum quid, & ſophiſticè, & ex ignorantia?

DOctrina hujus quæſtionis eſt velut conſequens, & conſequentia quæſtionis præcedentis; quæ tamen inſerviat ad ipſam illam magis declarandam, & de novo confirmandam. Quæſtio autem non eſt ſolum de ſenſu compoſito, & quando ſimul concurrit utraque contradictio cum ſuis fundamentis, & motivis: nam jam tunc per concluſionem negativam dictum eſt, & probatum, tunc utrumque ſimul motivum, & fundamentum nec in ſe, nec quoad nos eſſe grave: per quod proinde conſtat, alterutrum non eſſe ſimpliciter grave nec in ſe, nec quoad nos; atq; adeò ſolum eſſe grave ſecundum quid ut ſummum.

Sed quia dictum eſt, utrumque ſeorſim, & diviſivè poſſe eſſe grave quoad nos, & ex ignorantia, nòſque ſufficiens diligentia facta eſt, ſine peccato operari poſſe, ad adæquatiorem naturæ fundamentorum illorum cognitionem quærimus, ſaltem diviſivè, & ſeorſim utrumque fundamentum ſit ſimpliciter grave? an alterutrum ſit ſolum tale ſecundum quid? Nam ex continuò habebitur concluſio pro conſcientia: ſcilicet omnes pro conſcientia, & pro probabilitate conſcientiæ poſtulant fundamenta gravia. Quare ſi alterurra fundamenta cujuslibet contradictionis non ſunt gravia, fiet alterutram contradictionis partem non habere probabilitatem conſcientiæ de quo *quæſtione ſequenti.*

§. I.

Quid videatur dicendum.

EX dictis quæſtione præcedenti ſequi videtur ſecundum mentem Authorum, quo ibi ſignificavimns, in omni contradictione fundamenta alterius partis ſolum poſſe eſſe gravia ſecundum quid, & non ſimpliciter, nec in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diviſo, id eſt nec quando ſimul concurrunt, nec quando ſeorſim.

Hæc vel concluſio, vel conſequentia probari poterat multiplicirer, ſed viſum eſt breviter dicere. Probatur itaque hac ratione. Omne ex ignorantia, vel errore tale, non eſt tale ſimplicirer, ſed ſolum ſecundum quid, & ſophiſticè, & eum addito. ut ex errore, vel ignorantia aurum: ex errore vel ignorantia Rex, doctus, magnus &c. ut conſtat inductione rerum omnium univerſaliſſima. Et ratio eſt, quia ſimpliciter talia ſunt re ipſa talia, ut ſimpliciter homo eſt re ipſa homo, & ſimpliciter equus eſt re vera equus: quare non poſſunt eſſe talia ex errore, vel ignorantia. ſed potius ex veritate, & ſecundum veritatem talia ſunt. Sed loquimur de iis, quæ ſolum ex errore, vel ignorantia talia nobis eſſe videntur, ut de eo, quod nobis ex ignorantia videtur aurum, aut æquus, au t ſapiens. Ergo ex errore, vel ignorantia talia non ſunt ſimpliter talia, ſed ſolum ſecundum quid, & impropriè. Sed in omni contradictione fundamenta unius partis ſolum poſſunt eſſe gràvia ex errore, vel ignorantia. Ergò in omni contradictione fundamenta unius partis ſolum poſſunt eſſe gravia ſecundum quid, & improprie; non autem ſimpliciter, & propriè. Minor propoſitio probatur per quæſtionem præcedentem; quia fundamenta unius partis ſemper, & neceſſario ſunt vel in ſe falſa, vel ſi vera ſunt, nihil ex illis ſequitur ſua concluſio, nam ſi ex fundamentis unius partis ſequitur quocumque modo ſua concluſio, neceſſe eſt ex fundamentis alterius partis nullo modo ſequi ſuam, cum ſit contradictio: alio qui defendit unam concluſionem, neceſſe non haberet negaret antecedens; vel conſequentiam alterius partis: quod tamen omnes facimus, faciendùmque eſſe naturaliter judicamus. Supponimus ergo fundamenta unius partis vel falſa eſſe, & ſic negandum eſſe antecedens, vel ex illis concluſionem non ſequi; & ideo negandam eſſe conſequentiam. Atqui fundamenta vel quæ in ſe falſa ſunt, vel ex quibus re ipſa non ſequitur concluſio, ſolum poſſunt eſſe gravia ex errore, vel ignorantia, quia ſcilicet ignoras, illa re ipſa eſſe falſa, vel ex illis re ipſa non ſequi concluſionem; nam ſi hoc ſcires, & ſciremus, diceres, & diceremus fundamenta illa eſſe nulla: quemadmodum cum diſcernimus aurichalchum re ipſa non eſſe aurum, dicimus illud non eſſe aurum, & ſic in aliis. Ergo in omni contradictione fundamenta unius partis ſolùm ex errore, vel ignorantia poſſunt eſſe gravia, id eſt, uno verbo poſſunt videri gravia non autem eſse: at quod videtur eſse, & non eſt, nunquam eſt tale ſimpliciter.

Dices fundamenta illa partis falſæ, licet re ipſa ſint falſa, vel re ipſa ex illis non ſequatur concluſio, nihil hominus re ipſa, & verè habere magnam quamdam apparentiam, & magnam vim ad movendum intellectum: hoc autem eſt fundamentum aliquod eſſe grave, & magnum re ipſa, & verè: Ergo fundamenta illa re ipſa, & verè ſunt gravia. Cæterum nos à contrario ſicut de gravitate, ita etiam de apparentia arguimus, & omnia dicimus eſſe talia ſecundum quid: quia ipſa apparentia eſt ſolum magna ex errore, vel ignorantia: imò quò major, eò eſt fallacior, & rebus, & objectis repugnantior: quemadmodum fallacior eſſet apparentia qua milium appareret eſſe magnus mons, quam apparentia, qua mons parvus appareret eſſe magnus, quia multo plus haberet fictionis, & deceptionis.

Dicimus ergo, apparentiam eſſe re ipſa, & verè magnam quoad intellectum, non autem quoad objectum, ſicut & gravitas: hæc autem ſpecificari, & talia, vel non talia præcipuè, & ſimplieiter dici ex objecto, non autem ex intellectu. quod tam abſolutè, quam ad hominem ſic videtur oſtendi, Sicut Adverſarii induxerunt apparentiam quamdam magnam pro habenda gravitate fundamentorum, & pro habenda ex conſequenti probabilitate poſitiva, & reali concluſionis inducamus nos apparentiam quamdam majorem pro certitudine fundamentorum aliquorum falſorum, aut fallacium, & pro certitudine concluſionis, quæ per illa probatur, qualem apparentiam magnam habent, qui errores ſuos putant certiſſimos, ut obſtinati quidam Hæretici

& errantes multi Philoſophi, & paralogizati plurimi. Hi omnes habent apparentiam quamdam magnam, quæ quoad ipſorum intellectum eſt commenſutata, & æqualis toti illi apparentiæ quam ipſi, vel alii in rebus certis habent.

Jam nunc quærimus ab Adverſariis, quid dicant de iſta magna apparentia falſæ certitudinis? vel enim illam dicunt ſimpliciter talem comparando illam ad intellectum, vel illam dicunt non ſimpliciter, ſed ſecundum quid talem comparando ad objectum, quia ea eſt ficta, & ſine fundamento in objecto. Si dicant eam eſſe talem ſecundum quid, hoc idem nos diximus de apparentia, quam ipſi pro probabilibus induxerunt. Si dicant, eam apparentiam talem, vel non talem dicendam eſſe comparativè ad intellectum, & non comparativè ad objectum: parum hoc nobis oberit, nec de eo multum laboramus, quia hæc vox *Apparentia* eſt magis æquivoca: certè dicere non poſſunt eam apparentiam falſæ certitudinis facere certum ſimpliciter, ut ex exemplis hujus apparentiæ in hæreticis, & in paralogizaris &c. manifeſtè liquet, quorum concluſiones non ſunt certæ, ſed certæ cum addito, diminuente ſcilicet certæ ipſis, & quoad ipſos; non autem ſimpliciter, ut omnes ſupponunt, & tenent, quando tractant de certitudine fidei, quia certum ſimpliciter dicitur ex objecto ut S. Thomas tradit 2. 2. *quæſt. 5. art. 4.* & cum eo cæteri. Si autem loquimur, & judicamus de certo, ſic etiam de gravitate fundamentorum eſt habendum; & ſicut apparentia purè falſa non facit concluſionem certam, ſic nec illius fundamenta facit re ipſa, & verè gravia; nam ſi re ipſa faceret gravia, creſcente gravitate tandem illa faceret certa. Sicut ergo apparentia falſæ certitudinis non facit concluſionem certam, nec item fundamenta illius re ipſa aut certa, aut gravia: ita in probabilibus, quæ infra certum ſunt: apparentia illa nobis objecta, non faciet fundamenta eſſe re ipſa gravia, ſeu gravia ſimplicirer, ſed ſolum ſecundum quid, ſcilicet ex errore, vel ignorantia reſpectu eorum, qui ignorant, vel errant. Er patet, quomodò de apparentia omnis falſæ concluſionis ſentiendum, loquendumque ſit ex modo ſentiendi, & loquendi omnium de ente rationis, & de fictione; quæ ſanè vera fictio eſt, & realis; eſt tamen fictio; quia non habet in rebus objectum ſibi correſpondens: At univerſa apparentia omnis falſæ concluſionis eſt ejuſmodi. Eſt ergo pura fictio, & ſophiſtica, verè ſophiſtica; tamen ſophiſtica, & umbratilis, atque larva quædam.

Hac ipſius gravitatis materialis ſimilitudine, ex qua per analogiam fundamenta gravia dicuntur, conſtat; quia onus, quod ſolum alicui ex ſua mala diſpoſitione, vel invaletudine, aut ægritudine grave eſt, non eſt ſimpliciter grave; ſed grave ſecundum quid, & reſtrictè, quoad aliquos, ſcilicet ægrotantes, & malè habentes; eſſent alioqui duæ libræ onus grave. At error, & ignorantia ſunt invaletudo, & ægritudo intellectus, ut patet; quia ſanitas, & bonitas tota intellectus conſiſtit in cognitione veritatis; & ægritudo, & malum totum intellectus in ignorantia, vel errore. Ergo fundamentum ſolum ex ignorantia; vel errore grave non eſt ſimpliciter grave. Et idem eſt de apparentia, quæ ſolum magna eſt ob ignorantiam: & ſic illa ipſa magna non eſſet in ea re benè valentibus. Et idem eſt ſimiliter de vi movendi, nam habet magnam vim movendi ſolum eos; qui in ea re ignorant, vel errant in aliquo: ſicut vis, qua ego dejicerem puerum, vel ægrum, magna ſimpliciter non eſſet; quia magnitudo non ſumitur ex effectu, qui non tam ex vi ipſa, quam ex diſpoſitione patientis ad reſiſtendum provenit.

§. II.

Argumentum difficile, & totius hujus doctrinæ declarativum.

Ex his, quæ modò pro nobis adducta ſunt, objicies fundamenta illa omnia gravia eſſe, quæ licet in ſe falſa ſint, vel ſi vera ſunt, nihil ex illis ſequitur, tamen magnam apparentiam, & vim movendi habent, non reſpectu hujus, vel illius, ſed reſpectu omnium communiter eorum, qui in re Theologica verſati ſunt, & Authores graves, & docti eſſe cenſentur ab omnibus ſine controverſia. Si, inquam, fundamenta illa licet in ſe falſa, vel nulla, his tamen viris gravia videntur, gravia re ipſa, & ſimpliciter erunt. Quod probatur: quia ut ab eadem ſimilitudine gravitatis materialis incipiam illud onus grave eſt ſimpliciter, quod communi hominum diſpoſitioni, & viribus eſt difficile; etſi Angelo, vel giganti futurum eſſet facile, vel leviſſimum, vel nullum. Ergo ſimiliter ea omnia fundamenta, etſi re ipſa falſa, vel nulla, erunt ſimpliciter gravia, quæ communiter etiam bonis ipſis ac benè diſpoſitis Theologis gravia ſunt: & hoc erit eſſe ſimpliciter, ſcilicet reſpectu illorum talia eſſe. Idem autem argumentum fit in aliis fundamentorum nominibus translatis à rebus quantis; ut de fundamento magno, de momento de magno pondere, &c.

A priori hoc idem oſtenditur ex doctrina Ariſtotelis in prædicamento quantitatis, quam *quæſt. præc.* adduximus: & ea eſt quòd magnum, & parvum; grave, & leve, & ſimilia dicantur relativè: licet, enim S. Thomas, & alii docuerint, magnum & abſolutè, & relative dici, quaſi mons quid magnum ſit etiam abſolutè, & alia ſolum magna relativè ut milium, & parva ſolum relativè ut mons parvus; tamen ſemper eſt aliqua relatio ſaltem latentior, de quo aliàs.

Ergo magnum, & parvum, grave, & leve relativa ſunt ad ea, *quæ ſunt ſui generis*, ut ponit Ariſtoteles; & ſic res graves appellamus non graves, ſed leves, ut aquam, febrim, & à contrario, comparando ad ea, quę ſunt ſui generis. Fundamentum ergo ſimiliter grave, vel leve; magnum, vel parvũ; ponderis relativè dicuntur: non autem relativè ad Angelos: ergo relativè ad homines. At inter homines non relativè ad quoslibet; ſunt enim multi inepti, alii indocti, & nihil de Theologia ſcientes; qui potius ſunt, ſicut debiles, & infirmi quoad onera materialia. Ergo relativè ad Profeſſores bonos communiter. Ergo quod reſpectu horum eſt fundamentum grave, erit grave ſimpliciter, facientque probabile conſcientiæ ſaltem ſecundum ſenſum Authorum, qui ſcilicet ad iſtam probabilitatem ſolùm poſtularunt fundamentum grave, fundamentum magnum, momenti, roboris, &c. Unde habetur, quod licet fundamenta alicujus contradictionis in concurſu utrumque ſimul non ſit grave, quia in concurſu, neminem movere poſſunt nec diviſi-

vè, & ſcitur evidenter, alterutrum eſſe falſum; cum tamen occurrunt ſeorſim, movere poſſunt communiter ipſos etiam verſatos. Ergo ſaltem tunc, quando ſeorſim occurrunt, ſimpliciter.

Quod ſi ad Phœnicem aliquem Theologorum appellemus, dicendo, ipſum tamquam ſummæ cujuſdam ſcientiæ hominem agniturum de illis fundamentis, etiam quando ſeorſim occurrunt, illa non eſſe ve:a, & ſi vera ſint, nil ex iis ſequi concluſionem, & ideò ipſi illa non fore gravia, ſed levia, vel nulla. Hoc, inquam, ſi faciamus, erit, ſicut ſi pro gravitate oneris materialis appellaremus ad gigantem; & diceremus Neapolim non eſſe urbem magnam, ſed parvam, ſcilicet comparativè ad antiquam Alexandriam, vel Ninivem: & ſic in divitibus, & nobilibus, &c.

Solutio facti argumenti.

Vides, in quantam confuſionem adducant iſtæ voces per manifeſtam tranſlationem intellectui, & intellectualibus ſine certa illarum intelligentia, & determinatione applicatæ, & quarum nulla conſtat determinata definitio. Tamen quia per illas moris eſt probabilitatem realem, & poſitivam, & conſcientiæ explicare, nobis viſum eſt ſub ipſis illis incipere indagare veritatem & naturam probabilitatis, ut ita magis juxta ſenſum, & mentem Authorum aliqua removeamus à probabilitate conſcientiæ, & innoteſcat ſaltem quid illa non ſit; licet ad habendum, quid ſit, egrediendum ſit ab his terminis, quibus tamen nunc gradatim ducimur.

Ad argumentum ergo nobis objectum reſpondendum eſt primò; quod dato, fundamenta aliqua eſſe gravia ſeorſim, & in ſenſu diviſo non ſolum ſecundum quid, ſed ſimpliciter adhuc negandum id eſt, quando ſimul pro contradictione occurrunt, in primis nemini ſunt gravia, quia neminem movere poſſunt: & deinde ſcitur ſaltem indeterminatè, & disjunctivè, alterutra eſſe falſa; quod vim totam ſingulis, vel alterutris tollit: quando autem occurrunt ſeorſim, & diviſivè, nulla eſt cognitio fundamenti contradictorii (ſic enim eſt quæſtio:) quare nulla eſt cognitio nec determinatè, nec indeterminatè oſtendens, illud fundamentum, vel eſſe falſum, vel eſſe nullum pro concluſione: & hæc eſt cauſa, quare utrum libet ſeorſim movere poſſit, & grave eſſe his, vel illis, ut in argumento intendebatur. Quamobrem tota adducta explicatio gravitatis fundamentorum ſtabilit doctrinam præcedentis quæſtionis: eſt verò caſus fundamentorum ſimul concurrentium frequens; non ſimul, ſed diviſim occurrentium rarior: unde argumentum factum plus nobis attulit boni, quam mali.

Secundò abſolutè reſpondeo, alterutra fundamenta ſemper eſſe gravia ſolum ſecundum quid: nam non ſunt gravia per ſe, ſed per accidens etiam illis viris doctis, qui in argumento inducti ſunt; ſolum enim poſſunt ipſos mouere, & ipſis eſſe gravia propter errorem, vel ignorantiam aliquam ea in re; quæ ignorantia, & imperfectio, & invaletudo, ſeu mala diſpoſitio circa eam rem ipſis convenit omnino per accidens, & quin eſſent Angeli, vel Phœnices, poſſent non laborare ea ignorantia, vel errore, ut patet. Quare non eſt ſimile, ſed potiùs confirmatio pro nobis in gravitate materiali.

Abſolutè verò retinendo, ut par eſt ipſam acceptionem, & modum loquendi Doctorum, gravitas fundamenti non ita purè quoad gravitaodum intellectum, vel movendum ipſum dicitur, ſed ſemper involvitur reſpectus aliquis ad veritatem; & grave fundamentorum dicitur quod vim habet ad oſtendendum intellectui veritatem, ſeu ad movendum intellectum ad ſuum objectum, & centrum quod eſt verum: ſicut graue ipſum materiale non eſt movens quodlibet, ſed movens deorſum verſus. Alioquin ſi omnis reſpectus ad veritatem auferatur, argumento nobis objecto, & illius explicatione adducta probabitur, fundamenta Religionis Chriſtianæ non eſſe ſimpliciter, ſed levia; quia facta comparatione ad omnes religionum Profeſſores mundi vim non habent, nec gravia ſunt niſi reſpectu pauciſſimorum. Ergo neceſſario retinendus eſt reſpectus reliquis ad verum, & ſine ullo reſpectu ad verum, nullum fundamentum eſt grave, quidquid tale videatur quibuslibet. Et in alterutris fundamentis contradictionis deeſt omnis reſpectus ad verum; nam evidens eſt alterutra vel eſſe falſa, vel ex eis non ſequi ſuam concluſionem: ergo, &c. Unde quicumque eis moventur: ægrotant, & malè habent ea in re; quia ignorant, vel errant.

QUÆSTIO X.

Vtrum ergo concluſiones contradictoriæ poſſint ſimul eſſe probabiles multipliciter nunquam autem probabilitate reali, & conſcientiæ?

In hac quæſtione breviter reſumenda ſunt aliqua in ſuperioribus quæſtionibus ſparſim dicta, & alia breviter colligenda, & in unum cogenda claritatis gratia; contingunt enim æquivocationes multæ propter probabilitatem, & majorem vel minorem probabilitatem, quam paſſim attribuimus opinionibus, & concluſionibus atque doctrinis contradictoriis dicendo, utramque probabilem: & item unam magis probabilem, alteram minus probabilem.

§. I.

Poſſunt eſſe multipliciter probabiles.

Ex quæſtionibus præcedentibus conſtat primò probabilitate opinionibus dari ſolita quæ, ut explicuimus, eſt quædam impunitas, & concluſionibus etiam contra certum, & evidens contradictorias poſſe eſſe ſimul probabiles, & alteram minus: cujus generis nec probabilitas, nec major probabilitas coincidit cum probabili conſcientiæ. Quare contingit, aliquam opinionem eſſe probabiliorem, & probabiliſſimam: & tamen non eſſe probabilem, probabilitate conſcientiæ; quæ magis, & minus dicuntur ſolum relativè ad ea, quæ ſunt ſui generis, ut dictum eſt; milium milio majus, & milium magnum, & ovum; nec ideò milium majus magnum quid eſt.

Primo conſtat, poſſe duas concluſiones, & doctrinas eſſe ſimul, probabiles in uno genere, & aliam alia probabiliorem in eodem genere; & tamen

tamen illam, quæ eſt in eo genere minus probabilis, eſſe probabilem in alio genere. Declaro: poteſt ex duabus contradictoriis opinionibus, & doctrinis eſſe magis probabilis una in genere probabilitatis opinionibus dari ſolitæ, cujuſmodi opiniones communiter, & abſolutè dici ſolent probabiliores; & quod ejus contradictoria, quæ in eo genere eſt minus probabilis, & ita vocari ſolet, ſit, & ipſa ſola ſit probabilis in genere ptobabilitatis realis, & conſcientiæ.

Hoc contingit, quoties aliqua opinio eſt communis, & contraria eſt paucotum: & ptima nullũ habet grave, & ſolidum fundamentum; ſecunda verò habet: id eſt, quoties *turba Doctorum*, ſeu *turmatim* Autotes, ut Vaſquez, aliique loquuntur, ſine delectu rationum opinionem aliquam ſequuntur, ſeu inſtat ovium, & avium, ut alii ſe declarant: & aliquis, vel aliqui pauci contrarium gtavibus fundamentis vel ſtabiliunt, vel etiam aliquando convincunt.

In hoc ſanè caſu, quem omnes admittunt, Vaſquez, Navarrus, & alii volunt, hanc ſecundam opinionem eſſe magis probabilem. Sed primò obtineri nunquam poterit, quod mundus, & multitudo primam probabiliorem non habeat, & loquatur: ita enim in more eſt, quia multitudo non ponderat, ſed numerat ſuffragia: proindè ſi una opinio habet viginti Authores, & altera ſolũ tres, vel quatuor, communiter prima dicitur magis probabilis; & magis probabile confunditur cum magis communi. Deinde quid ſi opinio paucotum habeat certa, & concludentia fundamenta? Tunc ſanè locum non habet magis probabile in ſecunda; nam in quo excedit primam, non ſolum eſt magis probabilis, ſed eſt etiam certa. Satius ergo videtur loqui quidem cum multis, & magis communia vocare probabiliora: per id tamen intelligere probabilitatem opinionibus dari ſolitam: illam tamen diſtinguere à probabilitate teali, & poſitiva conſcientiæ; in quo genere ſola illa minus probabilis ſit probabilis; quod contingit, quoties turba Doctorum, ut dicitur, aliquid ſequitur ſine delectu. Hoc ſenſu Doctoribus legis ſuæ illæ communiſſimæ opiniones etant, vel videbantur probabiliſſimæ; & ſi quis fortè Doctotum illotum tenebat, vel teneret contrarium, vel minus probabile, vel paradoxum viſum fuiſſet. Et tamen illæ opiniones omni gravi fundamento deſtituebantur; & ſic deerat probabile reale, & poſitivum, & probabile, quod pro conſcientia ſufficeret.

Jam tertiò ſuprà diſtinximus probabilitatem in purè negativam, & in poſitivam. Negativam diximus conſiſtere in negatione fundamenti certi & concludentis contra ſe, & in negatione fundamenti gtavis pro ſe. Hæc probabilitas poteſt in ptimis convenire opinionibus, & doctrinis contradictoriis ita, ut utriuſque ptobabilitas ſit purè negativa: deinde poteſt ita illis convenire, ut alterius quidem probabilitas ſit purè negativa; alterius autem poſitiva; & ſic eſſe mutua in eodem genere, vel non in eodem, ut *ſupra* ſatis explicatum eſt.

Quartò, ex hac duplici quæſtione præcedenti habetur, nihil repugnare, quod una opinio ſit poſitivè ſpeculativè probabilis; & illius quaſi contraria probabilis poſitivè practicè, & habens probabilitatem conſcientiæ; quia probabilitas ſpeculativa, & practica differunt objecto quoad aliquam circunſtantiam; quare inter ipſas nulla eſt contradictio.

§. II.

Non poſſunt duæ contradictoriæ eſſe ſimul probabiles probabilitate reali, & conſcientiæ.

REpugnat, quod duplex opinio, vel concluſio, vel doctrina omninò contradictoria, ſivè ſpeculativa, ſive practica ſit, ſimul poſitivè probabilis, & utrique ſimul conveniat probabilitas realis, & conſcientiæ ſimpliciter, ſed neceſſariò ſi una habet probabilitatem poſitivam, & realem, & ſecundum eſſe, altera habet ſolum ſecundum quid, id eſt, videtur habere, putatur habere, idque ex errore, vel ignorantia; non tamen habet, & totum id eſt ſophiſticum.

Hoc manifeſtè habetur ex duplici *quæſt. præcedenti*; nam qualia ſunt fundamenta alicujus concluſionis, & opinionis, & doctrinæ; talis eſt quoad ſuam probabilitatem, vel certitudinem ipſa concluſio, & doctrina, ut patet. Sed oſtenſum eſt, in nulla contradictione utrumque ſimul fundamentum eſſe grave ſimplicitèr, ſed ſi alterum eſt grave ſimplicitèr, alterum neceſſariò eſſe ſolum ſecundum quid; id eſt, ſi alterum & eſt, & videtur fundamentum grave, neceſſariò alterum videtur ſolum eſſe fundamentum grave ex ignorantia aliqua, non tamen eſt. Ergo concluſio, & opinio neceſſariò nititur fundamentis non ſimpliciter gravibus, ſed ſecundùm quid. Ergo probabilitas illi conveniens eſt ſolùm ſecundum quid in genere probabilitatis realis, & ſecundùm eſſe, & conſcientiæ, id eſt, videbitur eſſe ptobabilis, ſed non erit.

Hanc concluſionem tamquam manifeſtam ſuppoſuit Ariſtoteles 8. *topicor. cap.*3. *ſimpliciter autem* (inquit) *ſi eſt probabilis poſitio* (id eſt, quam defendens ponit) *dilucidum*, *quoniam concluſio ſimplicitèr improbabilis*, id eſt, inferenda ab arguente: quarè tunc arguendum eſt vel ex iis, quæ videntur defendenti, vel aliis, & ſatis eſt minus probabilia, ſeu non tam improbabilia quam eſt concluſio inferenda, adducere. Nec aliud cenſere Ariſtoteles potuit juxta perpetuam ſuam probabilium notionem, ac definitionem, quam poſt aliquas quæſtiones adducemus. Et omnia nunc uno verbo per hoc reſolvuntur, quod ex triplici Ariſtotelis Logica & Analitica, & Topica, & Elenchica id eſt indubitatum, quod omnis ille Syllogiſmus, *in quo concluſio videtur ſequi ex præmiſſis, ſed non ſequitur*, eſt ſophiſma: ſed in omni concluſione contradictionis, de una parte eſt ita, vel enim, quod perinde eſt, ex falſis ſequitur, vel ſi ex veris arguitur, videri quidem poteſt ſequi, at ſequi non poteſt ullo modo. An ergo dicemus, concluſiones ſolum per ſophiſmata probabiles, ſeù probatas habere probabilitatem realem, & ſecundùm eſſe, & conſcientiæ? Nemo, credo, ſub his terminis concedet. In Rhetorica autem & ſæpè admittit probabile contra ptobabile, id eſt, probabile quoad hominem contra probabile ſimpliciter, vel è contra: quam nos ſupra vocavimus probabilitatem comparativam, & ad hominem; & excluſimus à probabili realis & conſcientiæ, quando eſt purè comparativa, id eſt, facit videri concluſionem probabilem alicui; non tamen facit in ſe ptobabilem.

Hæc doctrina adhuc clarius conſpicitur in probabilita-

babilitate purè ab extrinſeco. Ponamus Authorem aliquem ſummum, cujus in aliqua re ſit falſa opinio, & concluſio. Hic ſanè quantumque res omnes alias ſciat, in ea tamen re fallitur. Ergo tibi quidem etiam in ea re poteſt videri ſapiens; re tamen ipſa, & verè non eſt ſapiens in ea; & propriiſſimè eſt de iis rebus, quæ videntur eſſe, ſed non ſunt: ſicut ſi tota vita ſanctus eſſet, & nunc primùm ſola mente pravæ cogitationi conſentiret, tibi videretur ſanctus, ſed non eſt. Quod ergo eſt de ſcientia, vel ſapientia illius viri quoad hanc rem, ita eſt de fundamentis in contradictione pro concluſione falſa, & ita denique de ipſius concluſionis probabilitate: ſunt omnia de videri, & non eſſe, & pertinent ad libros Elenchorum.

Hæc autem omnia, quæ in his quæſtionibus dicimus, nihil habent vel remedii, vel ſuffragii recurrendo ad reflexas, ut quiſque videbit in ſingulis quæſtionibus, quin à nobis repetatur in ſingulis. Nec enim reflexæ efficere poſſunt, quod concluſio non probabilis in uno genere fiat probabilis in ipſo, aut quod probabilis in uno, fiat probabilis in alio, aut quod non habens probabilitatem ſecundum eſſe, & realem, & conſcientiæ, habeat illam; aut quod in ſe inſufficientia reddantur ſufficientia per reflexas noſtras. Sed de his reflexis loco ſuo.

ſ. III.

Quomodò nihilominùs poſſimus ſequi doctrinas contradictorias ſine peccato?

DIctum eſt ſparſim in præcedentibus quæſtionibus, quod licet in concurſu nulli unquam utrumque fundamentum contradictionis poſſit videri grave, poſſit tamen ſeorſim, & diviſivè, & tunc quem non peccare ſequendo alterutrum, ſi debitam diligentiam fecit. At ſimul diximus, alterutrum fundamentorum etiam ſeorſim, & diviſivè eſſe ſemper grave ſolùm ſecundum quid: non autem ſimpliciter. Nimirùm hæc duo videntur pugnantia; nam ſi fundamentum v. g. *A* eſt ſolũ grave ſecundum quid, & non ſimpliciter, non faciet probabile ab Authoribus requiſitum pro conſcientia; nam præcisè requirunt fundamentum grave: ergo peccabimus illi ſtando: quod ſi non peccamus, hoc idem intelligimus per probabile conſcientiæ: ergo dabitur probabile conſcientiæ: ergo fundamentum erit grave; vel intruditur quæſtio de nomine.

Reſpondemus, nullam obtrudi quæſtionem de nomine, & nullam eſſe inconſequentiam, ſed eſſe vera veris conformia. Scilicet plus eſt habere probabile conſcientiæ, quam habere aliquid, ex quo nobis proveniat non peccare. Nam juxta omnes Orthodoxos omnis ignorantia invincibilis excuſat à peccato, & illam habens operatur, quin peccet; & juxta nullum omnis invincibilis ignorantia vel eſt opinio probabilis, vel fundatur in opinione probabili, nec in fundamentis gravibus; imò quoties eſt ignorantia puræ privationis, & puræ ignorantiæ ſine ullo aſſenſu antecedenti ad dictamen conſcientiæ, nullum nec grave, nec leve fundamentum habet. Ergo plus eſt juxta omnes habere probabile conſcientiæ, quam habere aliquid, ex quo proveniat non peccare.

Diximus itaque ſuperiùs alterutrum fundamentum etiam ſeorſim, & diviſivè eſſe ſolum grave ſecundum quid, ſcilicet ex ignorantia vel errore grave; nam quia ignorat, vel errat, videtur grave operaturo, quod re ipſa grave non eſt. Inde ergo operans habet non peccare, unde ejus fundamentum habet gravitatem: fundamentum autem habet gravitatem ex ignorantia, vel errore; ergo ex eadem ignorantia, vel errore operans habet non peccare, ſcilicet ab eadem ignorantia, vel errore, ex quo à peccato excuſatur, ſi, ut ſupponimus, debitam diligentiam adhibuit: non autem propter probabilitatem; quæ ſolum eſt talis ſecundum quid. Quarè excuſaretur ſimiliter à peccato, ſi abſque ullo fundamento per puram ignorantiam invincibilem ignoraret obligationem. Quoniam verò vox *probabile* confundit, res iſta juxta omnes patet in certo; nam ponamus quem ex invincibili errore firmiſſimè perſuaſum eſſe, aliquam legem, vel obligationem non dari, quæ re ipſa datur: tunc juxta omnes non peccaret: & tamen non deſineret peccare; quia ſequitur certum; quia illud certum juxta omnes non eſſet ſimpliciter certum, ſed ſolum apparens, & fictum, & ſecundùm quid, ut homo pictus &c. Ergo deſineret peccare, ſeu non peccaret propter invincibilitatem erroris. Idem ergo eſt in probabili, niſi quod hæc vox *probabile* ut ſemper dolemus, eſt magis æquivoca, & minus intellecta.

QUÆSTIO XI.

Utrum non ſolùm verum, ſed demonſtrabile etiam videatur, duas concluſiones contradictorias non eſſe ſimul probabiles probabilitate conſcientiæ?

QUod ſæpè noto, loquor de probabilitate conſcientiæ; nam in aliis generibus nihil obſtat eſſe ſimul probabiles concluſiones contradictorias, ut ex dictis eſt manifeſtum. Propono vero concluſiones contradictorias, ſeu ſi mavis, propoſitiones, ſeu opiniones contradictorias, ſeu aſſerta quælibet. Per demonſtrationem porrò non intelligo, qua omnium obſtruantur ora, qualem nullam miniſtrant ſcientiæ, ſed intelligo demonſtrationem. Eò autem ſingulis imus quæſtionibus, ut viam iſtam contradictoriorum, & veri, & falſi occludamus.

ſ. I.

Concluſio affirmans probatur primùm de probabili ab extrinſeco.

ASſerimus ergo, demonſtrabile videri, nullas contradictorias concluſiones eſſe ſimul probabiles probabilitate conſcientiæ. Atque de probabilitate, ſeu probabili ab extrinſeco primùm res videtur manifeſtè, ac oſtenſivè confici ex hac logica concluſione demonſtrata, quod repugnat, duas contradictorias eſſe ſimul veras, ſed alteram eſſe veram, falſam alteram; quod, inquam, ibi demonſtratur ex Metaphyſico, & primo ſcientiarum noſtrarum principio, impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe, & quodlibet eſt, vel non eſt.

Probabile ab extrinſeco conſcientiæ; fundatur, vel conſiſtit in peritia, in ſcientia, in doctrina Authoris, vel Authorum aliquid dicentium. Hoc ita naturali conceptione omnes conſtituunt ac ipſi etiam

Digitized by Google

§. III.

De alio effugio.

ALiud effugium quæri poteſt explicando ſententiam eorum, qui probabile contradictoriorum pro conſcientia ſufficere arbitrati ſunt. Dicent enim, eos ad probabile ab extrinſeco conſcienriæ poſtulaſſe utique Authorem, vel Authores peritos; ſcientiæ: & conſcientiæ; pios, & doctos: quod tamen non ita eſſe intelligendum, ut in bac particulari concluſione, & opinione neceſſariò requiratur peritia, ſcientia, & doctrina, cùm evidens, ſit arque innegabile in omni contradictione in alterutris Authoribus contradicentibus deeſſe in ea concluſione peritiam, ſcientiam,& doctrinam, quin adeſſe in alterutris ignorantiam, & errorem: ſenſus ergo eſt, requiri authorem, vel Authores peritos plerumque in ſimilibus, ac ſimiliter ſcientiæ, & conſcientiæ; & pios, & doctos: hæc enim in ſimilibus peritia, ſcientia, & doctrina reddit eos non ſolùm in aliis concluſionibus & dictis ſuis, ſed etiam in hac particulari concluſione, in qua alterutri ignorant, & errant, utroſque ſimul graves, peritos, ſcientes & doctos. Neque enim quis in aliqua arte peritus, & doctus eſſe deſinit, quia in aliqua particulari concluſione ignorat, vel errat, ut multipliciter oſtenditur. Ecce ergo habemus in authoribus dicentibus contradictoria, Authores ſimul peritos, ſcientes, & doctos pro utraque parte: atque peritia ſimilium concluſionum reddit has quoque duas contradictotias ſimul probabiles ab extrinſeco probabilitate conſcientiæ. Prætereo ex prudentia allegare multa pro hac parte; quæ prudenria locus topicus eſt adverſariorum: ſed nos de illa fusè *lib. ſeq.* ubi illam nunquam dictare falſum, oſtendetur, & declarabitur.

Inferamus itaque primò ex hac ſolutione. Ergo ſi haberem ego Authorem peritum, & doctum in ſimilibus aliis concluſionibus; ſcirem autem manifeſtè vel demonſtratione, vel expreſſa Dei revelatione, eum ignorare, & errare in hac particulari concluſione, haberem nihilominùs in ejus dicto probabile ab extrinſeco conſcientiæ etiam in hac particulari concluſione. Conſtat iſta conſecutio applicando totam doctrinam reſponſionis. At conſequens eſt contra omnes nullo excepto. Ergo vana eſt doctrina reſponſionis. Ac rursùs ſimiliter in caſu noſtro contradicentium Authorum ſcio evidenrer, & manifeſta demonſtratione, ignorare alterutros, & errare. Deeſt ergo probabile ab extrinſeco conſcientiæ in alterutris.

Denuò quia data doctrina eſt prorsùs inepta ad præſens. Si profectò Authores in omnibus ferè concluſionibus moralibus convenirent, & in aliqua una, vel paucis contradicent, haud multum laborarem ego, an in hac una, vel paucis contradictionibus eſſet utraque pars ſimul probabilis probabilitate conſcientiæ. Longè porrò abſumus ab hac fœlicitate, & omnibus fermè opinalibus contradicitur; & quod eſt de hac particulari concluſione, eſt de illa,& de illa ac ferè omnibus. Quod ergo habeo in hac particulari concluſione, habeo in reliquis fermè omnibus. ſcilicet ignorare & errare alterutros. Non ergo habeo in utriſque ſimul peritiam, ſcientiam, & doctrinam in ſimilibus aliis concluſionibus, ex qua harum ſimultanea peritia, ſcientia, & doctrina hæc una concluſio contradictionis fiat ſimul utrimque probabilis, licet in ea ignorent, errentque alterutri.

Habet quidem ſpeciem aliquam veri, quâ fallat, doctrina reſponſionis. Nam ſi in plurimis ſimilibus caſibus expertus es Medici, vel Nautæ, vel Ducis peritiam, ac ſcientiam, utique in ſimili occurrenti caſu authoritatem, & fidem apud re habeat, neceſſe eſt; conciliatque ei authoritatem pro hoc caſu nota peritia, ac ſcientia aliorum; adeſt enim præſumptio maxima pro illius in hoc etiam caſu peritia in aliis nulla proveniret præſumptio peritiæ pro iſto caſu particulari, peritia ſanè illa in aliis nullam authoritatem conciliaret pro caſu iſto particulati. Idcircò cautè in reſponſione ponitur peritia, & ſcientia in ſimilibus; quia ex ſimilibus ad ſimile ſumitur præſumptio; non ita ex diſſimilibus; atque ideò peritia notiſſima rei nauticæ nullam tibi authoritarem conciliat pro caſu medicinæ, nec peritia in ſpeculativis pro caſu morali; nec peritia, & ſcientia de Euchariſtia pro caſu reſtitutionis, aut contractuum.

Hæc, quæ veriſſima, indubitata videntur, planè commonſtrant, quam inepta ſit ad præſens data reſponſio. Nam primò, ut eſt oſtenſum, nullam habemus notam peritiam Authorum in ſimilibus, ſed habemus potiùs, eos ſibi contradicere; ac proindè in alterutris deeſſe peritiam, & ſcientiam in ſimilibus, quin adeſſe ignorantiam, & errorē. Deindè ex nulla peritia in aliis ſumi poteſt pro hoc caſu particulari præſumptio peritiæ pro utriſque ſimul Authoribus huic enim præſumptioni obſtat evidens naturæ lumen, quo conſtat, alterutros in hoc caſu particulari eſſe imperitos, ignorantes, & errare; magis multò, quam conſtet, peritum nautam errare, ſeu peritiam non habere in caſu particulari medicinæ; nihil enim repugnat; nautam vel caſu ſaltem rectè dicere; repugnat verò prorsùs, Authores ſibi contradicentes utroſque ſimul rectè dicere, utriſque ſimul adeſſe peritiam in eo caſu, vel concluſione. Cum ergo ſit evidens, peritum naturam nullam habere authoritatem pro caſu medicinæ, adhuc eſt evidentius, Authores ſibi contradicentes utroſque ſimul authoritatē non habere pro concluſionibus, in quibus contradicunt cum in nauta deſit quidem omnis præſumptio peritiæ, & recti conſilii: in Authoribus autem adſit totalis repugnantia ad utrorumque ſimul peritiam, & dicti ſui rectitudinem.

§. IV.

Demonſtratur concluſio univerſaliter.

PRimum ſic. Ubi nulla præſumptio ſcientiæ, & veritatis, nulla authoritas. Sed in Authoribus ſibi contradicentibus nulla præſumptio veritatis in utriſque ſimul. Nulla ergo authoritas in utriſq; ſimul. Ubi nulla authoritas, nulla probabilitas conſcientiæ ab extrinſeco. Ergo in authoribus ſibi contradicentibus nulla in utriſq; ſimul probabilitas conſcientiæ ab extrinſeco. Cæteta ſunt conſpicua; propoſitio autem major videtur etiam nota conceptione naturali omnium: ea enim de cauſa, ſciunt omnes, ignorantium nullam eſſe authoritarem; nullam nautarum in Medicina, & ejus; dicto nihil eſſe credendum, nihil agendū, pro

quia nulla eſt præſumptio ſcientiæ, & veritatis. Rationem à priori damus ſæpè; quia omnis donalis, vel teſtimomonialis àuthoritas conſiſtit in non fallere, neque falli.

Hinc á forriori, ſic. Ubi totalis repugnantia ad veritatem, & ſcientiam, nulla authoritas. Sed in Authoribus ſibi contradicentibus totalis repugnantia ad veritatem, & ſcientiam in utriſque ſimul. Nulla etgo authoritas in utriſque ſimul. Nullum ergo probabile ab extrinſeco conſcientiæ in utriſque ſimul.

Sed univerſaliter de omni probabili ut demonſtrationem conficiam, ſuppono, quod nemo negat, ſed omnes palàm fatentur, conteſtanturque, adverſus certam, ac firmam veritatem, ſive evidentem, ſive obſcuram nullum ſupereſſe probabile conſcientiæ in contrario extremo. Idcircò contra demonſtrationem, contra ſcientiam, & ſimiles notas veritates nullum ſupereſt probabile conſcientiæ in contraria concluſione. Sic nec contra res fidei, quæ quippè certiſſimè conſtant, nihil eſt probabile ſaltem conſcientiæ. Inquam, ſaltem conſcientiæ eo, quòd aliqua ſunt fidei ſolùm ſapientibus, & non reliquis, quin aliquandò nec omnibus, quidem ſapientibus, ſed aliquibus, ut v.g. Deum eſſe ex creaturis demonſtrabilem aliquibus eſt de fide; aliis non eſt de fide; alii negant eſſe preſſè demonſtrabilem: quæ concluſio impunè defenditur, & ſic in aliquo genere eſt probabilis etiam illis, quibus contrarium eſt de fide; nec enim eam cenſurant, vel notant: at nequit illis eſſe probabilis probabilitate conſcientię, quibus nimirùm contrarium eſt de fide. Hac de cauſa hæretici contra fidem nullum habent probabile, ob quod à peccato excuſari queant: aliud eſt enim, an ab ignorantia aliqua invincibili excuſentur, quod controverſum eſt; aliud, an excuſentur probabile; quod hæreticum planè, erroneum ſaltem foret. Habetur ergo hæc indubitata propoſitio, adverſus certam., ac firmam veritatem nullum ſupereſſe probabile conſcientiæ. Rursùs iſta, certò, ac indubitanter falſa non eſſe probabilia probabilitate conſcientiæ.

Undè ſic arguo. Forma incompoſſibilis cum alia determinatè in uno extremo, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremoeſt incompoſſibilis cum ſimultate ejuſdem illius formæ in utroque extremo. Propoſitio iſta inductione declaratur, & indubitata efficitur. Sapientia eſt forma incompoſſibilis cum ignorantia, vel cum errote in uno determinatè ſubjecto, & extremo; hoc ipſo ſi ſapientia convenit uni duorum, ignorantia, vel error nequit ineſſe utrique illi ſimul. Sic eſt in formis, vel quaſi formis omnibus phyſicis, & moralibus ſine exceptione, ſive contrariè, ſive contradictoriè, ſive quocumque modo opponantur, & ſemper quanta eſt oppoſitio comparativè ad unum determinatè ſubjectum, vel extremum, tanta eſt oppoſitio convenientiæ unius formæ cõparativè ad duo indeterminatè ſubjecta, vel extrema cum ſimultate in utroque formæ oppoſitæ. Et ratio ex explicatione terminorum eſt manifeſta; quia ſi una forma alterutri duorum indeterminatè convenit, & altera utrique ſimul, jam utraque determinatè alicui eorum conveniret.

Hoc porrò, quod loquendo quaſi de actu adeò eſt manifeſtum, haud minus eſt conſpicuum loquendo de neceſſitate, vel impoſſibilitate actus ipſius. Quemadmodùm enim ſi neceſſe eſt, Petrum ſapientem eſſe, repugnat, eum ignorantem eſſe; ita ſi neceſſe eſt, Petrum, vel Paulum ſapientem eſſe, repugnat eodem modo, utrumque ſimul ignorantem eſſe: & ſic in formis, vel quaſi formis omnibus phyſicis, & moralibus ſine exceptione. Ergo ſive loquendo de ipſo quaſi actu, ſive loquendo de neceſſitate, vel impoſſibilitate actùs, indubitata eſt aſſumpta propoſitio, quod ſcilicet forma incompoſſibilis cum alia comparativè ad unum determinatè ſubjectum, vel extremum etiam comparativè ad duo indeterminatè ſubjecta vel extrema eſt incompoſſibilis cum ſimultatè in utroque formæ oppoſitæ.

Subſumo modò iſtam minorem. Sed certitudo falſitatis eſt incompoſſibilis cum probabili conſcientiæ comparativè ad unam determinatè concluſionem, ut ex omnium confeſſione ſuppoſuimus. Ergo certitudo falſitatis eſt incompoſſibilis comparativè ad duas indeterminatè concluſiones cum probabili conſcientiæ in utraque ſimul, ſeu cum ſimultare probabilitatis conſcientiæ in utraque concluſione. Sed in omni contradictione concluſionum adeſt totalis certitudo, & evidentia falſitatis comparativè ad unam earum duarum indeterminatè concluſionum. Ergo eſt incompoſſibilis cum probabili conſcientiæ in utraque ſimul, ſeu cum ſimultate probabilitatis conſcientiæ in utraque. Nullæ ergo concluſiones contradictoriæ ſunt ſimul probabiles probabilitate conſcientiæ.

Hic vides, quod jam ſuperiùs eſt expoſitum, quomodò argumenta iſta nihil pugnent contra alia genera probabilitarum; quæ contra certum quoque, & evidens locum habent: bono, ut diximus, prædeterminanti videtur manifeſtè commentitia ſcientia Media; adverſario videtur manifeſtè falſa Prædeterminatio; certè multis ita viciſſim videtur; & neutris intereà licet dicere ſententiam contrariam eſſe probabilem ſeu non eſſe probabilem: id quod aliis quoque exemplis ſuprà declaratum eſt: & quam ſanè eſſemus inverecundi, ſi omnia, quæ certiſſimò falſa nobis ſunt, notaremus, ac improbabilia diceremus. At plus aliquid ad probabile conſcientiæ poſtulatur, & repugnat cum certa cognitione falſitatis, & quod tibi eſt certò falſum, eſſe ſimul probabile probabilitate conſcientiæ. Eſt autem tibi certò, ac evidenter falſa alterutra duarum omnium concluſionum ſibi contradicentium. Non eſt ergo utraque ſimul probabilis probabilitate conſcientiæ.

§. V.

Solutio quadam examinatur.

HAnc ſolutionem, quæ ſubtilis videtur, & quam fortè adverſarii artipient, oportet tamen non diſſimulare. Ais ergo, valere utique factam argumentationem ab incompoſſibilitate formę comparativè ad unum determinatè ſubjectum, vel extremum ad incompoſſibilitatem ejuſdem comparativè ad duo indeterminatè ſubjecta, vel extrema cum ſimultare in utroque formæ oppoſitæ. Idcirco ſi altera duarum opinionum, vel concluſionum eſſet certò, aut evidenter falſa, utraque ſimul non eſſet probabilis probabilitate conſcientiæ. In præſenri autem, inquis, non ita res evenit; nam evidens quidem eſt, ac certiſſimum, alterutram concluſionum contradicenrium eſſe falſam; non tamen evidens, quin eſt falſum, alterutram earum concluſionum eſſe certò, aut

evidenter

evidenter falſam; neutra quippe eſt ſic falſa; imò quænam illarum ſit falſa, neſcitur.

Hæc tamen ſolutio videtur ſecum ipſa pugnare; nam admittit, valere ab incompoſſibilitate formæ comparativè ad unum determinatè ſubjeƈtum, ad incompoſſibilitatem ejuſdem comparativè ad duo indeterminatè ſubjeƈta cum ſimultate formæ oppoſitæ: deindè verò ad incompoſſibilitatem iſtam indeterminatam requirit, formam convenire uni determinatè ſubjeƈto, nam requirit, quod nobis ſit certum, alterutram concluſionum contradicentium eſſe certo, aut evidenter falſam, nobis utique (alii quippe ſunt abs re pro conſcientia noſtra.) Implicat autem, alterutram eſſe nobis certo, aut evidenter falſam, & nobis non determinatè certò falſam unam earum: conſtaret ergo nobis de certa falſitate unius illarum determinatè, Ergo ſolutio confundit comparationem indeterminatam formæ cum determinata.

Hæc ut explicemus, quæ nonnihil obſcura ſunt, ponamus conſtare tibi, alterutram concluſionum ſibi contradicentium eſſe de ſe ſcibilem, ac demonſtrabilem. inquam, de ſe ſcibilem, non autem tibi ſcitam; nam ſi eſſet tibi ſcita, & demonſtrata, jam tunc, ut nuper dicebam, eſſet illa tibi determinatè certò vera, & contradiƈtoria determinatè certò falſa, ac ſic non eſſemus in caſu indeterminatæ certitudinis falſitatis. Ergo neceſſe eſt, neutram determinatè eſſe tibi ſcitam, ut ſervetur comparatio. Ergo ſi tibi conſtaret, alterutram earum concluſionum eſſe de ſe ſcibilem, etſi à te ſcita non eſſet, jam tunc non ineſſet utrique ſimul concluſioni probabilitas conſcientiæ. At quod de ſe ſit ſcibilis, vel non alterutra concluſionum, nihil facit; nam in ſcibilibus, vel non ſcibilibus æquè evidenter conſtat falſitas alterutrius. Ergo nunquam utrique ſimul ineſt probabilitas conſcientiæ.

Ex his conſtat, evidentiam falſitatis, quâ nobis evidenter conſtat, alterutram concluſionum eſſe falſam, vagè, & indeterminatè convenire eis concluſionibus. Convenit enim aliquo modo, ut patet; nam omnis evidentia eſt in ordine ad objeƈtum. At non convenit determinatè, convenit ergo indeterminatè. At forma incompoſſibilis in uno ſubjeƈto cum alia, eſt incompoſſibilis eum ſimultate ejuſdem in duobus, ſi ipſa eiſdem duobus vagè, & indeterminatè convenit, ut eſt oſtenſum, & concedunt.

Liquet hic defeƈtus reſponſionis, dicit enim nobis non conſtare alterutram concluſionum eſſe certò, ac evidenter falſam. Hoc quippe diſtinguendum eſt dicendo, nobis neutrius determinatè falſitatem certò, & evidenter conſtare; conſtare autem falſitatem indeterminatè alterutrius certò, ac evidenter: eſt enim nobis evidens falſitas unius, vel alterius: ergo evidentia iſta noſtra indeterminatè, & vagè duas illas concluſiones afficit, pugnat ergo cum ſimultate probabilitatis conſcientiæ utraque.

Sic paulò antè dicebamus, poſita neceſſitate ſapientiæ alterutrius duorum, poni repugnantiam ignorantiæ utriuſque ſimul. Illa neceſſitas futuræ v.g. ſapientiæ unius, neutrum determinatè afficit; nec enim eſt neceſſe, iſtum eſſe ſapientem, nec illum; quemadmodùm in caſu noſtro nec iſta concluſio eſt certò, & evidenter falſa; neque contradiƈtoria; neutra enim eſt certò falſa. At quemadmodum neceſſitas ſapientiæ utrumque vagè, & indeterminatè afficit, ſic etiam evidentia noſtras concluſiones. Ergo ſicut neceſſitas ſapientiæ ſic indeterminatè duos afficiens, eſt pugnantia ſimultatis ignorantiæ in utroque: ita etiam evidentia falſitatis unius duarum concluſionum indeterminatè eis conveniens eſt repugnantia ſimultatis diƈtæ probabilitatis,

Hoc porrò diſcrimen eſt, ne quis in eo paralogyzetur inter formas phyſicas & intentionales, quod illæ (loquendo de eis aƈtu (nunquam ſubjeƈtis ſuis vagè, & indeterminatè conveniant, ſed ſemper determinatè. Idem eſt de formis intentionalibus loquendo de eis in ordine ad ſuum ſubjeƈtum phyſicum, ſcilicet intelleƈtum, vel voluntatem. At loquendo de illis in ordine ad ſua ſubjeƈta intentionalia, ſeu objeƈta (quæ propriè certa, aut evidentia ſunt, & non intelleƈtus) poſſunt vagè, & indeterminatè etiam aƈtu convenire, ut ſciunt omnes. Idcircò paſſim habemus certitudines, & evidentias indeterminatas, & vagas: & pariter in voluntate efficacias, & boc genus alia intentionalia.

Quod porrò evidentia illa, quâ nobis eſt evidens, alterutram duarum contradicentium concluſionum eſſe falſam, eas vagè & indeterminatè afficiat, ex eo prætereà eſt manifeſtum: nam habenti banc evidentiam eſt evidenter falſa iſta aſſertio, *hæc utraque concluſio eſt vera*: quemadmodùm habenti hanc evidentiam, *quodlibet, vel non eſt*, eſt evidenter falſa iſta aſſertio, *Petrus nec eſt, nec non eſt*. At niſi habenti eam evideotiam falſitatis alterutrius concluſionum, eſſet alterutra vage, & indeterminatè falſa ſimultas veritatis utriuſque concluſionis non poſſet eſſe illi evidenter falſa: & evidens falſitas veritatis utriuſque involuit evidentem falſitatem alterutrius vagè, & indeterminatè, ut patet.

Jam hinc probationem claudo. Qui ſcit evidenter, hanc concluſionem eſſe falſam, non habet in ea probabile conſcientiæ. Ergo qui ſcit evidenter, hanc vel hanc eſſe falſam, non habet in hac ſimul, & in hac probabile conſcientiæ: quia ut eſt oſtenſum, forma indeterminatè conveniens duobus, ſic pugnat eum ſimultate formæ oppoſitæ in utroque; atque uni determinatè convenieos pugnat cum ſua oppoſita in eodem. Sed quid, ſi qui ſcit evidenter, hanc concluſionem eſſe falſam, haberet pro illa maximas difficultates, quas etiam neſciret benè, & omninò ſeu ſolvere, ſeu extinguere; ſicut contra Dei libertatem evidenter nobis notam habemus maximas difficultates, & implexa adeò argumenta; an tunc haberet in ea concluſione probabile conſcientiæ; Non utique, quia evidenter ſciendo, concluſionem eſſe falſam, ſciret evidenter, omnia pro ea argumentor, etſi neſciret illa ſolvere, eſſe purè ſophiſtica, & captioſa. Sic autem eſt etiam in argumentis, quæ pro utraque concluſione contradiƈtoria ſuppetunt; illa enim non ſunt probabilitate utriuſque concluſionis, ſed pro veritate utriuſque: quam ſcis evidenter, eſſe falſam. Cum ergo ſciant evidenter omnes, in omoi contradiƈtione concluſionum, hanc, vel hanc eſſe falſam, nullus omninò habet probabile conſcientiæ in utraque ſimul.

§. VI.

De quodam dicto de ſimultate probabilitatis, & probabilitate ſimultatis.

FAmoſa eſt, atque perutilis diſtinctio Theologorum de ſimultate potentiæ, & de potentia ſimultatis. Sic habemus ſimultatem potentiæ ad amandum, & odio habendum; non autem potentiam ſimultatis, ſeu potentiam ad amandum ſimul, & odio habendam: quâ diſtinctione aliàs etiam, ſed ſemper in potentia libera utuntur Theologi.

Hanc diſtinctionem ſolùm ſolo tenus verborum hic applicabilem arripuit quidam Theologus, dixitque, dari ſimultatem probabilitatis, non autem probabilitatem ſimultatis; id eſt, nos poſſe quidem opinari ex contradictoriis concluſionibus (quas ipſe probabiles ſuppoſuit) quamlibet, non ſimul tutamque: tenet enim contra communem etiam ſuorum Authorum ſententiam, non prorsùs liberos eſſe ad opinandum inter æqualiter, vel inæqualiter probabilia quodlibet, ut placet: quam nos exiſtimationem tum aliàs, tum in appendice refutamus.

Dixi, hanc hic diſtinctionem ſolùm ſono tenus verborum eſſe applicabilem. Etenim per præmiſſas, & principia probabilia non fiunt, nec redduntur primitùs probabiles opiniones noſtræ, ſed concluſiones ipſæ objectivæ: hæ enim fiunt, & ſunt credibiles: hæ ſcibiles, & demonſtrabiles: hæ ſciuntur. & demonſtrantur. Sic ergo & concluſiones fiunt, & ſunt probabiles, & ex objectorum probabilitate actus deinceps noſtri, & opiniones redduntur probabiles. At ipſi non ponunt, adeſſe in principiis probabilibus virtutem, quâ hæc, vel illa concluſio fiat probabilis, ſed aiunt, utramque ſimul, & actu eſſe probabilem. Datur ergo probabilitas ſimultatis. Sic ſi exiſterent actu moveri, & non moveri, daretur potentia ſimultatis motus, & non motus.

Rursùs repugnantia ſimultatis aſſenſus, & diſſenſus opinatur(quam vitare intendunt) non naſcitur ſecundum ipſos ex defectu probabilitatis ſimultatis. Nam dato, vel ficto, quoadſint in eodem intellectu, uterque ſanè tam eſſet probabilis, quam aſſenſus exiſtens in meo intellectu, & diſſenſus exiſtens in tuo ſecundum ipſos ſimul probabiles etiam probabilitate ſimultatis: concurſus porrò & conjunctio in eodem intellectu nihil illis de probabilitate nec de meritis objecti adimeret, ut patet. Ratio manifeſta à priori eſt, quia actus noſtri ſic ſunt probabiles, certi aut evidentes, quemadmodum objecta: at ſecundum adverſarios utraque concluſio contradictoria circa quas aſſenſus, & diſſenſus meus verſarentur, eſt ſimul probabilis etiam probabilitate ſimultatis utriuſque ſimul concluſionis. Ergo aſſenſus ſimul, & diſſenſus eſſent ſimul probabiles, ſi darentur. Non ergo ideò non dantur, quia deeſt probabilitas ſimultatis. Quare hoc mea ſanè ſententia purum quoddam dictorium eſt: nec enim probabile vel non probabile quid liberum, ut ad hoc adducatur diſtinctio, quà Theologi ſolùm in cauſis liberis utuntur. Concluſiones, quæ ſunt quaſi actus principiorum, neceſſariò fiunt, vel non fiunt probabiles, ſcibiles, aut demonſtrabiles, aut credibiles: & indè etiam conſequenter actus noſtri. Sicut ergo in cauſis neceſſariis valet à ſimultate potentiæ ad potentiam ſimultatis ſic eſt in probabili, incredibili, & ſcibili, &c.

Ex his denuò ſequitur probabilitaris ſimultatis opinionum etiam ipſarum contradicentium. Si utraque ſimul concluſio eſſet vera, non repugnarent aſſenſus, & diſſenſus utriuſque ſimul: ſi utraque eſſet ſimul ſcibilis in ſe, non repugnaret ſcientia utriuſque ſimul contradictionis: & ſic etiam in credibili. Ratio à priori, quia repugnantia actuum intellectus provenit ex repugnantia objectorum. At per adverſarios datur probabilitas ſimultatis utriuſque concluſionis, id eſt, non una, vel altera eſt probabilis, ſed utraque ſimul, & in ſenſu compoſito: quemadmodum ſi amarem ſimul, & odio haberem, daretur potentia ſimultatis: probabile autem (de quo eſt ſermo) eſt propriè objectum opinionis, & coincidit cum opinabili etiam juxta ipſos. Ergo ex ſimultate probabilitatis, probabilitate ſimultatis concluſionum ipſarum, & objectorum ſequitur poſſibilis ſimultas opinionum.

Expono. Eſſet verum, *te currere:* eſſet ſimul verum, te non currere. Profectò poſſem ſimul dicere, te currere; & non currere: & ideò ſolùm hoc nequeo dicere, quia utrumque illud nequit ſimul eſſe verum. At per vos non verum præcisè, ſed probabiliter verum eſt objectum opinionis: rursùs per vos probabiliter verum eſt, hunc contractum eſſe uſurarium, & ſimul, & in ſenſu compoſito probabiliter verum eſt, non eſſe uſurarium. Ergo opinari ſimul poſſum utrumque; nam ſalvum, & integrum eſt objectum totum utriuſque opinionis, ſcilicet probabiliter verum, & probabiliter verum.

Nec te moveant exempla voluntatis, quæ ſunt hic abs te. Concurrunt quidem ſimul, & in ſenſu compoſito in jejunio v. g. & non jejunio bonum honeſtum, & delectabile, nec ex ſimultate horum objectorum ſic conſideratorum valet ad ſimultatem actuum; quia non eſt impoſſibilis ſimultas volitorum in te; nam volitum voluntatis jejunandi non eſt probabiliter jejunare, ſed jejunare; & objectum voluntatis non jejunandi non jejunare: quod utrumque ſimul eſſe nequit: & ſic in aliis, & ſemper repugnantia provenit ex repugnantia objectorum. Quod ſi inter jejunare, & non jejunare medium aliquod haberemus utrique ſimul contradictorio conveniens, & illud eſſet proprium objectum voluntatum jejunandi, & non jejunandi, ut habemus probabiliter verum, & probabiliter verum utrique ſimul contradictorio juxta adverſarios conveniens, tunc planè poſſem ſimul velle jejunare, & non jejunare.

Omitto alia. Ideò ergo repugnat ſimultas opinionum contrariarum, quia repugnat ſimultas probabilitatis, ſeu opinabilitatis concluſionum ipſarum. Poteſt quidem una concluſio mihi eſſe, aut videri probabilis, & digna aſſenſu; & contraria alteri: alterutri tamen noſtrûm id videtur ex ignorantia, vel errore: & ideò contrariè opinamur, alter malè, alter rectè. Quemadmodum in omnium ſententia una concluſio mihi videtur vera, & contraria alteri, & contrariè judicamus, alteruter tamen ex ignorantia, vel errore, & alter malè, alter rectè judicat.

Confirmo omnia. Probabilitatem hic vocant dignitatem, & meritum prudentis aſſenſus, nam hoc eſt probabile conſcientiæ. Ergo per ipſos concurrit,

tutrit, & in ſenſu compoſito utrique ſimul concluſioni ineſt dignitas, & meritum prudentis aſſenſus ſimultate dignitatis, & meriti. Ergo juxta dignitarem, & meritum objecti eſt utrique ſimul aſſenſum dare.

QUÆSTIO XII.

Vtrum totam præcedentem doctrinam ſemper ſuppoſuerit D. Thomas?

DOctrina in his antecedentibus quæſtionibus data reducitur ad diſtinctionem multiplicis probabilitatis inſufficientis pro regulanda, atque rectificanda conſcientia, cujus generis in omni contradictione eſt probabilitas alterutrius partis, licet habeat Doctores, ac proinde non ſufficit pro regula quod ſint variæ & diverſæ ſententiæ Doctorum, diverſa ſentientium, & opinantium, ſed cum alterutri manifeſtè fallantur, quærenda eſt ulreriùs veritas.

Profecto D. Thomas, non ut D. Auguſtinus frequenter uſus eſt reflexionibus, ſed directè, & perſpicuè de rebus ipſis propoſitis tractavit, & pronuntiavit; aliquam tamen aliquando reflexionem propoſuit, quæ nos plurimum inſtitueret de tota ſua mente, & dictamine, quo in rebus moralibus procedebat. Aperte vero totam noſtram doctrinam ſupponit *opuſc.* 73. de uſuris in prooemio, Deum hoc modo orans.

Omnis homo à natura non degenerans, veritatem amat, & eam ſcire ſuper omnia deſiderat. Quam ſi quis concupiſcit vere corde, & eam quæſierit in ſimplicitate cordis, ſui ipſa ſe ipſam manifeſtabit, & Deus, qui hoc promittit, verax eſt, & eam præbet diligentibus ſe, ſicut ſcriptum eſt Sapientiæ 6. Præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Eccleſiaſtici 1. *Fili concupiſcens ſapientiam accede ad illam, & Dominus præbebit eam tibi. Invoco ergo ipſam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum, ſed illuminare dignetur oculos caliginoſos ipſo ſuo lumine, ſine quo nemo valet ad lumen veritatis uſquequaque pertingere. Amen.*

Quoniam vero in dubiis, quorum veritas agnita ſalutaris eſt, & incognita periculum ingerit humanæ ſaluti, admodum utile eſt, veritatem inveſtigare, & temporibus noſtris audivimus multas controverſias inter Doctores non ſolum in naturalibus quæſtionibus, verum etiam in moralibus, in quibus periculum eſt diverſa ſentire & opinari, & præcipue in illa parte juſtitiæ, quæ commutativa dicitur à Philoſophis, & in iſta parte ejuſdem, quæ vitium uſuræ cohibet, ideo circa hanc materiam veritatem declarare, & dubia elucidare, quantum Deus donaverit, & noſter labor conamine pauperis inveſtigationis noſtræ attingere poterit, in hoc opere propoſitum noſtrum eſt.

Multa ex hoc texru conſtant de tota mente S. Thomæ noſtram præcedentem doctrinam confirmantia. Primo accipies, quam à D. Thomæ tota menre abetraret quiſquis in quæſtionibus moralibus decidendis nec ſibi timet, nec proximo quem diligit, cum manifeſte nos exiſtimamus incomparabiles in doctrina D. Thomæ, quem ſancta Eccleſia ſuum fecit Doctorem, quod de nobis exiſtimare ſumma ſane, & fatua ſuperbia foret: at ipſe timet periculum animæ ſuæ, & laqueum aliorum in quæſtionibus de uſuris: ergo nos à fortiori timere deberemus. Secundo conſtat in his quæſtionibus periculum & laqueum incurri poſſe: ſi enim incurri non poſſent, non eſſet timendum, nec Deus orandus: ſed S. Thomas timet, & Deum orat: ergo incurri poſſunt periculum, & laqueus.

Tertio conſtat non ſatis eſſe ad evitandum periculum, & laqueum, habere Doctores alterutram partem ſentientes: nam in materia uſurarum habebat S. Doctor Doctores, diverſa ſentientes, & opinantes: ergo ſi alterutris doctoribus ſine alio examine accedendo periculum, & laqueus vitabantur, jam cum, ut in facto notorio Doctores pro utralibet parte adeſſent, omne periculum ceſſabat, & laqueus per id ipſum jam contritus erat, & dici poterat, *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*: Nam diceret quiſque; habeo Doctores pro qualibet parte; ergo & ego, & proximus conſulendus jam ſumus in tuto. Quarto conſtat, non quodlibet probabile ſufficere pro regula, & ſecuritate conſcientiæ: tam temporibus D. Thomæ in illis Doctotum diverſa ſentientium controverſis, utraque pars impunè defendebatur, ſicut & modo in eadem uſurarum materia utraque defenditur, & tunc, & nunc ſine impedimento & ſine cenſura, & nota. Ergo hoc genus probabilitatis ex S. Doctore non ſufficiebat pro conſcienria, ſed ulrerius aliquod examen faciendum eſt, & aliquis labor adhibendus pro veritate.

Poſtremo hoc genus probabilitatis, non ſufficere, nec habere Doctores, ſive per bona, ſive per mala fundamenta diverſa ſentientes, patet ex ipſa oratione; nam ſi id ſufficeret, nihil eſſet orandus Deus pro habènda doctrina tuta, & ſana in quæſtionibus moralibus, ſed concurſus univerſalis omnibus cauſis ſecundis à Deo ſemper præſtitus ſufficeret, nec magis de eo orandus eſſet Deus quam pro combuſtione ignis appllcati. Nam per id ſolum, & ſine alia gratia particulari ſcire poſſumus, & ſcimus, eſſe in materia uſurarum, & in aliis Doctores diverſa ſentientes, & opinantes, & quod utraque pars ſine impedimento, & ſine cenſura, & nota defenditur: quemadmodum ſolo concurſu generali in hiſtoriis, & per hiſtorias ſcimus, Romanos olim imperaſſe, extitiſſe Ciceronem, Cæſarem, annibalem &c.

Sequela autem, non ſolùm D. Thomæ, ſed univerſæ ſanctæ ſcripturæ & Eccleſiæ, & fidelium ſenſui videtur repugnare: nam Eccleſia, & omnes quotidie veraciter dicimus: *Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua: Doce juſtificationes tuas: doce me facere voluntatem tuam: Da mihi intellectum ut vivam: ſuper ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi; Qui docet hominem ſcientiam: Docebit mites vias ſuas: vias tuas Demonſtra mihi*: & in principio Miſſæ ſemper: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt &c.* Et hoc genus ſexenta quæ quotidie, & ſingulis horis ſancta Eccleſia, & fideles quique boni veracirer, & ſine fictione dicunt. Demum illud: *Non abſcondas à me mandata tua. Quid clarius* (ait Auguſtinus concione octava in Pſal. 118.) *quam diliges dominum Deum tuum, &c. Merito namque abſconditur eis qui non ſunt incolæ in terra: hæc enim mandata, & ſi audiunt, non tamen ſapiunt, quia terrena ſapiunt:* Quo pertinet illud, *ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Ut ergo hòc nobis non contingat, & videndo videamus, & audiendo intelligamus, quæ ſunt Dei, & quæ mundi, & quæ fundata, & quæ ficta, orandus eſt procul dubio Deus,

Quam neceſſitatem orationis pro doctrina ſalutari, quæ in cognitione veritatis ex D. Thoma conſiſtit, *& incognita periculum ingerit humanæ ſaluti*, probant epiſtolę D. Auguſtini, & Innocentii Papæ 90. 92. 93. 94. 95. in quibus etiam multa teſtimonia ſcripturæ ſuppetunt.

Denuò ad D. Thomam redeamus, qui quodlib. 9. *quæſt.7. art.15.* quærit utrum habere plures præbendas ſine cura animarum abſque diſpenſatione ſit peccatum mortale? Et poſt argumenta propoſita *dicendum*, inquit, *quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſè veritas habeatur, periculosè determinatur; quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet forte à tanto. Error verò, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculoſum eſt ubi veritas ambigua eſt, quod in hac quæſtione accidit. Cum enim hæc quæſtio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex jure divino, vel ex jure naturali; & ad juriſtas, in quantum dependet ex jure poſitivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contrariè ſentire.*

Nec eſt quod dicatur quodlibetum iſtud non eſſe S. Thomæ: nam ad hoc aſſerendum eſſet fundamentum aliquod conſiderabile: alioquin facile hoc dicendo omnia cujuslibet teſtimonia eluduntur. Deinde doctrina contenta in hoc adducto textu, & adducta in textu præcedenti ex opuſculo de uſuris eſt una, & eadem quoad rem, nam totum reducitur ad ignorationem veritatis, quæ *incognita periculum ingerit humanæ ſaluti.* Rursùs ſenſus D. Thomæ non eſt nullam ullius juris ignorantiam excuſate à peccato in toto: nam ex ipſo S. Doctore libro ultimo conſtabit alicujus juris ignorantiam aliquando excuſare etiam à toto: at ut in plurimum ſaltem, & frequenter, & circa aliqua ſaltem jure non poteſt excuſare à toto, nec eſſe ignorantia invincibilis. Nec S. Doctor requirit quod neceſſario ad non peccandum requiritur quod *expreſſè veritas habeatur*, ideſt certo, & manifeſte; ſed ſolnm dicit, *periculosè decidi*, niſi veritas eo modo habeatur; quia omnis expreſsè non habens veritatem timere poteſt ne erret; ſi autem erret, incurrit periculum peccati; non quia peccet quoties errat in qualibet materia, ſed quia peccat qui ſaltem errat plerumque: quæ loco ſuo, ſcilicet quando tractabimus de ignotantiis clarius percipientur.

Nunc autem doctrinæ adductæ vetitas firmatur eodem modo ex ſignificatis pro neceſſitate orationis: nam ſi nullum eſſet periculum errare, & ſi in iis, quæ ſunt de jure divino, vel naturali ſequendo Theologos contrariè ſentientes, aut de jure poſitivo ſequendo Juriſtas quoslibet ex contradicentibus, eſſemus in tuto, & periculum ceſſaret, & excuſaremur à peccato in toto, nihil eſſet neceſſaria oratio, ut declaratum eſt; nihil neceſſariæ conſultationes, ut infrà declarabitur; nam nihil intereſſet, errare, vel non errare, & ex contradictione quamlibet partem ſequi, modo id unum haberemus, ſcilicet in re Theologica Theologos, vel in jure civili Juriſtas, vel in canonico Canoniſtas.

Eamdem re ipſa doctrinam tradit S. Doctor *quodlibeto* 8. *art.*13. in quo quærit utrum peccet ille, qui habet plures præbendas? Erat enim eo temporis multorum cauſa rumorum iſta quæſtio; & ideò toties eam tractat. Opponit, videri peccare illum, quia *ſunt opiniones Magiſtrorum in contrarium:* ergo committit ſe diſcrimini, *cum faciat contra multorum peritorum ſententiam.* In quo primum id notatur quod eſſet objectio D. Thoma & quolibet alio indigna in via contraria: nam dari opiniones Magiſtrorum in contrarium nulla protsùs eſt ratio dubitandi. Reſpondet ergo: *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur? & ſic non ſe committit diſcrimini, nec peccat. unde patet ſolutio ad objecta.* Ut ergo non peccet quis, requirit quod ex opinione tenente eſſe peccatum, habere plures præbendas, in nullam dubitationem adducatur. Ergo ſi non in dubitationem, ſed in ipſam etiam opinionem adducatur, cum opinari plus multo ſit, quam dubitare, peccabit manifeſtè. Sed hoc magis ad reflexiſtas pertinet, cum quibus poſtea ſuo loco.

Item rem declarat, & probat. *Dicendum ergo* (ait) *quod quando duæ opiniones ſunt contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem? Et ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita quod verè licet habere plures præbendas? Et tunc diſtinguendum eſt. Aut talis habet conſcientiam de contrario? & ſic iterum peccat contra conſcientiam, Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem: & tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & ſic ſi manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur.* Et ſic non peccat.

Hic totam doctrinam reduxit ad indiviſum illud, quo nos in ſuperioribus recurrimus, punctum contradictionis, in qua neceſſariò altera pars eſt falſa, & altera vera, idque eſt nobis manifeſtum, & evidens: hæc proindè nobis debet eſſe origo quærendorum omnium. Habemus verò ex hoc loco illam ipſam doctrinam, quam habuimus, & declaravimus ex præcedentibus. Habemus ſemper non ſufficere habere opiniones contrarias Magiſtrorum, quæ ſine cenſura, & nota defenduntur, nec hoc genus probabilitatis, nec in talibus contrariis opinionibus ſine alia veritatis inquiſitione ſiſtendum eſſe.

Quòd autem tradit, ſemper nos peccare, quoties contra legem Dei operamur, etſi operemur, ſecundum conſcientiam etiam non ſolùm nobis probabilem, ſed etiam nobis certam, ex errore pertinet ad controverſiam de ignorantiis, ubi examinabitur, an poſſit dari ignorantia invincibilis alicujus legis Dei? Si enim dari poteſt aliqua ignorantia invincibilis alicujus legis Dei, tunc excuſabimur à peccato, non propter probabilitatem, ut aliqui ponunt; nec propter majorem probabilitatem, quò alii tecurrunt: nec propter certum, quo alii eunt, ſed propter invincibilitatem, ac involuntarietatem ignorantiæ, vel erroris: latiſſimè autem de mente S. Thomæ tractabimur, qui quoad hoc ſaltem in omnibus ſuis operibus docet idem, atque in quolibet iſto. Hæc modò ſufficiant quaſi reflexa, & univerſalia S. Doctoris monumenta circa doctrinas, & quæſtiones morales tum in docendo, tum etiam in operando: nam multa alia ipſius directa documenta dabimus quæſtionibus ſequentibus tum de natura probabilitatis, quam inquirimus, tum de dubiis, & de veritate morali. Scotus porrò, *in 3. diſt. 259. quæſt. 1. ad 1.*

qui

qui adeò A D. Thoma diſſenſit in tot rebus, concordat in hoc dictamine de agnoſcendo periculo animæ in determinandis quæſtionibus moralibus dicens: *Benè videndum eſſe in moralibus, cum inter ſe Doctores altercantur, antequam aliquid aſſeratur.* Tibi quidem, quod doctores altercantur, & diverſa ſentiant, ſecuritatem affert: his contrà conſiderandis certè Doctoribus; imò indè timent periculum; nam re ipſa hæc altercatio, & diverſitas Doctorum potiùs inducit in dubitationem, & quò ſunt majores Doctores, eò majorem, *lib. 4.* latè conſtabit.

QUÆSTIO XIII.

Vtrum proinde ponens doctrinas contradictorias eſſe tutas, doctrinas non ſanas faciat ſanas?

LOquor ut jam ſæpè notavi de doctrinis ſpeculativè ſimul, & practicè, & omnino contradictoriis. Nec tracto de minus probabilibus, vel æqualiter probabilibus ſolum, ſed pariter etiam de magis probabilibus ſi falſæ fuerint, ut contingit; imò jam ſupra probavi tot eſſe contradictiones, & deceptiones circa magis probabile quot ſunt contradictiones, & deceptiones circa verum; quia ut reſumpſi ex Vaſquez, & infra conſtabit, unicuique ſua opinio videtur probabilior. Quare jam ſupra probavi, & deinceps probabo, in his controverſiis nibil prorſus vel parum haberi recurrendo ad magis probabile, ſeu obligando ad magis probabile: quia magis probabile partis falſæ eſt ſolum tale ſophiſticè, ſeu apparenter, & non re. Quæro ergo, an ponens, & dicens, doctrinas ſpeculativè, & practicè, id eſt, omninò, & ſimpliciter contradictorias, eſſe tutas, doctrinas non ſanas faciat ſanas? Uſurpavi autem hanc doctrinæ bonæ, & tutæ proprietarem ſanitatis, utpote notiſſimam, & ſacro eloquio confirmatam omnes nimirùm ſciunt, & concedent, omnem doctrinam tutam, & bonam eſſe ſanam, & nullam non ſanam eſſe tutam.

§. I.

Reſpondetur ad quæſtionem.

VIdetur dicendum, viam ponentem, doctrinas modo dicto contradictorias eſſe tutas, jam doctrinas non ſanas facere ſanas. Hoc probatur hoc univerſali principio, quòd nulla falſa doctrina ſit ſana doctrina: at in doctrinis contradictoriis alterutra illarum eſt falſa: Ergo via ponens contradictorias eſſe tutas, doctrinam non ſanam facit ſanam. Cætera ſunt nota, & manifeſta. Principium illud, quod nulla falſa doctrina ſit ſana doctrina, probandum eſt tripliciter.

Primo ſic: omnis doctrina ſana eſt à Deo Authore: nulla doctrina falſa eſt à Deo Autore: ergo nulla doctrina falſa eſt doctrina ſana. Minor apud me eſt demonſtrabilis: de qua aliàs egi, item *in tract. de fide:* ac firmiſſimè puto, nihil nos loqui, nec affirmare, nec negare poſſe niſi hoc conſtituto principio, errores ſcilicet, ac falſitates à Deo Authore tam eſſe non poſſe, quam ſcelera. Eſt illa communiter à Doctoribus recepta, nec huc pertinet: quæ proindè eſt nunc ſupponenda.

Major verò tam à ratione, quam ab authoritate ſacra videtur innegabilis. Nam doctrina ſana ex terminis bonum quid eſſe videtur: omne autem bonum à Deo Authore eſt vel ſolo, vel nobis cooperantibus. Rursùs: ſanitas corporis eſt à Deo Authore: ergo & ſanitas mentis tam intellectus, quam voluntatis: & utramque à Deo poſtulamus; à quo bona cuncta procedunt. Deinde ut infinita omittamus, repeto aliqua tacta queſ. præc. ex Pſalmis: *Doce me juſtificationes tuas: cum docueris me: doce me facere voluntatem tuam; & de lege tua docueris eum: qui docet hominem ſcientiam: intellectum da mihi, & vivam: docebit mites vias ſuas: Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me: dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſalvator meus &c.* Ergo à Deo Doctore, & Authore eſt omnis doctrina ſana, qua juſtificationes, qua voluntatem Dei, ac vias ejus edocemur. Sic & in Evangelio veritas dicit: per me ſi quis introierit paſcua inveniet: ipſe autem veritas eſt: nulla ergo ſalutis paſcua inveniuntur, niſi in Chriſto, qui omnium Magiſter unus eſt: ea autem ſunt à Deo Authore. Sic & à Jacobo ſapientiam à Deo poſtulare inſtruimur, &c. Ea autem eſt Chriſtianorum ſapientia, qua & rectè creditur, & rectè vivitur: vivitur verò rectè per ſanam doctrinam. Omnis ergo ſana doctrina eſt à Deo Authore: nulla autem falſa eſt à Deo Authore: ergo nulla falſa ſana.

Confirmo: quia Deus eorum Author non eſt, quæ dicere non poteſt; & tenet hic illud Bernardi, an dicere erubeſcis, quod facere non puduit? Doctrinam autem falſam dicere non poteſt. Rursùs: quia doctrina contradictoria falſæ eſt ſana & Dei: Eſt enim vera: nequit autem ſanitas ſanitati contradicere, & repugnare.

§. II.

Vlterior comprobatio.

SEcundo ſic: doctrinæ ſanitas eſt veritas: nulli doctrinæ falſæ ineſt veritas: ergo nulli ineſt ſanitas: ergo nulla falſa eſt ſana. Cætera præter majorem ſunt manifeſta.

Illa porrò eſt S. Thomæ multoties, & videtur indubitata. In primis eam docet 1. *ad Corinth.* 3. ſuper illa verba: *Dei ædificatio eſtis &c. Si quis autem ſuperædificat, ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit.* Hi autem ex S. Doctore ſuperædificant lignum, fœnum, ſtipulam, qui addunt in doctrina ſua inutilia, nec veritatis ratione firmata, ſed vana, & inania: ſunt enim falſa omnia, inania, & vana, & vacua.

Rursùs idem S. Doctor probat eam majorem ex eodem Apoſtolo 1. *ad Timoth.* 6. *Hæc doce, & exhortare. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus &c. Ubi ſciendum* (ait) *quod ſicut in corpore ſanitas eſt quædam æqualitas humorum, ita veritas eſt quædam æqualitas in intellectu; quia veritas eſt adæquatio rei, & intellectus.* Ex quo totum illum terribilem textum Pauli rectiſſimè applicat iis qui in veritate non fundantur, quod ſint ſuperbi, nihil ſcientes, ſed languentes circa quæſtiones ſicut infirmi, & circa pugnas verborum; *Ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ; conflictationes hominum mente corruptorum, & qui à veritate privati ſunt.* Omnia enim naſcuntur à privatione veritatis; nam ſequitur infirmitas, mentis corruptio &c. Ergo doctrinæ ſanitas eſt veritas.

Eamdem majorem ſtatuit ex eodem Apoſtolo 2. *ad Timoth.* 4. *& à veritate quidem auditum avertent; ad*

Digitized by Google

fabulas autem convertentur: ex *primo* quippe ſequitur ſecundum. *Sana doctrina eſt* (*inquit Thomas*) *quando non habet admixtam falſitatem: ergo ſanam doctrinam non ſuſtinent, dum veritatem nolunt audire: Oſeæ 4. non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra.* Quod enim ſanam doctrinam non ſuſtineant, quod coacervent Magiſtros malos &c. omnia naſcuntur ex defectu veritatis. Ergo ſanitas doctrinæ eſt veritas doctrinæ. Vide nunc, quam ſanam doctrinam miniſtret via illa quæ plurimas ſine numero contradictorias diceret tutas, & ſanas?

Ratio à priori, ne plura in re clara congeram, eſt; quia bonum intellectus eſt verum; ſicut voluntatis bonum: ergo bonitas, & ſanitas, & ſtatus rectus cognitionis cujuſque, doctrinæ cujuſque eſt veritas. Et ſic à contrario intellectus malum ſunt ignorantia, & error. Quarè falſam doctrinam eſſe ſanam perinde eſt, atque vitioſos mores eſſe honeſtos, & ſanos.

Quod porrò ignorantia, vel error a Doctoris alicujus dicto natus ſit, non plus ſanitatis doctrinæ confert; quam ſi inæqualitas humorum ex conſilio alicujus Medici inducta fuiſſet, conferret ea ad ſanitatem. An non in hoc ipſo textu Pauli habemus non unum, ſed coacervatos Magiſtros, quorum doctrina non ſana erat, imò fabulæ appellantur? *Nihil* (ait Chryſoſt. hom. 9.) *ſignificantius dici potuit. Quippe dum coacervabunt, ait, indiſcretam, confuſamq́; ſignificavit Doctorum multitudinem.* Quod item magnæ tibi viſæ ſunt adeſſe rationes pro falſitate, cum re vera nullæ ſint, ſed ſolum appareant, & videantur eſſe, perinde ad ſanitatem doctrinæ confert, atque conferret ad ſanitatem oculorum, quod videres montes, ubi nulli ſunt. Nihil ergo aut probabile, aut quoquo modo vocatum ſanitatem tribuere poteſt doctrinæ, ſed ſola, & unica veritas. Et ſic nec Magiſter ipſe, aut Doctor bonus eſt, aut dici poteſt in eo, in quo errat. Ergo nec doctrinam ſuam poteſt bonam, & ſanam reddere.

Tertio tandem arguamus ſic: Omnis doctrina falſa admiſſa ſeducit: nulla ſana admiſſa ſeducit; ergo nulla ſana eſt falſa. Minor eſt manifeſta; nam ſeductio in fide, & moribus cavenda eſt ad Coloſſenſ. 2. *ad Epheſ. 5. nemo vos ſeducat*, ac ſæpè alias: at doctrina ſana cavenda non eſt, ſed quærenda, amanda, & admittenda, ut conſtat *ex 1. ad Timoth. 1. & 6. & ex 2. ad Timoth. 1. & 4. & ad Tit. 1. & 2.*

Major oſtenditur, quocirca ſic diſſerit S. Thomas *ad Coloſſ. 2. lect. 2. Videte* (ait Paulus) *ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam. Sed quomodo ſeducent?* quærit Thomas. *Qui ſeducit* (ait) *oportet habere aliquid apparens, & aliquid non exiſtens. Ideò primò ponit principium apparentiæ: ſecundo defectum exiſtentiæ. Principium apparentiæ eſt duplex, id eſt, authoritas Philoſophorum, & quantum ad hoc dicit, ſecundum traditionem hominum, id eſt, ſecundum ea, quæ aliqui tradiderunt propria ratione. Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Aliud eſt adinventio rationis, quando ſcilicet aliquis vult metiri ea, quæ ſunt fidei, ſecundum principia rerum, & non ſecundum ſapientiam divinam. Ex hoc enim multi decipiuntur*; quod exponit ibi optimo exemplo. Qui autem apparentias contradictoriarum tantopere mihi opponunt, & ſimul eſſe occlamant, diſcere poſſunt, ſi volunt, ex Doctore ſancto, dari quidem apparens aliquid, & apparentiam, ſed eam in una parte eſſe neceſſario ſine re, & cum defectu exiſtentiæ, & ſic ſophiſticam.

Jam arguamus ſic. In omni doctrina falſa etiam probabili eſt apparentia ſine re, & exiſtentia. Ergo ſeductio. Iterum: omnis talis doctrina eſt ſecundum traditionem hominum: nam nihil falſum eſt ſecundum traditionem, ac ſapientiam divinam: ergo idem. Item: in omni tali eſt principium idem apparentiæ, id eſt authoritas hominum, qui in eo errant; & adinventio rationis etiam deficientis; & eſt fallacia; nam omnis falſa concluſio habet vel in principiis, vel in illatione fallaciam, ut ſcitur ex libris Clench. Ergo omnem talem doctrinam comprehendit, exprimitque deſcriptio, qua Paulus declarat ſeductionem.

Quod autem ibi Philoſophiæ fiat mentio, ac proinde authoritas ſola Philoſophorum conteratur; in re autem noſtra non Philoſophorum, ſed Theologorum adſit authoritas. Hoc inquam, nihil ad rem facit; nam eodem modo Theologi errantis authoritas, & ratio ſunt ſolùm principiũ apparentiæ ſine re, & exiſtentia, & continent fallaciam; ſicut authoritas, & adinventio Philoſophorum errantium. Quinimo Philoſophia, & Philoſophi non quia Philoſophi removentur, ſed quia errant: Errat autem ſimiliter Theologus in omni falſa doctrina probabili: ergo cauſat ſeductionem. Imò cum corruptio optimi ſit peſſima; falſitas autem doctrinæ ſit corruptio illius, magis videtur cavenda ſeductio, & falſitas Theologiæ.

Hic tamen notandum, & cavendum eſt, ne exiſtimetur, quod quilibet Doctor docens doctrinam falſam; ſit hoc ipſo neceſſariò dicendus, vel judicandus ſeductor: quod abſit. Aliud enim eſt ſeductor, & deceptor; & aliud ſeductio, & deceptio: nam omnis qui fallitur, propriè decipitur, & ſeducitur, nec deceptio, & ſeductio in doctrina aliud eſt quam ipſius falſitas. At deceptor, & ſeductor non tam qui omninò fallitur, eſt, quàm ille, qui ſaltem indirectè volendo fallitur, & mox fallit, ſcilicet culpabiliter. Aliquis fortè requiret etiam voluntarium directum, quod ſcilicet ſeductor, & deceptor omnis directè velit fallere. Sed hoc non videtur admitti poſſe; nam ſaltem Hæreſiarchæ omnes propriiſſimè, & Chriſtiano ſermone fuerunt ſeductores: nec tamen ſaltem omnes, qui quippè erant de erroribus ſuis obſtinatè perſuaſi, directè velle falli, aut fallere voluerunt. Solùm ergo indirectè ſaltem aliquibus fuit voluntarius error, & deceptio.

QUÆSTIO XIV.

Utrum ergo probabilitas realis, conſcientia non ſit quærenda in contradictione, quæ æqualiter, ſe habet ad falſum, ſed in aliquo, quod ſe magis habeat ad verum?

Lege contradictionis, ſeu contradictoriarum, quæ omnibus nota, & innegabilis eſt, velut indefectibili quodam filo gradatim ducimur ad naturam probabilitatis demùm deprehendendam, nec jam procul diſtamus. Lex contradictoriarum omnibus ex Logica nota, & innegabilis eſt, impoſſibile eſſe, duas contradictorias eſſe ſimul veras, ſed ſi una eſt vera, eſſe alteram falſam: quod traditur in libr. Periherm. Hoc autem, quod logicè dicitur, nunquam duas contradictorias poſſe eſſe ſimul veras, id ipſum metaphyſicè traditur per illud

illud univerſale ſcientiarum omnium primum principium, impoſſibile eſſe, idem ſimul eſſe, & non eſſe: quod ex 4. Metaph. omnes admittunt.

Ex hac contradictionis incompatibilitate in veritate deduximus per ſuperiores quæſtiones multa ad inventionem probabilitatis poſitivæ, & realis, & conſcientiæ neceſſaria: & tandem tribus poſtremis quæſtionibus & ratione, & authoritate, & ex ſacra ſcriptura concluſimus, & ſtabilivimus, nunquam duas contradictorias eſſe poſitivè probabiles, aut probabiles probabilitate conſcientiam rectificante, aut eſſe doctrinas ſanas. Ut ſummum ergo earum alteri competere poterit excuſare à peccato, non quidem propter probabilitatem, vel probabilioritatem, aut certitudinem, ſed propter involuntarietatem ignorantiæ, vel erroris.

§. I.

Reſpondetur illativè ad quæſtionem.

QUibus omnibus jam conſtitutis, & nunc ſuppoſitis, non tam in quæſtione propoſita quærimus, quam velut neceſſariam quamdam conſequentiam deducimus, qua conſequenter ad dicta videtur tenendum, probabilitatem conſcientiæ non eſſe quærendam in contradictione, ſeu in aliquo, quod utrique parti contradictionis conveniat, & commune ſit; quia hoc ipſo quæreretur in aliquo, quod æqualiter ſe haberet ad falſum, ſicut ad verum, ſed quærendam eſſe in aliquo, quod magis ſe habeat ad verum.

In hac concluſione unum ſupponitur, quod ideò non niſi breviter eſt explicandum; & aliud principaliter intenditur, & aſſeritur, quod proindè eſt accuratè oſtendendum. Quod ſupponitur, eſt omne commune alicui contradictioni, hoc ipſo æqualiter ſe habere ad falſum, ſicut ad verum. Nam vel eſt aliqua probabilitas in genere, & præſcindendo ab omni diſtinctione probabilitatis jam ſuperiùs facta, vel aliquid aliud: Quodcumque ſanè illud ſit, ſe habet communiter ad utramque concluſionem; nam ſi reſpicit unam ſolam, non eſt quid commune utrique: ſed ex utraque concluſione, ſi una eſt vera, altera eſt falſa: ergo æqualiter ſe habet ad verum, & falſum. Et hujuſmodi ſunt omnia quæ tam ſpeculativè, quam practicè dicuntur æqualiter probabilia; & omnis æqualis probabilitas neceſſariò ſe habet omninò æqualiter & indifferenter ad verum, & falſum: minùs autem probabile ſe habet magis ad falſum, & non ſanum, ſaltem quoad nos.

Jam ergo pro concluſione principali ponimus, probabilitatem poſitivam, & realem, conſcientiæ non eſſe quærendam, nec poſſe poni in aliquo, quod æqualiter ſe habeat ad verum, & ad falſum, ſed ut minimum requiri, ut in aliquo gradu magis ſe habeat ad verum. Non utor terminis de *magis probabili*; quia ſi ſolum eſt magis probabile quoad nos ſine reali fundamento in re, hoc erit quidem magis probabile ſecundum *quid*, non autem ſimpliciter, ut ex ſuperioribus patet: ſi autem habet fundamentum in re, non habet locum *in magis*, ut ſatis etiam conſtat, quia ex contradictoriis una ſola eſt ſimpliciter probabilis poſitivè, & realiter; & appellare illam magis probabilem in hoc genere eſt ſicut hominem verum dicere magis hominem, quam pictum, ſeu ſapientem vocare magis ſapientem, quam ſophiſtam. Quæ ex dicendis magis conſtabunt.

Nos itaque recurrimus ad terminum, in quo nulla eſt fraus, nulla æquivocatio, ſed ab omnibus clarè, & ab omnibus uno modo accipitur, & intelligitur, ſcilicet ad verum. Per hoc enim demùm omnes modi actuum, & omnes differentiæ actuum intellectus noſtri; per hoc quid grave ſit, quid leve; quid ponderis, quid non ponderis, & omnia demùm circa intellectum diſputabilia & declaranda, & intelligenda, & reſolvenda ſunt: quo ſenſu illud uſurpare poſſumus ex Pſalm. *Principium verborum tuorum veritas.*

§. II.

Commendatio concluſionis, & probatio ex dictis.

COncluſio itaque erat probabilitatem illam conſcientiæ poſitivam, & realem, quæ ipſius conſcientiæ regula eſſe debet, non poſſe quæri, nec poni in aliquo, quod æqualiter, & indifferenter ſe habeat ad verum, & falſum, ſed neceſſariò quærendum eſſe aliquid, quod omnibus conſideratis ſe habeat magis ad verum. Videtur autem quod de hac poſitione nemo tanquam de nimia poſſit rationabiliter conqueri. Etenim ea videtur fuiſſe origo tota inducendæ probabilitatis pro regula conſcientiæ, quod petere regulam certam, & indefectibilem videretur excedere humanam diligentiam; idque proindè eſſet ad nimium homines obligare, & conſtringere. At requirere regulam, per quam non quidem certo ſciamus, per quam tamen inſpectis omnibus agnoſcere poſſimus magis verum, quam falſum, id eſt magis divinam voluntatem, quam non voluntatem, videtur ſanè conforme & ipſi intentioni ponentium probabile pro regula morum & omni æquitati, & rationi. Et certè de hac regula conqueri fortè poterit Deus; at homo unde, aut quomodo conqueratur, quia ad veritatem magis, quam falſitatem in aliquo ſaltem gradu, & ad agnoſcendam magis divinam voluntatem, quam non voluntatem obligatur?

Hæc concluſio probatur ex præcedentibus quæſtionibus abſolutè, & ad hominem. Tum quia omnes pro regula morum requirunt, & requirere debent ſanam doctrinam: at probatum eſt ſanitatem doctrinæ eſſe veritatem: ergo regula doctrinalis morum nequit eſſe regula æqualiter, & indifferenter ſe habens ad verum, & falſum.

Deindè ad probabilitatem conſcientiæ omnes requirunt fundamenta gravia, fundamenta ſolida, magni ponderis, magni momenti, conſiderabilia &c. At hæc omnia ſenſum, & ſignificatum habere non poſſunt ſine aliquo reſpectu magis ad verum quam ad falſum, & ablato hoc reſpectu cuncta ſunt metaphorica, & impropria, ut ſuprà eſt declaratum. Ergo probabilitas quæſita, & poſita per hæc nomina in aliquo ſaltem gradu magis ſe habet ad verum, quam ad falſum.

Videtur hoc ab omnibus concedendum, nam nemo diceret de fundamento aliquo particulari pro aliqua concluſione, illud eſſe grave, aut ſolidum, aut momenti, aut ponderis, ſi inter ipſum & reliquos conveniret, fundamentum illud non magis ſe habere ad concluſionem, & pro concluſione, quam ad non concluſionem, & pro non concluſione. Et hoc ex omnium ſenſu, & locutione videtur manifeſtum; nam quoties dicimus fundamentum aliquod eſſe nullum, eſſe inane, eſſe frivolum, aliud dicere, & ſignificare nolumus, quam ex illo fundamento nullo gradu connexionis, ſe-

qui

qui magis concluſionem, quam non concluſionem, veritatem intentam magis quam falſitatem contradictoriam. Ergo ex omnium ſenſu,& intellectu fundamentum non magis ſe habens ad verum, quam ad falſum, non eſt fundamentum grave, ſed nullum prorſus, & inane.

Jam hinc infero : ergo collectio doctrinarum, & opinionum omninò æqualiter & indifferenter ſe habentium ad verum, & falſum, non nititur fundamento gravi, ſed nullo : ergo non habet probabiliratem conſcienriæ. Ergo probabiliras conſcienriæ revocanda eſt ad aliquid magis ſe habens ad verum.

Sed dices, nos in hoc diſcurſu pati æquivocationem: quod ut explicetur, aſſumantur duæ concluſiones contradictoriæ, quarum unaquæque habeat fundamentum æquale, & ſint concluſiones v.g. *in recitando officio requiri attentionem, & in recitando officio non requiri attentionem* : nam quod de his duabus dicitur, dicetur de tota collectione. Jam unaquæque concluſio non ſe habet æqualiter ad ſe, & non ſe, nec ejus fundamentum ſe habet æqualiter, & indifferenter ad ipſam, & non ipſam, & ad veritatem ipſius, & non veritatem, ſed fundamentum concluſionis affirmativæ ſolum ſe habet pro concluſione affirmativa, & ſolum pro veritate ipſius : non autem æqualiter pro veritate, vel falſitate, ſed ſolum pro veritate : & ſimiliter fundamentum concluſionis negativæ. Quare utrumlibet probat ſuam conclulionem, non ergo probat concluſionem & non concluſionem : non ergo eſt inane, aut nullum, ut dicebamus, & æquivocatio erat, quia de utroque fundamento faciebamus unum: quia utrumque ſimul eſt quod concluſionem affirmativam v.g. eſſe, & non eſſe probat, non autem alterutrum, ſeu unumquodque fundamentorum.

Sed contra, nam in reſponſione potius videtur committi æquivocationem. Nimirum ſi intellectus quaſi duos haberet oculos, quorum uno videret unam concluſionem cum ſuo fundamento, & altero contrariam concluſionem cum ſuo ; ſeu ut cuidam per magnam inventionem ſibi viſus fuit inveniſſe creaturam poſſibilem intellectualem unius naturæ habentem duos intellectus, haberemus creaturam iſtam cum duobus intellectibus, iiſque omnino diſparatis ſine ulla unius ad alium ſubordinatione, aut communicatione, tunc ſane unus horum intellectuum poſſet unam concluſionem cum ſuo fundamento videns exiſtimare, dari, & veram magis eſſe illam concluſionem, quam falſam : & ſimiliter alius intellectus de concluſione contraria cum ſuo fundamento. At de facto non ita eſt, ſed uno, & eodem intellectu utramque ſimul concluſionem conſpicimus & utrumque ſimul fundamentum. Quare cognoſcere non poſſumus ſimpliciter ſequi magis concluſionem, ſeu dari magis concluſionem, quam non dari ; quia quantum videmus, & habemus pro dari tantum habemus pro non dari. Et quantum pro vero tantum pro falſo. Ergo conſideratis omnibus ut quæſtio noſtra procedit, & toto ſimul ſumpto objecto tam in ſe, quam etiam quoad nos, adeſt totalis, & adæquata indifferentia ad verum, & falſum. Ergo ponere probabilitatem conſcientiæ in hoc objecto eſt eam ponere in objecto indifferenti totaliter ad verum, & falſum. Ergo non ponitur nec collocatur ſuper grave fundamentum.

Fallit autem illa conſideratio, & aſſumptio hujus totius objecti quaſi per partes dividendo in duas concluſiones, & in duo fundamenta. Sic enim dicere poſſes dari fundamenta gravia pro non Trinitate, pro non Incarnatione, pro non Euchariſtia ; nam ſi non totum objectum ſumatur, ſed in partes dividatur, & aſſumatur Incarnatio, vel Euchariſtia, ut ſubeſt puræ rationi naturali, ſanè ex iſta ſequitur magis non incarnatio, quam incarnatio. Similiter ſi hominem partitim conſideres, & ſolam accipies animam, certè ex hoc ſequitur magis incorruptibilitas, & ſpiritualitas hominis quam non ſpiritualitas, aut non incorruptibilitas. Similiter ſi accipias lineam habentem partes rectas, & partes obliquas, conſiderando rectas, ſequitur magis eſſe rectam, quam non rectam : & ſic alia ſine numero. Scitur ergo, iſta omnia ſolum eſſe talia, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & cum addito : quæ proinde ſimpliciter dicenda non ſunt, ſed cum addito diminuente ut Æthiopem eſſe album ſecundum dentes ; ut ſcitur.

Sic eſt in re noſtra, nam totum ſimul objectum uſurpandum eſt : ſic autem acceptum, & conſideratum totaliter indifferenter ſe habet ad verum, & falſum tam in ſe, quam quoad nos. Quare unumquodque fundamentum habet re ipſa non ſolum ipſum exiſtere, ſed ſimul coëxiſtere aliud æquale, & in præſenti, & in his quæſtionibus ſic accipitur; nam quæritur de fundamento alicujus concluſionis habente æquale fundamentum contrarium, & quæritur de ipſo non ſolum præciſivè, & logice conſiderato, ſed de ipſo ut æquali, & formaliter habente æqualitatem, & ipſam etiam æqualitatem conſiderando, & ſic ſignatè, & reflexè procedendo. At ex fundamento concluſionis ut æquali non magis ſequitur concluſio, quam non concluſio : Ergo ut æquale & ſignate, & reflexè ſic conſideratum non ſe habet magis ad concluſionem, quam non concluſionem. Sed ex omnium ſenſu, & locutione ſuppoſuimus, omne fundamentum ex quo non magis ſequitur concluſio, quam non concluſio, eſſe nullum, & inane, & non ſolùm non eſſe grave, ſed nec etiam leve. Cum ergo probabilitas conſcientiæ, & quæ conſcientiam regulare debet, juxta omnes niti debeat fundamento gravi, concluditur probabilitatem illam non poſſe poni in aliquo quod toto objecto conſiderato, & adæquate accepto æqualiter, & indifferenter ſe habeat ad verum, & falſum, ſed reducendam eſſe neceſſariò ad aliquid, quod in aliquo ſaltem gradu ſe magis habeat ad verum.

§. III.

Vlterior concluſionis probatio,

PRobatur ergo ulterius inductione omnium regularum in menſuris, in ponderibus, in horologiis, in inſtrumentis tranſcriptis, ſeu copiis. Etenim in omnibus requiritur ut minimum & in infimo etiam gradu poſſibili menſuræ, & regulæ, & ponderis, quòd habeant magis non fallere, quàm fallere, nec indifferenter ſe habeant & caſualiter, & quæ hoc in aliquo ſaltem gradu non habent, non ſunt menſura, neque regula, neque pondus, ſed vel fraus, vel ſors, & fortuna. Idcirco caſualium, & fortuitorum non eſt regula, neque providentia, neque prudentia, neque conſultatio, ut conſtat ex tota Ethica : quia hæc omnia æqualiter,

liter, & indifferenter ſe habent ad utrumlibet, & ad eſſe, & non eſſe, & ad verum, & falſum; nam id eſt in intellectu verum, & falſum, quod in rebus eſſe, & non eſſe. Ergo niſi omnino exorbitare placeat, quod forte nemo ſub his terminis volet, regula conſcientiæ, & probabilitas conſcientiæ non ſe habet æqualiter ad verum, & falſum, ita ut per ipſam non magis ſciamus quid re ipſa nunc Deus velit quam non.

Nec alia ratio eſt ut *lib.4.* latius conſtabit, quare conſcientia dubia ad operandum non ſufficiat, & quare operans in ſenſu compoſito illius peccet, ut omnes indubitate tenent, niſi quia illa omnino caſualiter, & indifferenter ſe habet ad voluntatem Dei, & non voluntatem, & omnino neſcitur, an Deus hic & nunc hanc actionem prohibeat an non, quia vtrimque occurrunt rationes, ut Vaſquez *diſp.65.c.1.* explicat, & conſtabit *lib.4.* Et idem eſt ſive dubium ſit poſitivum, ſive negativum quandiu non deponitur: imò ut *ſuprà* ex eodem Vaſquez *diſp.67.cap.1.* (quæ eſt communis ſententia) quando eſt negativum, ut pote ſine ulla ratione conceptum, promptè, & ſine ulla ratione deponi poteſt, quia ipſa nulla ratio eſt ratio contra nullam rationem. Ergo ſicut nulla conſcientia dubia in quantum dubia poteſt eſſe regula morum: ſic nullum objectum, & nulla humana ratio poteſt eſſe regula morum, ſi omnino indifferenter, & æqualiter ſe habeat ad verum, & falſum, id eſt ad voluntatem Dei, vel non voluntatem; quia per illam, vel per illud non magis agnoſcere poſſumus eſſe, & dari magis voluntatem Dei, quam non voluntatem; legem, quam non legem, ſed toto conſiderato dicere debemus, neſcio. Idcirco in tali caſu nihil intellectum opinari poſſe, ſupra ſuppoſuimus ex ſententia Suarez, & Vaſquez, & Leſſii, & aliorum communi, & vera.

Dices me ſcire tunc probabiliter voluntatem Dei, v.g. circa attentionem in recitando officio; nam probabile eſt, voluntatem obligantem non dari re ipſa: quare ex hoc ipſo ſcio, non dari voluntatem me obligantem: ad quod v.g. dicent, eam voluntatem licet re ipſa exiſteret, non eſſe mihi promulgatam, quandiù habeo opinionem probabilem de contrario. Sed nos de hac non promulgatione dicemus latè libro ſequenti. Nunc breviter dico, ſi opiniones probabiles utrinque dari eſt legem non eſſe ſatis promulgatam, jam in talibus, & de talibus omnibus nihil eſſet diſputandum, an ſint peccata, vel non ſint peccata; nam apud omnes conſtans eſt, leges non promulgatas non obligare, & nemo ſupponendo legem non eſſe promulgatam, ulteriùs diſputat, an ſit peccatum hoc vel illud contra eam legem: at ſcitur, & eſt factum notorium, dari opiniones utrimque probabiles in omnibus ferè illis, de quibus diſputamus, & libros ſcribimus. Quid ergo de tot rebus diſputamus, an ſint peccata, vel non ſint peccata? ſed de hac non promulgatione *libr.ſeq.*

Nunc ad argumentum; cujus vis tota poſita eſt in voce illa, *probabile & probabiliter*; nam de re nihil habet. Etenim quærendum eſt, quod genus probabilitatis ſignificetur, per has voces? nam nos diſtinximus varia genera æquivoca, quorum ſolùm nomen eſt commune. In primis nequit ſignificari probabilitas purè ſophiſtica nam hoc ex ſenſu omnium repulſum eſt à conſcientia; non deindè probabilitas opinionibus dari ſolita, quam impunitatis cujuſdam eſſe diximus, & *tranſcendentalem*, & *ſecundum dici*, appellavimus; nam hoc etiam ex ſenſu gravium quorumque Authorum remotum fuit; alioqùi quod eorum toti doctrinæ repugnat, omnes, & quælibet librorum, & ſcholarum opiniones pro conſcientia ſufficerent: quod prætereà dici non poſſe, commonſtratum ſæpè fuit. Poſtremò nequit ſignificare probabilitatem purè negativam; nam hæc etiam excluſa eſt à conſcientia ex ſenſu communi Authorum; hi quippe requirunt fundamentum grave; probabilitas autem negativa non habet fundamentum grave pro ſe, ſed caret fundamento certo, & convincenti contra ſe. Ergo voces illæ *probabile*, & *probabiliter*, nihil ſignificant.

Dicis: ſignificant probabilitatem fundatam in gravi fundamento. Sed verò hoc eſt, quod quærebamus. Etenim oſtenſum eſt primò, voces iſtas *grave, leve, ſolidum, magnum*, &c. non eſſe intelligibiles, nec declarabiles in intellectualibus ſine recurſu ad verum. Ergo pro ultima earum reſolutione, veniendum eſt ad verum; nec differentiæ gravis, & levis; magni, & parvi ponderis, & non ponderis &c. intelligi unquam ſine eo recurſu poſſunt, ut ſatis ex ſuperioribus conſtat.

Deindè nuper fuit oſtenſum, omne illud fundamentum, quod inſpecto, & ſumpto toto objecto (ſic enim ſumitur in omni aſſertione ſimpliciter tali) ſe habet indifferenter, & æqualitèr ad verum, & falſum, ad concluſionem, & non concluſionem, ex omuium naturali ſenſu, & locutione non eſſe fundamentum grave, ſed prorsùs nullum. Ergo ſi in data reſponſione voces illæ *probabile*, & *probabiliter* ſignificant probabilitatem fundatam in fundamento gravi, falſa eſt reſponſio: falſum eſt enim, me in caſu noſtro habere fundamentum grave ad exiſtimandum, Deum velle me operari, vel ad exiſtimandum, Deum non habere voluntatem prohibentem meam operationem. Poſtremò, quia hic agimus, & adverſarii loquuntur de probabilitate communi utrique parti contradictionis. At demonſtratum eſt copiosè, in omni contradictione fundamenta utriuſque partis non eſſe ſimul gravia nec in ſe, nec quoad nos, ſed alterutra eſſe evidenter ſophiſtica.

Et hoc ex communi, & vera ſententia, quam ex Ariſtotele, D. Thoma, Suarez, Vaſquez, Leſſio, Sanchez, Layman, Breſſero, & aliis ſupra ſuppoſuimus, manifeſtè declaratur. Nam quoties ſumus in objecto prorſus, & æqualiter indifferenti ad voluntatem Dei, & non voluntatem, nemo poteſt ullo genere aſſenſus intellectus judicare, non dari voluntatem Dei; nam omnium aſſenſuum infimus eſt aſſenſus opinativus: hunc autem ex iſta communi, & vera ſententia habere non poſſum: ergo nullam nec affirmationem, nec negationem habere poſſum circa ipſam voluntatem Dei; eſt enim tunc caſus propoſitus à Vaſquez *diſp.65. c.1. n.4. cum quis utramque partem contradictionis apprehendat, & rationibus adductis conatur cognoſcere convenientiam inter extrema in aliqua parte illius, & tamen in neutra illam invenit: & diſp.67.cap.2. n.6. dubium enim ut diximus* (ait) *ſolum contingit, quando intellectus inter utramque partem contradictioni ita hæret, ut neutri aſſenſum præbeat, ſed utrinque rationibus ita trahatur, ut alteri aſſentiri non poſſit*, ſeu ut *num.ſeq.* loquitur, quandò etiam objectum nonnihil magis ſe habet ad verum, dicit aſſenſum eſſe tenuem, & vix perceptibilem eo, *quòd rationes contrariæ ſint ferè æqualis probabilitatis*; & eadem eſt etiam quoad hoc ſententia

Suarez,

Suatez, & Sanchez, de quo *lib.* 4.

Jam ex hoc habetur, illam datam reſponſionem, me cognoſcere *probabiliter* voluntatem Dei nullum habere ſignificatum. Nam ſi ſermo eſt, ut oratio ſignificat, de ipſa Dei voluntate, tunc nullam cognitionem judicativam nec in gradu infimo ego habeo, vel habere vi illius objecti poſſum circa ipſam voluntatem Dei. Si ſermo eſt de opinione: hanc dari non ſolum probabiliter, ſed etiam evidenter ſcio. Ergo quoad ſciendam ipſam voluntatem Dei ſemper ſumus in *neſcio*. Jam autem de operante in hoc caſu ſententia lata eſt in Evangelio, *Luc.* 12. *ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Libro autem ultimo videbitur, an ſiſtens in objecto indifferenti ad voluntatem, & non voluntatem non paucis, ſed multis vapulaturus ſit, ſicut qui operatur cum conſcientia dubia.

Videtur deindè, neminem poſſe hunc diſcurſum ſeriò facere; Ego habeo opinionem in aliquo probabilitatis genere probabilē, quæ dicit, Deum non habere voluntatem, qua velit obligare ad attentionem in recitando officio, de cujus opinionis veritate nihil ego ſcio, nam cognoſco eſſe aliam æqualiter fundatam (ut ex gr. ſupponimus) quo dicit, Deum habere eam voluntatem: & mox infero: *ergo Deus non habet voluntatem, qua velit me obligare.*

Perindè videtur eſſe, atque ſi argueres; ego habeo dubium, an Deus velit obligare ad attentionem, quia habeo utrinque rationes vehementes, *& æqualiter probabiles*, ut loquebatur Vaſquez: *ergo Deus non vult me obligare ad attentionem.* Nemo ſanè admittit hanc conſequentiam. Diſparitas nequit dari ſolum per voces *probabile*, & *dubium*, niſi ſit diſparitas in rebus ſignificatis. Sed in his nulla eſt diſparitas, nec diverſitas ſaltem quoad præſens; nam dubium quoad præſens hoc ſolùm defectûs habet, quod ſe habeat æqualitèr, & indifferentèr prorsùs ad voluntatem Dei, & non voluntatem; & non propter vocem dubii, ſed quia dubium hanc omnimodam contingentiam affert, & involuit, ideò operari in eo dubio eſt peccatum juxta omnes: per probabile autem per quod nobis reſpondetur, hæc indifferentia, & totalis contingentia non tollitur. Ergo nulla eſt diſparitas in re; & ſicut ego in univerſali neſcio, an Deus habeat, vel non habeat voluntatem, qua velit obligare ad attentionem, ſic quoad me neſcio, an me velit obligare: ergo quærendum eſt aliquod, per quod in aliquo ſaltem gradu infimo judicare poſſimus, Deum non habere voluntatem obligandi ad attentionem. Ergo probabilitas, & regula conſcientiæ reducenda eſt ad aliquid, quod magis ſe habeat ad verum, quam ad falſum.

Poſtremò totum iſtum diſcurſum reducendo ad ejus initium, nugatorium ſanè foret in omni alio genere regularum, menſurarum, ac ponderum velle ea recta dicere ac defendere per quaſcumque voces probabilitatis, vel alias, quandiù ipſa indifferentia, & æqualitas ad fallere, & non fallere; ad verum, & falſum non tollitur: in hac enim indifferentia totum malum, conſiſtit. Ergo idem eſt in regula noſtra.

Rursùs ridiculum videretur, ſi diceres, ægrotantem aliquem benèvalere, & bona ſalute gaudere; quia ita dicunt aliqui Medici, de quibus ſupponimus, nos neſcire, an verum dicant, an falſum. Nugari autem eſſet, ſi diceres, jam nos ſcire probabiliter.

Similiter ſicut in menſuris, & regulis eas in nullo nec in infimo genere regulas, & menſuras eſſe conſtat, niſi ea indifferentia tollatur, idem cernitur in famulis, in amicis, in pictoribus, & in omni genere rerum. Famuli, & amici, qui per eas ſe regulas vellent gubernari, per quas non haberent magis conformari, quam non conformari re ipſa voluntati Domini, vel amici in ſingulis occurrentibus negotiis, eſſent certè peſſimi amici, & famuli, nec præſumere poſſent, ſuos amicos, aut Dominos habere voluntatem aliam reflexam, qua omnia talia indulgerent. Ergo & lege amicitiæ, & lege ſervitutis erga Deum tenemur non uſurpare ſimilem regulam.

Et certè in probabili, quod ab extrinſeco vocamus, & in autoritate peritorum conſtituimus, nemo, credo, dicet, eum eſſe authorem gravem, qui non magis habeat non falli, quam falli: alioqui non ſolum omnes, & ſinguli Authores, ſed omnes, & ſinguli homines eſſent Authores graves: ergo nec probabile ab intrinſeco, nec fundamentum ullum grave tale eſt, quandiù manet ſic indifferens: debet ergo reduci ad aliquam determinationem ad verum.

Nec dicas, in omni genere rerum, & menſurarum, & ponderum, & amicorum, & famulorum valere diſcurſum factum: non autem circa voluntatem, & legem Dei; quia hæc eſt nobis valdè inacceſſa, & ininvenibilis. Verùm hoc genus aliquid dicere quidem Ariſtoteles potuiſſet: nos certè non poſſumus; non enim *fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*: quin ad nos veniens ipſe, & homo factus dictis, & factis de ſua nos lege pleniſſimè inſtituit. Et dicere ſanè leges Dei eſſe plerumque ininvenibiles eſſet dicere, illas ſaltem plerumque fuiſſe inutiliter, fruſtrà, & vanè conditas. Sed de hac legum divinarum, & voluntatis invenibilitate latè agemus lib. ult.

QUÆSTIO XV.
in Idem.

Utrum proindè operans non tollendo dictam indifferentiam ad falſum, velit ſcienter tranſgredi legem Dei?

HÆc quæſtio, & illius concluſio, quæ per conſequentiam ex præcedenti ſequitur, illam magis confirmabit, & declarabit. Nimirùm ad hoc de vero, & falſo punctum tota hæc res quoad rem revocatur. Quare ſi originem deſignare licet tot in hac probabilium controverſia diverſitatibus, & ſenſibus, eò mihi illa videretur deducenda, quod probabilitas explicata fuerit, expliceturque adhuc non per verum, & falſum, ſed per alias voces, quæ falſis, & veris æqualiter convenire aliquibus viſæ ſunt ſine ulla majori determinatione ad verum: quales ſunt voces illæ *fundamentorum gravium, ſolidorum, magni ponderis, momenti*, &c. & negativæ, & excluſivæ aliæ *fundamentorum levium, ſuperficialium, frivolorum, inanium*, &c. & ſimiliter circa probabile ab extrinſeco requirendo *Authores graves, Authores peritos; pios, & doctos; ſcientia, & conſcientia*, &c. & excludendo alios. Quæ tamen voces, ſi nonnihil conſideretur, & reflectatur, dicunt

Digitized by Google

cunt proculdubio, & requirunt majorem determinationem ad verum, quam ad falſum in aliquo ſaltem gradu, ut ſatis eſt oſtenſum in ſuperioribus; & de ſe videtur conſpicuum in voce *periti*, in vocibus *ſcientia*, & *conſcientia*; quas hominibus indifferentibus de falſi, & non falſi non quadrare, lumine naturæ videtur compertum.

§. I.

De origine harum controverſiarum juxta Baronum.

VErùm Patri Vincentio Barono *in ſua 2. part. manuductionis ad Moralem Theologiam ſect. 1. §. 3.* aliter philoſophari placuit, & aliundè originem illam deducere *in fine §.* & ut alios mecum admiratores habeat admirabilis ejus doctrina, viſum eſt ſequentia tranſcribere.

(Non omninò diſſimilis eſt (ait) origo controverſiarum de parte morali etiam ex Logica. Ad illius finem diſputant Dialectici de demonſtratione, ac ſubindè de ſcientiarum unitate, evidentia, & ab aliis habitibus diſtinctione, an ſcilicet differat ab opinione, qua ratione cum illa ſtare poſſit, aut pugnet? Indè exiſtit controverſia; quæ tota ad ſpeculationem ad mores videbatur pertinere, an eadem de re per diverſa media, demonſtrativum unum, probabile alterum, mentis aſſenſus opinativus, & ſcientia poſſint convenire, ſimulque ſtare? Negant Thomiſtæ omnes ex duplici principio de lege artis ſyllogiſticæ, quod vi medii, undè infertur concluſio, ſequatur aſſenſus non ſolum illationis, ſed etiam rei illatæ. Undè deducunt repugare evidentem; & probabilem ejuſdem rei aſſenſum; quod perindè eſt, ac rem pro indubitata habere, & cum formidine, ne ſecùs ſit, illi aſſentiri. Recentiores nihil morati, quamlibet diſſidentes in ſpeciem ſcientiam, & opinionem, eas conciliant vi diverſorum mediorum, Atque ex hac controverſia (attende ſecutum malum (omninò ſpeculativa, quaſi ex ſcintilla incendium, conflata eſt hæc cæterarum omnium origo de re morali controverſia de conſcientia probabili, quam Recentiores contendunt ſtare tutam de utraque parte *contradictoria*.)

Hæc Vincentius, cujus doctrinam, & rerum harum aſſignatam originem, quandoquidem eam aſſequi datum non eſt certè admodum admirati ſumus. Quod ſi ex vero documento Ariſtotelis error quiſque exiguus circa rerum originem, & principia fit in progreſſu decies millia major, facile erit ex hac origine ad concluſiones conjecturam facere. Sed quia inſtitutum noſtrum non eſt impugnare aliquem, niſi quantum ſtabiliendæ à nobis veritati impedimento fuerit, id hic unum dicere cogimur, ſi iſta fuit origo, & ſcintilla, ex qua conflatum eſt incendium, valdè ſanè timendum fuiſſe D. Thomæ, qui 3. *par. quæſt. 9. art. 3. ad 2. dicendum* (ait) *quod diſpoſitio ſe habet ad perfectionem dupliciter : uno modo, ſicut via ducens ad perfectionem : alio modo, ſicut effectus à perfectione procedens. Per calorem enim diſponitur materia ad ſuſcipiendam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non ceſſat, ſed remanet quaſi quidam effectus talis formæ. & ſimiliter opinio ex ſyllogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiam, quæ per demonſtrationem acquiritur; quâ tamen acquiſita poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmum dialecticum, quaſi conſequens ſcientiam demonſtrativam, quæ eſt per cauſam.* Ecce ſcintillam illam ante omnem Recentiorem memoriam, & eam etiam miſer ego defendo cum Doctore ſancto; & cum ipſo, & cum Auguſtino fidem ipſam ſacro ſanctam & cum ſcientia, & cum aſſenſu opinativo, non antecedenter, ſed conſequenter ſe habentibus compono; quia ferè proverbium eſt in Auguſtino intellectum eſſe mercedem credentibus etiam in hac vita, juxta illud Iſaiæ, *niſi credideritis, non intelligetis* : item *à mandatis tuis intellexi*, illa ſcilicet credendo; intelligimus, inquam, jam plus, jam minus, jam intellectu, certo jam non certo. Quare aſſenſus conſequens quaſi opinionis non ſolum cum ſcientia, ſed quod plus eſt; cum ipſa divina fide cohæret, ſi fides aliqua Auguſtino, & Thomæ, cum quo, & ex quo in terminis formalibus tradimus alias rationem conſequentem non tollere, non diminuere, quin augere meritum fidei: ergo nec fidem ipſam interimit, aut jugulat.

Ut ad rem redeamus, cum nemo Recentiorum ſit, qui ſcientiam de uno extremo, & opinionem de contradictorio admittat, quæ hac via ſolum potuiſſet eſſe origo moralis controverſiæ de licito, vel non licito uſu utriuslibet partis contradictionis, nobis ſanè confuſionem terminorum, ut jam diximus, originem extitiſſe. Quarè nunc ad majorem præcedentium declarationem atque confirmationem quæſivimus, utrum ille, qui operatur nihil tollendo indifferentiam æqualem ad falſum, ſcienter tranſgrediatur legem Dei operando juxta regulam, quæ ad legem, & non legem æqualiter prorsùs, ac omninò indifferenter ſe habeat.

§. II.

Quid videatur tenendum?

PRobatum eſt *quaſt. prac.* id, quod modo dicto indifferenter ſe habet ad voluntatem Dei, & non voluntatem; ad legem, & non legem, in nullo ſenſu, nec in gradu quidem infimo eſſe regulam, ac menſuram morum. Ex hoc videtur tenendum, eum, qui ſcienter (ut eſt ſermo) tale aliquid ſi pro regula uſurpando operatur, tranſgredi ſcienter legem Dei. Etenim ſic operans vult non regulam pro regula uſurpare; quod perindè eſt, atque nolle ullam regulam uſurpare, ſed velle ſine regula vivere, & caſualiter ſe habere ad legem, & voluntatem Dei. At hoc velle tranſgredi legem Dei, ut conſtat. Sed ulterius tanta, adeòque univerſalis res eſt probanda, & declaranda.

Primò ſic: velle uſurpare pro regula aliquid indifferens æqualiter ad falſum, quin hæc indifferentia tollatur, eſt ſcienter velle tanti facere falſum, quanti verum quoad regulandos ſaltem motes: ſed in re noſtra ſcienter tanti facere falſum, quanti verum, eſt peccatum, & tranſgreſſio divinæ legis. Ergo qui eam regulam uſurpando operatur, ſcienter tranſgreditur legem Dei.

Minor in primis declaratur; nam probatione non videtur indigere. In re noſtra ſcienter tanti facere falſum, quanti verum, eſt tanti facere non operari juxta legem, & voluntatem Dei, quanti operari juxta illam: nam omnibus ex ſola explica-

tione terminorum notum eſſe videtur, id eſſe in dictis noſtris verum, & falſum, quod in rebus eſt eſſe, & non eſſe; & id eſſe opinionem affirmantem dari legem Dei, eſſe veram; atque dari re ipſa legem illam, ut opinio illa affirmat: & id eſſe opinionem eam eſſe ſolam, a que non dari re ipſa legem illam. Ergo in re noſtra ſcienter tanti facere falſum, quanti verum, eſt ſcienter tanti facere non operari juxta legem, & voluntatem Dei, quanti juxta eam operari: quod manifeſtè eſt contemnere legem, & voluntatem Dei.

Quin ipſa æquiparatio veri cum falſo eſt de ſatis abſurda in quacumque materia. Altè, & acutè S. Auguſtinus, *libro de vera relig. cap.* 49. amore veritatis exæſtuans Doctor probat, nugas ipſas, & præſtigias nobis propter aliquam veritatem placere: & poſt concludit: *Itaque in tantas nugas, & turpitudines merſi ſumus, ut cum interroganti, quid ſit melius, verum an falſum, ore uno reſpondeamus, verum eſſe melius jocis, & ludis: tamen ubi nos utique non vera, ſed falſa delectant, multò propenſiùs. quam præceptis ipſius veritatis habeamus; ita noſtro judicio, & ore punimur, aliud ratione approbantes, aliud vanitate ſectantes.* Ergo æquare verum, & falſum, eſt uno ore ab omnibus reprobatum. Et ratio videtur manifeſta: quia verum eſt ſecundum rationem; falſum contra rationem: verum approbat ratio, falſum reprobat ratio: ergo verum cum falſo æquiparare, eſt approbanda, & reprobanda, vel æqualiter approbare, vel æqualiter reprobare; vel neutra nec approbare, nec reprobare: quod quam ſit iniquum, & contra rationem manifeſtant exemplum innocentis, & nocentis; boni, & mali, &c.

Jam major illa propoſitio, quod velle uſurpare pro regula aliquid æqualiter indifferens ad verum, & falſum, non tollendo hanc indifferentiam, ſit ſcienter tanti facere falſum, quanti verum quoad regulandos ſaltem mores, oſtenditur. Etenim exiſtimas, tam rectos fore mores tuos, & omninò æqualiter rectos, ex vi regulæ, id eſt, omninò rectos, ſive regula illa contingat eſſe falſa, ſive contingat eſſe vera: ergo tanti facis falſum, quanti verum quoad regulandos ſaltem mores.

Rem declaro ipſa praxi: invenies librum, vel Theologum, qui tibi dare poſſit eam regulam indifferentem conſtitutam opinione probabili habente aliam contradictoriam æqualiter fundatam, profectò, ut ipſe dicis, tam rectè, & honeſtè, & ſine ullo peccato operaris juxta eam operando; atque ſi alium Theologum inveniſſes, qui veritatem ipſam certò dixiſſet, & ſecundum ipſam veritatem ex vi regulæ operatus fuiſſes. Ergo apud te tanti fit ea ſic indifferens regula; atque alia determinatè vera ex vi ſuæ: ergo eſſe veram, vel falſam nihili fit quoad regulandos mores, & quoad reddendos actus noſtros rectos, & honeſtos. Idcircò quoad praxim tanti ab aliquibus videtur fieri Conſultor conſcientiæ ſciens memoriter opiniones utrinque probabiles, quin aſſequatur, quæ ſit magis vera, quam falſa; atque Doctor conſummatus, inter verum, & falſum dijudicans; quia poſita ea regula nihil magis intereſt ſecundus, quam primus. Ergo tanti fit falſum, quanti verum.

Aſſumptio itaque illius regulæ huic voluntati æquivalet: ego volo ſumere pro regula mei actus hanc opinionem, quæ an ſit vera, an falſa prorsùs ignoro; nam tantum habeo, & video pro ejus falſitate, quantum pro ejus veritate, & nihil plus pro veritate. Hæc autem voluntas huic æquivalet: ego volo mihi regulare per hanc opinionem, ſive vera ſit, ſive falſa, & per illam ſive veram, ſive falſam prudenter omnino, ac honeſtè operari. Ergo eſt velle ſcienter tanti facere falſum, quanti verum quoad rectificandos mores. Porrò ad regulandos mores tanti valeat falſum, facile ex hoc erit, æqualitatem quoad omnia deducere, & mendacium veritati æquare, & infinita alia abſurda connectere, quæ ad ſcopum noſtrum non ſunt neceſſaria, ſed dicta videntur ſufficere.

§. III.

Alia concluſionis viſibilior probatio.

ASſumamus claritatis, & exempli gratia adoleſcentem, viginti annorum, qui deinde pertingat annum ſeptuageſimum; & ille uſurpet pro tota vita ſua illam regulam complectentem unam opinionem probabilem habentem aliam contradictoriam ſibi parem: ex multis hujuſmodi partialibus regulis faciat unam totalem pro tota vita in omnibus probabilibus (ita ſcilicet dictis;) & ſtatuat per hanc regulam vivere operando ſemper juxta opinionem liberantem ab obligatione. Ponamus, opiniones, ex quibus ille annos quinquaginta operaturus eſt, ſive diverſæ ſint opiniones, ſive ſæpe eædem, quarum uſus reperitur, eſſe v.g. duo milia; vel ſi numerus tibi videatur exceſſivus, ponamus eſſe mille; quin ſi placet,, non ſint niſi centum.

Jam iſte adoleſcens neſcit, an opiniones illæ futuræ ſint veræ, an falſæ, nec niſi divinando ſcire poteſt: Quoad ipſum ergo, & ipſius ſcientiam omnes fortè erunt falſæ, & fortè omnes veræ: & eſt caſus, ſicut de paritate, vel imparitate arenarum maris; & ſicut ſors numerorum, vel cum digitis micando, vel alio modo ludunt; ſeu cum Hiſpani Leones, vel Caſtella projiciunt. Quandoquidem itaque, nihil ſcitur, ponamus ex centum illis opinionibus quinquaginta eſſe veras, & quinquaginta falſas, ut in certo, jure, & nulla parte poſſidente res dividuntur. Nec enim adoleſcens ille conqueri poteſt, ſibi fieri injuriam: ſic enim honori Authorum utriuſque partis dandum eſt aliquid, & nullis temerè detrahendum, videtur poſitio caſualis quidem, tamen æqua; nec aliam æquiorem, ſibi in mente ſua præſtituere adoleſcens ille poteſt, ſiquidem Authores æquales centies ſibi contradicentes non ſemper falli videntur iidem. Scitur autem, toties adoleſcentem illum re ipſa operaturum contra legem Dei re ipſa exiſtentem, quoties opinio, qua uritur erit falſa.

Jam ergo adoleſcens ille eam regulam uſurpando hanc voluntatem habet: ego centies in vita mea operaturus ſum in probabilibus, & volo quinquageſies juxta legem Dei operari, & quinquageſies contra legem Dei. At hoc nemo non videt eſſe maximum peccatum, & velle ſcienter peccare.

Dicis: adoleſcens ille neſcit has metaphyſicas, & nihil hujuſmodi cogitavit, ſed bona fide vixit. Verùm nunc ego omitto adoleſcentem ineptiſſimum, & nihil cogitantem, Te jam quæro: an ea regula uſurpara ab adoleſcente illo ſit recta, an non? ſi non eſt recta: nihil nunc aliud volumus. Si recta eſt, ſumi ea poterit etiam à rerum conſcio, & non eſt per ignorantiam excuſandus. Ergo ſi omnia etiam illa præſciens uſurparet eam regulam,

ſam, non peccaret. At manifeſtum uidetur, quod peccaret: ergo ea regula non eſt regula. Et de te v. g. Theologo quadragenario rerum harum intelligente quid reponis? Uſu-us es v. g. decem opinionibus dicto modo indifferentibus. Ergo dicis: volo quinquies quidem juxta legem & quinquies contra operari: idem eſt ſi bis, idem ſi ſemel Ergo ſicut prius.

Dices iterùm, eam computationem non eſſe legitimè factam; neſcitur enim quoties contra legem, & quoties juxta operaturus ſit. Cæterum de æquitate computationis dictum eſt. Deindè nulla fiat computatio: jam tunc voluntas uſurpans illam regulam huic æquivalebit, & hanc involvet: ego volo per hanc regulam dirigere actus meos, quam neſcio an ſemper, an nunquam futura ſit contra legem Dei, & præſumptio eſt eam fore quinquageſies plus minus juxta & quinquageſies contra. Hæc autem voluntas manifeſtè mala eſt, & omnia caſualia fiunt. Idcircò loco ejus regulæ uſurpare pariter poſſet ſortem de Caſtellis, & Leonibus, & dicere: ego ſemper operabor juxta Leones, qui v. g. aſſumantur loco opinionum liberantium ab obligatione: nimirum opiniones illæ tam caſualiter, & indifferenter ſe habent in ſingulis vicibus ad legem re ipſa exiſtentem, quam ſe haberet projectio Leonum: Ergo tam caſualis & fortuita eſt illa regula uſurpata atque ſors projectionis Leonum. At eſſet manifeſtè peccatum velle ſortem accipere loco regulæ, atque illam accipiens ſcienter contemneret voluntatem, & legem Dei. Ergo ſimiliter contemnit qui pro regula pro centum actibus ſuis accipit collectionem centum opinionum æqualiter indifferenter quoad nos ſe habentium ad voluntatem & non voluntatem Dei, ideſt, ad verum, & falſum.

Quin ſi aſſumantur opiniones ſpeculativè, & practicè minus probabiles, illæ quoad nos plures erunt falſæ, quam veræ, & præſumptio quoad nos plerumque eſt de falſitate: ſicut de homine magis inclinato ad mentiendum quam ad verum, præſumptio eſt quod pluries mentiatur: & ſic in aliis. Ergo velle uſurpare pro regula centum opiniones ſpeculativè, & practicè minùs probabiles eſt velle operari juxta regulam, de qua præſumptio eſt, quod pluries erit contra legem Dei. Sin autem una ſola opinio ſpeculativè, & practicè minus probabilis pro centum vicibus in eadem materia uſurpetur, præſumptio eſt quod omnibus centum vicibus velis operari contra legem Dei. Quod ſi juxta omnes ut Authores operari ſolum ex ſuſpicione pro veritate, & lege illicitum eſt, quid quæſo erit de operari non ſolum cum ſuſpicione pro lege, ſed cum præſumptione contra legem?

Dices, hanc probationem totam probare nimium; nam non ſolum probat neceſſariam eſſe regulam magis ſe habentem ad verum, ſed probat neceſſariam eſſe regulam ſemper, & totaliter, & indefectibiliter ſe habentem ad verum; nam ſi talis non fuerit, ſciet quicumque illam uſurpaverit, ſe juxta eam operando aliquoties facturum contra voluntatem, & legem Dei re ipſa exiſtentem: atque adeo facta probatio probat etiam contra nos, qui aſſignaturi ſumùs regulam non ita indefectibilem: & alioquin ſanè inciditur in illud extremum, quod ſemper ſit neceſſaria totalis certitudo. Reſpondeo, probationem factam videri convincentem; & ſi fortè contra nos etiam probaret, non ideò illa infirma eſſet, ſed evinceretur, nos quoque in aſſignanda regula defeciſſe: quare exceptio eſſet ad hominem, non autem in re. Sed verò infrà, cum noſtram nos regulam deſignabimus, non omninò indefectibilem, nec neceſſario ſe habentem ad verum, ſed ſolum in certo gradu magis ſe habentem ad verum, quam ad falſum, explicabimus: & declarabimus, quomodo illam uſurpare liceat, & quomodo illam accipiens nolit nec toties, nec ſemel quidem operari contra legem, & voluntatem Dei re ipſa exiſtentem.

§. IV.

Concluſio totius Doctrinæ.

HÆc duarum præcedentium quæſtionum doctrina, qua probabilitate conſcientiæ, & pro quocumque imaginabili regula morum requiſivimus aliquid, quod in aliquo ſaltem gradu magis ſe habeat ad verum, quam ad falſum, loquendo ſimpliciter id eſt toto objecto conſiderato, & non partitim accepto (quod pertinet ad ſecundum quid) ſtabiliri ulterius poterat ex innumeris capitibus; ex utilitate, & neceſſitate Theologiæ moralis, & Theologorum; ex utilitate, & neceſſitate & natura conſultationum, quæ omnia ſunt propter veritatem tamquam propter finem, & ſimilibus aliis obviis tam authoritate, quam ratione.

Illis tamen omiſſis viſum eſſe quæſtionem, & doctrinam totam claudere ex vulgari, & communi Theologorum doctrina 1. *quæſt.* 19. *art.* 3. *&* 4. *&* 5. *&* 6. per quos omnes articulos & ex commentariis Theologorum conſtat, humanam rationem eſſe menſuram, & regulam actuum humanorum quam homogeneam, & proximam vocant; voluntatem autem, ſeu legem Dei (ſive ſit actus voluntatis, ſive intellectus) eſſe primam regulam: quam alii principalem, alii remotam compellant.

Nec obſtat, ejuſdem actus noſtri duplicem conſtituere menſuram: & regulam. Nam hoc cum aliis removet D. Thomas eo *art.* 4. *ad* 1. dicendo, *quod unius rei non ſunt plures menſuræ proximæ: poſſunt tamen eſſe plures menſuræ, quarum una ſub alia ordinetur.* Neque enim eſſe poſſunt ejuſdem rei duæ menſuræ, vel regulæ, quarum altera alteri non ſubordinetur, & utraque proxima; nam tunc una earum præſcribente unum, & altera præſcribente contrarium, præſcriberent impoſſibilia: neutri ergo ſubeſſe deberemus; ergo eſſent, & non eſſent regulæ. Et rursùs ſi ſecundum unam fieret, res facta eſſet recta; quia eſſet ſecundum ſuam regulam; & non eſſet recta, quia eſſet cõtra aliam ſuam regulam; quod eſt contradictio: & caſus eſt, ſicut ſi eſſent duo Dii, & unus unum juberet, & alius contradictorium. Et hæc eſt cauſa, quare conſcientia perplexa quando omnia utrimque eſſent paria ut aſſiſtere huic infirmo, vel illi, utrumque obligatorium repræſentaretur, ad nihil obligaret, nec foret regula, quia contineret regulas pugnantes. Ex quo obiter patet ineptia Janſeniſmi obligantis ad impoſſibile.

Oportet ergo unius rei vel unam eſſe menſuram, & regulam; vel quando ſunt duæ ſaltem de ſe diſcordabiles, alteram eſſe ſubordinatam alteri, ſicut contingit in præſenti. Nam ratio humana in tantum eſt menſura, & regula humanorum

Digitized by Google

actuum, iu quantum ur loquuntur Theologi, eſt a plicatio rationis, & legis æternæ, ſive illam ur q ldam præcisè volunr objectivè repræſentando, & ill m nobis proponendo; ſive illam (quod aliis videtur ſufficere) ſubjectivè, & in ſe aſſerendo, quatenus omnis humana ratio eſt participatio æternæ rationis, & legis ſive approbantis, ſive prohibentis, ſive conſulentis, ſive nec approbantis, nec reprobantis.

Hac de cauſa ex omnium ſenſu in nobis ſolum ratio poreſt habere rarionem regulæ, & menſuræ, id eſt pars judicativa; non autem pars apprehenſiva; quia pars apprehenſiva ſe habet ad verum, & falſum, & eſt æqualiter de veris, & falſis, nec inter urraque determinat, aut dijudicat, & idcirco in ſomnis, & quoties ex ſolis apprehenſionibus movemur, nec benè, nec malè operamur. Ratio autem eſt regula,, quia inter verum, & falſum diſcernit, & dijudicat, & habet ratione regulæ in quantum vel in ſe, & ſubjectivè eſt participatio rationis, & legis ærernæ; vel in quantum illam præter ea nobis objectivè repræſentat Ergo ratio non magis ſe habens ad verum, quam ad falſum, & ad rationem æternam, quam ad non illam, eſt ſicut pars apprehenſiva, & nullo ſenſu, & nullo modo ſubire poteſt rationem regulæ.

Quod etiam ex ſubordinatione rationis ad primam regulam pater, quia ratio indifferens ad verum, & falſum non magis eſt applicariva, & deſignativa primæ regulæ, quam non illius: ergo nullam habet rarionem regulæ: ergo actus per illam facti fiunt ſine regula: quod non licet. Id conſpicitur in omni regula, & menſura ſubordinara alteri principali, & primæ, ut horologia in tanrum ſunt menſura horarum, & dierum, in quanrum concordant motui ſolis ranquam principali, & primæ menſuræ dierum, & horarum. Quare ſi horologium non magis haberet concordari, quam non concordari motui ſolis, ſed indifferenter omnino ſe haberer ad illum, & non illum, foret horologium ridiculum, nec horologium vocarerur niſi ut ſummum propter exterius artificium, & apparentiam, & nihili fieret in ratione horologii, & menſuræ. At procul dubio lex & rario æterna Dei eſt principalis, & prima regula totius honeſtatis non minus quam motus ſolis ſit menſura dierum, & horarum. Ergo ratio humana indifferens tótaliter ad rarionem, & legem æternam Dei, & ad non rationem, & non legem, nulla eſt regula, neque menſura honeſtatis. Neque iſta, quod ipſe in ſingulis directis quæſtionibus notare potes, quidquam habenr remedii, vel adjutorii ex reflexis, & per reflexas, ut patet. quia per iſtas humana ratio diſcordans ab æterna ratione, vel nèc concordans, nec diſcordans quoad nos nequit quidquam concordari.

QUÆSTIO XVI.

Vtrum ergo probabile ab intrinſeco ſecundum ſe ſit quod fere ſemper fieri ſolet?

HActenùs diſtinctè oſtenſum, & declaratum eſt probabilitate reali, & poſitiva, & conſcientiæ, quam etiam probabilitatem ſecundum eſſe appellavimus quid illa non ſit, excludendo probabilitates, & probabilioritates, & etiam certitudines purè ſophiſticas, quæ ſcilicet tales non ſunt, ſed ſolum videntur eſſe: item excludendo probabilitatem opinionibus dari ſolitam: item probabiliratem purè negarivam. Uniuerſim verò tandem in proximis quæſtionibus removimus omne æqualiter indifferens ad verum, & falſum.

§. I.

Definitiones probabilis ex Ariſtotele.

IAm ergo poſtquam viſum eſt quid non ſit probabilitas realis, & conſcientiæ, quid ipſa ſit, ſupereſt declatandum. Illud autem eſt, mirandum, quod cum toties ab Ariſtotele philoſophicè explicatum fuerir quid ſit probabile, & his poſtremis annis ram actuosè de probabilibus diſceptatum fuerit, & diſceptetur, nullus, quem viderim ex Ariſtotelicis definitionibus rem iſtam ordiri, & explicare aggreſſus ſit. Unum, qui pro plurimis mihi ſufficit, excipio Eminentiſſ. Cardin. Pallavicinum, qui *diſp. 8. de actibus humanis q. 76. art. 4. num.* 10. ſtatuit, & definir probabile ex Ariſtotele; *quod plerumque contingit*: Ex quo, quæ videtur evidens conſecutio, determinar, nunquam duo ſimul contradictoria eſſe probabilia, ſcilicet probabilitate rei, & poſitiva & ſecundum eſſe, quam modo inquirimus.

Ergo Ariſtoteles multis in locis jam ſub ipſa voce probabilis, jam ſub æquivalentibus aliis explicuit quid eſſet probabile, *lib. 2. Prior. cap. 28. ſed eicos* (ait) *eſt propoſitio probabilis; quod enim ut in pluribus fiunt ſic factum, vel non factum; aut eſſe, vel non eſſe, hoc eſt eicos, ut odire invidentes, vel diligere amantes, lib. 3. Ethic. cap. 3. conſultatio autem de illis eſt, quæ ut plurimum quidem fiunt: incerta tamen ſunt, quomodo evadant*: Neſcio unde Julio Mercoro veniſſet in mentem, prudentiam non verſari circa probabilia, cum potius niſi circa probabilia locum non habeat nec prudentia, nec conſultatio, quæ eſt actus prudentiæ, ut ſatis eſt clarum in Ariſtotele & in rarione, nam de certis, & neceſſariis quaſi per exceſſum; & de caſualibus, & contingentibus) quale eſt adverſariorum probabile) per defectum nulla eſt conſultatio.

Rursùs Ariſtoteles *lib. 1 Ethic. cap.* 3. cum oſtendiſſet ſcientiam moralem non eſſe domonſtrativam, aſſumit ſatis fore; *cum de iis, quæ plerumque eveniunt, atque ex iis ratiocinemur, ſimilia etiam concluſerimus*. Quod eo loci S. Thomas, *&* 1. 2. *q.* 96. *art.* 1. *ad* 3. *&* 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. *& quæſt.* 70. *art.* 2. & Commentatores accipiunt, & explicant. Exactiùs verò probabile definiviſſe uidetur 1. *Rhetoric. cap.* 2. dicendo; *probabile namque eſt, quod ferè ſemper fieri ſolet; verum non ſimpliciter ut quidam definiunt, ſed quod de iis ſit quæ aliter ſe poſſint habere, ſic ſe habet ad illud, ad quod eſt probabile, ſicut univerſale ad particulare*. Ergo Ariſtoteles non obiret, aut ſemel quid probabile eſſet attigit, ſed data opera expoſuit: atque adeo nihil nouæ rei, uel nominis in mundum aſſerimus. Hanc probabilium naturam norunt Juris Conſulti; & ſic tum alias, tum *in 6. reg.* 44. haberemus iſtam regulam: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerũq; fieri cõſuevit*.

Neque verò æquivocationi locus eſt in Ariſtotele, ſi in Rhetoricis, aut Elenchicis vocaverit probabilia quælibet extrema: hoc enim ut ex ipſo liquet, intelligitur quoad finem Rhetoricæ: vel Sophiſticæ, id eſt Rhethor; vel Sophiſta facit probabilia: hoc eſt facit uideri probabilia judicibus, vel auditoribus multa iu ſe non probabilia; quin

tunc

Digitized by Google

tunc Sophiſta (ut de Oratoribus taceam) erit egregius, cum ipſa inopinabilia fecerit probabilia, id eſt fecerit videri talia. At nos non de his probabilibus tractamus, ſed de probabilibus, quæ nec Rhetores, nec Sophiſtæ facere poſſunt, ſcilicet de probabilibus in ſe, & ſecundum ſe; non de fictis, & ſolum apparentibus, ut ſunt colores iridis, & univerſa ſophiſtica. De quibus proinde 8. *topicor. cap. 3. ſuprà* dicebat: *ſimpliciter autem, ſi eſt probabilis poſitio, dilucidum, quoniam concluſio ſimpliciter improbabilis*; ſcilicet quam arguens infert contra defendentis poſitionem.

Hanc eamdem doctrinam ſuppoſuit ſemper Ariſtoteles, nam probatio per probabilia eſt aliqua probatio, per quæ ſcilicet cauſatur concluſio dialectica, & opinativa: & omnis probatio eſt reducibilis ad ſyllogiſmum; perfectum, vel imperfectum: & de quibus non eſt ſyllogiſmus, principiũ petitur ex 2. *Priorum cap.* 18. & omnes ſyllogiſmi ſunt revocabiles ad figuras, & formas Logicæ, ut patet ex 2. *Priorum cap. 23. & ex* 1. *Poſteriorum cap.* 1. & ibi ab omnibus admittitur. Nunquam autem in ſyllogiſmo etiam dialectico aſſumitur medium indifferenter ſe habens ad verum, & falſum, ſed requiritur quod plerumque ſaltem ita ſe habeat; pro contradictoriis autem numquam eſt medium plerumque ita ſe habens. idcirco 2. *Priorum c. 27.* (ſeu juxta alios 18. pallidum non eſt medium ad probandum aliquam mulierem peperiſſe, quia, ut ibi dicitur; omnis quidem quæ peperit, pallida, non autem omnis pallida peperit, quia ſatis eſt frequens, pallidas exiſtere, quin pepererint. Similiter ibi diſcurrit Philoſophus de ambitioſo, & liberali; neque enim probabili ſyllogiſmo probatur, eſſe quem ambitioſum, quia liberales non ambitioſi: & ſimiliter plures ambitioſi ſunt illiberales, & avari. Ex his ergo quaſi principiis in logica habetur ad probabilem, & dialecticum ſyllogiſmum requiri medium plerumque ita ſe habens, & qui hoc medio caret, nec dialecticè, nec probabiliter quidquam probat, nec ullum aſſenſum generare poteſt.

Hinc facilè eſſet ſyllogiſmorum illorum videre nullitatem quibus alii probant, Ciocolatem eſſe potum aſſumendo pro medio liquidum: alii contra aſſumendo pro medio calidum; quæ media ſe habent, ſicut pallidum ad peperiſſe, & non peperiſſe.

§. II.

Declaratio, & confirmatio definitioni Ariſtotelis.

DEfinitio illa exactior quam ex 1. *Rhetorik.* adduximus continet duo, quæ ſeorſim ſunt declaranda: unum eſt quod ad probabilitatem objectorum natura ſua & ab intrinſeco talium requiratur, ut fere ſemper contingant: aliud eſt quod principium probabile per quod aliquid in particulari probatur, ſe habeat ad illud tamquam univerſale ad particulare: ex quibus duobus nunc primùm prima pars eſt declaranda.

Et primo univerſaliter id videtur oſtendi: quia ex communi ſenſu probabili (ſcilicet famosè tale) videtur coincidere cum opinabili, & illa eſſe probabilia, de quibus opinari poſſumus: ſicut illa ſunt credibilia de quibus eſt credere, & illa ſcibilia, de quibus eſt ſcire; & de quibus non eſt poteſt ſcire, nec credere, non ſunt ſcibilia, neque credibilia: ergo de quibus non poteſt eſſe opinari, non ſunt probabilia. Quod rursùs oſtenditur: nam probabilia pertinent ad aliquam operationem intellectus: non autem ad ſcientiam, nec ad certam aliquam cognitionem, ut ſupponimus: ergo pertinent ad opinionem: quod etiam omnes videntur ſupponere, & ita loqui. Ergo de quibus non eſt opinari, non ſunt probabilia famoſa, & philoſophica, ſcilicet, illa, quæ infra ſcibilia, & certa ſunt, & ſupra incerta, & dubia, & pertinent ad partem judicativam intellectus, & regula eſſe poſſunt.

ſed illa, quæ æqualiter ſe habent ad verum, & ad falſum, in quantum talia non ſunt opinabilia, nec de iis in quantum talibus eſt opinari, ut ſupponimus ex appendice ex vera, & communiori etiam ſententia, ſed unicuique, ut verè dicebat Vaſquez, ſua opinio videtur probabilior, id eſt magis fundata, & magis ſe habens ad verum, ideoque etiam verior dici ſolet: quin ſi parùm magis ſe habet ad ita eſſe, quam non eſſe, ſolùm erit ſuſpicabile, aut conjecturabile; non autem opinabile. Ergo omne opinabile ſic ſe habet ad eſſe, & ad verum, ut plerumque, & ferè ſemper ita contingat, quandò ſumus in affirmativis; vel in negativis ita ad non eſſe, ut plerumque, & ferè ſemper ita contingat: contingere quippe recipio ſive pro eſſe ſive pro non eſſe; nam plerumque contingens avaros non dare, tepidos non benè orare, &c.

Itaque omne probabile eſt opinabile; & omne abſolutè & ſimpliciter opinabile eſt probabile; nec tamen ideò omne quoquo modo, ſeu ſolum quoad nos opinabile erit continuò aut ſimpliciter probabile, aut ſimpliciter opinabile; quoties ſcilicet eſt nobis opinabile ſolum ex ignorantia, vel errore, ut ſatis in ſuperioribus eſt declaratum: eritque uno verbo probabile, & opinabile, quod videtur quidem tale, ſed non: quod genus omnia ad ſophiſticam potius pertinent, quam ad moralem ſcientiam, quæ habet objectum reale, & nequaquam id, quod videtur ſolum eſſe, & non eſt, ſed quia timeo, obliquos in his ſæpè æquivocandos eſſe non diſtinguendo ea, quæ videntur eſſe, & ſunt, ab iis, quæ ſolum videntur eſſe, quin ſint, indigiro aliquoties indicatum exemplum certitudinis, & evidentiæ: non enim omnia, quæ nobis videntur certa, aut evidentia, ſunt idcircò certa, aut evidentia: ſunt talia ſecundum quid, impropriè, & quoad nos dumtaxat, ita omninò eſt in probabili, & inopinabili. *Aliqua creduntur ab aliquibus: ergo ſunt credibilia*: non valet; quia credibile dicit ſimpliciter tale; & multi ex ſimplicitate id eſt, ex ignorantia, vel errore credunt multa incredibilia. Hoc ipſum eſt in probabili, & opinabili. Valet autem: *Non eſt opinabile: ergo non eſt probabile.* At quæ ferè ſemper non ita contingunt, non ſunt opinabilia, ut eſt oſtenſum: ergo neque probabilia. Ergo ad probabilitatem requiritur ferè ſemper ita contingere. Dicam porrò infrà, quam toto cœlo diſtet hoc probabile ab eo, quod communiter appellatur magis probabile: ut enim majus milium non eſt magnum; ita nec magis probabile, ita vocatum eſt per hoc ſolum probabile.

§. III.

Vlterior probatio.

IAm ſecundò probatur eadem illa prima definitionis Ariſtoteli, quod ad probabilitatem requiratur ferè ſemper contingere. Videtur autem quod illa conſtet dividendo omnia imaginabilia objecta ſecundum ſe, & ab intrinſeco conſiderata, & relinquendo omne genus authoritatis, per quam aliquando res de incertiſſimæ redduntur certiſſimæ: nunc enim tractamus de probabili ab intrinſeco ſeorſim ab authoritate, per quam reſultat aliquando probabile ab extrinſeco, de quo tractabimus poſt.

Nunc ergo omnia imaginabilia dividendo, & conſiderando, & ea revocantur ad ita ſe habere neceſſario: ad ita ſemper habentia ſine neceſſitate alicujus ſaltem naturæ determinatæ creata: & ad non habentia ſe ſemper ita. Prima claſſis comprehendit omnia prima principia, & omnia ſcibilia, & demonſtrabilia: his enim repugnat aliter ſe habere, ut ſcitur ex Logica 1. *Poſter.* Ad ſecundam claſſem pertinent omnia vel naturaliter certa, ut ignem applicatum combuſtum &c. vel moraliter certa, ut eſt omnes non falli, neque fallere, & omnes Patres non occiſuros ſuos filios; non omnes adoleſcentes ingreſſuros religionem &c. Jam in hac duplici claſſe non continetur probabile, ut omnes concedunt, & ſupponunt. Continetur ergo in tertia objectorum deſignata claſſe, ſcilicet eorum, quæ nec ita ſemper ſe habere eſt neceſſarium nec ita ſe habent ſemper etiam ſine neceſſitate alicujus determinatæ naturæ creatæ (nam divinam prætermitto propter diſſenſionem Authorum (ſed ad ea, quæ non ſemper ita ſe habent.

Nunc hæc tertia claſſis eorum, quæ non ita ſemper ſe habent diſtinguenda vel dividenda eſt rurſus, vel in ea quæ non quidem ſemper, ſed tamen ferè ſemper ita ſe habent; vel in ea, quæ non magis ita, quam non ita ſe habent; vel in ea, quæ magis, quidem ſe habent ita, quam non ita; non tamen adeò, ut frequens non ſit etiam ea non ſe habere ita. Neceſſe eſt, ut aliò non vagemur diſcurſu noſtro ad quærendum probabile; nam quodcumque aliud objectum inveniemus, quod præter iſta ſit, illud inveniemus, continuò certum, & neceſſarium: non ergo erit probabile: ergo probabile, quod tantoperè quærimus, latet in hac facta diviſione eorum omnium objectorum, quæ non ita ſemper contingunt, nec ſemper ſunt ita.

Poſita tria membra conſtant exemplis, ſenes caneſcere ita ferè ſemper ſe habet: in ludo fortis numeri paris, vel imparis, aliquando projicitur numerus par, aliquando impar: ex ſuppoſitione, quod prodeat numerus, par, neceſſe eſt, & certum eſt, numerum parem eſſe, ut ſortem ſedere (non de hoc loquimur, & ſic pertinent ad primam claſſem): neceſſe tamen non fuit, magis projici numerum parem, quam imparem; & ideò iſta ſunt non magis ſe habentia ita, quam non ita. Ita magis ſe habent, quam non ita, ut viros nobiles non mentiri; eſt tamen ſatis frequens contrarium. Nequit dici, quod probabile pertineat ad hæc duo poſtrema membra; non enim ad non habentia ſe magis ita, quam non ita: nam talia ſunt purè fortuita, caſualia, & contingentia: non item ad habentia ſe magis ita quomolibet; nam alioquin, ſi ex centum militibus ſuſpendendi eſſent ſexaginta, & liberandi quadraginta, probabile eſſet, Petrum unum ex illis eſſe determinatè liberandum, quod ſanè nemo prudens corde credet, & aliquo aſſenſu intellectus judicabit. Ergo probabile pertinet ad primum membrum, ſcilicet ita ferè ſemper ſe habentium, & rarò deficientium, ut ſenes caneſcere. Nimirùm ſolum de talibus opinati poſſumus: de inclinatis magis aliquatenus ad unam partem ſolum ut ſummum ſuſpicari, aut leviſſimè conjectare poſſumus: de indifferentibus omninò ad ita, & non ita, nec ſuſpicari quidem poſſumus unam partem præ alia. Si certè aſſumas mente ſolum numerum parem, & tollas imparem contrarium, ſolum occurret projiciendus numerus par: at hæc aſſumptio nequit fieri, nec partitim objectum ſumi ab ullo, ut patet, de quo ſuperius.

Quod eſt de objectis, & rebus in ſe diſtribuendis in dictas claſſes, eſt de objectis quoad nos, etiam quando per errorem, vel ignorantiam de illis judicamus. Nam ſi nobis repræſentantur ut ſemper ut ita ſe habentia cum repugnantia determinata naturæ ad oppoſitum tunc à nobis exiſtimantur eſſe vel principia: vel concluſiones ſcibiles: ſi repræſentantur tamquam ita ſemper ſe habentia, licet, tali determinata repugnantia, tunc à nobis exiſtimantur eſſe certa. Si nobis occurrunt ut prorsùs indifferentia ad ita, & non ita, ut in ludis; tunc nobis videntur purè caſualia, fortuita, & contingentia. Si magis inclinata ad unam partem, ita tamen ut contrarium non ſit rarum, ſed frequens; tunc ut ſummum à nobis exiſtimantur purè leviter ſuſpicabilia. Tunc ergo ſolum nobis occurrunt tamquam opinabilia, quando repræſentantur, non quidem ut ita ſemper ſe habentia, alioqui eſſent certa, ſed tanquam ferè ſemper ita ſe habentia; & rarò, & ferè nunquam fallentia.

Sicut, verò, quando, quin in re ita ſint, nobis occurrunt tamquam ita ſemper ſe habentia cum repugnantia, vel ſine repugnantia ad oppoſitum, non ideò illa ſunt aut prima principia, aut demonſtrabilia, aut certa, ſed ſolum nobis videntur talia: ſimiliter etiam eſt in probabili; nec enim aliquid efficitur probabile, aut plerumque contingens ex eo, quod nobis tale videatur, ſi in re, & extra intellectum tale non eſt.

§. IV.

Declaratio ulterior ejuſdem partis.

PReſſiùs re magis ſcientificè rem totam iſtam exhauſit S. Thomas *lib.* 1. Periher. *lect.* 14. per hoc, quod omnis res habet eſſe vel in ſe, vel in ſua cauſa, vel dicamus etiam in effectu, quippe eſſe, quod habet in potentiis intentionalibus, quæ non ſunt cauſæ ipſius rei, ſequitur ad illa omnis res in ſe, ex ſuppoſitione, quod ſit, habet ita eſſe, & neceſſe eſt ita eſſe, ut ſortem ſedere ex ſuppoſitione, quod ſedeat, nulla facta ſuppoſitione, illius eſſe eſt neceſſarium, vel contingens, uti fuerit illius cauſa. Si in cauſa ſua habet totalem determinationem adeſſe, dicitur neceſſarium, & pertinet ad certa: ſi habet totalem determinationem ad non eſſe, dicitur impoſſibile; & pertineret etiam ad certa: ſi nec ad eſſe, nec non eſſe habet determinationem, *ſive ſi habeat magis ad unum, quam ad*

alterum

Digitized by Google

alterum, ſive æqualitèr ad utrumque, dicitur contingens, ut ex Ariſtotele,& Philone ponit S.Doctor.

Confirmatur, & declaratur noſtra doctrina per ea quæ S.Doctor tradit circa futura *lect.12.quod cum verum hoc ſignificet, ut dicatur aliquid eſſe, quod eſt, hoc modo aliquid eſt verum, quo habet eſſe. Cum autem aliquid eſt in præſenti, habet eſſe in ſe ipſo, & ideò verè poteſt dici de eo, quod eſt. Sed quandiù aliquid eſt futurum, nondum eſt in ſe ipſo; eſt tamen aliqualiter in ſua cauſa; quod quidem contingit tripliciter. Uno modo, ut ſic ſit in ſua cauſa, ut ex neceſſitate ex illa proveniat; & tunc determinatè habet eſſe in ſua cauſa; unde determinatè poteſt dici, quod erit. Alio modo aliquid eſt in ſua cauſa, ut quæ habet inclinationem ad effectum; quæ tamen impediri poteſt: undè & hoc determinatum eſt in ſua cauſa, ſed mutabiliter. Et ſic de hoc verè dici poteſt, quod erit; ſed non per omnimodam certitudinem. Tertiò aliquid eſt in ſua pure in potentia, quæ non eſt magis determinata ad unum, quam aliud: unde relinquitur, quod de nullo tali poteſt dici, quod ſit futurum, vel non ſit futurum.*

Hanc circa futurà doctrinam omnes admittunt, nec negari ea à quoquam poteſt. Diſputamus quidem de futuris conringentibus contentis in tertio membro, an propoſitio talia enuncians ſit determinatè vera, vel determinatè falſa? In qua ſanè controverſia, video quod Thomiſtæ partem negantem tueantur tanquam cohærentem ſuis principiis: Patres Societatis aliqui quidem, ut Toletus,Fonſeca & alii etiam negant,tamen communiter affirmantem ſententiam amplectuntur tanquam principiis ſuis magis conſentaneam.Sanè ipſe (erit ea fortè mea ignorantia) nihil arbitror repugnare magis Thomiſtarum principiis, quam pars in ea quæſtione negans, quæ eſt procul-dubio Ariſtotelis, ac S.Thomæ: nam ſi determinatio antecedens,& prædeterminatio ad unum cohæret,ut volunt, cum contingentia, & liberrate cauſarum, nihil prohiberet futura conringentia (qualia ſunt procul-dubio actus liberi,) determinatè cognoſci,& eſſe vera in cauſis ſuis,ſi v.g prædeterminarer ego hodie ad diligendum Deum cras; ſi enim cras exiſtens prædeterminatio craſtinam contingenriam, & libertatem nihil dirimit, ſed perficit, ſanè hodiè exiſtens prædeterminario,& conſervanda, minùs multo nocitura eſſet craſtinæ contingentiæ,& libertati. Quarè peſſima fuiſſet Ariſtotelis, & S.Thomæ conſecutio; hoc eſt futurum contingens: ergo non habet determinatam veritatem; nam contingentia, & libertas jam nihil pugnaret cum determinatione, & prædeterminatione cauſæ liberæ. Contra verò eadem illa negans ſententia Ariſtotelis, & S.Thomæ nihil præjudicat ſcienriæ Mediæ,& illius veritati, ſeu ſcientiæ viſionis ſine decreto determinante; conſtat enim manifeſtè, eos procedere de cognitione futurorum in cauſis; quo ſolum modo nos illa cognoſcere valemus: non autem de cognitione futurorum contingentium in ſe ipſis: quo modo à Deo illa cognoſci,ſententia eſt,& noſtra, & D.Thomæ 1.*p.quæſt.*14.*art.*13.

Ad rem nunc noſtram redeundo, licet multi tueantur,enunciationes de futuris contingentibus eſſe determinatè veras,vel determinatè falſas, nemo tamen dicit, futura contingentia illa in tertio membro collocata eſſe à nobis cognoſcibilia, & mentaliter dicibilia, & judicabilia citra divinam revelationem: ſoli Deo ſunt illa nota,& nulli aliorum neque Dæmonibus, neque Angelis quidem Dei juxta illud; annunciate nobis, quæ ventura ſunt; & dicemus, quod Dii eſtis; & ideò talium præcognitio,& prædictio apud omnes gentes habetur pro teſtimonio doctrinæ divinæ.

Jam ergo hæc de futuris contingentibus,& non contingentibus doctrina à D.Thoma diſtinctè & perſpicuè in tres claſſes diſtributa doctrinam noſtram de probabilibus eadem vi, eodemque roborè ſtatuit.

Eſt quippe nobis omnis probanda concluſio, ſicut futura conringentia; ignota ſcilicet, & neutra,neque vera,neque falſa; & idcirco probanda, per aliquid aliud, quod vocamus medium, quò medio venimus in cognitionem veritatis, vel falſitatis concluſionis nobis propoſitæ,& an vera eſſet,an falſa, ignorabamus. Idcirco oportet, non probare idem per idem, nec per æquè ignotum, ſed debet veritas medii, illiusque cum extremis connexio eſſe nobis magis nota. Et hæc quidem ſunt prima principia, in Logica, quæ in dubium revocat nemo.

Porrò hoc medium juxta omnes, ſimiliter vel eſt cauſa rei, de qua quæritur in concluſione, vel effectus, vel proprietas, vel accidens, vel ſignum, vel aliquid hujuſmodi, ut eſt etiam in confeſſo juxta omnes loquendo univerſaliſſimè de omni genere probationis à ratione; nam de authoritate dicemus poſtea.

Hoc modò medium diſtribuamus in tres claſſes illas S.Thomæ; vel enim medium habet totalem determinationem ad concluſionem; & tunc eſt neceſſarium, & generat aſſenſum certum concluſionis: vel medium habet inclinationem, ſeu determinationem,non tamen totalem,ſed impedibilem; & tunc verè poteſt dici de concluſione,quod ita eſt,ſed *non per omnimodam certitudinem*; & ſic erit concluſio opinativa, ſeu dialectica. Vel medium non ſe habet magis ad concluſionem, quam ad contrarium: & tunc de concluſione non habetur, quod ita ſit, vel non ſit: nihil enim determinatè habetur. Ergo ſicut futura purè contingentia non ſunt nobis probabilia, & ſola illa futura ſunt nobis probabilia, quæ in ſuis cauſis non habent totalem determinationem, habent tamen tantam inclinationem, ut rarò, & per violentiam impediatur, ſic univerſaliſſimè eſt de omni opinione,& concluſione probabili: quæ tunc talis erit,quando ſubeſt alicui medio plerumque ita ſe habenti, & tale genus connexionis habenti cum concluſione illa, atque aliis ſub ipſo contentis, ut rarò, & ferè numquam ſive deficiat,ſive fallat.

Eodem futurorum contingentium exemplo, rationeque conſpicitur, nihil intereſſe, vel quod omni medio pro concluſione careas,vel quod duo ſimul habeas æqualia concluſione unum, pro non concluſione, ſeu pro ejus falſitate alterum. Accipe purum liberum arbitrium nihil inclinationis habens ad expendendum pecunias,& ad non expendendum. Vides, eſſe futurum purè contingens,& nobis ignotum, an homo ſic conſtitutus cras ſit, vel non ſit expenſurus, & donaturus pecunias: Accipe hominem avarum ſimul, & ambitioſum æqualitèr,& utroque utrinque æqualiter inclinatum, ex avaritia ad non expendendum; ex ambitione ad expendendum. Profectò eodem modo erit futurum purè contingens, & nobis ignotum ſua craſtina donatio. Pone nunc, pro eadem concluſione duo ſimilia æqualia media. Liquet, quod ejus veritas ſic erit nobis ignota, ſicut ſi nullum adeſſet; & ſicut donatio craſtina avari ambitioſi

Digitized by Google

æqualitèt utrînque utroque allecti, & inclinati. Compara deinde ad eumdem intellectum hanc talem conclusionem cum duplici tali medio: certè vides tam ipſi fore ignotam veritatem conclusionis: atque eſt ignota craſtina futura donatio avari ambitioſi. Sicut ergo nullo imperio voluntatis determinari poteſt intellectus, ut aſſentiatur craſtinæ donationi, vel diſſentiat: ita nullo voluntatis imperio determinari poterit ad aſſentieodum, vel diſſentiendum concluſioni illi habenti hinc, & hinc duo contradicentia media æqualia: & ſicut craſtina donatio eſt objectum purè contingens, ac neutrum; ita etiam concluſio illa eſt neutra, & ignota. Quæ ſanè omnia, ſingula, ut ſæpè noto, nihil remedii, vel ſuffragii habere poſſunt ab ullis reflexis.

Dixi, motiva æqualia facere concluſionem neutram, ſeu ad utrumlibet. Hoc intelligitur quoties concurſus talium mediorum non inducit aliud tertium medium, quod ſit pro una ſolùm parte concluſionis, ut aliquando contingit. Nam apud medicos quando concurrunt urina bona, quæ ſanitatem indicat, & ſe habet ad illam; & ſimul pulſus malus, quæ contra ſanitatem ſe habet; aut vice verſa: & ſic in aliis: tunc ex his ſignis, vel effectibus, vel indiciis arguitur aliud medium ſe habens contra ſalutem, & vitam; nam arguitur malitia morbi: & ideò non ſumus in caſu de concluſione habente duo æqualia media pro utraque parte. Abſurdum verò foret, ſi in hoc eventu ſignorum pugnantium medicus videns urinam bonam, & pulſum malum, vellet pulſum prætermittere, & aſſumendo medium urinæ opinari, & prædicere, infirmum non eſſe moriturum: quod profectò nemini in mentem venit nec ignorantium quidem medicorum: & tunc niſi ex contradictione ſignorum ſuppeteret certius illud medium malitiæ morbi, dicerent omnes, ſalutem vel non ſalutem rem eſſe incertam, & purè contingentem; non autem probabilem, & de qua opinari & prædicere poſſint.

Idcirco ipſe Ariſtoteles 1. *Metaph. cap.* 1. dicit: *experientia enim, ut rectè ait, Polus, artem effecit; in experientia vero fortunam. Fit autem ars, cum è multis experimentalibus conceptibus una de ſimilibus univerſalis opinio fiet: Opinari etenim quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc conduxit, ſimiliter Socrati, ac ſigillatim aliis multis, experientiæ, ſeu experimenti eſt* &c. Qua propter quæ infra hoc ſunt; ſolum ſunt fortunæ, & fortuita, & pure contingentia; nec ad artem, nec ad prudentiam, nec ad opinionem, nec ad prædictionem ſunt reducibilia. Ergo ad probabile requiritur ferè ſemper contingere; ferè ſemper ita habere: raro deficere, raro fallere. Illam autem particulam *contingere* ſumimus indifferenter ad eſſe, & ad non eſſe; nam in probabilibus de non eſſe ut v. g. parentes non odio habere filios, ferè ſemper contingit non eſſe: in affirmativis autem contingit eſſe.

Hæc tota doctrina ulterius probari poſſet ex *lib. 2. Priorem, cap. ult. de ſyllogiſmo phyſiognomico*, per quem ex ſignis naturalibus colligimus alium fortem eſſe, alium liberalem, alium ingenioſum, ſtupidum alium &c. Nemini in mentem venit arguere ex ſignis æqualiter, & indifferenter ſe habentibus, aut ex ſignis complicatis, quorum unum ad magnanimitatem ſe habeat; aliud ad oppoſitum. Omitto plura alia. Omitto etiam producere hic multas opiniones morales in ſpecie: quæ quando certæ non ſunt, reducuntur, & reducendæ ſunt ad aliquod univerſale principium: ſæpè autem illud, vel nihil ſe habet ad concluſionem, vel principium ipſum eſt æqualiter incertum, vel æqualiter ſe habet ad concluſionem, & non concluſionem vel ſecundum ſe ſumptum, vel ſaltem ex conjunctione cum alio æquali. Eſt hoc morale principium: *Vim vi repellere licet*: intulerunt aliqui; ergo licet occidere minantem infamare me, vel religionem meam. Principium non ſe habet ad hanc concluſionem: non enim dicit, licere vim vi præoccupare, ſeu antevertere, ſed ſolum repellere. Deinde loquitur de vi; non autem de infamatione. Similiter aſſumitur hoc principium: defenſio jure naturæ eſt licita: inferunt: ergo licet, eum, qui mihi inflixit alapam fugientem inſequi, & repercutere. Principium illud non ſe habet ad hanc concluſionem: nam ut rectè diſſerit Vaſquez, repercuſſio illa non eſt defenſio, ſed vindicatio, & malum pro malo. Similiter multæ ſunt opiniones de legibus Dei ſic & ſic intelligentis; quia oppoſitum eſſet valde difficile, aut durum &c. Similes probationes reſolvuntur demum ad univerſale principium, quod Deus valde difficilia, aut dura non jubeat; & medium eſt magna difficultas. Hoc autem medium non eſt probabile, & habens ſe ferè ſemper ad concluſionem; quia multa valde difficilia juſſit Deus, ut ſunt dilectio inimicorum, condonatio injuriarum, caſtitas &c. Sæpiſſimè verò adeſt medium ſe habens ad concluſionem; ſed concurrit cum alio æquali, vel ferè æquali, contra concluſionem; tunc concluſio eſt ignota, & neutra, & neutiquam opinabilis, aut probabilis ſimpliciter, ut declaratum eſt.

§. V.

Explicatio, & confirmatio ſecundæ definitionis Ariſtotelicæ.

Dixit in definitione Ariſtoteles, ad probabilitatem requiri, quod principium, ſeu medium aſſumptum in principio, per quod concluſio vel res aliqua eſt probabilis, aliter quidem ſe habere poſſet, tamen ferè ſemper contingeret: addidit, non ſufficere ad probabilitatem, ut jam alii ante ipſum definiebant, ſed requiri præterea, ut *ſic ſe habeat ad illud, ad quod eſt probabile, ſicut univerſale ad particulare.* Quæ pars definitionis eſt nunc declaranda.

In omni quidem ſyllogiſmo probativo requirit Ariſtoteles 1. *Prior. cap.* 24. quod ſaltem una præmiſſarum ſit univerſalis, idque probari ibi dupliciter. Porrò in ſcibilibus neceſſe non eſt, ullam præmiſſarum ſemper eſſe univerſaliorem concluſione, ut, quando de aliqua tota ſpecie demonſtratur, vel prima paſſio per eſſentiam, & definitionem, ut admirabilitas de homine per rationale, aut ſecunda paſſio per primam, ut riſibilitas per admirativum: quorum unum nihil eſt univerſalius alio.

Hinc ergò primo occurrit ſciendum cur in probabilibus neceſſe ſit, ut ſemper medium probabile, ſeu principium, per quod illud aſſumitur, ſe habeat ad rem vel concluſionem, quæ eſt probabilis, ſicut univerſale ad quare non ſufficiet, quod ſe habet tanquam univerſale ad æqualiter univerſale?

Ad

Ad hoc reſpondetur; neceſſe eſſe in probabilibus, quod principium ſit univerſalius, & ſe habeat ad rem, vel concluſionem probabilem tanquam univerſale ad particulare; vel quia res probabilis eſt omninò particularis; vel ſi univerſalis fuerit, eſt minus univerſalis quam principium univerſale, à quo, & per quod eſt probabilis: & ſic ſemper ſe habet tanquam univerſale ad particulare: ſicut animal ſe habet ad hominem, ſicut univerſale ad particulare, licet homo etiam ſit univerſale.

Ratio autem, quarè principium probabile debeat eſſe univerſalius, ea eſt, quod ſi ſe haberet ad unam ſolum concluſionem: non poſſet ferè ſemper ad eam ita ſe habere; & aliquando, & rarò non ita ſe habere quod locum non habet reſpectu unius unicè concluſionis: Neceſſe ergo eſt, quod ſub principio illo contineantur multæ res, & concluſiones, quarum ferè omnes contingant ita; aliqua autem, vel raræ aliquæ non contingant: ergo principium ſe habet tanquam univerſalius ad res, & concluſiones probabiles. Quod ſi aliqando una ſolum res, & concluſio contineatur ſub illo principio, neceſſe ſaltem erit, quod illa res, vel concluſio comparetur ad multas vices, & eventus; nam alioquin, ut dictum eſt, locum non habet ferè ſemper ita ſe habere, & rarò aliquando deficere: jam autem tunc illa res, vel concluſio ſic ſumpta pro multis vicibus, eſt multiplex res, & concluſio probabilis; ad quarum proinde ſingulas principium, & medium ſe habet tanquam univerſale ad particulare.

Hoc, credo, ſuppoſuit Ariſtototeles, & aliud magis neceſſarium dicere voluit, ac docere per illam ſecundam partem definitionis. Nimirum ſtatuerat, ut jam nos quoque diximus, eaſdem eſſe formas ſyllogiſmorum ſcibilium, & probabilium: hoc autem ex data prima parte definitionis videbatur impoſſibile: nam ſi principium, & medium concluſionis probabilis ferè ſemper ita ſe haber, jam aliqando, vel in aliquo deficit: nunquam ergo ulla particularis, & determinata concluſio ſequitur. Quare quod omnes negamus, poſſent in ſyllogiſmo legitimo concedi præmiſſæ, & negari conſequentia. Ut ſi arguas: *omnis Mater diligit filium; Antonina eſt mater Franciſci: ergo Antonina diligit Franciſcum.* Poſſet conceſſio præmiſſis negari conſequentia; & falſitas concluſionis componitur cum veritate præmiſſarum: quare nec ex oppoſito conſequeretur oppoſitum antecedentis; & aliæ etiam regulæ invertuntur. Scilicet in Antonia fortè deficit principium univerſale, ut deficit in Agrippina, quæ Neronem filium odivit, Et alia hoc circa adduci poſſunt.

Quod ſi dicas, non poſſe in adducta, & propoſita forma negari conſequentiam; ſed majorem potius eſſe negandam; quia non eſt principium, omnes Matres diligere filios, ſed ferè ſemper diligere, id eſt, ferè omnes Matres diligere. Si, inquam, hoc dicamus, jam nullus videtur fieri poſſe ſyllogiſmus: nam hic foret faciendus: *omnis ferè Mater diligit Filium: Antonia eſt Mater Franciſci ergo Antonia diligit Franciſcum:* Tunc hinc ſyllogiſmus non habet formam: quia eſt ly *ferè* in majori, & non in concluſione.

Multa circa hæc prætermittendo, & alios modos ſyllogiſmorum aliter formabilium omittendo; reſpondeo, eam limitationem Ariſtotelis fuiſſe valdè neceſſariam. Nec enim principium, aut medium probabile omnino prorsùs particularia reddit probabilia, ſed duntaxat pleraque, & ferè omnia. Nam principium, & medium probabile in affirmativis tandem conſiſtit in aliqua magna inclinatione: & in negativis, ſeu negabilibus in magna quadam difficultate. Quando huic inclinationi nec per violentiam reſiſti poteſt, eſt determinatio totalis: & pertinet ad neceſſaria, & certa: quando ſaltem per violentiam reſiſti poteſt, facit probabile. Et ſic eſt etiam de difficultate.

Difficilium porrò natura eſt, ut ferè nunquam eveniant: à contrario habentium magnam inclinationem, ut ferè ſemper fiant. Ut verò S. Thomas ex Ariſtotele notat. & experientia comprobat, ſicut difficultas illa in tali gradu eſt neceſſitas, ut ferè nunquam res fiat, ſic eſt neceſſitas, ut aliquando fiat. Ideò laqueo ſe hominem ſuſpendere difficillimum eſt; tamen rarò aliquando contingit: matrem non amare filium ſuum, eſt ſimiliter valde difficile propter inclinationem ad amorem; deficit tamen aliquando, & hoc aliquando, & in aliquo deficere eſt neceſſarium.

Idcircò nec impoſſibilitas vitandi omnia peccata venialia ſine privilegio extraordinario gratiæ, nec impoſſibilitas non peccandi mortaliter ſine gratia Dei, conſiſtit in difficultate ſola quantacumque, ut in Concilio Millevitano, & Tridentino ſtatutum eſt, ſed in omnimoda impotentia mortali. Ita nec impoſſibilitas converſionis damnatorum ad conſiſtit in difficultate. Alioquin in his omnibus oppoſitum accideret aliquando, & aliquis non peccaret; & ſic in aliis materiis.

Quarè de natura medii probabilis univerſalis eſt quod ad omnia inferiora non ſe habeat, ſed pleraque complectatur; aliquod tamen, vel aliqua prætereat. Ideò limitationem adjunxit Ariſtoteles dicendo, non ſufficere, quod plerunque contingat, ſed requiri præterea, quod medium probabile ſe habeat ad ea, quæ reddit probabilia tanquam univerſale ad particulare; quia ſolum pleraque illa quæ ſub ipſo claudunrur, efficit probabilia; non reliqua in quibus deficit.

Hinc primus ille ſyllogiſmus, *omnis mater diligit filium: ſed Antonia eſt mater Franciſci* &c. non ſolum non eſt idoneus ad materiam probabilem, ſed eſt directè contra illam applicando in majori medium matris ad omnem matrem: ideò propoſitio major non eſt probabilis, ſed eſt manifeſtè falſa, quia probabile habet de ſe deficere in aliquo. Tractabam hic, quomodo ergo in probabilibus rectus ſyllogiſmus formaretur. Sed ablatum id eſt, tot rebus difficilibus aliam adderem ſcopo noſtro non neceſſariam. Laborent in ea Logici, & acumine opus habet.

QUÆSTIO XVII.

Quid ſit aliud probabile ab intrinſeco ſolùm tale quoad nos, cum fundamento tamen in re?

Viſa ſunt in ſuperioribus, & excluſa multa probabilia & probabiliora, & etiam certa, ſolum

ſolum talia quoad nos; quæ nimirùm nobis ex ignorantia, vel errore videntur eſſe probabilia, aut probabiliora, aut certa, quæ tamen in re non ſunt talia. Viſum eſt præterea *quæſt. præc.* quid ſit objectum aliquod eſſe probabile ab intrinſeco ſecundum ſe. Videbatur ſanè nihil ſupereſſe aliud quoad probabilitatem ab intrinſeco; cum omnis probabilitas ab intrinſeco videatur eſſe vel talis ſecundum ſe, & ſimul etiam quoad nos; vel talis ſolùm quoad nos, & non in re; quod eſt quædam ſolùm apparens, & ſophiſtica probabilitas.

Datur nihilominus aliud præterea probabile ab intrinſeco, quod nec eſt ſecundum ſe tale, nec ſolum tale quoad nos; ſed tale quoad nos cum vero fundamento in re, & quod ſufficiat ad omne illud ad quod ſufficit probabile ab intrinſeco tale ſecundum ſe. Et hoc nunc probabile eſt à nobis ex *quæſt. præc.* quam breviſſimè exponendum.

Dico ergo primò, tunc dari probabile ab intrinſeco quoad nos, cùm fundamento tamen in re, quando contingit nos opinari per medium probabile circa res neceſſarias quaslibet, ſive ſint preſsè ſcibiles, ſive non ita preſsè ſcibiles tamen certa aliqua cognitione cognoſcibiles. Explicat Ariſtoteles *libro primo, Poſter cap.* 24. in quo differat ſcientia ab opinione. Totum reducit ad hoc, quod ſcientia ſit de neceſſariis, quibus repugnat aliter ſe habere: opinio contra de iis, quæ poſſunt aliter ſe habere; quod ibi probat.

Opponit ſibi Ariſtoteles contra aſſignatam ab ipſo differentiam, quia contingit, de una, eademque re unum habere opinionem, alterum habere ſcientiam: ergo vel res eſt neceſſaria? & tunc etiam opinio erit de neceſſariis; vel res non eſt neceſſaria, ſed potens aliter ſe habere? & jam tunc ſcientia non erit de neceſſariis: & utrovis reſponſo cadit differentia.

Jam hic aliqui recurrerent. admodum tendendi ubi ſe ſemper abſcondunt. Non ita facit Ariſtoteles, ſed pergit explicare differentiam ſcientiæ ab opinione per objectum, ut par erat. Dicit ergo in ſumma admittendo de eadem quidem re poſſe alium habere ſcientiam, & alium opinionem; objectum tamen utriusque non eſſe omninò idem: alteri enim per ſuum medium repræſentatur ut non potens aliter ſe habere; alteri verò ut potens aliter ſe habere: quæ duo objecta differunt, ut patet: hoc ibi Ariſtoteles vocat idem, & non idem: nos uſitaris vocibus dicere poſſumus, eſſe idem objectum materiale, non autem formale: vel eſſe de eodem in eſſe rei, non in eſſe objecti.

Itaque de neceſſariis etiam, & ſcibilibus opinemur, & etiam credimus, ut addiſcens credit initio circa ſcibile: non autem contingit opinari circa ſcibile, vel neceſſarium per medium ſcientiæ, aut certæ cognitionis, ſaltem in quantum tale: & ſic multi ponunt in eodem etiam homine ſcientiam, & opinionem, non tamen per idem formale medium, ſed per aliud, & aliud.

Hinc aliquid eſſe probabile ab intrinſeco ſolum quoad nos, cum fundamento in re, eſt, rem aliquam neceſſariam innoteſcere nobis per medium aliter quidem ſe potens habere, tamen ferè ſemper ita ſe habens &c. qualiter *quæſt. præc.* oſtenſum eſt. Et quemadmodum probabile, & opinabile differt à ſcibili per poſſe aliter ſe habere, quaſi deficiendo à perfectione ſcibilis; ita per habere ſe ſemper ita, differt à fortuitis, & purè contingentibus per exceſſum.

In hoc autem probabili nihil eſt fictionis; quia & aſſumitur fundamentum, & medium verum, & ex illo verè ſequitur concluſio probabiliter, *probabiliter* habente ſignificatum. Etenim licet res, vel concluſio opinativa per medium illud probabile repræſentetur ut potens aliter habere; quod re vera concluſioni illi repugnat. Ad hoc reſpondetur duo. Primum; per opinionem non affirmari illud poſſe aliter ſe habere, ſed ſolam ipſam veritatem rei affirmari reliquo illo ſe habente tanquam conditione objecti; ut de futuritione objecti, quod ſperamus, atque aliis ſolent explicare Theologi, & Philoſophi. Secundò, ex appendice diſtinguendo aſſenſum opinativum ab opinione, quem aſſeuſum advenientè ſcientia permanere ut quid conſequens, in terminis dicebat non multo ante S. Thomas. Opinio ergo præter aſſenſum affert alium actum, quem vulgò vocamus formidinem; & per iſtum actum addictum affirmatur de objecto illud poſſe ſe aliter habere, ut declaratur in appendice. Quare ipſa concluſio opinativa, & aſſenſus opinionis nihil fictionis habet. Eſt ergo hoc probabile ſolum tale quoad nos; quia re vera, ac ſimpliciter eſt certum, & neceſſarium: eſt tamen probabile quoad nos cum fundamento in re, ut eſt dictum.

Sicut itaque Philoſophi, & Theologi diſtinguunt diſtinctionem rationis in diſtinctionem rationis ratiocinantis, & fingentis; & ratiocinatæ, hoc eſt, rationis per rationem rectæ, & ad rationem redactæ, & ſic ratiocinatæ, quæ nihil fingit, nec imponit rebus: ſic eſt opinari per rationem ratiocinantem vel falſa aſſumendo, vel ratiocinando ex veris ad concluſionem, quæ non magis ipſa, quam non ipſa ſequitur: & eſt opinari per rationem ratiocinatam, ſeu rationalizatam, aſſumendo vera ferè ſemper ita ſe habentia ad concluſionem vel neceſſariam, vel non neceſſariam.

Hoc genere probabilitatis ſunt paſſim multa probabilia in utraque Theologia, & ſpeculativa, & morali: nam concluſiones quidem ſunt de ſe ſæpè ſcibiles, & ſcitæ etiam de facto, & penetratæ, & comprehenſæ à pauciſſimis quibusdam præſtantiſſimis, habentibus aquilinos ſanè oculos: at plurimi non niſi opinantur circa illas. Loquor autem de eis, qui circa illas non errant; nam qui errant, ſolùm, & purè ſophiſtiſant. Similiter aliæ concluſiones ſunt per auctoritatem indubitabiles, quarum quidem doctiſſimi, & verſatiſſimi aliqui certiſſimam habent cognitionem: alii ſolùm opinantur, vel non ſine formidine credunt.

QUÆSTIO XVIII.

Utrum ergo ſimiliter probabile ab extrinſeco ſit quod fundatur in auctoritate plerumque vera ſeu difficulter fallibili.

Explicato probabili ab intrinſeco duplici, ſupereſt ut declaremus probabile quod ab omnibus

bus appellatur probabile ab extrinſeco, in eſt, res vel concluſio, in cujus cognitionem non certam devenimus auctoritate alicujus, vel aliquotum, nulla re, aut concluſionis cognita ratione. Eſt vero hujus probabilis uſus in conſultationibus, & confeſſionibus, & ubique frequentior; quia cum plerique rationes non aſſequantur, nec inter illas dijudicent, per ſolam auctoritatem regi ſolent. Idcircò neceſſe eſt hoc probabile accuratè explicare, & definire.

Illud in genere coincidit cum credibili non certo: nam ut in rebus aliis credimus, ſic etiam in re morali: ideoque per autoritatem procedere eſt credendo procedere: aſſenſus proinde hac via comparatus non eſt propria opinio, ſed fides, quoties ſola auctoritate, & ſeorſim à ratione aſſenſum damus.

His ſuppoſitis communis explicatio probabilitatis ab extrinſeco omnium eſt, ad eam requiri auctoritatem gravem: eam fundari in auctoritate fide digna: in auctoritate peritorum in re morali: in autoritate hominis, vel hominum, ſcientiæ, & conſcientiæ: aut Doctorum, & piorum &c. Et uno conſenſu excludunt ab hac probabilitate facienda, quantum ſaltem ad conſcientiam requiritur omnes non tales; id eſt omnes non graves, ſed leves, non fide dignos; impetitos in re morali; non habentes ſcientiam, & conſcientiam, id eſt, non habentes ſcientiam, & veracitatem; doctrinam, & pietatem, &c.

§. I.

Quid ſit dicendum.

RESpondemus has omnes auctoritates ſufficientis ad faciendum probabilitatem conſcientiæ ab extrinſeco vi auctoritatis tam quoad partem incluſivam, quam quoad partem excluſivam definitiones, aut deſcriptiones, & omnes cum illis convertibiles, eſſe veriſſimas, & videri lumine naturæ notas innegabiles: eas tamen omnes per hoc demum eſſe declarandas, quod per auctoritatem gravem, vel fide dignam &c. quæ fundant probabilitatem intelligamus auctoritatem plerunque, & fere ſemper in iis rebus veram, in quibus probabilitatem facit, Nimirum dictum eſt in ſuperioribus loquendo de probabilitate ab intrinſeco, grave, & leve; ſolidum, & inane, &c. in intellectualibus ſenſum, & intellectum non habere, niſi tandem per veritatem declarentur, & ad veritatem reſolutio ultima fiat. Hoc idem circa probabilitatem ab extrinſeco eodem modo, & eadem de cauſa dicendum eſt, & habendum de auctoritate gravi, & levi: de magna, & exigua, de fide: digna, & non fide digna &c. quod ex naturali ſenſu, & intelligentia omnium videtur perſpicuum.

Itaque id eſt aliquam auctoritatem eſſe auctoritatem facientem, rem, vel concluſionem aliquam probabilem, ſcilicet eam eſſe fere ſemper veram in eo genere rerum, in quo ea res, vel concluſio continetur. Dixi fere ſemper, non autem ſemper quia qui ita ſe habet ad concluſiones ut nunquam nec fallatur, nec fallat, & cujus tanta eſt autoritas, rem facit non probabilem modo, ſed certam ſaltem moraliter.

Quidquid ſit de hac parte, dicimus requiri ſaltem autoritatem ferè ſemper veram; & inſuper ut de probabili ab intrinſeco explicatum eſt, quod ad ſingulas concluſiones & res, quas reddit probabiles, ſe habeat tanquam univerſale ad particulare.

Hæc concluſio probatur per eaſdem rationes, & fundamenta, nullo dempto jota, aut apice, quibus probatum eſt, & declaratum probabile ab intrinſeco illud eſſe, quod ſubeſt principio alicui univerſali, vel medio fere ſemper ita ſe habenti &c. Ergo probabile ab extrinſeco fundatur in propoſita auctoritate. Aliquando ipſa autoritas dicitur probabilis: aliquando concluſio ipſa, & res. Quando de auctoritate eſt ſermo, dicitur illa probabilis quaſi active, quia concluſiones facit probabiles, & credibiles: Quando autem eſt ſermo de rebus; & concluſionibus, eſt ſermo proprior, & hæ dicuntur, & ſunt probabiles quaſi paſſivè id eſt, ipſæ nobis redduntur probabiles, & credibiles vitalis autoritatis: autoritas autem quaſi paſſivè non eſt propriè probabilis, & credibilis; alioquin procederetur in infinitum.

Secundò probatur doctrina poſita, & concluſio per omnes antecedentes quæſtiones, per quas excluſimus à probabilitate conſcientiæ facienda omnia illa, vel quæ magis ſe habent ad falſum, vel quæ æqualiter ſe habent ad verum, & falſum: quod certe adhuc eſt manifeſtius in probabilitate ab extrinſeco; nam nulla autoritas cenſetur magna, aut gravis, aut fide digna, &c. quæ vel magis ſe habeat ad falſum, vel quæ æqualiter ſe habeat ad verum, & falſum: nec talis ulla autoritas nec re ipſa rem ullam facit credibilem, nec ſi talis nobis repræſentetur, rem ullam reddit credibilem quoad nos. Ergo ad probabilitatem ab extrinſeco, id eſt ad credibilitatem inducendam in aliquo genere rerum, prorſus eſt neceſſaria auctoritas multo magis ſe habens ad verum in eo genere, & auctoritas fere ſemper vera, & fere nunquam fallens: ſin minus nec quoad humana, nec quoad divina eſt autoritas.

Confirmatur ratione à priori, nam in præſenti ſermo non eſt de auctoritate aliqua juriſdictionis, aut poteſtatis ut de auctoritate Principum, Judicum &c. ſed ſermo eſt de auctoritate purè doctrinali, & Doctorum. Hanc autem auctoritatem omnes Theologi tract. de fide unicè reſolvunt ad non fallere, neque falli, id eſt ad veritatem in cognoſcendo, & ad veritatem in dicendo. Alii quidem aliam dicunt eſſe formale objectum, & ſpecificativum fidei tam in genere omnis, fidei quam in ſpecie divinæ fidei; alteram autem ſolum eſſe conditionem, & putum connotatum. Cæterum nemo eſt qui utramque ſimul veritatem neceſſariam eſſe non dicat, ut res aliqua reddatur credibilis.

Idcircò nulli quantum vis ſcientiſſimi res efficiunt credibiles ſi mendaces extiterint, ſicut Dæmones: nulli ſimiliter rem ullam faciunt credibilem, licet ſint veraciſſimi, ſi contingat eos eſſe imperitos, & ignorantes. Hæc eſt cauſa, quare non ignorantes, ſed Docti, & homines ſcientiæ conſulendi ſint in unaquaque facultate; & hæc ſimiliter eſt cauſa, quare in re morali omnes requirant pietatem, vel conſcientiam, quia præter veritatem in cognoſcendo neceſſaria eſt etiam veritas in dicendo. Et hoc oblato, omnis neceſſitas, & utilitas conſultationum & Theologiæ, & Theologorum de medio tollitur.

Hæc

Hæc eadem eſt cauſa, quare Theologi non ſint conſulendi in Aſtrologia, quia carent veritare in cognoſcendo; nec Aſtrologi in morali quia etiam carent veritate in cognoſcendo. Hoc ipſa eſt cauſa, quare intra ipſam etiam facultatem, & artem, vel ſcientiam exigua ſit alicujus in aliqua re autoritas, qui de illa leuiter tractavit, & curſim, & obiter dixit. Et quare circa jus poſitivum ſtandum ſit Juriſtis, non autem Theologis, qui ſaltem in jure illo verſati non ſint. Er è contra circa jus naturale, & divinum ſtandum ſit Theologis, qui jus illud melius norunt. Atque hæc ſunt generales omnium maximæ, & regulæ.

Conſtat ergo per indefectibilem conſequentiam quod omnis Doctorum authoritas menſuranda ſit per utramque illam veritatem in cognoſcendo, & dicendo. Ergo cujus, vel quorum autoritas non magis habet quam non habet de ea utraque veritate, Id eſt cujus, vel quorum autoritas non magis habet non falli quam falli, ſeu non fallere quam fallere, nullam rem, concluſionem nullam reddit aut probabilem, aut credibilem: ergo neceſſaria eſt ad reddendum rem credibilem etiam in infimo gradu autoritas plerumque vera in illo genere.

§. II.

Viterior comprobatio.

CONfirmatur, quia tes dicitur probabilis à probando, & illa res per aliquam auroritatarem dicitur eſſe probabilis, quæ per eam autoritatem probari poteſt, & probatur ſaltem in infimo gradu. Sed nulla tes, aut concluſio probatur in infimo etiam gradu per autoritarem niſi autoritas ſit ſaltem ferè ſemper vera: ſin minus ſe habebit ad utrumlibet ſicut concluſio ipſa; ergo autoritas probans, & faciens rem ſaltem probabilem eſt autoritas ferè ſemper vera in eo genere. Idcircò Ariſtoteles ad propoſitionem dialecticam 1. *Topic. cap.* 8. reqnirit quod ſit *aut omnibus, aut ſapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus non inopinabilis: & cap.* 12. requirit ſimiliter vel *omnes, aut ſapientes, hosque vel plurimos. notiſſimos*, de quibus ſcilicet licet non eſſent plurimi, ſciremus tamen ex notitia particulari, eos eſſe valde peritos ea in re. Quare rectè Nicolaus de Orbellis in *libr. Topic.* ſub titulo de locis extrinſecis, maxima eſt, (inquit) cuilibet experto in ſua arte eſt credendum. Quod intelligendum eſt de iis, quæ dicuntur ab experto in quantum expertus eſt: de hoc dicit Frater Ocham quod locus ab autoritate eſt debilis, niſi arguatut ab autoritate illius, qui nec fallere, nec falli poteſt. Hæc ille. Omnium proinde autoritatem minima ea eſt quæ falli quidem, & fallere abſolutè poteſt; difficulter tamen: ob quam difficultatem habetur; quod ferè nunquam fallatur, aut fallat.

Rem totam breviter, egregiè complexus fuit Ambroſius *lib.* 2. *de offic. cap.* 11. inter alia multa ad præſens pertinentia loquens de Daniele: *ex his enim quæ frequenter inteepretatus oſtenderat, veri ſe eſſe annuncium, fides ei in omnibus deferebatur.* Multa in Auguſtino ſcita, & nota *epiſt.* 7. & alia. Omnium verò comprobatio manifeſta extat in Evangelio *Matth.* 22. in qua forma tota Magiſtri autoritatem habentis proponitur: *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum.*

Rectè Gloſſa rem totam declarat ſic: *tripliciter autem contingit veritatem non docere. Primò parte ipſius docentis, quia ſcilicet veritatem vel non novit, vel non amat; & contra hoc dicunt, ſcimus ait verax es. Secundò ex parte Dei, cujus timore poſtpoſito, quidem veritatem de eo quam noverunt, non purè annunciant: & contra hos dicunt: & viam Dei ex veritate doces. Tertiò ex parte proximi, ex cujus timore, vel amore aliqui veritatem tacet: & ad hoc excludendum dicunt: & non eſt tibi cura de aliquo, ſcilicet homine: non enim reſpicis perſonam hominum.* Id quod manifeſtè cernitur in tota vita Salvatoris, adeò ſanè ut ob hoc maximè odium ſcribarum; atque Phariſæorum incurreret, quia tam in fidei quam in morum doctrina verax exiſteret, & viam Dei in veritatate doceret, neque reſpiceret perſonam hominum quantorum cumque.

Ex quo toto conſtat quod univerſa Magiſtri, aut Doctoris autoritas revocatur ad hæc duo, ſcilicet neque falli, neque fallere, & qui hæc in ſupremo gradu non habet, vel ſalrem in inferiori gradu non participat, non poteſt habere autoritatem niſi ut ſummum ſecundum dici. Infimus portò gradus participationis veritatis in cognoſcendo, & dicendo eſt quod ſaltem ferè ſemper verax ſit & viam Dei in verirate doceat; quia ſcilicet illam cognoſcit, nec per reſpectum ad aliquem vel alia ex cauſa aliter annuntiat, aut loquitur quam ſciat, & ſi neſcit dicit ſe neſcire: & infrà gradum illum ſolum ſupereſt contingens, & ad utrumlibet, quæ larè explicata ſunt nuper inter declarandum probabile ab intrinſeco.

Hinc conſpicies quid reflexæ illæ juvare poſſint aut quid rectitudinis habere, per quas aſſumuntur hæ, & illæ autoritates horum, aut illorum, & aliquando eorum etiam ſcriptorum nobis omninò ignotornm, de quibus autoritatibus prorſus neſcitur ab uſurpantibus ipſas per reflexas, an veræ ſint, an falſæ, an magis ſe habeant ad falſum, an magis ad verum, an æqualiter, & in quo gradu. Uno verbo aſſumunt autoritates eorum quos neſciunt an ſint fide digni, an non fide digni: an periti, an non, an ſcientiæ, & doctrinæ, an non? At conſtat per omnes autoritates ſic ſe habentes non facere probabile conſcientiæ. Ergo ut quis cum fundamento aliquo ad reflexas eat, & reflexis utatur, neceſſe eſt, ut ulterius inſpiciat, & videat quales, & quantæ exiſtant autoritates uſurpatæ, an res quas tradunt, faciant credibiles: nam probabile ab extrinſeco, & credibile infra certum idem, & unum ſunt. Velle autem ſtare autoritatibus ſive veris, ſive falſis, ſive credibilibus, ſiue incredibilibus, tu quæſo vide quid ſit.

Jam per hæc ſatis conſtitit ad probabilitarem ab extrinſeco, quam hic inquirimus, ſcilicet realem & poſitivam, & conſcientiæ requiri autoritatem ferè ſemper veram in eo genere rerum. Hoc autem, ut de probabili ab intrinſeco diximus, revocatur ad magnam quamdam difficultatem, aut magnam quamdam inclinationem, vi cujus ſaltem ferè ſemper habeatur veritas. Quod autem autoritas faciens probabile. & credibile rem. vel concluſionem aliquam ſe debeat habere ad illam tanquam univerſale ad particulare,

lare,

lare, requiritur, & neceſſarium eſt ſicut in probabilitate ab intrinſeco: & declaratur eodem modo quo id declaravimus de probabilitate ab intrinſeco.

Ex his porrò omnibus manifeſtè conſtat, quare ab hac probabilitate excludendæ ſint probabilitates illæ, quas in in ſuperioribus in genere excluſimus à probabilitate conſcientiæ, ſcilicet probabilitatem opinionibus dari ſolitam purè in quantum talem, & probabilitatem purè negativam, cujus multiplex eſt modus, ut ibi fuit oſtenſum.

Tandem etiam cernitur, quomodo probabilitas ab extrinſeco ſemper fundetur in probabilitate ab intrinſeco, & probabilitas ab autoritate reſolvatur ad probabilitatem à ratione, nec ſit ulla probabilitas ab autoritate, quæ ſecum non habeat & efferat probabilitatem à ratione; quia tota probabilitas ab extrinſeco reſolvitur ad autoritatem, & tota deinde autoritas ad rationem, vi cujus habet non fallere, neque falli. Indocti tamen inventa autoritate ſiſtere in illa poſſunt, nec debent ulterius procedere.

QUÆSTIO XIX.

Utrum data Autoritatis explicatio conſtet ex juribus, & doctrinis communibus de teſtibus.

Ipſi illi, quibuſcum hic poteſt eſſe controverſia, ſolent ultrò ad hunc de teſtibus, ac teſtimoniis locum provocare, dicereque in ore duorum, vel trium ſtare omne verbum, ut Chriſtus ſtatuit; duos bonos teſtes, & omni exceptione majores facere rei cujuſque plenam probationem; unum ſolum ejuſmodi, maximè ſi adminiculum aliud adſit, facere ſemiplenam, ex qua Judex, prudenter utique, ſi tortura locum non habeat propter privilegium rei procedat ad pœnam extraordinariam; ſin minus ad torturam, quæ enormis adeò pœna & ipſa eſt.

Hoc ergo idem dandum eſt (ajunt) Autoribus, & Doctoribus: duo omni exceptione majores omninò concludent, ut quis tam toto operetur, atque ſi omnimodam haberet certitudinem: unus vero ſufficiet ad prudenter operandum in rebus etiam arduis, ut exemplo torturæ, vel pœnæ extraordinariæ, quæ aliquandò ſatis claret. Ex quibus perſpicuus ſanè, ac innegabilis videtur licitus uſus, qui in more eſt, opinionum quarumlibet probabilium: perſpicuum item videtur, Autoritatem cujuſlibet, cujus nulla nobis exceptio conſtat, ſufficere ad operandum prudenter, honeſteque.

Porrò oportet hic ſupponere identitatam quoad hoc teſtium, & Doctorum, ſeu Autorum: nec enim ullam omnino vim, vel poteſtatem, vel privilegium habent vel Doctores alterandi jus, vel teſtes alterandi factum: & ſicut teſtes in tantum boni, vel mali ſunt; & valent, in quantum probant veritatem facti: ſic Doctores in tantum boni, vel mali ſunt, valent, vel non valent; accipiendi ſunt, vel repudiandi, in quantum probant veritatem juris; quod præter quam per ſe notum videatur, & jam nuper explicatum, hic abs re foret amplius communire; ſiquidem, ut notavimus, adverſarii ipſi ad hunc de teſtibus locum ultro provocant, & cauſam Doctorum, & teſtium æquiparant; ad finem tamen addamus aliquid.

§. I.

Quid dicendum?

Sumus, credo, in rebus clariſſimis, & in quibus nulli ſit locus tergiverſationi; quia habemus pro nobis expreſſa jura, communem Autorum conſenſum, atque uſum, & ſenſum communem omnium.

Eligo nunc inter alia textum in cap. *in noſtra* de teſt. & atteſt. Ubi ſic decidit Gregorius. *Cum igitur hinc plures, inde verò ſint teſtes numero pauciores producti, quos non ſolum diverſa, ſed adverſa penitùs in quibuſdam conſtat teſtimonia reddidiſſe, quia etiam ad multitudinem tantum reſpicere non oportet, ſed ad teſtium qualitatem, & ad ipſorum depoſita, quibus potiùs lux veritatis aſſiſtit; ex quibus motum animi ſui convenit Judicem informare; mandamus, quatenus ſi teſtes utrinque producti ejuſdem honeſtatis, & æſtimationis extiterint, cum conſtet, teſtes Monachorum eſſe teſtibus Archidiaconi numero pauciores, pro Archidiacono ſententiam proferatur. Si vero teſtes Monachorum producti tantæ præeminentiæ fuerint, quod eorum autoritas aliorum ſit meritò multitudini præferenda, ab impetitione Archidiaconi abſolvatis eoſdem.*

Conſtat palam ex textu, non ſufficere ad informandum motum animi Judicis, nec ad formandum judicium, atque prudenter deinceps judicandum habere quomodolibet teſtes, vel habere paucos teſtes contra plures, ut de Autoribus aliqui dicere ſolent, ſed quoties occurrunt teſtes ſibi contradicentes, videndum eſſe qui quibus præemineant, & ſecundum eos formandum eſſe judicium, dicendamque ſententiam. Quod ſi in qualibet re pares inveniantur, ſtandum eſſe majori numero.

Horum autem ratio tota deſumitur à veritate; quia plerumque verum eſt, quod meliores dicunt etiam contra plures inæquales; & ſimiliter plerumque verum eſt cæteris omnibus paribus, quod plures dicunt; difficilius eſt multos falli, quam paucos ſimiles: atque ſimiliter difficilius eſt præſtantiores etiam pauciores falli, quam ignobiles, & impares etiam plures: idem autem eſt etiam de fallere. Hac de cauſa valent etiam pauciores contra plures, quando illi dicunt veriſimiliora 4. *qu.* 3. *ſi teſtes.*

Hoc idem decernitur cap. *ex literis* de probationibus: ubi præcipitur examinatis teſtibus, eos ad fidem faciendam admittere, quos præcellere Judex intellexerit. Quod ſi ambarum partium teſtes ſint æquè idonei, poſſeſſoris teſtes, præferantur, & profert Pontifex rationem à præſcriptione, quam nos *lib.* 4. examinabimus; oſtendemuſque, nullum eſſe fundamentum ad hoc applicandum libertati: quia non veriſimile, ſed abſurdum potius videtur, has præſcriptiones, & uſucapionis voces, in quibus privilegium totum poſſeſſoris ſumatur, velle applicare voluntati, ac libertati noſtræ contra Deum. Sed quicquid ſit de hoc, de quo *l.* 4. tractatur, in textu noſtro teſtes poſ-

Digitized by Google

ſeſſoris non præferuntur contrariis quando æque ſunt idonei, ſed utrique viciſſim contradicentibus res efficitur dubia : & per regulam dubiorum præfertur poſſeſſor, non propter teſtes, ſed propter præſcriptionem, ut ibi dicitur.

Infertur ergo primum, iis teſtibus omninò ſtandum eſſe eos ad fidem faciendam admittendos, quos præeminere intellexerit judex; non autem contrariis. Similiter æque dignos contra æquè dignos numero pares nihil probare, ſed ſe ſe viciſſim elidere, remque vi teſtium relinqui omnino dubiam, quin ex eo præcisè poſſit Judex vel fidem, ſeu aſſenſum dare ulli partium, nec ad ſententiam procedere.

Quapropter ſi æqualia utrinque teſtimonia adſunt, & neutra pars poſſidet, res jubetur dividi, ſi eſt diviſibilis *arg. ex cap. afferte de præſumpt.* niſi in cauſis privilegiatis, de quibus *lib.* 4. Cauſæ autem privilegiatæ non præferuntur in caſu æqualitatis teſtium propter probabile, ſed privilegium in dubio : ſupponitur enim tunc res eſſe in dubio.

Quin imò quoad præſens attinet, in cauſis etiam privilegiatis ſtandum eſt numero majori teſtium, quando cætera ſunt paria : quando autem pauciores præeminent, ſtandum eſt illis etiam contra partem privilegiatam.

Quid autem in eo aliquorum caſu, quando unus Autor multis contradicit, & aliqui quærunt, an liceat illum ſequi? & ajunt. Profectò quoad teſtes proverbium eſt tunc, dictum unius dictum nullius, & illum omninò repudiandum colligitur ex *c. veniens de teſt. & atteſt. & 33. quaſt. 2. admonere* quaſi à fortiori; & clarè ex adducto cap. *in noſtra* ſemper autem ſubintelligitur, illum non ita præeminentem eſſe, qui multitudini contradicenti vel propè accedet, vel etiam prævaleat; ut ſi diceres, dictum D. Thomæ, vel D. Auguſtini prævalere viginti puris ſummiſtis.

Hæc autem, & ſimilia quæ rationis ductu in jure ſapienter diſponuntur de teſtibus, & atteſtationibus, omnes homines per ipſam rationem naturalem, & ſine juris ſtudio plus minus intellecta habent; & ſic in qualibet ſua cauſa ſive civili, ſive criminali quicumque teſtibus opus habet, naturaliter quærit, quantò plures, & quanto digniores poteſt; quia quilibet etiam Idiota intelligit, in omni recto judicio plures præferendos paucioribus, & digniores minus dignis; & penſandam omninò & quantitatem, & qualitatem; & eam partem præferendam, nam difficilius eſt à vero deviare: quia ad veritatem eſt ultima omnium reſolutio.

Hùc eodem modo facit totus titulus de exceptionibus, & quidquid in utroque jure de exceptionibus diſpoſitum eſt. Vis quippè univerſa, propter quam conſanguinei, affines, famuli, infames, complices, & hoc genus cæteri exceptione eorum dicta eliduntur, eſt, quia nulla in eis eſt præſumptio pro vero, imò eſt præſumptio pro falſo.

Habemus ergo circa factum ſive in teſtibus, & atteſtationibus, ſive in inſtrumentis; ſive in exceptionibus, ſive in probationibus (de quibus omnibus ſigillatim in ſpecie dicere neceſſe non eſt; nam concordant omnia) habemus, inquam, hoc genus omnia in tantum admitti, in quantum probant veritatem facti; in tantum non admitti, nec valere, in quantum non probant, ut explicatum eſt; quia omnibus omninò conſideratis ea pars præfertur, quæ in ſimilibus omnibus circumſtantiis vera eſſe ſolet, quæ præeminet, &c.

At ſuppoſuimus æquiparari Autores, & teſtes. Ergo quæ de teſtibus clare ſunt, ut omnes homines propter vim rationis naturalis intelligunt, videntur admittenda de Autoribus, & Doctoribus, pares nihil probare, quia præſumptio nulla adeſt veritatis: paucos contra multos cæteris paribus minus multo valere, quia præſumptio eſt pro falſo: dictum unius niſi ſit valdè præeminentis, eſſe dictum nullius contra plures, & rem non ſolum non facere prudenter operabilem, imò nec facere dubiam, &c.

Timeo tamen ne his viſis, quæ manifeſta videntur, aliò eant, nolintque Autores æquiparari teſtibus, & inſtrumentis, & prædictis aliis, ſed alia privilegia quærant. Juvant proindè oſtendere, id omninò, & nihil plus eſſe, & valere Autores circa jus, quod ſunt, & valent teſtes circa factum.

§. II.

Æquiparatio Autorum & teſtium.

DIcent primò, teſtes deponere de facto, Autores de jure, de bono. & malo : diverſam eſſe proindè rationem. Sed de hoc non videtur proponi poſſe: nam perindè, qui teſtes prædictos valere intenderet, Autores autem non valere, reſpondere vice verſa poterit, Autores quidem deponere de jure; teſtes autem de facto: diverſam proindè eſſe rationem. Eſt ergo hæc differentia impertinens, nihil probans magis de Autoribus, quam de teſtibus,

Secundò, allegabunt, dicentque Autorum dicta eſſe probabilia in prædictis caſibus; teſtium autem dicta non ita : quarè quibuslibet. Hæc ſolutio videtur eſſe merè vocalis, nec aliam diſparitatem reddit, niſi unius nominis ſine re ſignificata, quæ ad rem faciat. Nam, ut oſtenſum eſt, probabile multipliciter, æquivocè dicitur : hoc autem probabile, quod nunc allegant, & quod omnibus opinionibus probabilibus ita appellatis commune eſt, nihil aliud ſignificat quam non abſurditatem, vel impunitatem, quod ſcilicet impunè defenduntur: & hoc ſenſu etiam dici poſſent probabilia dicta teſtium : quod autem ea ſic vocare non ita conſuetum ſit nihil ponit in eſſe in rebus ipſis, ut patet: nihil enim pro veritate facit. Deinde in his teſtium, & hominum teſtimoniis, quæ in hiſtorias abeunt, ſatis conſuetum eſt, ea vocare probabilia: quin & in aliis factis humanis præteritis, vel futuris, hoc, aut illud probabile eſſe, ſatis omnes eloquuntur: & tamen eà teſtimonia, & hiſtoriæ iiſdem ſubjacenti juribus, quibus teſtes; & cætera inſtumenta: una hiſtoria contra plures contemnitur, ut eſt illa Gallicana de Rege Franciſco non capto : ſemper numerus, & qualitas menſurantur, ut vel Judex in judicio, vel Conſiliarius in conſilio ſtatus, & ubilibet prudenter reſolvere, dicere, vel operari poſſit.

Jam nunc abſoluta æquiparationis teſtium, & Autorum rectitudo declaranda magis eſt. In

primis

primis neceſſe erit, quod prò Doctoribus jus aliquod, vel privilegium allegetur, probeturque, ob quod illi aliquod ultra circa jus poſſint, & valeant: teſtes autem circa factum non valeant. Si enim in mentem illud forte venerit, *quod dicunt, facite*. Hoc jam explicatum eſt *lib. ſuper*. Deinde etiam pro teſtibus eſt illud, *in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum*.

Deinde quia ſicut veritas facti eſt una, & non utrumque contradictorium ſimul; ita & veritas juris, & legis; & ut lib. 4. dicetur, ſi qua lex utrumque ſimul contradictorium diſponeret, nihil diſponeret propter generale principium, quod ſcilicet utrumque dicens; & ita, & non ita, nihil dicit. Quare ſicut alterutri teſtes contradicentes ſunt falſi, ſic & Doctores contradicentes circa jus & circa legem: & ſicut in quæſtione de facto finis inquiſitionis eſt veritas facti, ſic in quæſtione juris finis inquiſitionis eſt veritas juris. Ergo eadem eſt ratio, ut Doctores, qui falſi videntur, repudientur; atque ur repudientur teſtes; & utrobique æqualiter erit imprudens eos admittere. At in quæſtione facti admittere unum contra multos, aut paucos contra plures ſimiles eſt imprudentia, quia nulla eſt in eis veri præſumptio; & eodem modo eſt de uno contra unum, aut de pari numero contra parem cæteris paribus; & ſervanda ſunt ea, quæ jus diſponit circa teſtes. Ergo idem eſt ſervandum circa Doctores.

Confirmatur; quia ex genere veritas ſanctorum contingentium eſt ſcitu difficilior. Ideoque communis Doctorum ſententia facilius admittit ignorantiam facti, quæ excuſet à peccato, quam ignorantiam juris. Ergo multo minus admittendi ſunt Doctores non probantes veritatem juris quam teſtes non probantes veritatem facti. At pauci contra multos in vi autoritatis non probant, nec tot contra tot, & unus contra multos nihil eſt in vi autoritatis paribus. Tenet ergo æquiparatio à fortiori, & inexcuſabilior eſt ſequens Doctores malos, quam credens teſtibus malis.

Præterea quia Doctoribus nihil prorſùs juriſdictionis ineſt in materia juris, vel quaſi ad diſpenſandum, vel revocandum, vel ampliandum, vel ſtringendum &c. ut videtur notum quod proinde probare prætereo; imo *lib*. 5. cum Chryſoſtomo oſtendemus. Doctores eſſe ſervos legis, in qua nihil variare poſſint magis, quam non Doctores. Sunt ergo puri teſtes veritatis juris, ſicut alii ſunt teſtes veritatis facti. Recta eſt ergo æquiparatio.

Rursùs quia hoc ſupponunt axiomata communia, peritis credendum eſſe; imperitis non eſſe credendum: ſtandum eſſe hominibus ſcientiæ & conſcientiæ &c. nam ſcientia, & peritia in re morali eſt vera cognitio boni, & mali; item majoris, & minoris boni, & mali, & talis quidem per ſe non ex ignorantia; ſeu per accidens: at vera cognitio boni, & mali eſt ſcire, & cognoſcere quid re ipſa ſit ſecundum legem, quid contrà. Ergo Doctor in tantum cognoſcit veritatem legis, & juris: ſicut teſtis in tantum valet, in quantum ſcit, & cognoſcit veritatem facti.

Concludendo ergo, ſicut probatio tota teſtium ſumitur, commenſuratur in ordine ad veritatem & aliæ gravitates, & excellentiæ in teſtibus ſunt abſ re, niſi in quantum ex illis, præ-ſumitur veritas; ſic omnis probatio, & autoritas, & gravitas Autorum commenſuranda eſt in ordine ad veritatem. Teſtis autem, vel teſtes, de quibus hoc ſaltem non habeatur: quod ferè ſemper vera loquantur, nihil probant, nec ullum genus probationis efficiunt. Ergo nec Doctor, nec Doctores, de quibus hoc ſaltem non habeatur, quòd ferè ſemper vera dicant, nil probant ullo probationis genere; ac proinde nil faciunt probabile, id eſt judicabile, aut credibile, quodque ad conſcientiam, ac forum, interius ſufficiat, magis quam ſimiles teſtes ſufficiant ad forum exterius.

Nihil porrò refert, ſi opponas, Judicem ſæpè neſcire, an teſtes adhibiti ferè ſemper vera locuti ſint; quin teſtes etiam tunc primum ad teſtificandum, & qui nunquam eatenùs teſtificati ſint, ſufficere: non ergo ideò ſunt fide digni, quia ferè ſemper vera locuti ſunt, idemque de Doctoribus objici poteſt. Hoc inquam, nil refert, nam univerſale probabile tam teſtium quam Doctorum non conſiſtit in hoc particulari teſte, vel in hoc particulari Doctore, ſed in hoc, quod ſimiles vel teſtes, vel Doctores in iis circumſtantiis ferè ſemper vera dicunt: quod à priori reſolvitur ad difficultatem fallendi, ut de probabili ab intrinſeco dictum eſt, & declaratum.

Si itaque tam eſſemus exacti in doctrina motum in reſolutione humanæ fidei, qua credimus hominibus, quam exiſtimus exacti in materia fidei, qua credimus Deo, nihil eſſet amplius deſiderandum, Solicitè de reſolutione fidei, qua Deo creditur, tractamus. an & cur Deus ſit infallibilis? an & undè nobis conſtet, hoc, vel illud à Deo fuiſſe dictum, & revelatum? ſic, & accuratiùs in fide humana fallibili, qua mores noſtros ferè ſemper regulamus, conſiderandum eſſet, quibus credamus, & qualia: & de reſolutione doctrinæ morum eò eſſet accuratius tractandum, quò magis dubium eſt homines falli, vel fallere poſſe; quin conſtet evidenter, falli plurimos, ſi quidem dicunt contradictoria.

His perlectis gravis quidam Theologus triumphantis ad inſtar me convenerat. Suppoſuit S. Thomam, & Scotum ſibi in re morali contradicere: voluit, eos ſupponi æqualis autoritatis, Inclamavit mox: ecce quanta apparentia pro hac parte in autoritate S. Thomæ; ecce quanta pro contradictoria in autoritate, Scoti. An ergo, & utrumlibet opinari, & credere, & jux tautramlibet prudenter operari non poterat? Quid cum hoc ſimilitudinis, inquit, habet, ſi duo viles teſtes ſibi contradicant? Tum ego rogavi, ut non duos viles teſtes poneret, ſed duos præclariſſimos Sanctæ Eccleſiæ Cardinales, qui contradictoria formalia, vel virtualia de viſu deponerent atteſtarenturque. Quid verò tunc? ſcirem planè evidenter: falli alterutrum, & quis eſſet, prorſùs neſcirem: ſcirem ergo evidenter alterutrius dictum, & concluſionem eſſe falſam vel falſa prorſùs neſcirem. Videret ergo, an talia opinari, aut credere poſſimus: videret, quid adducta jura diſponerent. Eamdem porrò evidentiſſimè eſſe rationem in Doctoribus. Nil profeci: & quid planè proficerem cum nolentibus, aut non potentibus iſta intelligere nec cum ſuis tot probabilitatibus vel tolerare quidem.

QUÆSTIO XX.

Ex his clare deducuntur gradus Autoritatum & quæ opiniones ſint præhabendæ, & eligendæ.

EX his itaque, quæ in antecedentibus quæſtionibus conſtitura, & declarata ſunt, claré conſtat omnes gradus Autoritatis imaginabilis, inſta quos nulla prorſus ſit autoritas, cui ſtari poſſit aut credi.

§. I.

De gradibus Autoritatis.

ACcipitur ex dictis quod & omnes ſine contradictione concedunt ſaltem in aliis materiis uniuſcujuſque, aut quorumcumque autoritatem tantam eſſe, nec majorem, nec minorem, quanta fuerit illius, vel illorum veritas in cognoſcendo, & in dicendo; ſeu quanta conformitas intellectus ejus, vel eorum ad res, & quanta conformitas oris, aut dictionis, ad intellectum; quin hæc immutari, aut quidquam aliter ſe habere poſſint per ullas dexteras quorumcumque ſubtiliſſimorum etiam hominum.

Hinc ergo ad tres gradus infra quos nihil ſit autoritatis, omnis autoritas imaginabilis revocatur. Primus eſt autoritatis; illius cujus intellectus repugnat non conformari rebus; & cujus, os, aut dictio repugnat non conformari intellectum. Hic eſt ſupremus gradus, quem habet Deus glorioſus, qui eſt infallibilis in cognoſcendo, & dicendo.

Ad hunc gradum reductivè pertinet in rebus fidei autoritas Sanctæ Eccleſiæ, Sacrorum Conciliorum, nec non Romani Pontificis definientis ex cathedra in ſenſu compoſito horum terminorum, ac promiſſionum divinarum, per quas promittit Deus ſe adfuturum, in quorum ſenſu compoſito repugnat eos errare, aut fallere in rebus fidei. Qualiter autem Deus ſic aſſiſtens, & loquens quoad formale locutionis differat: an rurſus hæc poſtrema eundem omnino infallibilitatis gradum cum Deo loquente habeant? nec ad præſens pertinet, & alias expoſuimus.

Secundus gradus autoritatis eſt alicujus multitudinis, cujus licet ſinguli falli poſſint, aut fallere, tamen repugnat omnes ſimul falli, aut fallere. Hunc gradum habet imprimis genus humanum: quod laté oſtendi alias. Habent etiam multitudines humano genere minores, ut hiſtoricorum omnium, peritorum omnium in aliqua arte, ſcilicet ſemper, & ubique omnium. Hic gradus facit rem totaliter certam. Sic certum eſt extitiſſe Scipionem, Annibalem, Pompejum; dari Japoniam, & Americam &c. nec de his magis dubitamus, quam de combuſtione ignis; & ſimilium. Quin ipſe ille primis principiis ſcientiarum præſtitus aſſenſus dependet etiam ex hac autoritate, ſine qua firmus non foret.

Tertius, infimus gradus autoritatis eſt illius, vel illorum, quem vel quos difficile eſt falli, aut fallere. Ex quo neceſſe eſt, eum, vel eos ſaltem plerumque vera dicere; & ejus, vel eorum intellectum eſſe conformem rebus, & dictionem eſſe conformem intellectui: ex quo habent raro fallere &c. Hic eſt inquam infimus gradus autoritatis, qui rem non quidem certam, ſed credibilem, & ab extrinſeco probabilem facit: quem in quæſtionibus præcedentibus requiſivimus ad probabilitatem realem, & conſcientiæ. Quia tamen difficilia aliquando contingunt, hæc autoritas eſt obnoxia exceptioni; quam tamen, qui opponit, probare tenetur. Infra hoc eſt purum contingens, ut ſatis oſtenſum fuit. Ex quibus patet, quod *lib. 1. quæſtion. 7.* eſt etiam oſtenſum nullum privatum Doctorem eſſe infallibilem regulam morum.

§. II.

De electione opinionum.

EX tota noſtra doctrina illæ illationes conſequuntur circa electionem opinionum, quas omnes deſiderant, & laudant ſaltem in cauſa non ſua, & in qua paſſionem non habent. Primo ergo univerſaliſſimè ſequitur, opiniones communiſſimas omnis ætatis relativè ad ſingulares unius, vel paucorum habere cœteris ſervatis paribus, autoritatem tertii gradus: nam cœteris paribus multo eſt difficilius falli, aut fallere plurimos quam unum vel paucos. Secundo ſequitur opiniones ita communes aliquando, & in paucioribus deficere: & tunc contrarias unius, vel paucorum eſſe veras, & eligendas.

Tertio tamen hoc circa ſequitur, neceſſe, quod opinio ſingularis contra communem probet tunc poſitivè exceptionem, & fallentiam opinionis communis: quod fiet probando clare, & manifeſtè exceſſum in fundamentis, atque in eorum qualitate. Hoc enim eſt ſecundum rationem, & jura; nam opponens contra ea; quæ plerumque contingunt, tenetur poſitivè probare: alioquin præſumitur, & creditur contrarium. Sic eſt ſi opponas matrem aliquam non diligere filium; ſolitum vera dicere, ſolitum non jurare, non inebriari &c. falſum dixiſſe, aut juraſſe, aut, inebriatum fuiſſe: & è converſo: S. Auguſtinum, aut ſimilem Doctorem deceptum eſſe &c. Pro qua illatione vide Sanchez cum aliis *lib. 1. in Decal. cap. 9.*

Hinc intellectum, & concordiam habent ea documenta, & præcepta, quibus aliquando communibus opinionibus ſtare edocemur, & aliquando contrarium. Nam ſermo Dei Eccl. 6. *in multitudine* (ait) *presbyterorum prudentium conſiſte, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere &c.* & 8. *non te prætereat narratio ſeniorum* &c. *Proverb. 11. ſalus ubi multa conſilia*: atque hoc genus per multa, ut ex 18. Deuter. 1. &c. In contrarium ex 23. *nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies*: ac multa alia; & in Evangelio communes aliquæ opiniones Doctorum legis reprobantur: & à Scribarum, & Phariſæorum fermento cavere monebantur &c.

Simi-

Similiter in Philoſophia Ariſtoteles ſapientium dictis tanquam demonſtrationibus ſtandum tradit : interea ipſe Platoni, & ſapientibus veritatem præhabendam docet: ac 1. Topic. 12. ſtandum ait judicio vel omnium, vel plurium &c. & ſapientiſſimorum, & horum vel omnium vel plurimorum, vel notiſſimorum. Paucos ergo aliquando, ſed eos notiſſimos, quosque noſti in puncto aliquo contra multos eminuiſſe, præferre in eo debes.

Hinc etiam dicta aliquorum Theologorum, ut Cani, Vazquii, Joannis, Sanchez, & aliorum de turba Doctorum: item Granadi, Sanchez, Arauxi, & aliorum de multitudine inſtar ovium, & avium alios ſequente: eorumdem à contrario pro communibus ſententiis ſuffragia, & commendationes videntur concordari per eam diſtinctionem de plerumque, & rarò, id onêris, ut ſemper noto, ſingularibus imponendo, ut ipſis incumbat onus probandi, nec alioqui quidquam efficiunt.

Ad communitatem porrò opinionis pertinent non ſolum Autorea hujus loci, ſed omnium; nec hujus ſolum temporis, ſed omnium in iis rebus, in quibus vel in loco, vel in tempore variationem non fecit, aut Eccleſiæ univerſalis, aut particularis autoritas, lex, aut conſuetudo, aut ſi quid eſt aliud ſimile.

Quartò, ſequitur ad communitatem doctrinæ, vel opinionis nihil facere puros commentatores, puros collectores, citatores, tranſcriptores, nec cæteros modo hiſtorico procedentes: commune enim efficitur ex numero non hominum, ſed Autorum, & Doctorum; quorum proinde quilibet addat, ponatque aliquid conferens ad difficultatem; nam commune eſt magnum relativè ad ſingulare: majus autem, & minus fiunt additione, & detractione. Ad quam rem declarandam confert multum doctrina recta S. Bonaventuræ *in prolog. ſent. q.* 4. Ad intelligentiam dictorum notandum (ait) quòd quadruplex eſt modus faciendi librum. Aliquis enim ſcribit aliena materiam nihil addendo, vel mutando: & iſte merè dicitur ſcriptor. Aliquis ſcribit aliena addendo, ſed non de ſuo: & iſte Compilator dicitur. Aliquis ſcribit aliena, & ſua, ſed aliena tanquam principalia, & ſua tanquam annexa ad evidentiam: & iſte dicitur Commentator. Aliquis ſcribit aliena, & ſua, ſed ſua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmationem: & talis debet dici Autor. Talis fuit Magiſter &c. Hæc ille: jam ergo omnes hos inter Autores connumerare, ut ſententiam communem eſſe judices, eſt ultro velle errare.

Quintò, ſequitur eam præſcriptionem, ſeu defenſionem, qua aliqui uſum quarumlibet opinionum contradicentium, & quocunque genere probabilitatis probabilium defendere, ac in expugnabilem facere volunt, ipſam communitatem per communitatem vindicando, inquam, hanc præſcriptionem, & defenſionem eſſe nullam, atque regulis philoſophicis repugnantem, dato, & non conceſſo, ſententiam illud genus probabilitatis defendentem eſſe communem: nam contra potius oſtenſum ſæpè fuit, eam ſententiam eſſe repugnantem Autoribus quibusque gravibus ſingulis, & omnibus.

Sextò, Sequitur, opinionis communis contra æqualiter, vel ferè æqualiter communem cæteris paribus nullum eſſe gradum autoritatis probantis, ſeu facientis rem probabilem, aut credibilem quoad id, in quo eſt contradictio. Etenim neutra pars tunc in vi communitatis habet magis non falli quam falli, & quantum habet ponderis, tantum habet exceptionis: & concluſio manet neutra, & incerta: ut conſpicitur in teſtibus.

Septimò, ſequitur, nullam eſſe prudentiam, neque modeſtiam, neque reverentiam in eo, quod quis velit in his variare: neque eſſe irreverentiam, aut ſuperbiam in eo quod velit quis ſtare his regulis. Quippe per inconſiderationem opponere aliquis poteſt, videri irreverentiam, & ſuperbiam ſi quis dicat in aliquo dicto tuto ſtari non poſſe v. g. Cajetano, qui in eo dicto habet ſibi contrarium, v. g. victoriam quem ea in re ſupponamus non eſſe minus ſapientem. Nam id nulla eſſe irreverentia erga Cajetanum, ſed potius contrarium eſſet contemnere Victoriam ſine jure, & ratione ulla: qui ſtare Cajetano eſſet credere Cajetano: ergo eſſet judicare Cajetanum extitiſſe verum in re: Victoriam proinde falſum: quod proinde an ſit reverentia erga Cajetanum neſcio: Certè irreverentiam voluntariam fore erga victoriam nemo non videt, Hi caſus ſunt ſicut bilancium & ſicut in hiis qui unam partem elevat, alteram deprimit neceſſario, ſic in omnibus Autoribus, & ſcholis contradicentibus unam partem elevare eſt alteram deprimere, & unam approbare eſt reprobare alteram. Æquius ergo eſt de æqualibus æqualiter judicare.

Octavò & ultimò ſequitur ex natura ipſa probabilium, aliquando ſaltem, & in paucioribus opiniones, quæ dicuntur minus probabiles eſſe re ipſa veras. Quare dato quod paulo poſt determinabimus; probabile eſſe rectam regulam morum, ſequitur non ſolum licere, ſed melius etiam eſſe aliquando ſequi opiniones, quæ dicuntur minus probabiles. Tamen ut toties dictum eſt, neceſſe tunc eſt habere fundamenta excedentia quibus opinio contraria, quæ communiſſima eſt, & probabilior reputatur, poſſit vinci, atque ſuperari. Atque non ſemel hujusmodi opiniones ab aliquibus defenduntur non ſolum licitè, ſed cum magno merito apud Deum.

§. III.

De aliis conſectariis.

NOnò, ex traditis ſequitur; ſumpto objecto cum omnibus ſuis circumſtantiis loci, temporis &c. eſſe unam, eamdem probabilitatem realem reſpectu Doctorum, & hominum omnium locorum, & temporum, & ſi Autores, vel homines unius loci, vel temporis habent, vel habuerunt opinionem hac reali probabilitate probabilem, niſi mutato objecto, nequit talis opinio fieri improbabilis.

Vice verſa eſt de probabilitate purè tali quoad nos, quæ ſcilicet videtur nobis eſſe, & non eſt, & ſimiliter de probabilioritate; nam cujus generis eſt poſitivum, ejusdem eſt comparativum. Hæc probabilitas tota eſt variabilis; nunc eſt, & non fuit prius: & nunc non eſt, & poſteà ſæpè rurſus erit: hic eſt, & ibi non eſt; ibi eſt, & hic non eſt: in

uno loco una opinio eſt probabilis, vel probabilior; alibi non: quod ſatis quoad loca vidimus, qui in uno ſolo non conſtitimus. Habetur in una univerſitate communiſſimè opinio aliqua; eſt ibi probabilis, & probabilior: aſibi in alia ſchola nunquam audita fuit: ſi ab aliquo ibi inducatur, vix toleratur, aut videtur probabilis, quæ alibi probabilior habebatur: quin intra unam, eandemque urbem eſt una opinio probabilior in una domo, & in alia minus probabilis: veriſſimum quippè eſt documentum Ariſtotelis 2. Metaph. cap. ult: quod *plerique judicamus, quemadmodum conſuevimus:* & quod Auguſtinus epiſt. 3, uſurpat ex Julio; *magni quippè eſt ingenii ſevocare mentem à ſenſibus, & cogitationem à conſuetudine abducere.* Diximus in ſuperioribus, hanc ſive probabilitatem ſive probabiliriotatem non eſſe probabilitatem conſcientiæ, & quæ illius regula eſſe poſſit: quod nunc ex ipſa illius natura adeò verſatili & varia, quæ vix in duabus domibus, vel etiam cubiculis ſibi conſtat, ſatis videtur compertum.

Hinc decimò controverſia illa dirimitur, qui quibus Autoribus in doctrina morum ſint præferendi, antiquiores, an poſteriores? Hinc utrumque extremum eſt vitioſum vel antiquos unicè, vel poſteriores unicè accipientium, quoties ſumus in re nihil variata ſucceſſu temporis vel lege, vel conſuetudine. Qui utrimque pugnant, allegant alii venerandam antiquitatem, & alia: contrarii allegant, multa de novo eſſe inventa, res eſſe valdè promotas novis laboribus. Reſolutio eſt omnes eſſe audiendos, & in contradictione dijudicandum, qui difficilius falli potuerint, & his eſt ſtandum; quia probabile, ſicut verum eſt, pro omni tempore.

Sed quæris, cæteris paribus in doctrina morali, qui ſunt præferendi, an antiquiores, an noviores; & pro his allegatur, quod viderint antiquiorum doctrinam, & fundamenta. Ego ſanè vel uno libro admirabili S. Auguſtini de utilitate credendi, ſatis, ſuperque perſuaſus ſum; in omni illa doctrina, quæ Chriſtianorum propria eſt, quæ tota eſt de recta fide, & rectis moribus, primas, ac potiſſimas partes eſſe autoritatis; minores multò, ac inferiores rationis; quæ tandem totius doctrinæ noſtræ autoritas reſolvitur ad autoritatem Dei, qui nos de fide, & moribus inſtituere dignatus eſt majori incomparabiliter beneficentia, quam ſi Rex meus vellet fieri Magiſter meus.

His ita apud me indubitatè ſe habentibus, Deus glorioſus Eccleſiam ſuam in recta fidei, ac morum doctrina conſervat, docet, ac inſtituit per Doctores, & Paſtores &c. ſicut ſcriptum eſt. Eccleſiam autem poſteriorem edocet, & inſtituit non per Doctores ſolum præſentes, ſed etiam per antiquiores quorum doctrinæ permanſerunt: at per Doctores conſequentes non potuit edocere, & inſtituere Eccleſiam anteriorem. Quarè in illis providebat etiam nobis poſteris. Difficilius ergo fuit, antiquos falli. Explicatur: difficilius eſt Doctores omnes, vel Authores Eccleſiæ falli, quam partem Autorum Eccleſiæ, ut nemo non concedit: at antiqui erant omnes; quia reſpectu Eccleſiæ tunc ſumptæ non includebantur præſentes; præſentes autem reſpectu præſentis Eccleſiæ non ſunt omnes ſed pars. Cujus rei omiſſa ulteriori declaratione, confirmatione, ego cæteris paribus antiquiores præferendos puto. Nec per hoc præſentibus præjudico, qui ſcilicet, niſi brevi finiatur mundus, diutiùs erunt antiqui, quam novi: & ſi futuri viderint, nos pro nobis dixiſſe ſententiam, ore nos noſtro condemnabunt. Non ergo noſtris ingeniis ſtat, verbo Dei Sancta Mater Eccleſia: pro famulatu quidem exiſtimamus utiliſſimi: pro imperio ridiculi, ſicut ſapientes gentium.

Multas alias illationes prætereo. Conſtat id ſatis ſine nova explicatione, quantum diſtet probabile explicatum à probabiliori communiter ita vocato, quod à probabilitate reali, ſecundum ſe tali præſcindit. Probabilitas realis nunquam convenit extremis contradictoriis, ut ſatis eſt oſtenſum. Eſt unum objectum alio probabilius, ut probabilius eſt amare Parentes quam amare Benefactores; & una ſimiliter opinio eſt probabilior altera. At quando comparativè ad ſuam contradictoriam probabilior dicitur, non de probabilitate reali ſermo eſt, ſed de probabilitate opinionibus contradictoriis dari ſolita: item de negativa: item magis probabile ſæpè confunditur cum magis communi. Et tunc dicimus *illatione* 8. aliquando ſolas opiniones minus probabiles, eſſe probabiles probabilitate reali, & conſcientiæ. Abſolutè autem, cujus generis probabilitas non ſufficit pro regula conſcientiæ, nec ſufficit probabilioritas: nam ſi eſt realis, & ſecundum ſe, ſufficit probabilitas, ut mox defendam: ſi eſt alterius generis, ſicut probabilitas non ſufficit, ita nec probabilioritas: & viſa eſt demum illatione 9. quam nil valeat.

Ex his videbis, quandò omnes requirunt opinionem probabilem, quid *vi probabilem* addat ſupra opinionem; nemo enim dixit ſufficere opiniones, ſed Dei providentia ſervatum eſt nomen *probabile*. Videbis, inquam, quid addat: nam per opinionem ſolam habetur probabile *quo ad nos*; nihil enim opinamur, quòd probabile non videatur nobis. Additur ergo aliquid. Id autem eſt, quod ſit cum vero fundamento in re, & non ſolum *quo ad nos*,

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE SUFFICIENTIA PROBABILITATIS EXPLICATÆ, AD mores, & de inſufficientia aliarum.

EX Repulſis à probabili conſcientia tot probabilitatum modum planè æquivocis, & jam explicata probabilitate reali, & poſitiva, modò ſupereſt, ut videamus, an & quomodo probabilitas ita ſufficiat pro regula morum, ſitque recta, & ſana doctrina. Ex cujus tamen declaratione repelluntur de novo conſueta probabilia.

QUÆSTIO I.

Vtrum probabile explicatum, ſeu opinio probabilis ſufficiat pro regula conſcientiæ?

NOn quæro, utrum probabile ſeu opinio probabilis excuſet à peccato, ſed quæro, utrum ſufficiat pro regula conſcientiæ? Hoc nimirùm utrumque confundere ſanè videretur nimium oſcitare: omnes enim quærunt, an ignorantia invincibilis excuſet à peccato? & omnes jure affirmant: nemini autem in mentem veniſſe videtur quærere an ignorantia invincibilis ſit regula humanorum actuum? Et certè ſi eſſet regula non conflaret conſcientiam erroneam involuntarius error, ſed efficeret rectam; nec excuſaret actus noſtros, ſed per ſe ipſam ignorantia redderet illos rectos. Quòd à probabilitatum vulgarium Aſſertoribus non fuiſſe diſtinctum neſcio, quid fuerit: de quo poſteà.

Quare aliud eſt quærere, quid ſit faciendnm, quandò tibi occurrunt duo extrema in aliquo genere probabilia. alterum autem eorum probabilius, ſive re ipſa, & in ſe probabile ſit, ſive ſolum quoad te, & non in ſe? Hoc enim non hùc pertinet, ſed ſicut de ignorantiis, & erroribus eſt dicendum: quippe ſub d. Thoma Ductore res eſt jam comperta apud omnes Theologos, conſcientiam etiam erroneam ligare, & obligare: nec tamen conſcientia erronea eſt regula. Altera itaque quæſtio eſt de per ſe; de per accidens altera: & opinio ſolum quoad nos probabilior ſed falſa pertinet ad ſecundum genus. De hoc tamen dicam infrà.

Rursùs in quæſtione poſuimus *probabile*, ſeu *opinio probabilis*. Probabile ſignificat objectum; opinio probabilis ſignificat ſolum actum noſtrum opinantem circa illud objectum. Poteſt autem objectum probabile uſurpari à nobis pro regula vel opinando circa illud, vel nihil opinando, nec aſſentiendo rei ipſi, ſed ſolum cognoſcendo objectum illud eſſe in ſe ab intrinſeco, vel ab extrinſeco probabile; nam ex appendice objectum probabile ad aſſenſum non neceſſitat, ſicut ſcibile. De utroque ergo quærimus, an ſufficiat pro regula conſcientiæ.

§. I.

Rationes dubitandi.

ILlæ ſunt multæ, & difficiles. Prima; quia ſi probabile, aut opinio probabilis eſſet regula conſcientiæ, & morum, ſufficeret ad formandum ultimum dictamen prudentiæ de honeſtate operationis: at ad hoc non ſufficit; nam dictamen illud debet eſſe certum, & indubitatum, & evidens, nequit porrò ex ſolo probabili inferri, ac formari dictamen incertum, indubitatum, & evidens; nequit enim concluſio eſſe certior præmiſſis. Sed quia difficultas iſta apud me vim habet majorem, quam creditur, viſum eſt de ea ſeparatim dicere *quæſt. ſeq.* & explicare, quomodò recta conſcientia formari poſſit in ſolis, vel ex ſolis probabilibus.

Secunda difficultas ſumitur ex authoritate Auguſtini, qui hoc libro *quæſt.* 3. tanta mala dixit ſequi ex eo, quod quis vitam ducat ex probabili. Si autem dicamus, & reſpondeamus Auguſtinum loqui, quando nullus omninò præſtatur aſſenſus nec rei, nec probabilitati; quia ſcribit contra Academicos, qui omnem aſſenſum prohibeant. Hoc, inquam, ſi reſpondeamus, agimus ſanè nimis pueriliter, & phantaſticè ſine ullo fundamento in re, ut ex ſingulis lineis Auguſtini conſtat; nec enim indè tot illa mala ſequi dicebat, quia ſine aſſenſu nec probabilitatis quidem operaretur, ſed quia operaretur, & viveretur ex probabili, & totus invehitur in hoc, quod probabile defendat actus noſtros ab errore, id eſt, à culpa. Non dixit *libet per omne divinum dejerare, neſcire me prorsùs, quomodo iſte peccaverit, ſi quiſquis id agit, quod videtur probabile, nullum probabilitatis aſſenſum dando, non peccat.* Sed prorsùs aliud. Jam ergo Auguſtine, ſi adoleſcens ille ſuo probabili dediſſet aſſenſum, & conſcientiam accomodaſſet, nil peccaſſet. Sunt iſta nimium puerilia Malum totum (aiunt) erat in eo, quod nullus daretur aſſenſus, de quo nihil dicit: nihil mali in vivere ex probabili, in quod totus invehitur, & jurat. Eſt deinde ſimiliter phantaſticum, ut ex ipſo textu Auguſtini accipitur, Academicos ſaltem quoad diſputationem Auguſtini negare omnem aſſenſum; caſtigatè ſemper dixit aſſenſum, *rebus tamquam veris* præſtitum, & *lib. de utilit. credendi cap.* 11. teſtatum reliquit: *quamquam in illis etiam, qui ſe in agendo probabilia ſequi dicunt, ſcire potius nihil poſſe, quam nihil credere, volunt videre. Quis enim quod probat,*

non credit, aut quomodo eſt illud, ſi non probatur probabile. Rurſus Academici de vivere ex ſuo probabili non dicebant, id rectum non eſſe, nec ſi hoc conceſſiſſent, opus habebant impugnatione. Sed in his tempus terendum non eſt: totus Auguſtinus, & ſinguli uerſus hanc inanitarem conterunt. Ergo videtur, quod ſalva tanta authoritate Auguſtini dici non poſſe, probabile, aut opinionem probabilem ſufficere pro regula conſcientiæ

Tertia difficultas ſumitur ex D. Thoma quolib. 9. quæſt. 7. art. 15. dicente, *quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur.* Sed per opinionem nunquam habetur expreſſe veritas; nam expreſſe habere, expreſſum eſſe, ſignificat rem eſſe perſpicuam, manifeſtam. Neque verò nobis moris eſt philoſophari per loca communia, per quæ omnia eludantur: ac pro inde hic ſufficere non putamus dicere quodlibera iſta: vel eorum, aliquod non eſſe S. Thomæ.

Rursùs arguitur ex quodlib. 8. art. 1. 3. quia ut in ſuperioribus latiùs propoſuimus, hæc ad præſens habet: *aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita quod vere licet habere plures prabendas? Et tunc diſtinguendum eſt: aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſi iterùm peccat contra conſcientiam de contrario, ſed ſertitudinem; & tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum? & ſic ſi manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat. Aut ex contrariis opinionibus in dubitationem inducitur,* &c. & tunc non peccat. At omnis ſolùm habens objectum probabile, ſeu opinans circa illud; primo quidem committit ſe alicui periculo; quia res illa poteſt aliter ſe habere: deindè ex hoc ipſo ſemper inducitur in aliquam dubitationem; quod videtur eſſe proprium opinionis, & inſeparabile ab ipſa: & huc pertinet formido illa, quam omnes opinioni attribuunt. Ergo probabile, ſeu opinio probabilis non ſolùm non ſufficit pro regula conſcientiæ, ſed nec excuſar à peccato. Ubi etiam vides, quam nihil ſir in doctrina Sancti Thomæ cohærens cum ea, quam quaſi totum remedium induxerunt, ſcilicet de magis probabili.

Jam ex his nunc indicatis arguitur. Quartò, quia opinio probabilis non definit eſſe opinio propter probabilitatem: efficitur quidem in genere opinionis perfectiſſimæ; ſemper tamen manet opinio: de natura autem opinionis eſt timere, ne res aliter ſe habeat, & opinans exiſtimat, ſe fortè falli, ergo exiſtimat ſe fortè agere contra legem Dei: at operans cum hac animi diſpoſitione, ac dubierate peccat, ut urgetur multipliciter, ergo nec opinio probabilis poteſt eſſe regula conſcientiæ; quin nec excuſare à peccato. Cæterum hanc difficultatem ſimul cum prima, ad quam pertinet, in hac quæſtione prætermittimus, & in ſequenti diſtinctè tractabitur.

Quinto, arguitur: quia de natura probabilitatis tam ab intrinſeco, quam ab extrinſeco talis, eſt in aliquibus deficere: ergo regula probabilitatis eſt in aliquibus, & aliquando re ipſa contra legem Dei. Ergo volens uſurpare probabilitatem pro regula, vult in aliquibus, vel aliquando operari contra legem Dei re ipſa. At hoc velle eſt peccatum, ut conſtat. Ergo probabile nequit eſſe regula conſcientiæ. Et idem eſt de ipſa opinione probabili, quæ in aliquibus ſimiliter deficit.

Hinc argumentum illud proponitur, & reſumitur, quod ſuperius confectum eſt contra eos, qui pro regula conſcientiæ uſurpare volebant aliquid æqualiter indifferenter ſe habens ad legem Dei, & non legem. Nimirum ponamus juvenem annorum viginti, qui uſque ad annum ſexageſimum victurus eſt, ſi probabilitas regula eſſe poteſt, aſſumat illam, & ſtatuat ſemper vivere ex probabili. Ponamus ipſi in tota vita occurſuras occaſiones centum utendi hac regula. Jam cum ex ipſa probabilium natura conſequatur, in aliquo deficere, ex hac tota regula ſupponamus defectum contingere ter. Jam ergo juvenis ille volens uſurpare hanc regulam, vult ter opinari contra legem Dei. Hoc autem eſt peccatum, non ſolùm materiale, ſeu materialiter tale, ſed formaliter, ac imputabiliter tale; nam vult ſcienter operari vel ter, vel ſemel contra legem Dei re ipſa exiſtentem, ergo probabile nequit eſſe regula.

Sexto, arguitur paritate rerum humanarum. Videt eminus venator animal, & exiſtimat eſſe cervum, vel lupum: adſint cum eo viginti, vel triginta alii homines, quorum quidem octodecim, vel viginti octo conteſtentur illud animal eſſe cervum, aut lupum duo tamen conteſtentur non eſſe lupum, nec ſervum, ſed hominem: ponimus autem in his omnibus conteſtantibus omnia eſſe paria quoad veracitatem, perſpicaciam viſus &c. in hoc caſu peccaret venator ille, ſi vel ſagittam emitteret, vel pilum exploderet. Et tamen probabile eſt, animal illud non eſſe hominem; quando quidem multo eſt difficilius, viginti octo falli quam falli duos nec plerumque contingit primum.

Nec ſufficiens videtur communis ſolutio, qua uſum probabilitatis limitant ad eas res, in quibus non imminet præjudicium alterius, ſolumque volunt valere pro caſu, in quo ſolum eſt quæſtio de licito, vel non licito. hinc Judices, Medicos, Chirurgos, & alios excluſos volunt. & eos communiter obligant ad tutius, vel probabilius. Similiter excipiunt ſacramentorum materiam, quoties quæſtio eſt, non ſolum de licito, vel non licito, ſed etiam de valido, vel non valido, & uſum ſolum permittunt, quando pura puta imminet violatio materialis legis, non malum aliud, ut in caſu noſtri Venatoris; & doctrinam ſtabiliunt ex majori, vel minori; tanto, vel quanto bono Reipublicæ.

Conſequentius tamen alii hanc limitationem rejeciſſe videntur. Univrſim mihi ea reſpondendi via non probatur; quæ tota eodem modo ad dubia applicari poteſt: nec ex bono, vel malo Reipublicæ obligatio, vel non obligatio legum omnium intelligenda eſt, ſed earum ut ſummum, quæ ad bonum Reipublicæ ordinantur; non earum, quæ ad nos erga nos ipſos, & erga Deum rectè habendos diriguntur. Deindè ſatis magnum malum hoc ipſum eſt, ſcilicet violatio ipſa materialis legis Dei, tum de ſe, tum quia per illam aliquod bonum intendebatur, quo ſruſtratur. Idcircò ſciendo violare unam legem Dei, quæ nullius alterius quidquam intererit, eſt peccatum. Vel ergo habendo probabilitatem realem non legis, violatur etiam formaliter lex propter præviſum periculum violandi re ipſa, vel non violatur? ſi non violatur; ergo venator in caſu noſtro non peccabit ſagittam ejiciendo. Sin verò exponere ſe illi periculo violandi re ipſa legem pro-

hibentem

hibentem homicidium, non ſolum materialis, ſed formalis etiam violatio eſt legis idem erit de quacumque alia lege. Ergo nunquam probabile, aut opinio probabilis poteſt eſſe regula conſcientiæ.

Adde, quod admiſſa ea exceptione, & limitatione, vix ullus ſupereſt uſus hujus regulæ; nam pauci eſſe poſſunt caſus, in quibus præter violationem materialem non immineat alterum præterea malum, vel meum, vel proximi, vel Reipublicæ; quia lex omnis, ea ſaltem dempta, quæ ad purum exercituum obedientiæ imponitur, intendit aliquod bonum vel meum, vel proximi, vel Reipublicæ. Deinde tota materia utriuſque juſtitiæ commutativæ, & diſtributivæ, & omnes omninò contractus, ac multa hujuſmodi clarè debebunt excipi. Sed de his fortè infrà. Vel ergo venator in caſu noſtro ejiciendo ſagittam non peccat, vel peccat quilibet in qualibet materia regens ſe per probabile.

Ex his illud videtur accipiendum, quod adverſarii probabilitatis inculcant, *tene certum, & dimitte incertum*, & quod nulla non totaliter certa regula ſufficiat. Atque hujus partis leviora alia fundamenta videri apud ipſos objecta poſſunt, & apud alios ſoluta.

§. II.

Ad quæſtionem reſpondetur.

PRædictis non obſtantibus communis ſententia eſt tenenda, & dicendum, ſufficere probabile, & opinionem probabilem pro regula conſcientiæ. Concluſionem autem ſic pono: in omni; & qualibet materia probabile, & opinio probabilis eſt recta regula conſcientiæ, & humanorum actuum, ſed tamen cum onere. Hæc eſt concluſio univerſaliſſima ſine ulla materiæ exceptione, ſolum dicimus, eſſe regulam *cum onere*; & hoc primum eſt declarandum, ut mox ad partem principalem veniamus. Conſtat autem, de qua nos probabilitate loquamur.

Multæ ſunt in rebus humanis res de cætero quidem bonæ, & optimæ, ſed cum onere aliquo, à re vili, quam tamen expertus ſum, placuit incipere. Conducis mulam, aut equum ad iter faciendum; promittunt tibi optimum; ſed qui defectum unum habeat, quod in tranſitu fluviorum ſe velit volutare, niſi fræno accuratè teneatur. Sanè non ob hoc omittis equum de reliquo optimum, & conducis, cum eo tamen onere habendæ curæ ſpecialis in tranſitu fluviorum. Sic eſt in horologiis, ſic in amicis; in Dominis; famulis, & aliis infinitis rebus, & de reliquo quidem bonis; ad fines ſuos, ſed propter aliquem defectum onus ſecum aliquod afferentibus. Ita eſt in regula probabilitatis, quæ ferè nunquam ſanè fallit tamen aliquando; propter quem rarum defectum, quia tanti eſt nunquam operari contra legem Dei; onus ſecum ſuum affert, ut ſpecialis ſcilicet curæ; & attentionis, an in hoc; & in illo occurrenti caſu habeat exceptionem. Atque hoc onus hujus regulæ mea ſanè ſententia probat ſextum argumentum: quod proinde nova alia ſolutione non indigebit.

Jam concluſionis noſtræ pars principalis argumento authentico & innegabili videtur probari Primò; eſt alia indubitata regula conſcientiæ non ſolum non infallibilior probabilitate, ſed fundata in ipſa probabilitate. Intelligo ſemper realem, & talem in ſe. Ergo ipſa probabilitas apta eſt, ut regula eſſe conſtituatur conſcientiæ & humanorum actuum. Hæc argumentatio eſt facile reducibilis ad ſyllogiſmum; ſed de eo non curo; quia nemo videtur negaturus conſequens conceſſo antecedenti.

Antecedens conſtat innegabiliter in lege humana. Licet enim leges humanæ vim obligandi in conſcientia ſaltem ſub peccato theologicè tali accipiant à divina lege illas comitante, & roborante; quia juſſit univerſaliter obedire ſuperioribus, &c. tamen indubitatum eſt, quod lex etiam humana eſt regula, & ideo duplex illa pars illi tribuitur, vis directivæ, & vis coercivæ; illaque nos dirigit in ſua propria materia, & ipſa ceſſante ceſſat in ea lex etiam Dei, quæ illam comittatur, & roborat. Et tamen non eſt opinio, ſed principium apud ſapientes, humanam legem plerumque certè non deficere; in aliquo tamen, & aliquandò deficere, quia in ipſa noſtra probabilitate fundata eſt præſcribitque, quæ ferè ſemper ita fieri, expetibile eſt; prohibet, quæ ferè ſemper noxia ſunt, nec materiam habet neceſſariam, probabilem.

Hinc quoad legem humanam nata eſt neceſſitas æqui, & boni, ſeu epicheiæ. Ariſtoteles *lib.* 1. *Rhetoricor. cap.* 13. explicuit, ſed latius 5. *Ethic. cap.* 10. ubi tradit, quod juſtum quidem, & quod ſecundum legem, & jus exiſtit, bonum eſt: bonum etiam æquum, & bonum non autem juxta legem, ſed quia eſt emendatio legis, ſeu juſti legitimi, ſeu boni, & juſti præſcripti per legem. Et quia abſurdum videri poterat, juſtum legis emendatione indigere; & aliquid juſtum reddi emendatione legis, ſic probat: hujus emendationis neceſſitatem.

Cauſa autem eſt (inquit); *quia lex quidem omnis univerſalis eſt; fieri verò non poteſt, ut de quibuſdam rectè univerſalitor dicatur. In quibus itaque univerſaliter dicere neceſſe eſt; fieri autem non poteſt, ut rectè dicatur, in iis lex id accipit, quod fit plerumque, non ignorans peccatum. Et eſt nihilominus recta; peccatum enim non eſt in lege, neque in legislatore, ſed in ipſa rei natura Continuò namque rerum earum, quæ ſub rationem cadunt, materia talis eſt. Cum igitur lex univerſaliter quidem loquitur; in his autem præter univerſale quidpiam accidit; tunc rectè ſeſe habet, ea parte, qua legislator omiſit; atque peccavit abſolutè locutus, emendetur defectus. Quod ſi ipſe Legislator adeſſet, hoc modo dixiſſet, & ſi ſcivisſet jubentem legem tuliſſet. Quapropter juſtum quidem eſt, & præſtabilius aliquo juſto, ſed eo, quod peccat, propterea quod ſimpliciter* (ſcilicet in univerſali) *dictum eſt. Atque hæc eſt natura ipſius æqui, & boni, emendatio legis ex ea parte, qua deficit ob univerſale.*

Hanc totam tam veram doctrinam accipit, & explicat S. Thomas 2. 2. *q.* 1. 120. atque cum eo Theologi; & ſic v. g. lex depoſitorum reddendorum emendatur per æquium & bonum, ſeu epicheiam, ut ſi quis habens gladium in depoſito furioſus fiat, & eum repoſcat; aut alius repoſcat pecuniam ſuam ad Patriæ impugnationem, &c.

Ex hac autem doctrina habentur multa. Primò tota noſtra concluſio quoad partem principalem; & quoad onus injuſtum. Nam quoad partem principalem conſpicitur leges humanas ſaltem multas non eſſe ſemper, & quoad omnia ſingu-

laris

laria infaillibiles, ſed potius aliquando deficere, & fallere; eſſe tamen rectas, *quia lex accipit id, quod plerumque fit*: propter peccatum tamen incidens neceſſarium eſſe æquum, & bonum, per quod lex emenderur, quando peccat; & tunc hoc eſt juſtum, quod eſt ſecundum emendationem: & velle tunc facere juxra legem non juſtum, ſed injuſtum eſſet: & hæc emendationis neceſſitas eſt onus talium legum, quæ ſcilicet fundatut in materia probabili. Ergo idem eodem modo tenendum eſt de ptobabili, & de opinione probabili, quod recta regula ſit, ſicut lex; quia tamen aliquandò deficit, opus habet emendatione; & ideo hoc onus affert ſcilicet attendendi, & circunſpiciendi, an in hoc, an in illo fallat, v. g. in aliqua communiſſima opinione ſi quis videret, famoſos aliquos Authores, & quaſi principes conttatium tenuiſſe; in alia acre bellum ſuſcitatum; teneretur quis tunc ad examinandum, & benè videndum, quomodò ſe res habeat.

Habetur ſecundò neminem cum umbra aliqua rationis poſſe velle plus date opinionibus probabilibus quoad ſecutitatem, quam dictis legibus. At qui has vellet pro ſemper accipere, & omne æquum, & bonum tollere, temerè faceret, ut cetnirur in lege illa de depoſito. Temerè ergo faceret, qui ſemper ſine ulla unquam exceptione ſtate vellet opinionibus probabilibus puta communiſſimis.

Hinc accipiunt tertiò multa in ſuperioribus ſparſim dicta. Accipitur, quantum differat probabilitas ſpeculativa à probabilitate practica, & quomodo liceat aliquando agere conrra probabilius ſpeculativum, ut in caſibus à D. Thoma propoſitis: probabile ſpeculativum, & probabilius, & unicum extremum fundatum eſt reddenda eſſe depoſita: *in his tamen præter univerſale aliquid accidit*, ut loquitur Ariſtoteles, accidit quippè gladii dominum fieri furioſum; accidit, pecuniæ dominum velle impugnare Patriam. Hæc accidentia incidentia pertinent ad probabilitatem practicam: & ideò juſtum eſt operari contta juſtum probabiliſſimarum, & communiſſimarnm opinionum. Hoc idem contingit, quando Romani Pontifices diſpenſant vel in profeſſione ſolemni, vel in matrimonio rato &c. Conſiderantibus univerſale hoc non tam juſtum videtur; ſed talium inconſideratio emendatur per adducta Ab Ariſtotele. Diſpenſatio autem non fit per epicheiam; nam epicheia locum non habet in dubiis; & tunc eſt neceſſaria diſpenſatio, ut S. Thomas citata quæſtione reſolvit.

§. III.

Vlterior probatio concluſionis.

MUltæ probationes cumulari poſſunt ex obviis Authoribus; tamen quia aliquæ principiis noſtris non congtuunt; aliæ ex locis extraneis petuntur; aliæ fortè ab adverſariis argui novitatis poſſunt, ut iis morem geram, arguo ſecundò ex alio ttito, antiquiſſimo loco in terminis, quæ probationes totam noſtram ſuperiorem doctrinam obiter ſtabiliunt.

Ttitum eſt ergo ex *Ethicor* 1. & omnium teritur ore poſtulatum illud Ariſtotelis, motalem ſcientiam, quam exponere aggreditur, exactæ & demonſtrativæ probationis incapacem eſſe ipſa natura materiæ, & objecti: ſatis proinde, fore, ſi ex iis dicatur quæ plerumque contingunt atque indiciplinati fore plus poſtulare. Hoc autem poſtulatum, ab omnibus admiſſum eſt ibi ne à quoquam, quem ſciam, reprehenſum: & fuit præterea ibi ab Ariſtotele perſuaſum. At in hac ipſa materia modò verſamur: ſatis ergo eſt in illa regula plerumque ita ſe habens ſatis ergo probabile, & opinio probabilis, ſeu quædam totalis regula conflata ex multis talibus opinionibus.

Hic ſolum, & unicè reſponderi, aut dici è re poteſt, ſatis quidem futuram eam regulam, & ſcientiam boni, & mali ex plerumque contingentibus, id, ex probabilibus hauſtam, ſi regimini, ac lumini ſolius rationis noſtræ relicti fuiſſemus: at nos modo eſſe uberrimè inſtitutos dictis Dei, facti hominis Dei, quæ cuncta per fidem credimus; & doctrinis præterea, & factis ſanctornm Dei. Idcircò ſemel, & iterum, ac ſæpè ſcriptum eſſe, *juſtus ex fide vivit*; item *per fidem enim ambulavimus*: item de fide dictum eſſe, quod ſit *lucerna lucens in caligi noſo loco*: hac ergo lucerna videre, aut cognoſcere debetemus, quid ſit bonum, quid malum; quæ recta via, quæ ſecus ubi periculum, ubi præcipitium, ubi ſecuritas nec probabilitates, & opiniones ambulare, quandiu petegrinamur.

Hæc certè, quæ aſſumuntur, veta ſunt; nec tamen valet conſcientia contra probabilitatem: nam eodem modo fidem unicè ad omnia requirendo excludere, quod nefas eſt, Theologiam totam poſſent. Itaque licet multa, & maxima quæque per fidem habeamus, ſupetſunt ſemper multa determinanda per rationem, in quibus proinde probabilitas ſufficiat propter naturam ipſam materiæ, & indiciplinati etit in talibus amplius requirere; quia denique materia eſt de bono, & malo determinanda per rationem; & multoties deeſt medium certum. tamen, ut dixit, vera ſunt quæ aſſumuntur; quod juſtus ex fide vivit, ſcilicet ex illa, quæ per dilectionem opetatur, ut ſancti accipiunt, & ex Paulo conſtat: chatitate quippe ut alibi explicamus virtutes omnes moventur atque illa tanquam atchitectonica, & nos circa finem rectè diſponente, ac ordinante vita, qua juſtus verè vivit, & ambulat, tota ducitur: atque ita per fidem ambulamus. Eſt præterea fides lucerna lucens in caliginoſo loco; non ſolum quia præcipua, & maxima quæque per illam nobis conſtant, ſed etiam quia in illis, quæ per rationem noſtram determinanda, & cognoſcenda relicta ſunt, per illam ipſam manuducimur, & ad ipſam eſt ſemper inſpiciendum, ne in ſciendo, vel opinando erretur, & ſic illa eſt lucerna lucens in caliginoſo loco ad ipſas etiam probabilitates veras, & fundatas à phantaſticis diſcernendas: quæ latius explicare hujus loci non eſt, & dicere, quomodo nec vel una opinio probabilis ad vitam Chriſtianam ſufficiens inſtitui rectè poſſit ſine aliquo fidei adjutorio. Itaque per fidem excluditur ratio omnino, & totaliter antecedens: conſequens verò, & pediſſequa, & inſerviens minimè excluditur, ſed commendatur, ut alibi explicui. Confirmantur facta probatio à D. Thoma 2.2. *q. art.* a. ubi probat, duorum, vel trium teſtimonium ſufficere ad judicium: *certitudo* (ait) *non eſt ſimiliter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis, ſuper quibus conſtituuntur judicia, non poteſt haberi certitudo*

Digitized by Google

certitudo demonſtrativa eo, quod ſunt circa contingentia, & variabilia. Et ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, ſic in paucioribus à veritate deficiat. Hoc ſcilicet probabile fuit S. Thomæ notum. Sicut autem Judex tenetur videre, an teſtes exceptiones habeant, ſic & in re noſtra, ut dictom eſt.

Tertiò probatur concluſio à paritate rerum humanarum, à quibus ipſi adverſarii arguere ſolent contra probabilitates: nam quilibet prudenter ſe fidit Medico, & Chirurgo, qui plerumque & in plurimum recte curant; nec tunc adeſt exceptio: prudenter etiam homines navigant, tamen cum onere attendi ad mutationes temporis, & maris, & lunæ, licet aliqui aliquando perierint: & ſic in rebus, in humana fide, & in ſocietate, in contractibus, in emptionibus, & venditionibus, & menſuris &c. Ergo ſupra humanum modum eſt plus in omnibus velle in doctrina morum.

Quartò quia omne probabile ab extrinſeco eſt ſine vitio, & defectu intellectus opinabile & eſt rectè opinari circa illud: ſicut eſt rectè ſcire ſcibilia: nam ſic ſe habet probabile ad opinionem ſicut ſcibile ad ſcientiam: & ſimiliter omne probabile ab intrinſeco eſt ſine ullo vitio, & defectu credibile. Ergo in opinando, & credendo talia nullus eſt in intellectu defectus. Ergo nec erit defectus in voluntate. Hæc conſequentia probatur; quia ut ſuperius dictum eſt, voluntas non regulatur immediatè per legem Dei in ſe, ſed per illam applicatam humanam humana ratione: quæ proinde habet etiam rationem regulæ. Humana autem ratio non ſolum eſt ratio ſciens, aut ratio certa, ſed etiam ratio opinans; Ergo voluntas rectè, prudenterque ſe accommodat huic rationi. Sapienter quippè P. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 58. *cap.* 2. dicit: Sed quia humana diligentia non poteſt omnia ſine errore aſſequi, & abſque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum re ipſa eſt, ut in exemplo poſito de accedente ad non ſuam, & in aliis accidere poteſt: ideo illud in re debet dici naturæ humanæ convenire, aut diſconveniens eſſe, quod per rationem probabilem, & diligentem proponitur ſive in re ita ſit, ſive non Rectè igitur S. Thomas in hoc articulo dixit: rationem eſſe regulam humanarum actionum. Hæc rectè Vaſquez, ſi quando erratur, error eſt invincibilis. Confirmatur argumentum in probabili ab extrinſeco. Etenim alicui, vel aliquibus Doctoribus rectè ſtatur & creditur in doctrina morum: ergo rectè ſtatur, & creditur iis, quos difficile eſt falli; licet in aliquo falli poſſint, vel decepti ſint. Probatur conſequentia, quia in opinabilibus, & controverſiis vel nullus eſt, vel unus ſolus eſt, qui in nullo defecerit; quia nullus eſt; cui in omnibus quoad verba, & ſenſum cœteri conſenſerint. Quare ſi ille (in omnibus verus extitit, cœteri omnes in aliquo vel aliquibus ab illo unico receſſerunt; vel in quibus eum non rectè intellexerunt: quod ſi nimium eſt uni alicui tantum tribuere, ſequitur nullum eſſe qui in aliquo deceptus non ſit. Ergo non requiritur Doctor nunquam deficiens: Cum ergo ut ſatis eſt oſtenſum, non ſufficeret Doctor qui non magis habeat non falli, quam falli, qui quippe nihil facit credibile, concluditur probabilitatem extrinſecam ſufficientem ad regulandos mores eam eſſe, quæ difficulter fallitur, & quæ plerumque vera tradat, & raro deficiat. Eadem porro ratio eſt de probabilitate ad intrinſeco. Erg probabilitas, & opinio probabilis, eſt ſufficiens regula humanorum actuum.

Atque hoc pacto videmur ſatisfacere præcipuè intentioni utriuſque partis, neque ea poſtulando, quæ ſuper humanam ſint diligentiam, aut in omnibus controverſiis adſtrictas, & tutas opiniones obligando &c. Et ex alia parte non approbando pro regula humanorum actuum aliquid, quod citra omnem diligentiam omnes habent etiam dubitantes, ſcilicet aliquid, quod æqualiter indifferenter ſe habeat ad legem & voluntatem Dei, vel non voluntatem re ipſa, & requirendo humanam rationem vel certam ſcilicet fidei, vel ſcientiæ, vel ut minimum probabilem, qui eſt humanæ rationis gradus infimus. Ex dictis autem in ſecunda probatione accipiet quiſque commendationem hujus noſtræ viæ philoſophantis per probabile, & per plerumque contingens. Si enim hoc medium ad ſuam moralem ſcientiam conficiendam Ariſtoteli non defuit in iis, quę certa ratione non conſtarent, & re ipſa ipſam moralem ſcientiam conflare potuit; ſanè compertum videtur, nec nobis in iis, in quibus vel fides, vel certitudo totalis non adeſt, deficere poſſe ſimile medium per plerumque contingens ad determinandas in infimo gradu quæſtiones morales: imo eſt nobis id factu facilius propter adjutorium fidei, & propter alia. Hæc media facile is obſervabit, qui obſervare voluerit media illa, quibus Ariſtoteles ſuas de bono, & malo quæſtiones determinat: quorum mediorum copia nos multo magis abundamus: ea tamen hic ſignificandi haud duci, & docti ipſi per ſe illa intelligent.

§. IV.

Ad Argumenta reſpondetur.

AD primum, quomodo ex ſola probabilitate formari poſſit dictamen conſcientiæ ſufficiens ad rectitudinem, & honeſtatem conſcientiæ reſpondebo quæſtione ſequenti. Ad ſecundum, in quo mens, & authoritas Auguſtini objicitur, conſtat in primis, Auguſtinum habuiſſe probabilitatem pro regula ſufficienti, ut toties in libris Confeſſ. & in epiſt. 86 epiſt. 112. c. 22. & alias item de ſufficientia authoritatis humanæ ad multa epiſt. 112. conteſtatum reliquit & laudatum circa authoritatem S. Ambroſii, quæ ſanè infallibilis non extitit, ſed valdè difficulter fallibilis: atque alia ex aliis locis adducere prætereo brevitatis cauſa. Nunc circa totam mentem Auguſtini contra Academicos, primum exiſtimo probabile Academicorum laxius quid fuiſſe quam noſtrum, ut patet in exemplo adducto de liquida nocte, quæ ſæpiſſime fallit: ideoque navigantes ſpem quidem aliquam concipiunt futuri boni temporis, nec tamen ideo è portu ſolvunt, ſed expectant ortum Lunæ, vel Solis, & ſignum demum aliquod, quod raro fallat.

Deindè Auguſtinus præcipuè invehitur in probabile quoad nos ſolum tale; ideoque jusjurandum illud fuit, (liber per omne Divinum dejerare, neſcire me prorſus, quomodo iſte peccaverit, ſi quiſquis id egerit quod probabile videtur, non peccat. *Et anteà probabile viſum fuit* probabile ſibi occurrit,

occurtit, ſecutus eſt, fecit) Eodem pertinet oratio Carilinæ, qua Patriæ parricidium perſuaſit, id eſt apparens bonum videri fecit: ut ſuperius explicavi. Nos autem nequaquam dicimus eſſe regulam motum, hanc probabilitatem ſolum talem quoad nos, quæ videtur eſſe, & non eſt, & idem etiam dicimus de probabiliori & de certo ſolum tali quoad nos, quod quippe totum eſt tale ſolum apparenter, & ſophiſticè, & hæretici quoque, & Parricidæ patriæ habere potuerunt. Proinde nihil retuſamus, imo ex integro aecipimus doctrinam ſummi Doctoris, cum quo nos ipſam etiam probabilitatem reſolvimus ad veritatem: quod Academici facere non poterant, ut pote veritatem ininvenibilem judicantes. Stultitia porrò eſſet ex *l. util. creden. c.* 11. contra nos arguere: quin ſunt plurima in eo libro pro nobis quoties commendat humanam fidem. Ad tertium argumentum reſpondemus admittendo ſimiliter ex integro, & ſine gloſſa toram Doctrinam S. Thomæ, & fatemur, imo ſequitur ex doctrina noſtra, periculosè determinari omnem de peccato morali quæſtionem, *niſi expreſsè veritas habeatur*, nam in regula probabilitatis eſt periculum errandi, quia aliquando falli: timere proinde quis poteſt, an hac vice, vel in hoc fallat; propter quod periculum nos illud onus injunximus: reflectendi, & bene videndi an exceptio aliqua ſuppetat.

Jam doctrina illa alia S. Thomæ quod ſi opinio eſt falſa, tunc etiam ſecundum conſtientiam operando, peccatur, non huc pertinet, ſed ad tractationem de ignorantiis, in qua de hoc puncto diſſeretur. Iam quod ſubdit de habente opinionem veram, & de illo etiam certitudinem, qui *tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum*. In primis hoc non eſt contra nos, ſed contra omnes, omne nam loquitur de certo, & non de probabili: videtur quod S. Doctor ponat impoſſibilia: nam certitudo nequit componi cum dubitatione; imo neque probabilitas nec opinans eſt dubitans. Nihilominus tam de certo, quam de probabili cum oppoſitio tam obvia tantum doctorem latere non potuerit, intelligendum eum arbitror non de uno, & eodem inſtanti, ſed de variis: nam ſæpè accidunt hujuſmodi fluctuationes, & dubitationes: & nunc attendo, & inſpiciendo fundamenta unius partis, illa arridet, & videtur probabilis, jam etiam certa: mox vero vel Authores famoſi contrarium tenentes, vel inconveniens aliquod non terret, & mens in quamdam fluctuationem inducitur: ideò horæ aliquando, & dies inſumuntur, antequam ad partum veniatur ſententiæ, & reſolutionis ultimæ: quod certè ſpeculantes omnes experiuntur, & idem accidit in negotiis paſſim: & qui de nullo dubitant, ignorantiſſimi ſint neceſſe eſt. Hoc ergo dubitationis tempore, & jam opinando, jam dubitando operari, peccatum eſt. Nec aliud voluit S. Thomas; cujus tota mens ſatis ex dictis, ac dicendis conſtabit.

Ad quartum, in quo arguebatur, de natura opinionis eſſe formidare, atque illud *forſitan fallor, fortè eſt lex* &c. Reſpondetur ex appendice negando hoc genus formidinis, quæ repugnat opinanri. Solùm ergo opinans cognoſcit, non repugnare, rem ſe aliter habere: & hoc eſt formido opinioni tribui ſolita. Hæc autem formido non eſt contra honeſtatem operationis, de quo latè *quæſt. ſeq.*

Ad quintum, in quo opponebatur, probabilitatem neceſſario deficere aliquando; & ſic volentem regulari per probabile, per hoc ipſum velle operari aliquandò contra legem Dei. Ad hoc, inquam occurſum fuir per noſtram concluſionem.

In ſexto & ultimo opponebatur, non eſſe venatorem emittere ſagittam in animal exiſtens in conſpectu, de quo octodecim homines conteſtantur eſſe feram; duo autem aſſerunt, eſſe hominem. Fortè negabunt aliqui, non licere projicere ſagittam: ego certè non approbo. Alii ad ſolitum illud ibunt, quod immineat damnum: quaſi exactiſſimè noſſe oporteat cætera omnia bona, & mala: legem Dei verè noſſe, vel errare interſit vel parum, vel minus. Hæc via deinde habet alia inconvenientia, & itur ad conſequentias ſine fine, ut in argumento iſto ſexto indicatum fuit: & vix ad aliquid ſufficiat probabilitas. Certè mihi indubitatum eſt id, quod ſufficit, ut occiſio hominis ſit tibi imputabilis, & voluntaria, ſufficere, quando nulla occiſio, ſed ſola lex adeſt, ut hujus tibi violatio ſit imputabilis: & voluntaria: ergo formale peccatum.

Primò ergo retorqueo argumentum; quia ſi venator unum ſolùm habeat ſocium, qui vel vicinior ſit animali, vel perſpicatioris viſus, & ille conteſtetur, ibi eſſe lupum, venator non peccat projiciendo ſagittam; & tamen non habet certitudinem, ſed probabilitatem. Ergo ſufficit probabilitas.

Dicimus ergo in caſu objecto, videri quidem dari probabile; non tamen dari; non enim frequens, ſed rara, & rariſſima eſt illa contradictio videntium unum, & idem objectum cum æquali perſpicacia viſus, atque in eadem diſtantia. Eſt proinde caſus, in quo locum non habet plerumque contingens, nec probabilitas, quæ ut diximus, requirit univerſalitatem aliquam, ut ferè ſemper ſe habere poſſit ita, aliquandò non ita. Licet ergo in genere loquendo octodecim contra duos faciant probabile, in iis ſcilicet rebus, in quibus contradictiones contingere poſſunt; non tamen in iis circunſtantiis, & circa tale objectum circa quod rara, & vix poſſibilis eſt contradictio, quare ſi contingat, tanquam res inſolita, & rara, & præter univerſales regulas obligat ad novam inveſtigationem: nec intereà licet ſagittam projicere. Sic eſſet quoad teſtes: ſi duo teſtes oculati de homicidio deponant rem concludunt, ſi exceptionem non habent: at licet eſſent ſex, vel octo, vel plures, & duo æqualis authoritatis deponerent etiam de viſu non à Petro ſed à Franciſco commiſſum homicidium, caſus eſſet irregularis, & intricatus, & ad novam curam & diligentiam obligaret Judicem. Sic ferè erit, quoties ſimilia contingunt etiam circa Authores, ut ſi intelligentiſſimus Author juramento obteſtaretur, & clamaret, ſententiam aliquam communem eſſe tutam.

QUÆSTIO II.

Quomodo ergo ex probabilibus formari poſſit dictamen conſcientiæ Vbi de hujus dictaminis certitudine.

DIfficultas quæſtionis, cujus ſenſus eſt perſpicuus, ex eo naſcitur, quod ſive de honeſtate opera-

operationis, ſive de non peccato ſermo ſit videatur neceſſarium habere ultimum dictamen conſcientiæ certum; & evidens, quo nobis conſtet, vel ſine peccato, vel etiam honeſtè nos agere, ut communiſſima tenet ſententia: aliunde verò videatur impoſſibile ex probabilibus formare, ac elicere dictamen, ita certum, & evidens: nam hoc dictamen fundatur in antecedentibus cognitionibus: ergo per regulam concluſionum nequit conſcientia eſſe certior illis: cum ergo antecedentia ſint ſolum probabilia; & de horum naturà jam explicata ſit defectibilitas, & non certitudo, prorſus videtur impoſſibile habere, ac formare conſcientiam certam, & evidentem in materia ſaltem ſolum probabili.

Cajetanus 1. 2. *quæſt.* 57. *art.* 5. de horum concordia latè cum latè cum Scoto *in* 3. *diſt.* 36. diſputat, & à veritate intellectus ſpeculativi egrediens, in quo in probabilibus, & in non neceſſariis locus eſſe nequit certitudini, recurrit ad intellectum practicum, in quo quærit, & ponit certitudinem, & infallibilitatem. Sed nos infra tractabimus de veritate intellectus practici, & prudentiæ, an illa ſit ſeparabilis à veritate intellectus ſpeculativi; & ex dicendis in hac quæſtione conſtabit, quam ſit impoſſibile intellectum practicum eſſe certum, & infallibilem, ubi & quando ſpeculativus non eſt certus nec infallibilis.

Jam alii propoſitam difficultatem facile removere ſibi viſi ſunt per reflexas. Aiunt enim in rebus probabilibus nullo negotio formari dictamen conſcientiæ certum & evidens vel de non peccato, vel de honeſtate operationis; nam omnis operans in materia probabili, ſive in forma ſyllogiſtica, ſive ſine forma ſyllogiſtica facit hunc ſyllogiſmum: licet uſus probabilitatis, ſeu opinionis probabilis: ſed hoc objectum, vel hæc opinio eſt probabilis v.g. hunc contractum non eſſe uſurarium. Ergo licet uſus hujus probabilitatis. Ergo ego hunc contractum hic, & nunc ineundo non pecco, & ſi ſine honeſto movear, honeſtè operabor. Dicunt, has duas concluſiones eſſe certas, & evidentes, ſecunda autem eſt ultimum dictamen conſcientiæ de quo eſt quæſtio. Ex quo tamen ſyllogiſmo utraq; præmiſſa falſiſſima eſt in ſenſu arguentium, nec quidquam evidentiæ; vel certitudinis habere, nobis videtur, de quo *infrà.*

§. I.

Reſpondetur ad quæſtionem.

RESpondeo difficultatem hujus quæſtionis eſſe de ſubjecto non ſupponente ex late tractatis & determinatis a.d. Th. *q.* 17. *de ver. ar.* 2. ubi quærit *utrum conſcientia poſſit errare?* proculdubio in ſuo dictamine, quo ſcilicet exiſtimatur aliquid eſſe bonum hic, & nunc, vel eſſe malum, vel abſolutè, vel in tanto. Patet enim, quod ſi dictamen conſcientiæ eſſet certum, & infallibile, ipſa quoque conſcientia, de qua eſt ſermo, aliud non ſit, quam illud ipſum dictamen: de quo eſt *qu.* Et quemadmodum ſtultum eſſe dicere, ſcientiam poſſe errare; ſic eſſet de conſcientia, ſi omni ejus actus eſſet certus, & infallibilis.

Propoſitis autem octo argumentis ad probandum conſcientiam errare non poſſe, contra arguit ex Joan. 16. *venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obſequium ſe præſtare Deo: ergo his* (inquit) *qui occidebant Apoſtolos, dictabat conſcientia, quod ex hoc placerent Deo, ergo conſcientia errat.*

Mox reſolvit. *Reſpondeo: ſicut ex dictis patet, conſcientia nihil aliud* eſt, *quam applicatio ſcientiæ ad aliquem ſpecialem actum in qua quidem applicatione contingit eſſe errore dupliciter. Uno modo, quia id, quod applicatur, in ſe errorem habet) alio modo quia non bene applicatur*, quia aderat circunſtantia, vel cauſa aliqua obſtans.) *Sicut in ſyllogizando contingit peccatum dupliciter, vel ex eo, quod quis falſis utitur, vel eo, quod non rectè ſyllogizat:* quam doctrinam ibi latè explicat.

In judicio quidem univerſali, ſynderesis negat poſſe contingeret peccatum. At in judicio univerſali rationis ſuperioris contigit errare, & inde etiam conſcientia, errat, (ut cum quis exiſtimat, eſſe ſecundum legem, vel contra, quod non eſt, ut hæretici, qui credunt juramentum eſſe prohibitum; & ideò error accidit in conſcientia propter falſitatem, quæ erat in ſuperiore parte rationis, Et ſimiliter poteſt contingere error in conſcientia ex errore exiſtente in inferiori parte rationis, ut cum aliquis errat circa civiles rationes juſti, vel injuſti, honeſti, vel inhoneſti.) Deindè in reſponſione ad primũ, & in corp. tradit, quod licet non ſit error in univerſalibus judiciis, contingat conſcientiam errare, *propter errorem particularis aſſumptæ, vel propter indebitum ratiocinandi modum.*

Ex his videtur accipi, quòd difficultas noſtræ quæſtionis ſit de ſubjecto non ſupponente nam ſupponitur certitudo, & infallibitas conſcientiæ, ſeu dictaminis conſcientię quod eſt idem: at hoc falſum ſupponere; nam conſcientia noſtra non habet infallibilitatem illam, & certitudinem de non peccato, vel de honeſto; quin in hoc ipſo errare poteſt, & in hoc ipſo poteſt eſſe erronea, quòd exiſtimat, ſe non peccare; ſeu honeſtè agere, & hoc dictet; *ſi enim* non hoc, *ſed contrarium dictaret, non erraret conſcientia*, ut reſpondet S. Doctor art. 4. ad 6.

Dices fortè, S. Thomam tractare de conſcientia erronea, quando nõ excuſat à peccato: nõ enim eſt remorſus aliquis: te autem ponere dictamen certũ, & infallibile, quando omnino nõ peccamus, & totaliter excuſamur à peccato, túcq; requiri dictamẽ infallibile, & conſcientiam certã ac indefectibilẽ.

Sed hęc gloſſa, licet ora obſtruere ſit impoſſibile, eſt manifeſtè ultrò quęſita: & contraria intentionĩ S, Doctoris, cujus quęſtio eſt univerſalis de cõſciẽtia, an poſſit errare; & affirmat univerſali doctrina ſine mentione hujus gloſsę: quẽadmodùm de opinione, & opinante dicimus, errare poſſe; & à contrario de ſcientia, & fide errare non poſſe. Rurſus quia in argumento ſecundo ſibi oppoſuit ſcientiã nunquã errare; nec conſcientiã proinde errare. Ad quod reſpondet conſcientiã addere ſupra ſcientiã applicationem ejus adductũ particularẽ; & in ipſa applicatione poteſt (ait) eſſe error, quamvis in ſciẽtia error non ſit. Tractat ergò, & determinat de cõſcientia ex ipſa ſua natura; & ex ea eſt illa indefectibilis, & errori obnoxia; ſicut à contrario ſcientia eſt expers erroris, & certa, ac infallibilis. Deinde ſi conſcientia erronea non excuſans ſeper ſecum afferret remorſum illum nunquã ligaret, & obligaret conſcientia erronea, ut S.D. art. ſeq. determinat, & tenent Th. omnes: nam remorſus eximeret ab obligatione. Pręterea lib. ult. conſtabit, conſcientiã erroneam non erroneam non differre per remorſum; & multos hęreticos, & alios peccare exiſtimando obſtinatiſſimè veros eſſe errores: quos credunt, ut fuit caſus. S. Tho. ex Evangelio propoſitus de occiſione Apoſtolorum. Poſtremo quia niſi Doctrina S. Thomæ eſſet univerſalis, qua conſcientiam ex modo ſuo proprio & ex natura ſua traderet, eſſe defectibilẽ, & errori expoſitã, ridicula videretur quęſtio; an conſcientia poſſit errare? ſed dividendæ fuerant prius conſcientiæ atque de recta, & de excuſante à peccato tra-

QUÆSTIO XX.

Ex his clare deducuntur gradus Autoritatum & quæ opiniones ſint præbendæ, & eligendæ.

EX his itaque, quæ in antecedentibus quæſtionibus conſtituta, & declarata ſunt, clarè conſtat omnes gradus Autoritatis imaginabilis, infra quos nulla prorſus ſit autoritas, cui ſtari poſſit aut credi.

§. I.

De gradibus Autoritatis.

ACcipitur ex dictis quod & omnes ſine contradictione concedunt ſaltem in aliis materiis uniuſcujuſque, aut quorumcumque autoritatem tantam eſſe, nec majorem, nec minorem, quanta fuerit illius, vel illorum veritas in cognoſcendo; & in dicendo, ſeù quanta conformitas intellectus ejus, vel eorum ad res, & quanta conformitas oris, aut dictionis, ad intellectum; quin hæc immutari, aut quidquam aliter ſe habere poſſint per ullas deflexas quorumcumque ſubtiliſſimorum etiam hominum.

Hinc ergo ad tres gradus infra quos nihil fit autoritatis, omnis autoritas imaginabilis revocatur. Primus eſt autoritatis; illius cujus intellectus repugnat non conformari rebus; & cujus, os, aut dictio repugnat non conformari intellectum. Hic eſt ſupremus gradus, quem habet Deus glorioſus, qui eſt infallibilis in cognoſcendo, & dicendo.

Ad hunc gradum reductivè pertinet in rebus fidei autoritas Sanctæ Eccleſiæ, Sacrorum Conciliorum, nec non Romani Pontificis definientis ex cathedra in ſenſu compoſito horum terminorum, ac promiſſionum divinarum, per quas promittit Deus ſe adfuturum, in quorum ſenſu compoſito repugnat eos errare, aut fallere in rebus fidei. Qualiter autem Deus ſic aſſiſtens, & loquens quoad formale locutionis differat: an rurſus hæc poſtrema eundem omnino infallibilitatis gradum cum Deo loquente habeant? nec ad præſens pertinet, & alias expoſuimus.

Secundus gradus autoritatis eſt alicujus multitudinis, cujus licet ſinguli falli poſſint, aut fallere, tamen repugnat omnes ſimul falli, aut fallere. Hunc gradum habet imprimis genus humanum: quod latè oſtendi aliàs. Habent etiam multitudines humano genere minores, ut hiſtoricorum omnium, peritorum omnium in aliqua arte, ſcilicet ſemper, & ubique omnium. Hic gradus facit rem totaliter certam. Sic certum eſt extitiſſe Scipionem, Annibalem, Pompejum; dari Japoniam, & Americam &c. nec de his magis dubitamus, quam de combuſtione ignis; & ſimilium. Quin ipſe ille primis principiis ſcientiarum præſtitus aſſenſus dependet etiam ex hac autoritate, ſine qua firmus non foret.

Tertius, infimus gradus autoritatis eſt illius, vel illorum, quem vel quos difficile eſt falli, aut fallere. Ex quo neceſſe eſt, eum, vel eos ſaltem plerumque verà dicere; & ejus, vel eorum intellectum eſſe conformem rebus, & dictionem eſſe conformem intellectui: ex quo habent raro fallere &c. Hic eſt inquam infimus gradus autoritatis, qui rem non quidem certam, ſed credibilem, & ab extrinſeco probabilem facit: quem in quæſtionibus præcedentibus requiſivimus ad probabilitatem realem, & conſcientiæ. Quia tamen difficilia aliquando contingunt, hæc autoritas eſt obnoxia exceptioni; quam tamen; qui opponit, probare tenetur. Infra hoc eſt purum contingens, ut ſatis oſtenſum fuit. Ex quibus patet, quod *libr.* 1. *quæſtion.* 7. eſt etiam oſtenſum nullum privatum Doctorem eſſe infallibilem regulam morum.

§. II.

De electione opinionum.

EX tota noſtra doctrina illæ illationes conſequuntur circa electionem opioionum, quas omnes deſiderant, & laudant ſaltem in cauſa non ſua, & in qua paſſionem non habent. Primo ergo univerſaliſſimè ſequitur, opiniones communiſſimas omnis ætatis relativè ad ſingulares unius, vel paucorum habere cæteris ſervatis paribus, autoritatem tertii gradus: nam cæteris paribus multo eſt difficilius falli, aut fallere plurimos quam unum vel paucos. Secundo ſequitur opiniones ita communes aliquando, & in paucioribus deficere: & tunc contrarias unius, vel paucorum eſſe veras, & eligendas.

Tertio tamen hoc circa ſequitur, neceſſe, quod opinio ſingularis contra communem probet tunc poſitivè exceptionem, & fallentiam opinionis communis: quod fiet probando clare, & manifeſtè exceſſum in fundamentis, atque in eorum qualitate. Hoc enim eſt ſecundum rationem, & jura; nam opponens contra ea; quæ plerumque contingunt; tenetur poſitivè probare: alioquin præſumitur, & creditur contrarium. Sic eſt ſi opponas matrem aliquam non diligere filium; ſolitum vera dicere, ſolitum non jurare, non inebriari &c. falſum dixiſſe, aut juraſſe, aut, inebriatum fuiſſe: & è converſo: S. Auguſtinum, aut ſimilem Doctorem deceptum eſſe &c. Pro qua illatione vide Sanchez cum aliis *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9.

Hinc intellectum, & concordiam habent ea documenta, & præcepta, quibus aliquando communibus opinionibus ſtare edocemur, & aliquando contrariom. Nam ſermo Dei Eccl. 6. *in multitudine* (ait) *presbyterorum prudentium conſiſte; & ſapientiæ illorum ex corde conjungere &c.* & 8. *non te prætereat narratio ſeniorum* &c. *Proverb.* 11. *ſalus ubi multa conſilia*: atque hoc genus per multa, ut ex 18. Deuter. 1. &c. In contrarium ex 23. *nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies*: ac multa alia; & in Evangelio communes aliquæ opiniones Doctorum legis repobantur: & à Scribarum, & Phariſæorum fermento cavere monebantur &c.

Simi-

Similiter in Philoſophia Ariſtoteles ſapientium dictis tanquam demonſtrationibus ſtandum tradi. . intrea ipſe Platoni, & ſapientibus veritatem præhabendam docet: ac t. Topic. 12. ſtandum air judicio vel omnium, vel plurium &c. & ſapientiſſimorum, & horum vel omnium vel plurimorum, vel notiſſimorum. Paucos ergo aliquando, ſed eos notiſſimos, quosque noſti in puncto aliquo contra multos eminuiſſe, præferre in eo debes. . .

Hinc etiam dicta aliquorum Theologorum, ut Cani, Vazquii, Joannis, Sanchez, & aliorum de turba Doctorum: item Granadi, Sanchez, Arauxi, & aliorum de multitudine inſtar ovium, & avium alios ſequente: eorumdem à contrario pro communibus ſententiis ſuffragia, & commendationes videntur concordari per eam diſtinctionem de plerumque, & raro, idoneris, ut ſemper noto, ſingularibus imponendo, ut ipſis incumbat onus probandi, nec alioqui quidquam efficiunt: . .

Ad communitatem porrò opinionis pertinent non ſolum Autores hujus loci, ſed omnium; nec hujus ſolum temporis, ſed omnium in iis rebus, in quibus vel in loco, vel in tempore variationem non fecit, aut Eccleſiæ univerſalis, aut particularis autoritas, lex, aut conſuetudo, aut ſi quid eſt aliud ſimile.

Quartò, ſequitur ad communitatem doctrinæ, vel opinionis nihil facere puros commentatores, puros collectores, citatores, tranſcriptores; nec cæteros modo hiſtorico procedentes: commune enim efficitur ex numero non hominum, ſed Autorum, & Doctorum; quorum proinde quilibet addat, ponatque aliquid conferens ad difficultatem; nam commune eſt magnum relativè ad ſingulare: majus autem, & minus fiunt additione, & detractione. Ad quam rem declarandam confert multum doctrina recta S. Bonaventuræ *in prolog. ſent. q.* 4. Ad intelligentiam dictorum notandum (ait) quòd quadruplex eſt modus faciendi librum. Aliquis enim ſcribit alienam materiam nihil addendo, vel mutando: & iſte merè dicitur ſcriptor. Aliquis ſcribit aliena addendo, ſed non de ſuo: & iſte Compilator dicitur. Aliquis ſcribit aliena, & ſua, ſed aliena tanquam principalia, & ſua tanquam annexa ad evidentiam: & iſte dicitur Commentator. Aliquis ſcribit aliena, & ſua, ſed ſua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmationem: & talis debet dici Autor. Talis fuit Magiſter &c. Hæc ille: Jam ergo omnes hos inter Autores connumerare, ut ſententiam communem eſſe judices, eſt ultro velle errare.

Quintò, ſequitur eam præſcriptionem, ſeu defenſionem, qua aliqui uſum quarumlibet opinionum contradicentium, & quocunque genere probabilitatis probabilium defendere, ac inexpugnabilem facere volunt, ipſam communitatem per communitatem vindicando, inquam, hanc præſcriptionem, & defenſionem eſſe nullam, atque regulis philoſophicis repugnantem, dato, & non conceſſo, ſententiam illud genus probabilitatis defendentem eſſe communem: nam contra potius oſtenſum ſæpè fuit, eam ſententiam eſſe repugnantem Autoribus quibusque gravibus ſingulis, & omnibus.

Sextò, Sequitur, opinionis communis contra æqualiter, vel ferè æqualiter communem cæteris paribus nullum eſſe gradum autoritatis probantis, ſeu facientis rem probabilem, aut credibilem quoad id, in quo eſt contradictio. Etenim neutra pars tunc in vi communitatis habet magis non falli quam falli, & quantum habet ponderis, tantum habet exceptionis: & concluſio manet neutra, & incerta: ut conſpicitur in teſtibus.

Septimò, ſequitur, nullam eſſe prudentiam, neque modeſtiam, neque reverentiam in eo, quod quis velit in his variare: neque eſſe irreverentiam, aut ſuperbiam in eo quod velit quis ſtare his regulis. Quippe per inconſiderationem opponere aliquis poteſt, videri irreverentiam, & ſuperbiam ſi quis dicat in aliquo dicto tuto ſtari non poſſe v. g. Cajetano, qui in eo dicto habet ſibi contrarium, v. g. victoriam quem ea in re ſupponamus non eſſe minus ſapientem. Nam id nulla eſſe irreverentia erga Cajetanum, ſed potius contrarium eſſet contemnere Victoriam ſine jure, & ratione ulla: qui ſtare Cajetano eſſet credere Cajetano: ergo eſſet judicare Cajetanum extitiſſe verum in re: Victoriam proinde falſum: quod proinde an ſit reverentia erga Cajetanum neſcio: Certè irreverentiam voluntariam fore erga victoriam nemo non videt, Hi caſus ſunt ſicut bilancium & ſicut in his qui unam partem elevat, alteram deprimit neceſſario, ſic in omnibus Autoribus, & ſcholis contradicentibus unam partem elevare eſt alteram deprimere, & unam approbare eſt reprobare alteram. Æquius ergo eſt de æqualibus æqualiter judicare.

Octavò & ultimò ſequitur ex natura ipſa probabilium, aliquando ſaltem, & in paucioribus opiniones, quæ dicuntur minus probabiles eſſe re ipſa veras. Quare dato quod paulo poſt determinabimus; probabile eſſe rectam regulam morum, ſequitur non ſolum licere, ſed melius etiam eſſe aliquando ſequi opiniones, quæ dicuntur minus probabiles. Tamen ut toties dictum eſt, neceſſe tunc eſt habere fundamenta excedentia quibus opinio contraria, quæ communiſſima eſt, & probabilior reputatur, poſſit vinci, atque ſuperari, Atque non ſemel hujusmodi opiniones ab aliquibus defenduntur non ſolum licitè, ſed cum magno merito apud Deum.

§. III.

De aliis conſectariis.

NOnò, ex traditis ſequitur, ſumpto objecto cum omibus ſuis circumſtantiis loci, temporis &c. eſſe unam, eamdem probabilitatem realem reſpectu Doctorum, & hominum omnium locorum, & temporum, & ſi Autores, vel homines unius loci, vel temporis habent, vel habuerunt opinionem hac reali probabilitate probabilem, niſi mutato objecto, nequit talis opinio fieri improbabilis.

Vice verſa eſt de probabilitate purè tali quoad nos, quæ ſcilicet videtur nobis eſſe, & non eſt, & ſimiliter de probabilioritate; nam cujus generis eſt poſitivum, ejusdem eſt comparativum. Hæc probabilitas tota eſt variabilis; nunc eſt, & non fuit prius: & nunc non eſt, & poſteà ſæpè rurſus erit: hic eſt, & ibi non eſt; ibi eſt, & hic non eſt: in

uno loco una opinio eſt probabilis, vel probabilior; alibi non: quod ſatis quoad loca vidimus, qui in uno ſolo non conſtitimus. Habetur in una univerſitate communiſſimè opinio aliqua; eſt ibi probabilis, & probabilior: alibi in alia ſchola nunquam audita fuit: ſi ab aliquo ibi inducatur, vix toleratur, aut videtur probabilis, quæ alibi probabilior habebatur: quin intra unam, eademque urbem eſt una opinio probabilior in una domo, & in alia minus probabilis: veriſſimum quippè eſt documentum Ariſtotelis 2. Metaph. cap. ult: quod *plerique judicamus, quemadmodum conſuevimus:* & quod Auguſtinus epiſt. 3, uſurpat ex Julio; *magni quippè eſt ingenii ſevocare mentem à ſenſibus, & cogitationem à conſuetudine abducere.* Diximus in ſuperioribus, hanc ſive probabilitatem ſive probabiliriotatem non eſſe probabilitatem conſcientiæ, & quæ illius regula eſſe poſſit: quod nunc ex ipſa illius natura adeò verſatili & varia, quæ vix in duabus domibus, vel etiam cubiculis ſibi conſtat, ſatis videtur compertum.

Hinc decimò controverſia illa dirimitur, qui quibus Autoribus in doctrina motum ſint præferendi, antiquiores, àn poſteriores? Hinc utrumque extremum eſt vitioſum vel antiquos unicè, vel poſteriores unicè accipientium, quoties ſumus in re nihil variata ſucceſſu temporis vel lege, vel conſuetudine. Qui utrimque pugnant, allegant alii venerandam antiquitatem, & alia: contrarii allegant, multa de novo eſſe inventa, res eſſe valdè promotas novis laboribus. Reſolutio eſt omnes eſſe audiendos, & in contradictione dijudicandum, qui difficilius falli potuerint, & his eſt ſtandum; quia probabile, ſicut verum eſt, pro omni tempore.

Sed quæris, cæteris paribus in doctrina morali, qui ſunt præferendi, an antiquiores, an noviores; & pro his allegatur, quod viderint antiquiorum doctrinam, & fundamenta. Ego ſanè vel uno libro admirabili S. Auguſtini de utilitate credendi, ſatis, ſuperque perſuaſus ſum; in omni illa doctrina, quæ Chriſtianorum propria eſt, quæ tota eſt de recta fide, & rectis moribus, primas, ac potiſſimas partes eſſe autoritatis; minores multò, ac inferiores rationis; quæ tandem totius doctrinæ noſtræ autoritas reſolvitur ad autoritatem Dei, qui nos de fide, & moribus inſtituere dignatus eſt majori incomparabiliter beneficentia, quam ſi Rex meus vellet fieri Magiſter meus.

His ita apud me indubitatè ſe habentibus, Deus glorioſus Eccleſiam ſuam in recta fidei, ac morum doctrina conſervat, docet, ac inſtituit per Doctores, & Paſtores &c. ſicut ſcriptum eſt. Eccleſiam autem poſteriorem edocet, & inſtituit non per Doctores ſolum præſentes, ſed etiam per antiquiores quorum doctrinæ permanſerunt: at per Doctores conſequentes non potuit, edocere, & inſtituere Eccleſiam anteriorem. Quarè in illis providebat etiam nobis poſteris. Difficilius ergo fuit, antiquos falli. Explicatur: difficilius eſt Doctores omnes, vel Authores Eccleſiæ falli, quam partem Autorum Eccleſiæ, ut nemo non concedit: at antiqui erant omnes; quia reſpectu Eccleſiæ tunc ſumptæ non includebantur præſentes; præſentes autem reſpectu præſentis Eccleſiæ non ſunt omnes ſed pars. Cujus rei omiſſa ulteriori declararione, confirmatione, ego cœteris paribus antiquiores præferendos puto. Nec per hoc præſentibus præjudico, qui ſcilicet, niſi brevi finiatur mundus, diutiùs erunt antiqui, quam novi: & ſi futuri viderint, nos pro nobis dixiſſe ſententiam, ore nos noſtro condemnabunt. Non ergo noſtris ingeniis ſtat, verbo Dei Sancta Mater Eccleſia: pro famulatu quidem exiſtimamus utiliſſimi: pro imperio ridiculi, ſicut ſapientes gentium.

Multas alias illationes prætereo. Conſtat id ſatis ſine nova explicatione, quantum diſtet probabile explicatum à probabiliori communiter ita vocato, quod à probabilitate reali, ſecundum ſe tali præſcindit. Probabilitas realis nunquam convenit extremis contradictoriis, ut ſatis eſt oſtenſum. Eſt unum objectum alio probabilius, ut probalius eſt amare Parentes quam amare Benefactores; & una ſimiliter opinio eſt probabilior altera. At quando comparativè ad ſuam contradictoriam probabilior dicitur, non de probabilitate reali ſermo eſt, ſed de probabilitate opinionibus contradictoriis dari ſolita: item de negativa: item magis probabile ſæpè confunditur cum magis communi. Et tunc dicimus *illatione* 8. aliquando ſolas opiniones minus probabiles, eſſe probabiles probabilitate reali, & conſcientiæ. Abſolutè autem, cujus generis probabilitas non ſufficit pro regula conſcientiæ, nec ſufficit probabilioritas: nam ſi eſt realis, & ſecundum ſe, ſufficit probabilitas, ut mox defendam: ſi eſt alterius generis, ſicut probabilitas non ſufficit, ita nec probabilioritas: & viſa eſt demum illatione 9. quam nil valeat.

Ex his videbis, quandò omnes requirunt opinionem probabilem, quid *τὸ probabilem* addat ſupra opinionem; nemo enim dixit ſufficere opiniones, ſed Dei providentia ſervatum eſt nomen *probabile*. Videbis, inquam, quid addat: nam per opinionem ſolam habetur probabile *quo ad nos*; nihil enim opinamur, quòd probabile non videatur nobis. Additur ergo aliquid. Id autem eſt, quod fit cum vero fundamento in re, & non ſolum *quo ad nos*.

LIBER TERTIVS:

DE SUFFICIENTIA PROBABILITATIS EXPLICATÆ, AD mores; & de inſufficientia aliarum.

EX Repulſis à probabili conſcientia tot probabilitatum modum planè æquivocis, & jam explicata probabilitate reali, & poſitiva, modò ſupereſt, ut videamus, an & quomodo probabilitas ita ſufficiat pro regula morum, ſitque recta, & ſana doctrina. Ex cujus tamen declaratione repelluntur de novo conſueta probabilia.

QUÆSTIO I.

Vtrum probabile explicatum, ſeu opinio probabilis ſuffi.iat pro regula conſcientiæ?

NOn quæro, utrum probabile ſeu opinio probabilis excuſet à peccato, ſed quæro, utrum ſufficiat pro regula conſcientiæ? Hoc nimirùm utrumque confundere ſanè videretur nimium oſcitare: omnes enim quærunt, an ignorantia invincibilis excuſet à peccato? & omnes jure affirmant: nemini autem in mentem veniſſe videtur quærere an ignorantia invincibilis ſit regula humanorum actuum? Et certè ſi eſſet regula non conflaret conſcientiam erroneam involuntarius error, ſed efficeret rectam; nec excuſaret actus noſtros, ſed per ſe ipſam ignorantia redderet illos rectos. Quòd à probabilitatum vulgagarium Aſſertoribus non fuiſſe diſtinctum neſcio, quid fuerit: de quo poſteà.

Quare aliud eſt quærere, quid ſit faciendnm, quandò tibi occurrunt duo extrema in aliquo genere probabilia. alterum autem eorum probabilius, ſive re ipſa, & in ſe probabile ſit, ſive ſolum quoad te, & non in ſe? Hoc enim non hùc pertinet, ſed ſicut de ignorantiis, & erroribus eſt dicendum: quippe ſub d. Thoma Ductore res eſt jam comperta apud omnes Theologos, conſcientiam etiam erroneam ligare, & obligare: nec tamen conſcientia erronea eſt regula. Altera itaque quæſtio eſt de per ſe; de per accidens altera: & opinio ſolum quoad nos probabilior ſed falſa pertinet ad ſecundum genus. De hoc tamen dicam infià.

Rursùs in quæſtione poſuimus *probabile*, ſeu *opinio probabilis*. Probabile ſignificat objectum; opinio probabilis ſignificat ſolum actum noſtrum opinantem circa illud objectum. Poteſt autem objectum probabile uſurpari à nobis pro regula vel opinando circa illud, vel nihil opinando, nec aſſentiendo rei ipſi, ſed ſolum cognoſcendo objectum illud eſſe in ſe ab intrinſeco, vel ab extrinſeco probabile; nam ex appendice objectum probabile ad aſſenſum non neceſſitat, ſicut ſcibile. De utroque ergo quærimus, an ſufficiat pro regula conſcientiæ.

§. I.

Rationes dubitandi.

ILlæ ſunt multæ, & difficiles. Prima; quia ſi probabile, aut opinio probabilis eſſet regula conſcientiæ, & morum, ſufficeret ad formandum ultimum dictamen prudentiæ de honeſtate operationis: at ad hoc non ſufficit; nam dictamen illud debet eſſe certum, & indubitatum, & evidens, nequit porrò ex ſolo probabili inferri, ac formari dictamen incertum, indubitatum, & evidens; nequit enim concluſio eſſe certior præmiſſis. Sed quia difficultas iſta apud me vim habet majorem, quam creditur, viſum eſt de ea ſeparatim dicere *quæſt. ſeq.* & explicare, quomodò recta conſcientia formari poſſit in ſolis, vel ex ſolis probabilibus.

Secunda difficultas ſumitur ex authoritate Auguſtini, qui hoc libro *quæſt.* 3. tanta mala dixit ſequi ex eo, quod quis vitam ducat ex probabili. Si autem dicamus, & reſpondeamus Auguſtinum loqui, quando nullus omninò præſtatur aſſenſus nec rei, nec probabilitati; quia ſcribit contra Academicos, qui omnem aſſenſum prohibeant. Hoc, inquam, ſi reſpondeamus, agimus ſanè nimis pueriliter, & phantaſticè ſine ullo fundamento in re, ut ex ſingulis lineis Auguſtini conſtat; nec enim indè tot illa mala ſequi dicebat, quia ſine aſſenſu nec probabilitatis quidem operaretur, ſed quia operaretur, & viveretur ex probabili, & totus invehitur in hoc, quod probabile defendat actus noſtros ab errore, id eſt, à culpa. Non dixit *libet per omne divinum dejerare, neſcire me prorsùs, quomodo iſte peccaverit, ſi quiſquis id agit, quod videtur probabile, nullum probabilitatis aſſenſum dando, non peccat.* Sed prorsùs aliud. Jam ergo Auguſtine, ſi adoleſcens ille ſuo probabili dediſſet aſſenſum, & conſcientiam accomodaſſet, nil peccaſſet. Sunt iſta nimium puerilia Malum totum (aiunt) erat in eo, quod nullus daretur aſſenſus, de quo nibil dicit: nihil mali in vivere ex probabili, in quod totus invehitur, & jurat. Eſt deinde ſimiliter phantaſticum, ut ex ipſo textu Auguſtini accipitur, Academicos ſaltem quoad diſputationem Auguſtini negare omnem aſſenſum; caſtigarè ſemper dixit aſſenſum, *rebus tamquam veris* præſtitum, & *lib. de utilit. credendi cap.* 11. teſtatum reliquit: *quamquam in illis etiam, qui ſe in agendo probabilia ſequi dicunt, ſcire potius nihil poſſe, quam nihil credere, volunt videre. Quis enim quod probat,*

Digitized by Google

non credit, aut quomodo eſt illud, ſi non probatur probabile. Rurſus Academici de vivere ex ſuo probabili non dicebant, id rectum non eſſe, nec ſi hoc conceſſiſſent, opus habebant impugnatione. Sed in his tempus terendum non eſt: totus Auguſtinus, & ſinguli nerſus hanc inanitatem contererunt. Ergo videtur, quod ſalva tanta authoritate Auguſtini dici non poſſe, probabile, aut opinionem probabilem ſufficere pro regula conſcientiæ

Tertia difficultas ſumitur ex D. Thoma quolib. 9. quæſt. 7. art. 15. dicente, *quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculose determinatur.* Sed per opinionem nunquam habetur expreſſe veritas; nam expreſſe habere, expreſſum eſſe, ſignificat rem eſſe perſpicuam, manifeſtam. Neque verò nobis moris eſt philoſophari per loca communia, per quæ omnia eludantur: ac proinde hic ſufficere non putamus dicere quodlibera iſta: vel eorum, aliquod non eſſe S. Thomæ.

Rurſus arguitur ex quodlib. 8. art. 1. 3. quia ut in ſuperioribus latiùs propoſuimus, hæc ad præſens habet: *aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita quod vere licet habere plures præbendas? Et tunc diſtinguendum eſt: aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſi iterùm peccat contra conſcientiam de contrario, ſed certitudinem; & tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum? & ſic ſi manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat. Aut ex contrariis opinionibus in dubitationem inducitur,* &c. & tunc non peccat. At omnis ſolùm habens objectum probabile, ſeu opinans circa illud, primo quidem committit ſe alicui periculo; quia res illa poteſt aliter ſe habere: deindè ex hoc ipſo ſemper inducitur in aliquam dubitationem; quod videtur eſſe proprium opinionis, & inſeparabile ab ipſa: & huc pertinet formido illa, quam omnes opinioni attribuunt. Ergo probabile, ſeu opinio probabilis non ſolùm non ſufficit pro regula conſcientiæ, ſed nec excuſat à peccato. Ubi etiam vides, quam nihil ſit in doctrina Sancti Thomæ cohærens cum ea, quam quaſi tutum remedium induxerunt, ſcilicet de magis probabili.

Jam ex his nunc indicatis arguitur. Quartò, quia opinio probabilis non deſinit eſſe opinio propter probabilitatem: efficitur quidem in genere opinionis perfectiſſimæ; ſemper tamen manet opinio: de natura autem opinionis eſt timere, ne res aliter ſe habeat, & opinans exiſtimat, ſe fortè falli, ergò exiſtimat ſe forte agere contra legem Dei: at operans cum hac animi diſpoſitione, ac dubietate peccat, ut urgetur multipliciter, ergo nec opinio probabilis poteſt eſſe regula conſcientiæ; quin nec excuſare à peccato. Cæterum hanc difficultatem ſimul cum prima, ad quam pertinet, in hac quæſtione prætermittimus, & in ſequenti diſtinctè tractabitur.

Quinto, arguitur: quia de natura probabilitatis tam ab intrinſeco, quam ab extrinſeco talis, eſt in aliquibus deficere: ergo regula probabilitatis eſt in aliquibus, & aliquando re ipſa contra legem Dei. Ergo volens uſurpare probabilitatem pro regula, vult in aliquibus, vel aliquando operari contra legem Dei re ipſa. At hoc velle eſt peccatum, ut conſtat. Ergo probabile nequit eſſe regula conſcientiæ. Et idem eſt de ipſa opinione probabili, quæ in aliquibus ſimiliter deficit.

Hinc argumentum illud proponitur, & reſumitur, quod ſuperius confectum eſt contra eos, qui pro regula conſcientiæ uſurpare volebant aliquid æqualiter indifferenter ſe habens ad legem Dei, & non legem. Nimirum ponamus juvenem annorum viginti, qui uſque ad annum ſexageſimum victurus eſt, ſi probabilitas regula eſſe poteſt, aſſumat illam, & ſtatuat ſemper vivere ex probabili. Ponamus ipſi in tota vita occurſuras occaſiones centum utendi hac regula. Jam cum ex ipſa probabilium natura conſequatur, in aliquo deficere, ex hac tota regula ſupponamus defectum contingere ter. Jam ergo juvenis ille volens uſurpare hanc regulam, vult ter opinari contra legem Dei. Hoc autem eſt peccatum, non ſolùm materiale, ſeu materialiter tale, ſed formaliter, ac imputabiliter tale; nam vult ſcienter operari vel ter, vel ſemel contra legem Dei re ipſa exiſtentem, ergo probabile nequit eſſe regula.

Sexto, arguitur paritate rerum humanarum. Videt eminus venator animal, & exiſtimat eſſe cervum, vel lupum: adſint cum eo viginti, vel triginta alii homines, quorum quidem octodecim, vel viginti octo conteſtentur illud animal eſſe cervum, aut lupum duo tamen conteſtentur non eſſe lupum, nec ſervum, ſed hominem: ponimus autem in his omnibus conteſtantibus omnia eſſe paria quoad veracitatem, perſpicaciam viſus &c. In hoc caſu peccaret venator ille, ſi vel ſagittam emitteret, vel pilum exploderet. Et tamen probabile eſt, animal illud non eſſe hominem; quando quidem multo eſt difficilius, viginti octo falli quam falli duos nec plerumque contingit primum.

Nec ſufficiens videtur communis ſolutio, qua uſum probabilitatis limitant ad eas res, in quibus non imminet præjudicium alterius, ſolumque volunt valere pro caſu, in quo ſolum eſt quæſtio de licito, vel non licito. hinc Judices, Medicos, Chirurgos, & alios excluſos volunt. & eos communiter obligant ad tutius, vel probabilius. Similiter excipiunt ſacramentorum materiam, quoties quæſtio eſt, non ſolum de licito, vel non licito, ſed etiam de valido, vel non valido, & uſum ſolum permittunt, quando pura puta imminet violatio materialis legis, non malum aliud, ut in caſu noſtri Venatoris; & doctrinam ſtabiliunt ex majori, vel minori; tanto, vel quanto bono Reipublicæ.

Conſequentius tamen alii hanc limitationem rejeciſſe videntur. Univerſim mihi ea reſpondendi via non probatur; quæ tota eodem modo ad dubia applicari poteſt: nec ex bono, vel malo Reipublicæ obligatio, vel non obligatio legum omnium intelligenda eſt, ſed earum ut ſummum, quæ ad bonum Reipublicæ ordinantur; non earum, quæ ad nos erga nos ipſos, & erga Deum rectè habendos diriguntur. Deindè ſatis magnum malum hoc ipſum eſt, ſcilicet violatio ipſa materialis legis Dei, tum de ſe, tum quia per illam aliquod bonum intendebatur, quo fruſtratur. Idcircò ſciendo violare unam legem Dei, quæ nullius alterius quidquam intereſt, eſt peccatum. Vel ergo habendo probabilitatem realem non legis, violatur etiam formaliter lex propter prævisum periculum violandi re ipſa, vel non violatur? ſi non violatur; ergo venator in caſu noſtro non peccabit ſagittam ejiciendo. Sin verò exponere ſe illi periculo violandi re ipſa legem prohibentem

hibentem

hibentem homicidium, non ſolum marerialis, ſed formalis etiam violario eſt legis idem erit de quacumque alia lege. Ergo nunquam probabile, aur opinio probabilis poteſt eſſe regula conſcientiæ.

Adde, quod admiſſa ea exceptione, & limitatione, vix ullus ſupereſt uſus hujus regulæ; nam pauci eſſe poſſunt caſus, in quibus præter violationem materialem non immineat alterum prætereà malum, vel meum, vel proximi, vel Reipublicæ; quia lex omnis, ea ſaltem dempta, quæ ad purum exercituum obedientiæ imponitur, intendit aliquod bonum vel meum, vel próximi, vel Reipublicæ. Deinde tota mareria utriuſque juſtitiæ commutarivæ, & diſtributivæ, & omnes omninò contractus, ac multa hujuſmodi clarè debebunt excipi. Sed de his fortè infrà. Vel ergo venator in caſu noſtro ejiciendo ſagittam non peccat, vel peccat quilibet in qualibet materia regens ſe per probabile.

Ex his illud videtur accipiendum, quod adverſarii probabilitaris inculcant, *tene certum, & dimitte incertum*, & quod nulla non rotaliter certa regula ſufficiat. Atque hujus partis leviora alia fundamenta videri apud ipſos objecta poſſunt; & apud alios ſoluta.

§. II.

Ad quæſtionem reſpondetur.

PRædictis non obſtantibus communis ſententia eſt tenenda, & dicendum, ſufficere probabile, & opinionem probabilem pro regula conſcientiæ. Concluſionem autem ſic pono: in omni; & qualibet mareria probabile, & opinio probabilis eſt recta regula conſcientiæ, & humanorum actuum, ſed tamen cum onere. Hæc eſt concluſio univerſaliſſima ſine ulla materiæ exceptione, ſolum dicimus, eſſe regulam *cum onere*; & hoc primum eſt declarandum, ut mox ad partem principalem veniamus. Conſtat autem, de qua nos probabilitate loquamur.

Multæ ſunt in rebus humanis res de cætero quidem bonæ, & optimæ, ſed cum onere aliquo, à re vili, quam tam in expertus ſum, placuit incipere. Conducis mulam, aut equum ad iter faciendum; promittunt tibi optimum; ſed qui defectum unum habeat, quod in tranſitu fluviorum ſe velit voluntare, niſi fræno accuratè teneatur. Sanè non ob hoc omittis equum de reliquo optimum, & conducis, cum eo tamen onere habendæ curæ ſpecialis in tranſitu fluviorum. Sic eſt in horologiis, ſic in amicis; in Dominis; famulis, & aliis infinitis rebus, & de reliquo quidem bonis, ad fines ſuos, ſed propter aliquem defectum onus ſecum aliquod afferentibus. Ita eſt in regula probabilitatis, quæ ferè nunquam ſanè fallit tamen aliquando; propter quem rarum defectum, quia tanti eſt nunquam operari contra legem Dei; onus ſecum ſuum affert, ut ſpecialis ſcilicet curæ, & attentionis, an in hoc; & in illo occurrenti caſu habeat exceptionem. Atque hoc onus hujus regulæ mea ſanè ſententia probat ſextum argumentum: quod proinde nova alia ſolutione non indigebit.

Jam concluſionis noſtræ pars principalis argumento authentico & innegabili videtur probari Primò; eſt alia indubitata regula conſcientiæ non ſolum non infallibilior probabilitate, ſed fundata in ipſa probabilitate. Intelligo ſemper realem, & talem in ſe. Ergo ipſa probabilitas apta eſt, ut regula eſſe conſtituatur conſcientiæ & humanorum actuum. Hæc argumentatio eſt facile reducibilis ad ſyllogiſmum; ſed de eo non curo; quia nemo videtur negaturus conſequens conceſſo antecedenti.

Antecedens conſtat innegabiliter in lege humana. Licet enim leges humanæ vim obligandi in conſcientia ſaltem ſub peccato theologicè tali accipiant à divina lege illas comitante, & roborante; quia juſſit univerſaliter obedire ſuperioribus, &c. tamen indubitatum eſt, quod lex etiam humana eſt regula, & ideo duplex illa pars illi tribuitur, vis directivæ, & vis coerciuæ; illaque nos dirigit in ſua propria materia, & ipſa ceſſante ceſſat in ea lex etiam Dei, quæ illam comittatur, & roborat. Et tamen non eſt opinio, ſed principium apud ſapientes, humanam legem plerumque certè non deficere; in aliquo tamen, & aliquandò deficere, quia in ipſa noſtra probabilitate fundata eſt præſcribitque, quæ ferè ſemper ita fieri, expetibile eſt; prohibet, quæ ferè ſemper noxia ſunt, nec materiam habet neceſſariam, probabilem.

Hinc quoad legem humanam nata eſt neceſſitas æqui, & boni, ſeu epicheiæ. Ariſtoteles *l. 1. Rhetoricor. cap.* 13. explicuit, ſed latius 5. *Ethic. cap.* 10. ubi tradit, quod juſtum quidem, & quod ſecundum legem, & jus exiſtit, bonum eſt: bonum etiam æquum, & bonum non autem juxta legem, ſed quia eſt emendatio legis, ſeu juſti legitimi, ſeu boni, & juſti præſcripti per legem. Et quia abſurdum videri poterat, juſtum legis emendatione indigere; & aliquid juſtum reddi emendatione legis, ſic probat: hujus emendationis neceſſitatem.

Cauſa autem eſt (inquit); *quia lex quidem omnis univerſalis eſt; fieri verò non poteſt, ut de quibuſdam recte univerſaliter dicatur. In quibus itaque univerſaliter dicere neceſſe eſt; fieri autem non poteſt, ut rectè dicatur, in iis lex id accipit, quod fit plerumque, non ignorans peccatum. Et eſt nihilominus recta; peccatum enim non eſt in lege, neque in legislatore, ſed in ipſa rei natura Continuò namque rerum earum, quæ ſub rationem cadunt, materia talis eſt. Cum igitur lex univerſaliter quidem loquatur; in his autem præter universale quidpiam accidit; tunc rectè ſeſe habet, ea parte, qua legislator omiſit, atque peccavit abſolutè locutus, emendetur defectus. Quod ſi ipſe Legislator adeſſet, hoc modo dixiſſet, & ſi ſcraviſſet jubentem legem tuliſſet. Quapropter juſtum quidem eſt, & præſtabilius aliquo juſto, ſed eo, quod peccat, propterea quod ſimpliciter* (ſcilicet in univerſali) *dictum eſt. Atque hac eſt natura ipſius æqui, & boni, emendatio legis ex ea parte, qua deficit ob univerſale.*

Hanc totam tam veram doctrinam accipit, & explicat S. Thomas 2. 2. q. 1. 120. atque cum eo Theologi; & ſic v. g. lex depoſitorum reddendorum emendatur per æquum & bonum, ſeu epicheiam, ut ſi quis habens gladium in depoſito furioſus fiat, & eum repoſcat; aut alius repoſcat pecuniam ſuam ad Patriæ impugnationem, &c.

Ex hac autem doctrina habentur multa. Primò tota noſtra concluſio quoad partem principalem; & quoad onus iniuſtum. Nam quoad partem principalem conſpicitur leges humanas ſaltem multas non eſſe ſemper, & quoad omnia ſingu-

laria infaillibiles, ſed potius aliquando deficere, & fallere; eſſe tamen rectas, *quia lex accipit id, quod plerumque fit*: propter peccatum tamen incidens neceſſarium eſſe æquum, & bonum, per quod lex emendetur, quando peccat; & tunc hoc eſt juſtum, quod eſt ſecundum emendationem: & velle tunc facere juxta legem non juſtum, ſed injuſtum eſſer: & hæc emendationis neceſſitas eſt onus talium legum, quæ ſcilicet fundatur in materia probabili. Ergo idem eodem modo tenendum eſt de probabili, & de opinione probabili, quod recta regula ſit, ſicut lex; quia tamen aliquandò deficit, opus habet emendatione; & ideo hoc onus affert ſcilicet attendendi, & circunſpiciendi, an in hoc, an in illo fallat, v. g. in aliqua communiſſima opinione ſi quis videret, famoſos aliquos Authores, & quaſi principes contrarium tenuiſſe; in alia acre bellum ſuſcitatum; teneretur quis tunc ad examinandum, & benè videndum, quomodò ſe res habeat.

Habetur ſecundò neminem cum umbra aliqua rationis poſſe velle plus dare opinionibus probabilibus quoad ſecuritatem, quam dictis legibus. At qui has vellet pro ſemper accipere, & omne æquum, & bonum tollere, temerè faceret, ut cernitur in lege illa de depoſito. Temerè ergo faceret, qui ſemper ſine ulla unquam exceptione ſtare vellet opinionibus probabilibus puta communiſſimis.

Hinc accipiunt tertiò multa in ſuperioribus ſparſim dicta. Accipitur, quantum differat probabilitas ſpeculativa à probabilitate practica, & quomodo liceat aliquando agere contra probabilius ſpeculativum, ut in caſibus à D. Thoma propoſitis: probabile ſpeculativum, & probabilius, & unicum extremum fundatum eſt reddenda eſſe depoſita: *in his tamen præter univerſale aliquid accidit*, ut loquitur Ariſtoteles, accidit quippè gladii dominum fieri furioſum; accidit, pecuniæ dominum velle impugnare Patriam. Hæc accidentia incidentia pertinent ad probabilitatem practicam: & ideò juſtum eſt operari contra juſtum probabiliſſimarum, & communiſſimarnm opinionum. Hoc idem contingit, quando Romani Pontifices diſpenſant vel in profeſſione ſolemni, vel in matrimonio rato &c. Conſiderantibus univerſale hoc non tam juſtum videtur; ſed talium inconſideratio emendatur per adducta Ab Ariſtotele. Diſpenſatio autem non fit per epicheiam; nam epicheia locum non habet in dubiis; & tunc eſt neceſſaria diſpenſatio, ut S. Thomas citata quæſtione reſolvit.

§. III.

Vlterior probatio concluſionis.

MUltæ probationes cumulari poſſunt ex obviis Authoribus; tamen quia aliquæ principiis noſtris non congruunt; aliæ ex locis extraneis petuntur; aliæ fortè ab adverſariis argui novitatis poſſunt, ut iis morem geram, arguo ſecundò ex alio trito, antiquiſſimo loco in terminis, quæ probationes totam noſtram ſuperiorem doctrinam obiter ſtabiliunt.

Tritum eſt ergo ex *Ethicor* 1. & omnium territut ore poſtulatum illud Ariſtotelis, moralem ſcientiam, quam exponere aggreditur, exactæ & demonſtrativæ probationis incapacem eſſe ipſa natura materiæ, & objecti: ſatis proinde, fore; ſi ex iis dicatur quæ plerumque contingunt atque indiciplinati fore plus poſtulare. Hoc autem poſtulatum, ab omnibus admiſſum eſt ibi ne à quoquam, quem ſciam, reprehenſum: & fuit prætereà ibi ab Ariſtotele perſuaſum. At in hac ipſa materia modò verſamur: ſatis ergo eſt in illa regula plerumque ita ſe habens ſatis ergo probabile, & opinio probabilis, ſeu quædam totalis regula conflata ex multis talibus opinionibus.

Hic ſolum, & unicè reſponderi, aut dici è re poteſt, ſatis quidem futuram eam regulam, & ſcientiam boni, & mali ex plerumque contingentibus, id, ex probabilibus hauſtam, ſi regimini, ac lumini ſolius rationis noſtræ relicti fuiſſemus: at nos modo eſſe uberrimè inſtitutos dictis Dei, facti hominis Dei, quæ cuncta per fidem credimus; & doctrinis prætereà, & factis ſanctornm Dei. Idcircò ſemel, & iterum, ac ſæpè ſcriptum eſſe, *juſtus ex fide vivit*; item *per fidem enim ambulavimus*: item de fide dictum eſſe, quod ſit *lucerna lucens in caliginoſo loco*: hac ergo lucerna videre, aut cognoſcere deberemus, quid ſit bonum, quid malum; quæ recta via, quæ ſecus ubi periculum, ubi præcipitium, ubi ſecuritas nec probabilitates, & opiniones ambulare, quandiu peregrinamur.

Hæc certè, quæ aſſumuntur, vera ſunt; nec tamen valet conſcientia contra probabilitatem: nam eodem modo fidem unicè ad omnia requirendo excludere, quod nefas eſt, Theologiam totam poſſent. Itaque licet multa, & maxima quæque per fidem habeamus, ſuperſunt ſemper multa determinanda per rationem, in quibus proinde probabilitas ſufficiat propter naturam ipſam materiæ, & indiciplinati erit in talibus amplius requirere; quia denique materia eſt de bono, & malo determinanda per rationem; & multoties deeſt medium certum. tamen, ut dixit, vera ſunt quæ aſſumuntur; quod juſtus ex fide vivit, ſcilicet ex illa, quæ per dilectionem operatur, ut ſancti accipiunt, & ex Paulo conſtat: charitate quippe ut alibi explicamus virtutes omnes moventur atque illa tanquam architectonica, & nos circa finem rectè diſponente, ac ordinante vita, qua juſtus verè vivit, & ambulat, tota ducitur: atque ita per fidem ambulamus. Eſt prætereà fides lucerna lucens in caliginoſo loco; non ſolum quia præcipua, & maxima quæque per illam nobis conſtant, ſed etiam quia in illis, quæ per rationem noſtram determinanda, & cognoſcenda relicta ſunt, per illam ipſam manuducimur, & ad ipſam eſt ſemper inſpiciendum, ne in ſciendo, vel opinando erretur, & ſic illa eſt lucerna lucens in caliginoſo loco ad ipſas etiam probabilitates veras, & fundatas à phantaſticis diſcernendas: quæ latius explicare hujus loci non eſt, & dicere, quomodo nec vel una opinio probabilis ad vitam Chriſtianam ſufficiens inſtitui rectè poſſit ſine aliquo fidei adjutorio. Itaque per fidem excluditur ratio omnino, & totaliter antecedens: conſequens verò, & pediſſequa, & inſerviens minimè excluditur, ſed commendatur, ut alibi explicui. Confirmantur facta probatio à D. Thoma 2. 2. *q. art.* 2. ubi probat, duorum, vel trium teſtimonium ſufficere ad judicium: *certitudo* (ait) *non eſt ſimiliter quærenda in omni materia: in actibus enim humanis, ſuper quibus conſtituuntur judicia, non poteſt haberi certitudo*

certitudo demonſtrativa eo, quod ſunt circa contingentia, & variabilia. Et ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, ſic in paucioribus à veritate deficiat. Hoc ſcilicet probabile fuit S. Thomæ notum. Sicut autem Judex tenetur videre, an teſtes exceptiones habeant, ſic & in re noſtra, ut dictum eſt.

Tertiò probatur concluſio à paritate rerum humanarum, à quibus ipſi adverſarii arguere ſolent contra probabilitates: nam quilibet prudenter ſe fidit Medico, & Chirurgo, qui plerumque & in plurimum rectè curant; nec tunc adeſt exceptio: prudenter etiam homines navigant, tamen cum onere attendi ad mutationes temporis, & maris, & lunæ, licet aliqui aliquando perierint: & ſic in rebus, in humana fide, & in ſocietare, in contractibus, in emptionibus, & venditionibus, & menſuris &c. Ergo ſupra humanum modum eſt plus in omnibns velle in doctrina morum.

Quartò quia omne probabile ab extrinſeco eſt ſine vitio, & defectu intellectus opinabile & eſt rectè opinari circa illud: ſicut eſt rectè ſcire ſcibilia: nam ſic ſe habet probabile ad opinionem ſicut ſcibile ad ſcientiam: & ſimiliter omne probabile ab intrinſeco eſt ſine ullo vitio, & defectu credibile. Ergo in opinando, & credendo talia nullus eſt in intellectu defectus. Ergo nec erit defectus in voluntate. Hæc conſequentia probatur; quia ut ſuperius dictum eſt, voluntas non regulatur immediatè per legem Dei in ſe, ſed per illam applicatam humanam humana ratione: quæ proinde habet etiam rationem regulæ. Humana autem ratio non ſolum eſt ratio ſciens, aut ratio certa, ſed etiam ratio opinans; Ergo voluntas rectè, prudenterque ſe accommodat huic rationi. Sapienter quippè P. Vaſquez t. 2. *diſp.* 58. *cap.* 2. dicit: Sed quia humana diligentia non poteſt omnia ſine errore aſſequi, & abſque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum re ipſa eſt, ut in exemplo poſito de accedente ad non ſuam, & in aliis accidere poteſt: ideo illud in re debet dici naturæ bumanæ convenire, aut diſconveniens eſſe, quod per rationem probabilem, & diligentem proponitur ſive in re ita ſit, ſive non Rectè igitur S. Thomas in hoc articulo dixit: rationem eſſe regulam humanarum actionum. Hæc rectè Vaſquez, ſi quando erratur, error eſt invincibilis. Confirmatur argumenrum in probabili ab exrrinſeco. Etenim alicui, vel aliquibus Doctoribus rectè ſtatur & creditur in doctrina morum: ergo rectè ſtatur, & creditur iis, quos difficile eſt falli; licet in aliquo falli poſſint, vel decepti ſint. Probatur conſequentia, quia in opinabilibus, & controverſiis vel nullus eſt, vel unus ſolus eſt, qui in nullo deſecerit; quia nullus eſt; cui in omnibus quoad verba, & ſenſum cœteri conſenſerint. Quare ſi ille (in omnibus verus extitit, cœteri omnes in aliquo vel aliquibus ab illo unico receſſerunt; vel in quibus eum non rectè intellexerunt: quod ſi nimium eſt uni alicui tantum tribuere, ſequitur nullum eſſe qui in aliquo deceptus non ſit. Ergo non requiritur Doctor nunquam deficiens: Cum ergo ut ſatis eſt oſtenſum, non ſufficeret Doctor qui non magis habeat non falli, quam falli, qui quippe nihil facit credibile, concluditur probabilitatem extrinſecam ſufficientem ad regulandos mores eam eſſe, quæ difficulter fallitur, & quæ plerumque vera tradat, & raro deficiat. Eadem porro ratio eſt de probabilitate ad intrinſeco. Erg probabilitas, & opinio probabilis, eſt ſufficiens regula humanorum actuum.

Atque hoc pacto videmur ſatisfacere præcipuè intentioni utriuſque partis, neque ea poſtulando, quæ ſuper humanam ſint diligentiam, aut in omnibus controverſiis adſtrictas, & tutas opiniones obligando &c. Et ex alia parte non approbando prò regula humanorum actuum aliquid, quod citra omnem diligentiam omnes habent eriam dubitantes, ſcilicet aliquid, quod æqualiter indifferenter ſe habeat ad legem & voluntatem Dei, vel non voluntatem re ipſa, & requirendo bumanam rationem vel certam ſcilicet fidei, vel ſcientiæ, vel ut minimum probabilem, qui eſt humanæ rationis gradus infimus. Ex dictis autem in ſecunda probatione accipiet quiſque commendationem hujus noſtræ viæ philoſophantis per probabile, & per plerumque contingens. Si enim hoc medium ad ſuam moralem ſcientiam conficiendam Ariſtoteli non defuit in iis, quę certa ratione non conſtarent, & re ipſa ipſam moralem ſcientiam conflare potuit; ſanè compertum videtur, nec nobis in iis, in quibus vel fides, vel certitudo totalis non adeſt, deficere poſſe ſimile medium per plerumque contingens ad determinandas in infimo gradu quæſtiones morales: imo eſt nobis id factu facilius proprer adjutorium fidei, & propter alia. Hæc media facile is obſervabit, qui obſervare voluerit media illa, quibus Ariſtoteles ſuas de bono, & malo quæſtiones determinat: quorum mediorum copia nos multo magis abundamus: ea tamen hic ſignificandi haud duci, & docti ipſi per ſe illa intelligent.

§. IV.

Ad Argumenta reſpondetur.

AD primum, quomodo ex ſola probabilitate formari poſſit dictamen conſcientiæ ſufficiens ad rectirudinem, & honeſtatem conſcienriæ reſpondebo quæſtione ſequenti. Ad ſecundum, in quo mens, & aurhoriras Auguſtini objicitur, conſtat in primis, Auguſtinum habuiſſe probabilitatem pro regula ſufficienti, ut toties in libris Confeſſ. & in epiſt. 86 epiſt. 112. c. 22. & alias item de ſufficientia authoritatis humanæ ad multa epiſt. 112. conteſtatum reliquit & laudatum circa authoriratem S. Ambroſii, quæ ſanè infallibilis non extitir, ſed valdè difficulter fallibilis: atque alia ex aliis locis adducere prætereo brevitatis cauſa. Nunc circa totam mentem Auguſtini contra Academicos, primum exiſtimo probabile Academicorum laxius quid fuiſſe quam noſtrum, ut patet in exemplo adducto de liquida nocte, quæ ſæpiſſime fallit: ideoque navigantes ſpem quidem aliquam concipiunt futuri boni temporis, nec tamen ideo è portu ſolvunt, ſed expectant ortum Lunæ, vel Solis, & ſignum demum aliquod, quod raro fallat.

Deindè Auguſtinus præcipuè invehitur in probabile quoad nos ſolum tale: ideoque jusjurandum illud fuit, (liber per omne Divinum dejerare, neſcire me prorſus, quomodo iſte peccaverit, ſi quiſquis id egerit quod probabile videtur, non peccat. *Et anteà probabile viſum fuit* probabile ſibi occurrit,

operationis, ſive de non peccato ſermo ſit videatur neceſſarium habere ultimum dictamen conſcientiæ certum; & evidens, quo nobis conſtet, vel ſine peccato, vel etiam honeſtè nos agere, ut communiſſima tenet ſententia: aliunde verò videatur impoſſibile ex probabilibus formare, ac elicere dictamen, ita certum, & evidens: nam hoc dictamen fundatur in antecedentibus cognitionibus: ergo per regulam concluſionum nequit conſcientia eſſe certior illis: cum ergo antecedentia ſint ſolum probabilia; & de horum naturâ jam explicata ſit defectibilitas, & non certitudo, prorſus videtur impoſſibile habere, ac formare conſcientiam certam, & evidentem in materia ſaltem ſolum probabili.

Cajetanus t. 2. *quæſt.* 57. *art.* 5. de horum concordia latè cum latè cum Scoto *in 3. diſt.* 36. diſputat, & à veritate intellectus ſpeculativi egrediens, in quo in probabilibus, & in non neceſſariis locus eſſe nequit certitudini, recurrit ad intellectum practicum, in quo quærit, & ponit certitudinem, & infallibilitatem. Sed nos infra tractabimus de veritate intellectus practici, & prudentiæ, an illa ſit ſeparabilis à veritate intellectus ſpeculativi; & ex dicendis in hac quæſtione conſtabit, quam ſit impoſſibile intellectum practicum eſſe certum, & infallibilem, ubi & quando ſpeculativus non eſt certus nec infallibilis.

Jam alii propoſitam difficultatem facile removere ſibi viſi ſunt per reflexas. Aiunt enim in rebus probabilibus nullo negotio formari dictamen conſcientiæ certum & evidens vel de non peccato, vel de honeſtare operationis; nam omnis operans in materia probabili, ſive in forma ſyllogiſtica, ſive ſine forma ſyllogiſtica facit hunc ſyllogiſmum: licet uſus probabilitatis, ſeu opinionis probabilis: ſed hoc objectum, vel hæc opinio eſt probabilis v.g. hunc contractum non eſſe uſurarium. Ergo licet uſus hujus probabilitatis. Ergo ego hunc contractum hic, & nunc ineundo non pecco, & ſi ſine honeſto movear, honeſtè operabor. Dicunt, has duas concluſiones eſſe certas, & evidentes, ſecunda autem eſt ultimum dictamen conſcientiæ de quo eſt quæſtio. Ex quo tamen ſyllogiſmo utraq; præmiſſa falſiſſima eſt in ſenſu arguentium, nec quidquam evidentiæ; vel certitudinis habere, nobis videtur, de quo *infrà*.

§. I.

Reſpondetur ad quæſtionem.

RESpondeo difficultatem hujus quæſtionis eſſe de ſubjecto non ſupponente ex late tractatis & determinatis a. d. Th. *q.* 17. *de ver. ar.* 2. ubi quærit *utrum conſcientia poſſit errare?* proculdubio in ſuo dictamine, quo ſcilicet exiſtimatur aliquid eſſe bonum hic, & nunc, vel eſſe malum, vel abſolutè, vel in tanto. Patet enim, quod ſi dictamen conſcientiæ eſſet certum, & infallibile, ipſa quoque conſcientia, de qua eſt ſermo, aliud non ſit, quam illud ipſum dictamen: de quo eſt *qu.* Et quemadmodum ſtultum eſſe dicere, ſcientiam poſſe errare; ſic eſſet de conſcientia, ſi omni ejus actus eſſet certus, & infallibilis.

Propoſitis autem octo argumentis ad probandum conſcientiam errare non poſſe, contra arguit ex Joan. 16. *venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obſequium ſe præſtare Deo: ergo his* (inquit) *qui occidebant Apoſtolos, dictabat conſcientia, quod ex hoc placerent Deo, ergo conſcientia errat.*

Mox reſolvit. *Reſpondeo: ſicut ex dictis patet, conſcientia nihil aliud* eſt, *quam applicatio ſcientiæ ad aliquem ſpecialem actum in qua quidem applicatione contingit eſſe errore dupliciter. Uno modo, quia id, quod applicatur, in ſe errorem habet) alio modo quia non bene applicatur*, quia aderat circumſtantia, vel cauſa aliqua obſtans.) *Sicut in ſyllogizando contingit peccatum dupliciter, vel ex eo, quod quis falſis utitur, vel eo, quod non rectè ſyllogizat:* quam doctrinam ibi latè explicat.

In judicio quidem univerſali, ſynderesis negat poſſe contingerer peccatum. At in judicio univerſali rationis ſuperioris contigit errare, & inde etiam conſcientia, errat, (ut cum quis exiſtimat, eſſe ſecundum legem, vel contra, quod non eſt, ut hæretici, qui credunt juramentum eſſe prohibitum; & ideò error accidit in conſcientia propter falſitatem, quæ erat in ſuperiore parte rationis, Et ſimiliter poteſt contingere error in conſcientia ex errore exiſtente in inferiori parte rationis, ut cum aliquis errat circa civiles rationes juſti, vel injuſti, honeſti, vel inhoneſti.) Deindè in reſponſione ad primũ, & in corp. tradit, quod licet non ſit error in univerſalibus judiciis, contingat conſcientiam errare, *propter errorem particularis aſſumpta, vel propter indebitum ratiocinandi modum.*

Ex his videtur accipi, quòd difficultas noſtræ quæſtionis ſit de ſubjecto non ſupponente nam ſupponitur certitudo, & infallibitas conſcientiæ, ſeu dictaminis conſcientię quod eſt idem: at hoc falſum ſupponere; nam conſcientia noſtra non habet infallibilitatem illam, & certitudinem de non peccato, vel de honeſto; quin in hoc ipſo errare poteſt, & in hoc ipſo poteſt eſſe erronea, quod exiſtimat, ſe non peccare; ſeu honeſtè agere, & hoc dictet; *ſi enim* non hoc, *ſed contrarium dictaret, non erraret conſcientia*, ut reſpondet S. Doctor art. 4. ad 6.

Dices fortè, S. Thomam tractare de conſcientia erronea, quando nõ excuſat à peccato: nõ enim eſt remorſus aliquis: te antem ponere dictamen certũ, & infallibile, quando omnino nõ peccamus, & totaliter excuſamur à peccato, tũcq; requiri dictamẽ infallibile, & conſcientiam certã ac indefectibilẽ.

Sed hęc gloſſa, licet ora obſtruere ſit impoſſibile, eſt manifeſtè ultrò quęſita: & contraria intentioni S. Doctoris, cujus quęſtio eſt univerſalis de cõſciẽtia, an poſſit errare; & affirmat univerſali doctrina ſine mentione hujus gloſſę: quẽadmodùm de opinione, & opinante dicimus, errare poſſe; & à contrario de ſcientia, & fide errare non poſſe. Rurſus quia in argumento ſecundo ſibi oppoſuit ſcientiã nunquã errare; nec conſcientiã proinde errare. Ad quod reſpondet conſcientiã addere ſupra ſcientiã applicationem ejus adductũ particularẽ; & in ipſa applicatione poteſt (ait) eſſe error, quamvis in ſciẽtia error non ſit. Tractat ergo, & determinat de cõſcientia ex ipſa ſua natura; & ex ea eſt illa indefectibilis, & errori obnoxia; ſicut à contrario ſcientia eſt expers erroris, & certa, ac infallibilis. Deinde ſi conſcientia erronea non excuſans ſeper ſecum afferret remorſum illum nunquã ligaret, & obligaret conſcientia erronea, ut S. D. art. ſeq. determinat, & tenent Th. omnes: nam remorſus eximeret ab obligatione. Pręterea lib. ult. conſtabit, conſcientiã erroneam non erroneam non differre per remorſum; & multos hęreticos, & alios peccare exiſtimando obſtinatiſſimè veros eſſe errores: quos credunt, ut fuit caſus. S. Tho. ex Evangelio propoſitus de occiſione Apoſtolorum. Poſtremo quia niſi Doctrina S. Thomæ eſſet univerſalis, qua conſcientiam ex modo ſuo proprio & ex natura ſua traderet, eſſe defectibilẽ, & errori expoſitã, ridicula videretur quęſtio, an conſcientia poſſit errare? ſed dividendæ fuerant prius conſcientiæ atque de recta, & de excuſante à peccato tra-

Digitized by Google

dendum etat, eas eſſe certas, ac infallibiles: & eam ſolam errate, quæ non excuſat. Imò ſequeretur, non omnem conſcientiam errantem, eſſe errantem: quia conſcientia erronea totaliter excuſans eſt conſcientia utique erronea: hæc autem ipſa conſtaret dictamine illo certo, & evidenti, ac infaillibili: ergo eſſet erronea, & certa; infaillibilis, & errans: euidens, & fallens: quod eſt contradictio. Neque iſta evacuantur vel eundo ad intellectum practicum, nec eundo ad reflexas.

His ita authoritate, & doctrina S. Thomæ conſtitutis, & aliis prætermiſſis, quæ in eo atticulo legi poſſunt, dicimus duo: unum in probabilibus, & aliter ſe habere non repugnantibus vel ſemper, vel ſæpè, eſſe impoſſibile formare certum, & evidens dictamen, ſeu eertam, & evidentem conſcientiam de non peccato, vel de honeſtate operationis; quin nec in aliis materiis ſæpè. Alterum eſt, hoc genus eertitudinis, ae evidentiæ non requiri nec ad non peccandum, nec ad honeſte operandum, ſed ſufficere dictamen probabile, & conſcientiam probabilem in te poſitivè talem. Ex quibus in primis prima pars eſt oſtendenda.

§. II.

Impoſſibile eſt, ſemper ſaltem habere in probabilibus dictamen certum, & evidens.

DUplici ſolum via eertitudo, ae evidentia iſta adſtrui, vindicarique ſolet, vel cum Caietano, & aliis per diſtinctionem intellectus ſpecularivi; & practici; de quo inferius: vel per reflexas, per quas fundari poſſe alii credunt conſcientiam certam, ac infallibilem de quo nunc.

Aſſumamus ergo reflexas in qualibet forma imaginabili, v. g. iſta: (licet uſus probabilitaris; ſed datur probabilitas de non uſura bujus contractus: ergo licet uſus hujus probabilitatis. Ergo ego juxta eam contrabendo non Pecco.) Ponemus paulo inferius alios ſyllogiſmos etiam reflexiores. Sed verò cum tota certitudo, & infallibilitas actuum noſtrorum deſumatur primitùs ab objectis, nunquam fieri poterit per ulla acumina reflexionum, ut ſit aliquid certitudinis, & infaillibilitatis in reflexis, quod non fuerit in directis, & quod directis cognitionibus claudicantibus non claudicent reflexæ.

Nunc ad ſyllogiſmum. Aliqui fortè probabilitatum omnium impugnatores litem tantam revocabunt ad majorem propoſitionem ſyllogiſmi dicendo, non eſſe nec certum, nec evidens, licere uſum probabilitatum, & eertè loquendo de probabilitate contradictotiis communi, veriſſimè dicunt, & eſt nobis prorsùs indubitatum. Verum loquendo de probabilitate, uti à nobis eſt declarata, & poſita ſcilicet *cum onere*, mihi tam certa, & evidens eſt veritas illius majoris quam certum, & evidens eſt, licitum eſſe viſum & humanorum legum, & ſcientiæ Moralis, quarum nos non tam paritate, quam identica ratione probavimus, & declaravimus, licere uſum probabilitatis tamquam regulæ morum.

Difficultas proinde non ad majorem illam, ſed ad minorem particularem revocatur in principiis noſtris: Propterea eſto eautus, non ſolum Novitie, ſed Vir docte, ait Cajetanus, ne cum de iſtis diſputas, & intellectu ſolo ſiſtas; ſæpè enim intellectui ut cognoſcenti tantum, deetir eerta vetitas præmiſſæ particularis, quoniam non eſt cognoſcibilis certitudinaliter. Nam Sanctus Thomas ea quæſtione decima ſeptima de veritate, articulo ſecundo rectè aſſumit: (eaſum autem actus ſit particulatis, & ſynderesis judicium univerſale exiſtat, non poteſt applicari judicium ſynderesis ad actum, niſi fiat aſſumptio alicujus particularis:) ex juris quippe univerſalibus non ſequitur particulare. Nolumus in aliis etiam univerſalibus errari non poſſe: hoc ſolum per neceſſe dicimus, ad operandum, cum operari ſit neceſſariò in particulari, ſemper ſubſumi particularem aliquam propoſitionem, de cujus vel veritate, vel probabilitate ſæpè ſaltem certitudinem non habemus, ut in propoſito ſyllogiſmo minotis de probabilitate non uſuræ, talis contractus nulla poteſt eſſe certitudo, nec evidentia. Etgo per indefectibilem legem concluſionum dictamen conſcientiæ per modum concluſionis elicitum, nequit eſſe certum, & evidens: cum juxta plurimos omnis concluſio ſit minus certa, quam præmiſſæ: juxta omnes verò nequeat ſaltem eſſe certior.

Rem declaremus. Omnis particularis propoſitio aſſumpta, per quam fit applicatio ad actum particularem, indiget probatione, & ſi v. g. procedatur per viam ſolam authoritatis, & per probabile ab extrinſeco, ejus probatio reſolvitur v. g. ad communitatem dicendo, hunc contractum non eſſe uſurarium, idque eſſe probabile, quia ita tenet ſententia communiſſima, & pauciſſimi repugnant: ſed hæc probatio non eſt certa, nec evidens, ſed ſolum probabilis, quin ex dictis aliquando habet exceptionem: rectè enim Sanchez *libro primo in Decal. capite nono, numero nono*, cum aliis ait ſententiam non fieri communem *ex numero Authorum, qui priorum veſtigia inſtar avium, ſequentes nulla diſcuſſione præmiſſa eam affirmant*. Vaſquez verò cum aliis loquitur de *turba Doctorum*: ae prius Sanctus Auguſtinus libet de utilitate credendi capite ſecundo, *maximam* eſſe *turbam* dixit negligentium, & deficientium in inquiſitione veritatis, item prius Exodi 23. *non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Ergo errare poteſt conſcientia etiam ſequendo communiſſimam, id eſt, plurimorum ſequendo ſententiam. Si deinde non numerus eſt inſpiciendus, ſed qualitas, & ut eſt in proverbio, ponderanda ſunt, non numetanda ſuffragia, difficile hoc ipſum eſt, & errari in eo facile poteſt. Sin autem recurratur ad authoritatem alicujus famoſiſſimi Doctoris; hæc in primis probatio non eſt certa, & infallibilis. Deindè eſt expoſita exceptioni, aliquando, vel in aliquo; eſt quippe etiam tamquam res vera in proverbio, aliquando bonum dormitare Homerum. Deindè non pro omni opinione adeſt famoſiſſimus Doctor. Multa ſunt, hanc rem concludentia in Auguſtino *epiſt.* 112. *cap.* 1. *&* 2. Impoſſibile eſt, ergo hac via authoritatis in rebus, de quibus aliquod eſt dubium, & diſputatio, totalem certitudinem habere minoris particularis. Atque multi ſine peccato, & honeſtè etiam operantur, & operari poſſunt per viã ſolam authoritatis. Ergo nõ eſt

neceſſa-

neceſſaria totalis certitudo conſcientiæ.

Jam procedendo per viam rationis, & per probabile *ab intrinſeco*, non verum, ſed abſurdum eſt, nos eſſe infallibiles in diſcernenda probabilite. Primo à priori; quia minor particularis, per quam ſcientia applicatur ad actum particularem, eſt in materia probabili: nequit ergo probari, ac ſtatui per probationem certam, & evidentem, ſed ſolum per probabilem; nequit ergo reddi certa, & evidens: ergo nec conſcientia ex ejus veritate pendens. A poſteriori autem; quia cum tot modi probabilitatis exiſtant, & alia ſit ſólum talis per tolerantiam, & impunitatem, alia ſolum negativè, alia ſolum comparativè, & ad hominem, alia meræ defenſionis: plurimæ ſolùm tales quoad nos: ac per ſolam apparentiam, & opus ſophiſticum; ita facilè videtur quem confundi, & errare circa probabilitatem, ſicut circa verum. Ergo minorum particularium, ſeu minùs univerſalium impoſſibile videtur habere certitudinem, & evidentiam.

Dato deindè nullum eſſe errorem in minoribus, poteſt eſſe error in applicatione ad actum meum particularem; ideò S. Thomas *in reſp. ad 1. art*, poſſe conſcientiam errare *vel propter errorem particularis aſſumptæ, vel propter indebitum ratiocinandi modum*, ut in ſyllogiſticis cernitur.

Ponamus enim, eſſe vel certiſſimum, vel probabile, occupationem graviſſimam deobligare ab auditione miſſæ; laborem maximum deobligare à jejunio; dolorem magnum capitis deobligare à recitando officio; & ſic in jejunio non benè habentium; ſic in ſolutione debitorum; ſic in movenda lite &c. Incertitudo ipſa harum rerum ex natura ſua quoad cognitionem tanti, vel quanti: amor perindè erga nos, paſſio, vel odium erga alios nos facile decipere poſſunt. Eſt ergo impoſſibile in talibus aſſequi certitudinem, & evidentiam; ideò errare in iis poſſumus propter indebitum ratiocinandi modum. Quod autem conſultatio facta ſit cum Medico, vel cum Theologo. In primis hoc medium nonparit certitudinem, & evidentiam, niſi Medicis, & Theologis placat infallibilitatem tribuere. Deindè non unus ſolum, ſed plurimi etiam errare poſſunt. Ergo numquam aſſequimur certitudinem nec minorum, nec applicationis. Ergo nunquam poſſumus elicere conſcientiam certam.

Sin verò dicas, ſic evidenter formari rectam conſcientiam: quidquid facimus præmiſſa conſultatione cum Medico in re medica, cum Theologo in re Theologica, cum Conſiliariis ſtatus in re politica, &c. ſine peccato facimus eorum ſequendo conſilium: ſed ego eam conſultationem præmiſi: ergo juxta conſilium operando, & illud ſequendo non pecco. Major, inquis, eſt certa: minor intuitivè evidens, & certa: ac proindè concluſio.

Enimverò dolendum eſt, tot quaquaverſum gentibus ſyllogiſmum iſtum videri non tolerabilem modo, ſed etiam concludentem. Hoc ſanè plus eſt, quam omnes omnino librorum opiniones facere tutas; non ex genere ſuo ea, quæ in libris eduntur, majori conſideratione perpenſa ſunt, quam quæ ore reſpondemus. Nemo autem Theologorum gravium dixit, ut oſtenſum eſt *lib. 1.* omnes omnium librorum opiniones eſſe doctrinas tutas; quin hoc repugnat ſenſui, ac menti Authorum omnium. Magis ergo repugnant, omnia omnium Theologorum, aut Medicorum dicto, & reſponſa facere tuta.

Itaque propoſitio illa major miſeranda potius eſt, quam admittenda: *quidquid prævia conſultatione facimus, ſine peccato facimus*. Illius falſitas ex ſingulis noſtris quæſtionibus conſtat. Major iſta eſt, ex qua infinita mala naſcuntur litium, bellorum detractionum, injuriarum, libellorum: indè Principes à Principibus, ſubditi à Dominis, Domini à ſubditis, Eccleſiaſtici à ſæcularibus, religiones, regna, domus mala innumera patiuntur: *Conſului; ergo non pecco*. O ſi liceret hic publicum in ſpecie educere plurima hoc ipſo tempore occurrentia: Videret; credo, unuſquiſque, quantum rebus ſuis præjudicet major ille, quomodo demum cuncta reſolvat ad potentiam; nam potentiam habenti conſilia, & conſiliarii non deſunt. Clamarent proculdubio univerſi, intereſſe omnium, ut ad veritatem in conſultatione quærendam obligemur. Ubi ergo non ſatis dicere in re tanta non poſſumus, & ſanctus aliquis zelo Dei plenus requireretur, qui argueret, obſecraret, increparet in omni patientia, & doctrina, dum conſultationem vacuam veritatis prætexendo revera à veritate auditus avertitur; ex traditis modulo noſtro conſtat, eam conſultationem eorum hominum in tali materia, inter tales perſonas, in talibus denique circunſtantiis omnibus eſſe neceſſariam pro conſcientia, per quam, ſcilicet conſultationem ferè ſemper habeantur veritas: ſin minus non eſſe conſultationem, ſed affectatum prætextum: conſultatio enim eſt gratia veritatis tamquam finis.

Nunc ergo, cum conſultario ſit medium natura ſua ſolùm probabile; probabile autem ex natura ſua aliquando deficiat, & fallat, & ideò injunctum ſit onus inſpiciendi in ſingulis, ut ſuperiùs eſt habitum, videtur impoſſibile, quod in ſinceris etiam, & ſeriis conſultationibus, id eſt, in veritatem per media ſufficientia ordinatis tamquam in finem, (nam reliquæ appellantur conſultationes ad fallendum) in ſingulis adeſſe poſſit certitudo; quod ea vice probabilitas non deficiat, & fallat.

§. III.

Sententia S. Thomæ de fallibilitate conſcientiæ & dictaminis amplius perſuadetur.

PRofectò velle nobis in noſtris actibus omnibus eam ſecuritatem, ac certitudinem conſcientiæ uſurpare, quaſi ad ſingulos illos ad manum haberemus conſultorem Deum, ex cujus indefectibili conſilio & in re ipſa, & in tanto, & in circunſtantijs ſingulis, & omnibus dirigeremur, nimium ſanè velle videtur, & eam nobis oſurpare confidentiā, qua ſancti ipſi Dei caverunt, & cum timore & tremore ſalutem ſuam operati ſunt, non ſolū propter futurum, ſed etiam propter pręſens: & præteritum. Obſtare enim uidentur huic certitudini multa.

In primis in univerſali certum eſt, nos teneri ad ſtudium aliquod ſalutis noſtræ; ad curam, & ſollicitudinem, & aſſenſum demum aliquem ęternotum: quod probandum non eſt & negat nemo. Hoc autem ſtudium, hanc curam, & ſollicitudinē taxare certa, & nobis perceptibili, & quoad nos nota, & determinara menſura, fortè eſt impoſſibile; quia fortè opportuit, nos de hoc ipſo eſſe ſollicitos tam humilitaris, quà ſancti timoris Dei cauſa, utq; magis in ipſo ſpem noſtram omnem collocemus, nec ex illis ſimus, qui in ſe confidebant, quorū

unus ſuæ juſtitiæ ſophiſticè certus dicebat, *jejuno bis in ſabbato*, &c. Dato deindè, nobis eam menſuram eſſe notiſſimam, contingit mox alia incertitudo, an expleverimus menſuram, an remiſſiores extiterimus.

Rurſus Authores omnes requirunt diligentiam aliquam pro inveniendo veritate morali. Quantitatem hujus diligentiæ certa, & infallibili menſura taxare, quæ ſit nobis nota, & infallibilis, ita ut jurare poſſuimus, *tantum requiritur, & non plus*, eſt credo impoſſibile: rurſus certi eſſe non poſſumus, nos ſegniores non extitiſſe. Authores alii expreſſè requirunt orationem, nec illius neceſſitas videtur negari poſſe, cum tam facile, & obvium id ſit ex ſacra authoritate. Alii requiſiverunt præterea purgationem conſcientiæ, & animæ; anima enim non munda facile fallitur.

Etenim ex experientia uniuſcujuſque, & omnium, & ex Philoſophia, & ex ſacra authoritate conſtat innegabiliter, ſecundnm diverſam animæ noſtræ diſpoſitionem, & habitus, & affectus, & paſſiones diverſa nobis apparere objecta, ac incredibiliter mutari faciem rerum omnium. Fortè quia non quantum debeo in charitate affectus ſum, & defectu ejus, objecta materialia charitatis pertinentia ad proximum non tantum mihi diſſonant v. g. in detractione, & fortè ex eo defectu, quod eſt grave videtur leve; & ſic in obedientia, in paupertate, in juſtitia, & in cæteris. Similiter etiam eſt in docendo, & ſpeculando; fortè ex elatione, ex defectu propriæ cognitionis, quia majora viribus audeo, quia ſanctos libros non conſulo, quia Deum non oro, quia conſcientiam non mundo, & animam fallor, ac deficio.

Quicumque ergo has omnes cauſas incertitudinis conſideraverit, fateatur neceſſe eſt, impoſſibile eſſe, quod ſemper, & in ſingulis noſtris actibus totali certitudine, ac infallibili dictamine conſcientiæ agnoſcamus, *ego hoc docendo, vel hoc operando non pecco*; Nam ad hanc certitudinem neceſſe eſt, me certum eſſe, in ſtudio ſalutis, ac in ſolicitudine æternorum nihil à me omiſſum: in diligentia quærendi veritatem, in orando Deo, in mundando corde prætermiſſum fuiſſe nihil. De una ſole educatione dictum eſt ſuperius, eas inde oriri ſcenas, quod multæ opiniones ſint in una Provincia communes: eædem in alia vix non videantur abſurdæ: intra unam ipſam urbem, eædem in una domo habentur evidentes, in alia domo judicentur falſiſſimæ, & periculoſæ: intra unam ipſam domum eædem aliis ſunt certæ, aliis paradoxæ, aliis leves aliis graviſſimæ. Quis ergo de ſingulis particularibus aſſumptis ad ſuum actum particularem, certitudinem, ac evidentiam habere poteſt, id ſufficere ad non peccandum?

Faciamus ergo de novo alium ſyllogiſmum: *Omnis exiſtimans ſe in aliquo actu ſuo non peccare, non peccat: ego exiſtima me in hoc actu non peccare: ergo, ego in hoc actu non pecco.*

Ex dictis major illa cum diſtinctione eſt vera: ſine diſtinctione eſt falſa, & non ſolum non eſt evidens, & certa, ſed clarè falſa. Diſtinctio eſt iſta: *Omnis exiſtimans ſe in aliquo ſuo actu non peccare, non peccat, ſi nihil prætermiſit eorum, quæ debuit*, eſt vera propoſitio: ſi aliquid prætermiſit, eſt falſa propoſitio. Nunc ad minorem: ego exiſtimo me in hoc actu eliciendo non peccare, diſtinguo: & certus ſum ſemper, & in omnibus, nihil à me prætermiſſum eorum, quæ debui, nego: & certus non ſum, probabile tamen judicium facere poſſum, ſi verè diligens ſum in cura animæ, ut ſunt multi, concedo, Quare concluſio ſolum erit probabilis, ſaltem loquendo de omni, & ſemper, & ſtudioſis ſalutis ſuæ. Veritas harum diſtinctionum conſtat ex dictis.

Jam autem ſi velles, omnem omninò ſine actuali remorſu conſciëntiæ exiſtimantem, ſe in aliquo actu ſuo non peccare, eo ipſo non peccare, ſive diligentiam debitam fecerit, ſive non fecerit. Si inquam, hoc velis, conſtat, conſtabit copiosè *part.* 2. id eſſe falſſimum: & liquet in peccatis maximè intellectualibus formalis hæreſis, Arianorum maximè, & Neſtorianorum negantium myſteria difficillima. Imò ut dicemus hæc via requirens actualem remorſum ad omne peccatum, hæreticos, & obſcæcatos eò redderet excuſabiliores, quò ſunt obſtinatiores, & ſceleſtiores; eò enim minùs, & eò etiam rariùs remorſum experiuntur Ergo contingit peccare aliquem etiam exiſtimando, ſine remorſu actuali, ſe non peccare. Quorſum alioquin S. Thomas *art. 3. ſeq. & aliàs*, & cæteri Theologi quærunt, utrum conſcientia erronea liget, aut obliget, ſcilicet quandò malum exiſtimatur eſſe bonum, & obligatorium; nam conſcientia afferens ſecum actualem remorſum, nequit ligare, nec obligare; nunquam enim eſt obligatio operandi cum remorſu, & contra remorſum conſcientiæ: ergo eſt, & datur conſcientia erronea ſine remorſu. Dici autem non poteſt, ſermonem eſſe de conſcientia erronea invincibili. Patet enim clarè in D. Thoma, conſcientiam iſtam erroneam, quam tradit ligare, & obligare, non ſemper excuſare à peccato; quin contingere peccare etiam operando ſecundum ipſam conſcientiam qualis proculdubiò conſcientia illa fuit *Ioan. 16. venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Habetur ergo cum ſimili quoad ipſos dictamine, ac nulla tunc percepta diverſitate contingere, peccare unum, & non peccare alium. De his fusè *lib. 5. part.* 2.

Dices, viam iſtam nimis nos reddere timidos, & perplexos: ſæpè enim in multis noſtris actibus certi eſſe non poterimus, nos in illis non peccaſſe: quin peccabimus ſine ea totali certitudine in actum prorumpendo, & operando, quod neſcimus certò, ac evidenter peccatum non eſſe.

Sed ad hoc poſtremum dicam ſeorſim ad finem quæſtionis, explicabo, quomodò non peccemus ſine illa etiam certitudine operando. Nunc eſt dicendum ad primum, an via iſta reddat nos nimium timidos: nam perplexos non reddere conſtabit poſt.

§. IV.

Defectus infallibilitatis non reddit nos nimium timidos.

SEd verò inſtituta via potius nos ducit exactum medium Chriſtianorum, quod eſt inter ſpem, & metum: ita enim de juſtitiis noſtris, & innocentia noſtra, vel non peccato confidere, ut nihil ſuperſit timoris; ita de innocentia, vel juſtificatione noſtra, vel peccato timere, ut ſpei non ſit locus, utrumq; eſt extremum à veritate exorbitans, alterum deſperationis, alterum præſumptionis,

nis, ut ex ſancta ſcriptura, & libris quibuſque ſpiritualibus accipitur: quin in ipſo etiam virtutum exercitio pericula timent, monent, & cavent: & juſſi ſumus cautè ambulare, ſpiritus probare, non omni ſpiritui credere; videre, nequis nos ſeducat, cavere à fermento Phariſæorum, id eſt, doctrinæ, & hoc genus alia ſine fine. Mirum ſanè eſt, quod quaſi mundus in nimium Dei timorem declinaret, & nimis examinarent opera ſua, tam ſolliciti exiſtimamus pro timore diminuendo.

Eſt itaque loqui vel de ſtatu proprio noſtro præſenti, vel de ſingulis noſtris actibus, quos elicimus. Certè dicere non poſſumus errorem eſſe dicere, nos in ſingulis noſtris actibus honeſtatis, non peccati habere certitudinem, & evidentiam. At primò non facilè intelligitur, nos in ſingulis noſtris actibus certitudinem, ac evidentiam habuiſſe, & habere de non peccato; & ex ea omnium noſtrorum actuum certitudine, & evidentiâ non poſſe elicere ſimilem evidentiam, ac certitudinem de proprio noſtro ſtatu præſenti. Deindè ſi hanc de ſtatu noſtro & evidentiam comparare non poſſumus, nihil, vel parum ad tollendum timorem noſtrum facit illa certitudo, & evidentia particularium actuum, cùm inſpectis demùm omnibus ego certitudinem non habeam mei proprii ſtatus præſentis, & timorem habere debeam.

At loquendo de ſtatu proprio præſenti uniuſcujuſque, declinat ſaltem in errorem præſentium, hæreſum dicere unumquemque juſtum habere certitudinem, & evidentiam, & infallibilitatem ſui non peccati: contra quas hæreſes ſic eſt conſtitutum in Trident. *ſeſſ. 6. cap. 9.*

(Quamvis autem neceſſarium ſit credere, neq; remitti, neque remiſſa unquam fuiſſe peccata, niſi gratis divina miſericordia propter Chriſtum; nemini tamen fiduciam, & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum jactanti, & in ea ſola quieſcenti peccata dimitti, vel dimiſſa eſſe dicendum eſt; cum apud hæreticos, & ſchiſmaticos poſſit eſſe, imò noſtra tempeſtate ſit, & magna contra Eccleſiam Catholicam contentio, ne prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui verè juſtificati ſunt, abſque ulla omninò dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe juſtificatos, neminèmque à peccatis abſolvi, ac juſtificari, niſi eum, qui certo credat, ſe abſolutum, & juſtificatum eſſe: atque hac ſola fide abſolutionem, & juſtificationem perfici, quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſis, dèque mortis, atque reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet. Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque ſacramentorum efficacia dubitare debet: ſic quilibet, dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit de ſua gratia formidare, & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.)

Et *can. 13.* definitur: Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, ut credat certò, & abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis, & indiſpoſitionis, peccata eſſe ſibi remiſſa, anathema ſit.) Nec miranda definitio; nam ſcriptum erat, neſcire nos, an amore, an odio digni ſimus: item nos non poſſe reſpondere *unum pro mille*, ſi voluerimus in judicio cum Deo contendere; item, *quia non juſtificabitur in conſpectu omnis vivens*: item *ab occultis meis munda me*, quæ ſcilicet latebant diligentem adeo Dei ſervum: item *ſi juſtus vix ſalvabitur*, &c. Adeo ut dicit Concilium, *quilibet, dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt*, ut ipſe Paulus Apoſtolus ſatis clarè conteſtatum reliquerit, *ſed neque ipſum judico: nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me Dominus eſt*: cui ſcilicet notorium eſt *pravum, & inſcrutabile cor hominis*.

Omitto plurima. Ex his accipitur primò, quod certitudo illa, evidentia in dictamine conſcientiæ à nobis negata nihil afferat ſpecialis timoris, aut nimis, & indebiti timoris: quippe ſemper deeſt certitudo, & evidentia non peccati perſonæ: quare periculum gehennæ. Secundo ut dictum eſt, difficulter intelligitur, nos in ſingulis, & omnibus actibus noſtris quando non peccamus, habere certitudinem, & evidentiam de non peccato; & quod ex his evidentiis per certam conſequentiam non poſſit inferri concluſio certa, & evidens, quod ſim immunis, & expers peccati: in qua conſequentia non immoror, ne ſim prolixior. Tertiò, quia authoritates adductæ probant, eſſe poſſe in nobis peccata nos omninò latentia, & occulta, & ignota: at hoc eſſe non poſſet, ſi quicumque peccat, actualem remorſum in contrarium experitur: diligentiſſimi enim ſervi Dei reminiſci poſſent horum remorſuum. Ubi rursùs quia ſi quicumque non peccat, certum, & evidens dictamen habet de non peccato, omni peccanti notorium eſſet, ſibi deeſſe hanc evidentiam: nulla proinde eſſent peccata nobis ignota, & occulta, & ſoli Deo nota: judicare proinde ſaltem diligentiſſimi poſſent, quando, & in quo, & quantum peccaverint: atque judicare ſeipſos. Plura *lib. ult.*

Conſiliatis portò, & ſapientiſſima ratio probat de actu, ſicut de perſona. Ratio erat: quòd *quilibet, dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt.* Applicando enim hanc ipſam rationem ad actum particularem ſuſceptionis ſacramenti pœnitentiæ, vel communionis formidare, & timere quilibet poteſt, an ſe ſatis probaverit, ſitque ſatis diſpoſitus; alioquin certus eſſet de ſua juſtificatione: qui autem certus non eſt de ſua diſpoſitione, certus eſſe nequit de ſuo non peccato in actu ſuſceptionis: nam tota ratio peccati, vel non peccati in ſuſceptione ſumitur ex digna, vel non digna ſuſceptione; & ideò peccatur, vel non peccatur, quia dignè, vel indignè ſuſcipitur; & hæc eſt tota ratio legis; nec una lex de digna ſuſceptione, & alia lex de non peccato. Ergo ſic eſt certum non peccatum, ſicut eſt certa digna diſpoſitio: nec fortè dabitur ſolidè, quò aliò reſolvatur non peccatum. At de digna diſpoſitione non datur certitudo: ergo neque de non peccato.

§. V.

Non ergo eſt neceſſarium dictamen evidens ad non peccandum.

Miranda eſt ſanè rerum harum omnium mutatio. Toto prius opere labor noſter erat in oſtendendo, requiri ad non peccandum, ut non ſiſteretur in aliquo ad legem, & voluntatem Dei, & ad non voluntatem æqualiter indifferenter ſe habente; neceſſariam eſſe regulam aliquam, quæ haberet magis conformari re ipſa, quam diſcordare à prima regula: & ſic requiri ſaltem

ipſa contra legem Dei, magis quam non contra. Sed de his ſatis ſuprà. Nunc de novo ſtatuamus, & declaremus præſentem doctrinam.

Poſtremo itaque tota doctrina hujus quæſtionis firmatur, & declaratur ex reſiſtentia tentarionum fortium, quæ quippè res eſt omnibus nota. Habemus ſanè poteſtatem honeſtè, & ſine peccato reſiſtendi fortibus etiam tentarionibus; & aliqui ſine peccato, & honeſtè reſiſtunt. Nec tamen in hoc rerum conflictu tam eſt expedita ratio, tam in clara luce exiſtimus, ut cum debitè reſtitimus, certum; & evidens dictamen haberemus, quo nobis ut in luce meridiana liquidum eſſet, *tantum facere debes*, *tantum pugnare*: ſi etiam id eſſet ita liquidum in ipſo conflictu, quando pugna ceſſat, & aliquando ſanè repentè, liquidum eſſet, vel eſſe poſſe, *tantum facere debui*, *tantum feci*; nam in ipſo faciendo certò; & evidenter conſtabat, *ad reſiſtendum ſine peccato tantum facere debes.* At conſtat ex omnium experientia, & ſenſu, nobis deeſſe has certitudines, & evidentias in ſimilibus, in quibus aliquando vix non miſera ratio abſorberur. Ergo ad operandum ſine peccato, & honeſtè certitudo illa, & evidentia non eſt neceſſaria,

Quod ergo nos ipſi, & Confeſſores in reſiſtentia tentationum faciunt, id proportione ſua in reliquis eſt agendum. In pugnis illis juſtiſſimi etiam cum timore manent; an conſenſerint, an non, & ſaltem ad cautelam in more eſt talia in confeſſione proponere. Confeſſor autem ex reliqua pœnitentis vita, & ex modo morum judicium format, an conſenſerit, an non aliquando hinc inde fluctuans dubius manet: & ſecundum quod judicat, intentionem habet; vel non habet abſolvendi pœnitentem circa eam rem.

Hoc quod vel omnes, vel confeſſores facimus circa reſiſtentias tentationum, de omnibus actibus humanis occurrir faciendum. Ego puto (ſi tamen corde putare eſt poſſibile) me eſſe ritè diſpoſitum ad ſuſceptionem pœnitentiæ, vel communionis, ſum tamen valdè intelligens in pertinentibus ad animam: mea perſuaſio eſt ultronea: & non probat: quæſitus enim; cur ita ſim perſuaſus, omni rationabili cauſa careo; veni enim ad confeſſionem nulla ferè præmiſſa, ſeria & gravi diligentia, E contrario: exiſto diligens; rectè probo non certitudinaliter, probabiliter tamen. Hac de cauſa in more habent fideles timorati ſe accuſare, ſicut in tentationibus; ſic de ſua præcedenti ſuſceptione Sacramentorum: quia certi non ſunt, ſe ſine peccato ſuſcepiſſe: & judicium faciendum eſt, ſicut de reſiſtentia tentationum. Sicut eſt, quando cui nihil occurrerat, an talis contractus eſſet injuſtus. Quid refert, ſi ferè nil curat de ſcienda lege Dei?

Ex tota noſtra doctrina accipitur, id, quod videtur æquiſſimum: ſcilicet Dei ſervos diligentiſſimos & alios tepidos, & alios exiſtentes in telonio, & hoc genus diverſi ſtudii innumerabiles homines, non omnes æquali; id eſt, prorſus certo, & evidenti dictamine eſſe donandos de non peccaro, vel omnibus communium, ut eſt ſuſceptio ſacramentorum, vel particularium; ſicut nec de ſtatu ſuo in gratia: & quod negotians toto anno in telonio conſultatione habita cum Theologo, ſit ita certus de non peccato omnium ſuorum tractatuum; ſicut fervidus religioſus orans totò anno in cella. Parum non erit, ſi probabilitatem aſſequantur tam tractaruum; quam non peccati in ſuſceptione Sacramentorum. At ſancti Dei habent probabilitatem incomparabiliter majorem: nam probabilitas eſt una multò major alia, ut Matrem meam me amare; & amaturam eſſe; quam amicum, &c.

QUÆSTIO III.

Quomodo prudentia ſalvetur in probabilibus? Ubi quid ſit prudentia, & quæ veritas prudentiæ?

CUm nihil ſit utraque Theologia uſitatius, & frequentius, quam remittere ad prudentes, quam relinquere hoc, & illud prudentium judicio, quam vim ipſam argumentorum taxare per prudentiam, hæc bona, hæc mala. & infirma æſtimare; quia prudenter illis ceditur vel reſiſtitur, quo demum aliqui totam cauſam veræ fidei dirimendam remittunt: cum in his ipſis de probabilibus controverſiis res tota ab aliquibus per prudentes, & prudentiam, & prudenter definiatur; cum hæc; inquam, omnia ita ſe habeant, id in ſingulis videretur in primis accuratè exponendum, quis ſenſus, quod ſignificatum eſſet harum vocum: quid prudentia eſſet, in quibus locum haberes, quæ illius veritas; alioqui noſmet non intelligimus. Videtur deinde, quòd nulla in rebus exiſtente veritate ſalvam aliqui velint totam prudentiam. Alii deindè per dictamen prudentiæ; per bonum judicium practicum non aliud ſibi videntur intelligere, quam dictamen, & judicium omnis expers rationis. & quidquid eſt rationis cum ſpeculativo confundentes ratiocinantes quoſque ſpeculativos, & parum ad praxim idoneos, & nihil ratiocinantes prudentes appellant. Neceſſarium eſt ergo; quid ſit prudentia, in quibus locum habeat, quæ ſit illius veritas; diligenter exponere.

§. I.

Rei difficultas.

NUnc porro immediatè in ipſa ſerie doctrinæ noſtræ id difficultatem facir, quod dixerimus probabilia eſſe ſufficientem regulam actuum humanorum: cum verò nulla poſſit eſſe regula actuum humanorum, ubi prudentia locum non habet, quæ ſcilicet neceſſaria eſt ad honeſtè operandum; ex eo oritur difficultas, quòd prudentia non videatur ſalvari poſſe in probabilibus, cum probabilitas fallat; prudentia non fallat: probabilitas deficiat, & claudicet aliquando: prudentia nunquam. Ex quo æquivocati Mercorus; & alii contra ipſa Ariſtotelis, & S. Thomæ principia ad prudentiam probabilitatem non ſufficere, certitudinem neceſſariam eſſe voluerunt; ne ſcilicet prudentiam, cum virtus ſit, contingeret deficere.

Augetur difficultas; nam ex 6. *Ethicor; cap.* 3. opinio exeluditur a ratione virtutis intellectualis: quia *exiſtimatione, & opinione fieri poteſt, ut mentiamur*; id eſt, in exiſtimando; & opinando falli

poſſumus ; ac ſubinde etiam fallere. At cauſa hujus fallibilitatis opinionis eſt, quòd ſervetur circa objectum, quod poteſt aliter ſe habere, id eſt, circa probabilia vel re talia, vel ſaltem apparentia. Ergo ſi prudentia ponatur circa idem objectum, non erit virtus; quia fieri poterit; ut fallamur, & mentiamur; nec enim prudentia objectum de ſe fallibile poteſt reddere infallibile. At prudentia ſecundum omnes eſt virtus; & neceſſariiſſima virtus. Ergo prudentia non eſt circa probabilia.

Hæc verò expediunt facilè illi contra quos quæſt. præced. dictum eſt : ponunut enim ultimum judicium, & dictamen conſcientiæ certum, infallibile, & evidens, & hoc dictamen eſſe dicent actum prudentiæ, certum illum, & infallibilem, & evidentem, repugnantem mentiri, fallere, ſive ſe habeat per modum imperii dicendo, *fac hoc*, ut alii volunt ſive per modum dictantis judicii dicendo, *honeſtum eſt hoc agere*. At nus, qui evidentias iſtas atque infallibilitates negamus, quò recurratur, non habemus.

Cœterùm, ut ex hoc de novo doctrina præcedentis quæſtionis conſtet, hic exitus non eſt ſecundum præcepta, & ſenſum ſapientium, & Theologorum, qui aliter de conſcientia, aliter de prudentia loquuntur, & pronuntiant; nam de conſcientia tradunt, eam errare poſſe; de prudentia non item: conſcientiam in rectam, & erroneam partiuntur : nec verò prudentiam aliam rectam dicunt dicunt, aliam erroneam, id eſt, aliam imprudentiam, vel non prudentiam. Ergo infallibilitas, & indefectibilitas prudentiæ non eſt declaranda per dictamen conſcientiæ evidens, & infallibile. Deinde de conſultatione, quæ eſt annexa prudentiæ, quid dicent, an omnes conſultationes erunt ſimiliter certæ, evidentes, & infallibiles ? & unicuique conſultori dabitur infallibilitas, in doctrina morum, quam propter ſolas Dei revelationes Romano Pontifici concedimus ? Conſtabit demùm, viam iſtam non eſſe rectam.

§. II.

Quid ſit prudentia, quid ejus veritas ?

Circa prudentiam conſilium non eſt ea proſequi, & tradere, quæ ad ſcopum hujus operis parum conferunt, ut eſt connexio, vel non connexio virtutum moralium cum prudentia : & prudentiæ cum virtutibus moralibus, quò pertinet difficultas illa, an ſtante recto dictamine, vel imperio prudentiæ poſſit vel non ſequi bona electio, vel ſequi mala etiam electio; quia videtur ſenſus eſſe omnium, malè eligentem non eſſe prudentem, nec prudenter eligere, prudentia autem & prudenter pertinet ad intellectum: ergo exiſtente actu recto intellectus, nequit deeſſe recta electio. Circa hanc difficultatem, atque illius multas conſequentias videri poſſunt Philoſophi, Theologi ſubtiliſſimè diſputantes & contra dicentes 6. *Ethic. & in 3. ſentent. diſtinct.* 36. & 1. 2. *quæſtione* 57.

Ariſtoteles 6. *Ethicor à capite* 1. tradere incipit multa ad veram cognitionem virturum intellectualium conferentia : incipit enim tractare de recta ratione, quæ virtutibus moralibus medium præſcribit, Rationem porrò dividit in ſpeculativam, & practicam. Utriusque rationis bonum opus eſſe cognoſcere veritatem, probat *cap.* 2. & concludirur rectam rationem, & ver in rationem eſſe idem, quod etiam aliàs tradit : & ideò ratio ſpeculativa benè ſe habet, quando habet veritam ſpeculabilium ; ratio practica ſimiliter benè, quando habet veritatem agibilium, vel etiam factibilium : malè autem ſe habet utraque, quando habet falſitatem. Omnis ergo virtus intellectualis veritatem requirit; nam per virtutem neceſſario benè, & non male habemus. Mox *cap.* 3. numerat virtutes intellectuales, artem, ſcientiam, prudentiam, ſapientiam, & intellectum.

Jam poſt præmiſſam aliquam naturæ prudentiæ inveſtigàtionem prudentiam ſimpliciter talem ſic deficit *cap.* 5. *reſtat igitur, ut prudentia ſit habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ bona, & mala homini ſunt*, intelligitur *homini* in quantum homini, id eſt, quæ ſunt bona, & mala ad finem hominis, qui eſt finis ſimpliciter : & ſic etiam ſunt ipſa bona, & mala ſimpliciter: nec non ipſa prudentia. Per hoc differt hæc prudentia ſimpliciter talis à prudentiis particularibus, & ſecundum quid talibus, ut ſunt prudentia civilis, œconomica, militaris, quæ ſolum ſunt circa ea quæ ſunt bona, vel mala ad fines particulares belli, civitatis, domus, &c. nec verſantur circa ea, quæ ſunt bona & mala homini, in quantum homini, ſed in quantum duci, vel civi, aut Senatori, aut Patrifamilias. Differt à ſcientia ratione materiæ, ſicut ab intellectu, & ſapientia ; quia iſta ſe habent circa neceſſaria : & non potentia aliter ſe habere: prudentia autem verſatur circa agibilia conſultabilia ; ergo circa potentia aliter ſe habere; nam de neceſſariis non eſt conſultatio. Differt ab arte, quia hæc verſatur circa factibilia; prudentia autem circa agibilia. Hæ differentiæ exactius tradi poſſunt, & aſſignari differentiæ etiam formales, ſed hoc parùm refert ad ſcopum noſtrum.

Id ergo noſtra intereſt ſcire, quæ ſit veritas illa, cum qua agit prudentia ? quod erat quaſi genus in definitione, an ſufficiat prudenriam eſſe activam vera cum ratione circa bona, & mala hominis formaliter talia, an etiam requiratur veritas circa bonitatem, & malitiam materialiter talem ? Explico : bonum, & malum in præſenti ſignificant honeſtum, & inhoneſtum, multi autem ſeparant honeſtatem formalem à materiali, & non tam tractant, quam ſupponunt ratione invincibiliter errante, & ſic judicante malum aliquod eſſe bonum, aut tunc operationem habere honeſtatem formalem, licet re ipſa, & materialiter ſit contra legem, quæ invincibiliter ignoratur. Videndum eſt ergo, an ratio prudentiæ ſic, ſit recta, & vera, ut nec materialem iſtum errorem incurrere poſſit ? ac proinde ea quæ materialiter mala ſunt, nec prudenter, nec ex prudentia fiant ?

Dicendum eſt veritatem tam eſſe de ratione virturum intellectualium, ut omninò nec materialiter quidem errare queant : ac proinde prudentiam eſſe habitum vera cum ratione activum. ita ut nec materialiter quidem errare valeat.

Hoc multipliciter oſtenditur ex principiis, quæ toto illo libro 6. Ethicor. traduntur. Primò principaliter ex conceptu communi virtutum intelle-

tellectualium de quatum ratione eſt veritas, & non errare nec materialiter, & errore etiam in imputabili, ut c nitur in arte, in ſcientia, in ſapientia, in intellectu; & opera, in quibus inculpabiliter erraret artifex, quoad id, in quo erratur, non ſunt ex arte. Ratio à priori eſt manifeſta; quia virtutes intellectuales ſunt bona perficientia intellectum per actus ſuos: bonum autem intellectus eſt cognitio veritatis: & error quilibet eſt malum intellectus. Ergo licet materialis, invincibilis error voluntati non noceat, erit tamen malum intellectus; imò eò fortè majus cæteris paribus, quò invincibilius, Implicat ergo prudentiam ferri in errorem etiam invincibilem, & errare etiam materialiter. Implicat ergo, prudentiam dictare aliquid eſſe bonum, quod re ipſa eſt malum, & dicere malum bonum: licet error ſit omninò inimputabilis.

Conteſtatur Auguſt. *lib. de util. credendi c. 12. ſtultus ergo omnia peccat niſi in iis factis, in quibus ſapienti obtemperaverit: à recta enim ratione talia facta proficiſcuntur.*

Sed dices, quod S. Thomas indicare videtur *1. 2. quæſt. 57. art. 5. ad 3.* & Cajetanus, & alii promovent, diſtinguendam eſſe veritatem intellectus ſpeculativi, & intellectus practici, ac proinde etiam veritatem virtutum pertinentium ad intellectum ſpeculativum, ut ſunt ſcientia, ſapientia, & intellectus; & veritatem virtutum pertinentium ad intellectum practicum. Illius intellectus, & illarum virtutum materia eſt neceſſaria, infallibilis, & non potens aliter ſe habere. At ad intellectum practicum, & hujus virtutes, ſcilicet artem, & prudentiam pertinet materia non neceſſaria, & poſſibilis aliter ſe habere: ad artem quidem factibilia, id eſt, exteriora opera: ad prudentiam agibilia, id eſt, actus humani, ut dictum eſt. Hinc veritate prudentiæ ſumi nequit per conformitatem ad res ipſas in ſe; ſed ſumenda eſt per conformitatem ad appetitum rectum, vel antecedentem: ut Ariſtoteles, & S. Thomas tradunt; quia prudencia verſatur circa media, & ſic præſupponit appetitum rectum, & voluntatem bonam finis; vel per confirmitatem ad appetitum rectum conſequentem, ut Scotus *in 3. diſtinct. 36. quæſtione unica*, & alii volunt: quia ſi appetitus ſequens ſit conformis ad dictamen prudentiæ, erit appetitus rectus.

Hujus litis prætermiſſa determinatione, quæ aliò pertinet, veritas prudentiæ explicanda eſt per conformitatem ad appetitum rectum, & ſic *2. Ethicor.* ratio prudentiæ dicitur conſentanea appetui recto, vel ratio confeſsè ſe habens ad appetitum rectum. Quare ratio prudentiæ vera, rectaque erit, ſi conformis appetitui recto: quod autem ſit conformis, vel difformis rebus, nil ad prudentiam pertinet: ergo prudentia verum dicet, licet detur error circa res, ſi dictat conformia appetitui recto. At ſi ratio invincibiliter erret circa res, exiſtimat contractum aliquem re ipſa uſurarium eſſe juſtum, aut mendacium eſſe obligatorium pro tuenda vita, tunc dictamen prudentiæ dicens contractum illum eſſe bonum, aut mendacium eſſe neceſſarium, nil dictat disconforme, & diſſentaneum appetitui recto, ſive antecedenti, ſive conſequenti: nam iis in caſibus contrahere, aut mentiri non repugnat appetitui recto: & in ſenſu compoſito appetitus recti, & iſto permanente, & contractus iniri poteſt, & dici mendacium. Habetur ergo, quod prudentia dictare vel præcipere poteſt tanquam bona, quæ re ipſa mala ſunt, quando error eſt invincibilis.

Cæterùm per hoc diſtrahitur nonnihil vis argumenti facti; non tamen ſolvitur, & eadem difficultas manet in conformitate ad appetitum rectum, atque inconformitate ad res ipſas. Ut porrò procedamus expeditius, ſupponamus Ariſtotelis, & S. Thomæ communem, & veram ſententiam, quod ſermo ſit de conformitate ad appetitum rectum an recedentem, id eſt, ad voluntatem bonam finis, id eſt, ad voluntatem nos rectè ordinantem circa verum finem noſtrum; nam appetitus aliorum finium ultimorum non eſt rectus, ſed pravus. Uno verbo appetitus is aliud nón eſt quam charitas, & dilectio Dei ſaltem incepta; hæc enim eſt, ut ex Auguſtino, & Thoma aliàs tradidimus, virtus ordinans nos circa verum noſtrum finem, & eſt Architectonica, ut docet rectè S. Thomas.

Hic rectus appetitus finis, eſt ſaltem virtualis voluntas, & appetitus amplectendi bona re ipſa talia, & vitandi mala re ipſa talia, loquendo de gravibus. Dicamus clarè: appetitus, & amor ille vult ea omnia exequi, quæ juſſit re ipſa Deus; ea vitare, quæ prohibuit juxta infallibile oraculum, *qui diligit me, ſermones meos ſervat*: & ideò non ſolùm vult, ea exequi, quæ ſibi occurrent bona obligatoria, & ea vitare quæ ſibi occurrent ut mala, ſed fertur ad bona, & mala re ipſa talia; alioqui appetitus ille ad nullam diligentiam, & conſultationem neceſſitaret; nam ſine conſultatione habetur ſæpè, hoc nobis occurrere ut bonum; hoc aliud ut malum; & per hoc ſatisficret appetitui illi, ſed non ſatisfit, nam habens appetitum illum inquirit ulterius, & videt, quæ ſit voluntas Dei bona, & bene placens, & in hoc ſtudet, & vigilat. Ergo appetitus ille vult re ipſa bona; odit re ipſa mala. Ergo dictamen dicens aliquod re ipſa malum, aliquem contractum re ipſa uſurarium eſſe bonum, mendacium pro vita, vel pro religione eſſe obligatorium neceſſariò diſcordat materialiter ab appetitu recto.

Deinde quia hujus ſignum eſt, quia appetitus rectus ſolum per accidens, & non per ſe eſt componibilis cum electione dictata per ſimilia dictamina, id eſt, ſolum ex invincibili ignorantia. Hoc ſignum manifeſtum eſt, quod appetitus ille ſit voluntas virtualis, & ſi reflectatur; eſt voluntas expreſſa, & formalis exequendi, quæ re ipſa juſſit Deus, & vitandi, quæ prohibuit; ut cernitur in ſimili: amat Pater chariſſimum filium: dum venatur exiſtimans eſſe feram, occidit filium: voluntas occidendi filium eſt compoſſibilis per accidens & ex ignorantia invincibili cum amore filii; non autem per ſe: & videtur neminem negare poſſe, voluntatem occidendi filium diſcordare ab amore filii non eſt amor ſolum filii non talis, ſed amor filii re ipſa talis. Sic autem ſe habet voluntas, & lex Dei re ipſa talis ad diligentes Deum juxta illud, *& lex tua in medio cordis mei*, & ſupra filios eam diligunt: *quomodò dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt*; & ſexcenta hujuſmodi. Ergo dictamen dictans aliquid, quod re ipſa eſt contrarium legi Dei, eſt diſſentaneum appetitui recto.

Confirmatur, Ponamus, me expreſsè velle exequi, quæ re ipſa juſſit Deus, & in ejus au-

xilio

xilio fixum ſperare me agnirurum ſemper ſatis quæ re ipſa juſſerit. Jam ſi contingat me errare in aliquo ex ignorantia invincibili, electio ita ignoratorum compoſſibilis eſt cum voluntare illa univerſali mea; at eſt compoſſibilis ſolùm per accidens. & ex ignorantia, Et tamen dictamen dictans aliquod re ipſa contrarium legi Dei, manifeſtè diſcordaret à voluntate illa. Ergo compoſſibilitas ſolùm per accidens, & ex ignorantia, probat repugnanriam & diſconformitatem per ſe, & ſecundum ſe. Ergo nullum dictamen dictans malum tamquam bonum eſt conſentaneum appetitui recto; ſed ſicut errat materialiter circa res, ſic errat materialiter circa appetitum rectum. Hoc cernitur in omni contradictione virtuali intellectus, quoties eamdem rem ſub diverſis conceptibus affirmamus, & negamus propter ignorantiam. Ignorantia facit, quod ſint compoſſibiles in eodem inrellectu;non tamen tollit contradictiouem: quare ablata ignorantia neceſſariò intellectus de ſiſtit ab alterutra enuntiatione, Sic ſimilirer in re noſtra, ablata ignorantia, appetitus rectus impedir electionem mali, quod exiſtimabatur bonum, ut in S. Paulo appetitus ille qualis vereris legis Dei ablata ignorantia removit electionem perſecutionis Chriſtianorum. Eſt ergo re ipſa pugna, & oppoſitio inter appetitum rectum, & electionem mali,quod exiſtimatur bonum & ſolùm per ignorantiam ſunt concordabiles. Ergo dictamen non dictat conformia appetitui recto.

Hoc conſtat ulteriùs; quia electio mali exiſtimati boni eſt involuntaria ſecundum quid eligenti: quod conſtat ex principiis Ariſtotelis, & S. Thomæ, & reliquorum communibus de voluntario, & involuntario. Etenim ſi quis debitè diligens Deum poſt electionem, & executionem agnoſcat,.rem illam re ipſa fuiſſe contra legem Dei; & commiſſam eſſe violationem materialem, triſtarur, & nollet eam feciſſe; & qui hoc negat, videtur non multum amare Deum: non dico, quod pœnitentiam agere debeat, quia ſupponimus, nullam commiſſam eſſe culpam propter ignorantiam invincibilem;& gaudere de talibus commiſſis non eſt certè ſignum optimæ diſpoſitionis erga Deum, & legem ſanctam ejus. Ergo electio illa fuit contra aliquam voluntatem antecedentem: hæc autem erat appetitus rectus finis: ergo electio mali, quod exiſtimarur bonum, eſt contra appetitum rectum antecedentem: ſicut projectio mercium in tempeſtate: inde que noſcitur triſtitia. Item naſcitur obligatio magis vigilandi in ſimilibus,ne contingat iterum errare: & ideò quod prima vice fuit ignoranria involuntaria, poterit fieri voluntaria in ſecunda vice, ſi quis expertus ſemel ignorantiam v. g. diei veneris, & ex ignorantia manducans carnem, niſi diligentius ſe habeat in poſterum, fiet ignorantia directè voluntaria. Habetur ergo dictamen dicens malum bonum non eſſe conformem appetitui recto; ſicut non eſt conformis rebus ipſis, ſed diſcordare materialiter.

Dices electio runc eſt honeſta, & bona: ergo eſt ex dictamine prudentiæ De hoc antecedenti tractat articulo integro S. Thomas, & nos cum ipſo de eo tractabimus paulò inferius, & antecedens iſtud falſum eſſe oſtendemus: ex quo de novo doctrina iſta firmabitur. Miramur verò, quòd aliqui affectantes, ſe ſequi S. Thomam, obviam articulum *in ipſa* 1. 2. non viderint.

§. III.

Vlterior probatio veritatis prudentiæ.

HÆc noſtra doctrina, quod prudentia locum non habeat, quoties errarur circa bonum, & malum, & quod ejus objectum non ſit bonum, & malum ſolùm exiſtimatum, & judicatum tale, ſed bonum, & malum re ipſa, & in rei veritate talia: hæc inquam, doctrina plurimas habet probationes in toto illo *libro 6. Ethicor.* ſed ex multis diligam aliquas, ne ex capite noſtro videamut dicere.

Primò ergo Ariſtoteles eo *cap.* 5. ut tradere definitionem prudentiæ, hanc præmittit communem omnium prudentiæ notionem, & perceptionem. (De prudenria verò (ait) ita ſtaruere poſſemus, ſi conſideraremus, quosnam prudentes eſſe dicamus. Viderur ergo prudentis viri eſſe proprium poſſe rectè conſultare de iis, quæ ſibi ipſi bona ſunt, atque utilia non ex part , ut quæ ad ſanitatem, robur conferant, ſed quæ ad benè vivendum in univerſum.)

Hanc prudentiæ ſimplicirer talis communem omnium perceptionem probat etiam ex alia communi, & innegabiliori perceptione prudentiarum particularium dicendo: (Cui rei argumento illud eſt, quod eos, qui circà aliquid conſultant, prudentes appellamus, cum ad finem aliquem bonum de iis, quorum non eſt ars, rectè ratiocinantur. Quare in univerſum quoque is erit prudens, qui eſt conſultatorius.)

Manifeſtum autem eſt, quod in prudentiis particularibus prudentia non verſatur circa bona, & mala exiſtimata ſolùm & judicata talia,ſed circa bona, & mala re ipſa talia: nec prudens dux eſt, qui aciem malè inſtruit ad pugnam, licet ipſi videarur optimè inſtructa, quamquam erret inculpabilirer propter defectum experientiæ, vel intellectus. Idem cernitur in reliquis omnibus prudenriis, in civili, in œconomica, gymnaſtica, & omnibus. Ergo ad prudentias omnes particulares pertinet rectè ratiocinari, & conſultatorium eſſe de bono, & malo re ipſa fines ſuos ſpectante; non autem de bono, & malo exiſtimato ſolum, & judicato tali; nec errantes rectè ratiocinantur. Ergo idem eſt de prudentia ſimpliciter dicta, & in univerſum.

Declararur, & confirmatur; quia ſicut in particularibus materiis militari, civili, &c. aliqua præſupponuntur eſſe bona, & alia mala ad illos fines particulares;nec ex exiſtimatione talia fiunt; ſicut eſt in ordine ad finem ſimpliciter, aliqua objecta ſunt de ſe bona, & alia mala juxta illud;*quis oſtendet nobis bona:* ita mendacium, furtum, adulterium, uſura, ſimonia, intemperantia ſunt mala: bona aurem charitas, pax, longanimitas, modeſtia, patientia, remiſſio injuriarum, juſtitia, miſericordia, humilitas: & hæc objecta tam nequeunt aliter habere & transmutari ab exiſtimatione ulla noſtra, quam nequeunr transmutari bona, & mala aliarum prudentiarum, quin ur ſapientes tradunt, non objecta ab actibus noſtris mala vel bona fiunt, ſed vice verſa; &

ideò

ideò voluntas mentiendi eſt mala, cu mendacium eſt malum, & non vice verſa, ut optimè Vaſquez cum aliis proſequirur. Pertinet ergo ad prudentiam hominis qua hominis de his bonis, & malis rectè dictare; ſicut ad prudentiam, ducis pertinet rectè dictare de bono, & bono re ipſa conferente, vel obſtante ad finem Ducis, ac militaris prudentiæ. Idcircò Philoſophus quaſi notum aſſumit nos prudentem cum dicere, qui rectè conſultat de iis, *quæ ſibi ipſi bona ſunt*; non de iis, quæ exiſtimantur; de his enim quilibet poteſt rectè conſultare.

Recurretur ſemper ad obicem illum; quod eſt diverſa ratio reliquarum prudentiarum particularium; & ſecundum quid, & ratio prudentiæ ſimpliciter; quia malum invincibiliter exiſtimatum bonum ex hoc ipſo redditur bonum, & bonus etiam actus electivus illius; ad medium obſtans victoriæ non reddirur bonum ex errore etiam invincibili Ducis. Ergo eſt ſimile.

In hoc, inquam, obice ſemper impingetur. niſi data opera res iſta diligenter examinetur. Nos totaliter obicem removebimus quæſtione ſequenti, declarando cum Divo Thoma voluntatem conformem rationi erranti non eſſe bonam, ſed ſolum non malam; ſi error ſit invincibilis: ſin autem vincibilis, voluntatem eſſe malam, latè *libro ultimo* oſtendetur. Nunc relinquendo voluntatem, & loquendo de objectis, vel actibus exterioribus v. g. dicimus, mendacium nullo noſtro errore fieri bonum: erit bonum ſolum quoad nos, & ſecundum quid ut ſuperius de probabilibus, & certis, & de evidentiis latè habitum eſt; & rursùs etiam oſtenſum ſum fuit, omne ex ignorantia, vel errore tale non eſſe ſimpliciter tale: ergo ex ignorantia, vel errore bonum hominis non eſt ſimpliciter bonum hominis, & nunquam mendacium, uſuræ, ſimoniæ poſſunt eſſe bona noſtra: & iſta ratiocinantem nemo dicet rectè ratiocinari.

Quod ulterius conſtat; quia in his ſic ſe habet pars ad partem, ſicut totum ad totum, licet viſibilior ſit abſurditas in toto, quam in parte; quia torum eſt majus ſua parte. Si quis enutriretur in ſylvis, & dato, vel ficto caſu ſic re ipſa erraret, & deliraret circa bonum, & malum, ut mala omnia judicaret bona, & bona omnia mala; adulteria, furta, rapinas, uſuras, homicidia diceceret bona, & juſtitiam, religionem, pietatem, pacem judicaret mala, ſanè ille non eſſet prudentiſſimus, licet omnia ut judicat, exequeretur, imò eſſet ſtolidus, aut pejor ferâ. Ergo error in primis etiam invincibilis non reddit bona mala, & mala bona. Ergo nec unus error bonum unum reddit malum, aut malum bonum; nec errores duo mala, nec tres tria; alioquin omnes omnia. At non omnes omnia, ut patet; ergo nec tres tria, nec unus unum. Ergo prudentia non eſt de bono, & malo ex errore ſed de bono & malo revera tali.

Hac de causa Ariſtoteles *capite nono*, tractat de eubulia, ſeu bona conſultatione tanquam annexa prudentiæ: conſultatio autem dirigitur ad habendam cognitionem veram bonorum, & malorum re ipſa talium, & re ipſa conformium appetitui recto: quod ex toto illo capite, & rectitudine neceſſaria ad bonam conſultationem, & ex quatuor conditionibus ad illam requiſitis patet. Vide ibi; nam in rebus ita certis non eſſet immorandum. Idcircò ignorantes, licet bona, & optima fide reſpondeant, non ſunt boni conſultores; & ſic nec torum conſultationum, in quibus ſemper erraretur circa bonum, & malum, eſſèt bonum totum, ſed peſſimum: ergo nec una conſultatio eſt bona, ſi in ea erratur. Hoc verò erit diſcriminis inter prudentem; & prudentiam, & inter conſultorem, & conſultationem; quod vir etiam prudens poteſt aliquando errare; at non per prudentiam: bonus etiam Conſiliarius poteſt aliquando errare; at conſultatio ipſa bona non erit; nam rectitudo aliarum conſultationum ineſt quidem conſiliario, non autem conſultationi illi, in qua erratur: quæ clara ſunt de ſe, & patent exemplo virtutum moralium, & vitiorum, & allarum rerum.

Eadem de causa *cap.* 10. *tractat. de ſyneſi*, ſeu de perſpicacia in judicando de agibilibus, ſeu de actibus humanis. Hæc autem perſpicacia, & ſagacitas requiritur ad diſcernendum & deprebendendum, quæ ſint re ipſa bona, quæ re ipſa mala: nam bona & mala quoad nos talia ab unoquoque cernunrur. Perſpicax, & ſagax non eſſet; qui de omnibus inversè; & contrariè judicaret: ergo nec in uno, in quo quis fallitur, ſagax, & perſpicax extitit. Idem cernitur per ſequentia capita & mea quidem exili ſententia ceſſarent omnes hæ controverſiæ, ſi acuratè, & data operâ de toto illo *lib.* 6. ac de ſingulis ibi diſcuſſis de uno ad unum diſtinctè tractaretur.

Sed verò cum in ſingulis ad prudentes, & prudentia appelletur: & hæ ipſæ controverſiæ dirimantur per remiſſionem ad prudentes, & prudentiam à paucis, & parum de natura prudentiæ ejusque rectitudine, ac veritate inſtituto conſilio quæſtionem ſaltem unam, vel diſputationem unam ſcriptam invenias: ex quo aliis, & aliis aliud, & aliud nomine prudentiæ intelligentibus, aliis vix aliud, quam vel nomen, vel exteriorem cultum, modum hominum exiſtimantibus magna conſuſio nata eſt.

§. IV.

Ceſſant hinc præcedentium quæſtionum controverſia.

CEſſant, inquam; nam nemo eſt, qui dixerit, illam autoritatem, vel doctrinam, vel probabilitatem, vel probabilioritatem pro conſcientia ſufficere, cui prudenter, & ſecundum prudentiam ſtari non poſſit, & quam in operando prudenter ſequi non poſſimus, & quam ſequendo prudenter non operemur. Imò hoc omnes, & ſinguli expreſsè requirunt, & conteſtantur. At illam doctrinam, vel autoritatem; vel probabilitatem, vel probabilioritatem, quam neſcimus, an verum dicat: prudenter, & per prudentiam ſequi non poſſumus, nec ex illa per prudentiam operari; de cujus ratione, & eſſentia eſt veritas tam formalis, & quoad nos, quam etiam materialis. Deinde per autoritatem, vel probabilitatem indifferentem ad verum, & ad falſum, & in nullo gradu magis determinantem verum, non habetur nec veritas quidem quoad nos; quia non ſolum re ipſa talis probabilitas æqualiter habet fallere, & non fallere, ſed etiam quoad nos. Ergo tunc per prudenter prudentiam

dentiam non eſt dicere hoc bonum, hoc malum: hoc conforme appetitui recto, hoc difform ; hoc conſentaneum divinæ voluntati, hoc diſſentaneum: nam hoc dictamen non haberet magis verum, quam falſum dicere. At per virtutem impoſſibile eſt falſum dicere; & hoc eſt principium; ſicut per virtutem moralem impoſſibile eſt malè, & inhoneſtè operari: ſic autem veritas eſt bonum intellectus, & virtus intellectus, & virtus intellectualis, & ejus actus perfectio intellectus; ſicut bonum, & virtutes morales, & harum actus ſunt perfectio voluntatis; & hoc etiam eſt principium.

§. V.

Quomodo ergo per prudentiam verum ſemper dicamus.

HOc nunc ſupereſt exponendum; nam cum materia prudentiæ non ſit certa, ſed probabilis, & ideò ut Ariſtoteles *eo cap.* 5. & S. Thomas *q.* 57. *ar.* 4. *ad* 2. & ſæpè alias, & cæteri tenent, prudentia reſideat in parte intellectus opinativa, ſitque hujus perfectiva: probabilitas autem, licet ferè nunquam fallat, tamen fallat aliquando, videtur conſequi, quod per prudentiam ferè ſemper quidem verum habeamus, & dicamus; aliquando tamen fallamur, & falſum dicamus.

Nihilominus, concedendo cætera, quæ ſunt veriſſima, negandum eſt, nos unquam per prudentiam falſum dicere, ſed neceſſariò per prudendentiam dicimus bonum bonum & malum malum, & dicentes bonum malum, & malum bonum, id vel per malitiam dicant, vel per ignorantiam; in eo vel multo, vel pauco non poſſunt eſſe prudentes, ſed vel mali, vel ignorantes.

Nec eſt repugnantia in eo, quod probabilitas deficiat, & fallat aliquaudo; prudentia verò nunquam; imò ideò prudentia cum annexis virtutibus eſt perfectiva hujus partis intellectualis defectibilis, ut minus deficiat; in quo autem deficit, per ſe ipſam, non per virtutem deficit.

Ad hoc exponendum tum virtutes morales, tum vitia deſervire poterant. Nimirum contingit habentem virtutem moralem deficere venialiter circa juſtitiam v. g. ac hic defectus non eſt ex juſtitia: contingit habentem habitum acquiſitum intenſum temperantiæ aliqnando etiam graviter deficere: non tamen ex habitu illo: contingit avarum eſſe in aliquo liberalem: vel prodigum; at non ex avaritia: & ſic in aliis. Ita ergo in intellectu, quoties rectè, & verè dictatur, per prudentiam dictatur: quoties falsò, non eſt per providentiam, ſed aliunde.

Sed declaremus rem per virtutem intellectualem. Divina fides habet objectum formale infallibile, ſcilicet verbum Dei; at fides indiget præterea applicatione & ideò in Eccleſia habemur, applicarionem infallibilem; vel per Concilium œcumenicum, vel per Papam definientem. At quia hæc applicatio ipſa deinde applicatur, vel agnoſcitur per media fallibilia, contingit errorem proponi tanquam fidem Eccleſiæ, v. g. perſonas Trinitatis eſſe quatuor cum Beatiſſima Virgine: & per ignorantiam ſive vincibilem, ſive invincibilem credit ita ruſticus.

Jam in hoc caſu omnes dicimus, eum non credere per fidem divinam, per fidem, quæ eſt virtus, ſed per errorem: eum non exercere actum fidei. Putat quidem ipſe falsò, ſe credere fide divina, fallitur, & habet fidem ſolùm exiſtimatam, apparentem, & phantaſticam: qualis eſt fides hæreticorum omnium.

Quod ergo contingit in fide propter applicationem proximam, hoc contingit in prudentia propter objectum. Fallitur prudens, ſed non per prudentiam: putat ſed fallitur: habet prudentiam in eo ſolùm exiſtimatam, & phantaſticam. Idcircò eo quiſque falletur minus, quo erit prudentior: nunquam falli ſupra hominem eſt: ſemper falli infrà hominem; non magis non falli, quam falli infrà prudentiam: ferè nunquam falli viri prudentis &c.

QUÆSTIO IV.

Utrum ergo vera ſit Doctrina S. Thomæ, quod voluntas concordans rationi erranti non eſt bona? ſive erret exiſtimando probabile, ſive certum.

MUlti ſunt, qui ſupponendo magis, quam diſputando, alii brevi diſceptatione rem expediendo tenent, voluntatem concordantem rationi invincibiliter erranti eſſe bonam; & honeſtam.

Sanctus Thomas 1. 2. *quæſt.* 19. *ar.* 5. quærit, utrum voluntas diſcordans à tatione errante ſit mala? Et affirmat: de quo nos paulò poſt. Continenter quia eadem utriusque ratio videbatur eſſe, quærit *art ſeq.* utrum voluntas concordans rationi ertanti ſit bona? & negat. Sed in re à multis negata expedit ipſum S. Thomam diſputantem, & illa ipſa argumenta ſibi opponentem, & ſolventem audite, propter quæ aliqui contrarium tenent, nulla ſolutionum facta mentione, neque oſtenſa ullo modo inſufficientia ſolutionum. Cajetanus totum hunc articulum ſine commentario præteriit, quo nos juvaret, eo fortè temporis non neceſſario.

§. I.

Argumenta contraria.

VIdetur, ait S. Thomas, quod voluntas concordans rationi erranti ſit bona. *Sicut enim voluntas* (& hæc eſt ferè unica ratio & Achilles adverſariorum) *diſcordans à ratione tendit in id, quod ratio judicat malum, ita voluntas concordans rationi tendit in id, quod ratio judicat bonum; ſed voluntas diſcordans à ratione etiam errante eſt mala ergo voluntas concordans rationi etiam erranti eſt bona.*

Secundò præterea. *Voluntas concordans præcepto Dei, & legi æternæ ſemper eſt bona: ſed lex æterna & præceptum Dei proponitur nobis per apprehenſionem rationis etiam errantis: ergo voluntas concordans rationi etiam erranti eſt bona.* Tertium argumentum prætereo, quia tangit aliqua ad librum ultimum pertinentia.

Hæc duo ad cauſam præſentem ex D. Thoma. Ex ejus principiis addamus tertium aliud. Diviſio voluntatis, & actus humani in bonum & malum eſt diviſio adæquata ex D. Thoma; nam impoſſibilis eſt actus indifferens individuo. Sed non omnis voluntas concordans rationi erranti eſt mala,

mala, & culpabilis, ut patet in hoc noſtro articulo, quando ſcilicet ratio errat omninò involuntariè, & invincibiliter, ut cum quis accedit ad non ſuam judicando involuntariè eſſe ſuam, qui eſt caſus à S. Doctore hic propoſitus. Tunc ergo voluntas non eſt mala, & culpabilis: n item indifferens, & neutra. Eſt ergo bona & honeſta.

§. II.

Doctrina S. Thomæ.

RESpondet, quæſtionem iſtam eamdem eſſe cum illa; *utrum conſcientia erronea excuſet?* quia de ratione errante diſputando ſolum quæſtio eſſe poteſt de excuſato, vel non excuſato. Idcirco in corpore diſtinguendo errorem in voluntarium ſaltem indirectè, & in involuntarium totaliter ex *q. 6. art.* 8. concludit, errorem rationis aliquo modo voluntarium non excuſare; totaliter & indirectè etiam involuntarium excuſare: & totum corpus articuli eſt de excuſare, vel non excuſare: nihil de bonitate: quia ut mox ex eodem Doctore dicemus, eſt in intelligentia hujus quæſtionis aliud in ea velle, quam ſolum excuſare, vel non excuſare.

Ad primum ergo dicendum (ait) *quod ſicut Dionyſius dicit in 4. c. de divinis nominibus, bonum cauſatur ex integra cauſa; malum autem ex ſingularibus defectibus. Et ideò ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas ſufficit, ſive quod ſecundum ſuam naturam ſit malum, ſive quod apprehendatur ut malum: ſed ad hoc, quod ſit bonum requiritur, quod utroque modo ſit bonum.* Hæc S. Doctor: ſicut juxta omnes ad malum ſufficit mala facere quocunque fine: ad bonum non ſufficit bona facere niſi fiant fine bono.

Ad ſecundum dicendum (ait) *quod lex æterna non poteſt, ſed ratio humana poteſt errare: & ideò voluntas concordans rationi humanæ non ſemper eſt recta, nec ſemper eſt concordans legi æternæ.* Hoc S. Doctor: bonum autem eſt rectum, & voluntas bona eſt voluntas recta, ut patet; & ideò pro æquivalenti poſuit *non rectam*.

Neque dicas, ſermonem eſſe, non de bonitate, & honeſtate formali, ſed ſolùm de materiali, & hanc ſolam negari, eò, quod voluntas concordans rationi erranti; materialiter, & re ipſa eſt contra legem Dei. Omnia quoque modo dicibilia nec à S. Doctore removeri, & memorari debuere, nec à nobis ſunt rejiclenda, Abſolutè in comperto eſt, S. Doctori ſermonem eſſe bono, & malo ſimpliciter; nam hic eſt ſermo ſapientium: & ſimpliciter bona dicere mala ſine explicatione reſtringente aliud re vera non eſt, quam mentiri, vel falſum dicere. Itaque S. D. Doctor negat voluntatem illam eſſe bonam: quæ ſi bona formaliter eſſet, dicere ſimpliciter debuit eſſe bonam, & cum addito dicere non bonam ſcilicet materialiter. Enim verò hoc genus defectus interpretationum ſatis eſt conſuetum. Rursùs: etiam voluntas diſcordans à ratione errante eſt materialiter bona, & recta, & conformis legi Dei, ut credere in Chriſtum: quod eſt exemplum adductum à S. Thoma eo *art. 5.* & tamen non vult, ſic eſſe bonam voluntatem concordantem rationi erranti, ſicut eſt mala voluntas diſcordans à ratione erranre, ut liquet ex reſponſione ad primum. Non eſt ergo ſermo de bono materialiter ſolum, ſed vult ſine bonitate materiali non conſiſtere formalem.

Habemus præterea documentum hoc circa egregium, & valdè illuminans *quæſt. 17. de verit. art. 4. in corp.* Quæritur in eo articulo, *utrum conſcientia erronea liget?* In corpore. Dicendum (ait quod circa hoc ſunt diverſæ opiniones. Quidam enim dicunt, quod conſcientia poteſt errare, vel in his, quæ ſunt per ſe mala, vel in indifferentibus. Conſcientia igitur errans in his, quæ ſunt per ſe mala, non ligat: in indifferentibus autem ligat.

Sed qui hoc dicunt (attende documentum) *non videntur intelligere, quid ſit conſcientiam ligare. Secundum hoc enim conſcientia ligare dicitur, quod aliquis, niſi conſcientiam impleat; peccatum incurret: non autem hoc modo, quod aliquis implens rectè faciat.* In intelligentia ergo eſt quæſtionis, in conformitate rationi erranti, conſcientiæ erroneæ quærere, & intelligere rectè factum, & rectè facere: ſed ſolum poteſt eſſe quæſtio de excuſatione, vel non excuſatione. Idcircò nulla eſt quæſtio, an conſcientia erronea ſufficiat ad honeſtatem moralem, ſed ſolùm eſt quæſtio, an ſcientia erronea excuſet? eadem autem eſt quæſtio de ratione errante, & de conſcientia erronea, teſtatur D. Thomas. Ergo de ratione errante ſolum intendi, & intelligi poteſt, quod excuſet; non autem, quod voluntatem, & operationem reddat rectam, & honeſtam.

Declaratur ulteriùs perſpicacia, & profunditas S. Doctoris. Si quis diceret, conſcientiam erroneam facere operationem, vel voluntatem bonam, diceret, conſcientiam erroneam facere voluntatem rectam: nam omne bonum rectum: hoc autem eſſet dicere, conſcientiam erroneam eſſe rectam; nam implicatorium in terminis eſt, aliquid fieri rectum per conformitatem ad non rectum: & rurſùs quia dictamen conforme appetitui recto priori, vel ſequenti eſt rectum: ergo dicere, voluntatem conformem conſcientiæ erroneæ per conformitatem, ad ipſam, eſſe rectam, eſt dicere conſcientiam erroneam eſſe rectam: hoc autem eſt conſcientiam non rectam eſſe rectam, & erroneam non erroneam; & conſcientia erronea contradiſtinguitur ad rectam. Ergo velle intendere, & intelligere, voluntatem per conformitatem ad conſcientiam erroneam reddi rectam, eſt terminos non intelligere. At idem eſt, ut liquet, de ratione errante ſemper reſultat conſcientia erronea. Ergo de ratione errante ſolun erit quæſtio, an liget, id eſt, an niſi illam quis ſequatur, incurrat peccatum; *Non autem hoc modo, quod aliquis implens rectè faciat*, ut dicit S. Doctor.

Exemplum adhibe in qualibet alia regula: vel ſcriptura, vel quamlibet aliam rem facturo apponitur regula mala, & errans: ſcribis ſecundum illam. In intelligentia eſſet velle, an juxta eam ſcribendo rectè ſcribas. Supponitur, te rectè non ſcribere per hoc ipſum, quod ſupponatur, regulam non eſſe rectam, & te ſcribere ſecundum illam; nam omne regulatum eſt rectum, vel non rectum, benè, vel malè factum per conformitatem ad rectam regulam: eſſe autem rectum per conformitatem ad regulam non rectam, ſed errantem, intelligenti perindè eſt, atque lineam, aliquam facere rectam, quia ducitur per obliquam, & per conformitatem ad illam. Sic omninò eſt in conſcientia

ſin minus conſcientia erronea erit bona, erit recta conſcientia; juxta quam ſcilicet operando rectè ſimpliciter operamur; nam à poſteriori ex rectitudine regulari, valet ad rectitudinem regulæ: *Quis juxta hanc regulam operando, rectè abſolutè, & ſimpliciter operatur: ergo hac regula bona, & recta eſt abſolutè, & ſimpliciter.*

Sed hæc, inquis, habent inſtantiam in conſcientia, vel ratione erronea ligante, contra quam operando peccatur procul-dubio: quæ tamen regula re vera eſt diſtorta: quia tamen exiſtimatur recta, peccatur ab ea deviando: ergo ſimiliter voluntas erit bona per conformitatem ad rectam regulam exiſtimatam. Sed ad hoc dictum eſt ex D. Thoma plus requiri ad bonum, quam ad malum, ut patet iuductione longiſſima: ut ſis claudus. ſatis eſt, unum pedum habere diſtortum; ut non ſis claudus, non ſufficit unum habere rectum, &c. ſi bona quantacumque malo fine opereris, peccas: ſi malum leviſſimum optimo fine agas, non benè, ſed malè agis: & alia inferius. Ad bonitatem ergo, ut *lib. præc.* ex D. Thoma oſtenſum eſt, neceſſaria eſt duplex regula ſimul, & divinæ legis, & humanæ rationis ei ſubordinatæ. Ad peccandum verò, ſicut ad claudicandum, ſatis eſt, contra utramlibet agere, niſi excuſet ignorantia invincibilis.

§. III.

Comprobatio doctrinæ S. Thomæ.

MUlta ſunt, ex quibus probetur ulterius, voluntatem concordantem rationi erranti non eſſe rectam, nec bonam. Primò ex definitione virtutum moralium, de quarum ratione, & eſſentia eſt, quod amplectautur, quæ recta ratio præſcribit, ut ponunt omnes *ex 6. Ethicor. cap.* 1. *& ex* 2. *Ethicor. cap.* 6. & alias paſſim. Ergo omnis voluntas pertinens ad aliquam virtutem moralem, requirit rectam rationem; & ideò virtus moralis definitur, *quæ facit, ut homo operetur conformiter ad rectam rationem*: Idem autem eſt à fortiori de charitate, quæ eſt virtus Theologica pertinens ad voluntatem: idem de ſpe, & ſi qua eſt alia pertinens ad voluntatem, Sed ratio errans non eſt ratio recta: ergo nulla voluntas concordans rationi erranti, & per conformitatem ad illam pertinet ad ullam virtutem voluntatis neque moralem, neque Theologicam. Sed omnis bona, & recta, & honeſta voluntas pertinet, & eſt reducibilis ad aliquam virtutem voluntatis vel moralem, vel Theologicam. Ergo nulla voluntas concordans rationi, & per conformitatem ad ipſam eſt voluntas bona, & recta, & honeſta.

Primò, ex *quæſt. præc.* Omnis bona voluntas in eo, in quo, & per quod eſt bona, & honeſta, regulatur, & dirigitur per prudentiam, ut omnes ponunt ex 6. *Ethicor. cap.* 13. *& in* 3. *diſt.* 36. *&* 1.2.*q.* 58. *art.* 5. Sed nulla voluntas in eo, in quo concordat rationi erranti, & falſæ, regulatur, & dirigitur per prudentiam, quæ ſcilicet nihil falſum dictare poteſt: nec approbare ex *q. præc.* Ergo nulla voluntas in eo, in quo concordat, & per quod concordat rationi erranti, & falſæ, eſt bona, & honeſta. Itaque prudentia dictare non poteſt, quod conſentiat rationi erranti, & falſæ, ut oſtenſum fuit: at voluntas nec aliam, nec aliundè bonitatem habere poteſt, niſi per conſenſum iſtum. Nullam ergo habet.

Tertiò oſtenditur quia de recta, & bona operatione non eſt locus per ſe loquendo, & citra ignorantiam, & malitiam, accuſationi, nec eſt neceſſaria defenſio, At quoties voluntas concordat rationi erranti, & falſæ diceuti malum bonum eſt locus per ſe loquendo accuſationi, & eſt neceſſaria defenſio; quia omnis operans contra legem, legitimè, & ſecundum legem de ea accuſatur, & opus habet defenſione: quæ ſi juſta eſt, quis abſolvitur; ſi inſufficiens, caſtigatur, vel vituperatur. Hoc ita ſit in tribunalibus, & in foro, & in ciuitate, & in familia eum ſubditis; cum civibus, cum uxore, cum liberis, cum famulis; & hæc eſt perceptio naturalis omnium. Ergo voluntas, & operatio concordans rationi erranti, & falſæ dicenti malum bonum non eſt recta, & bona.

Declaratur: aliud ſanè eſt, eſſe quem in aliquo excuſabilem, aliud eſſe laudabilem: aliud non eſſe dignum pœna, aliud eſſe dignum præmio. Excuſant quidem homines per rationem naturalem aliqua facta contra legem, vel rationem, & aliqua re ipſa mala: neminem tamen per id laudant. Judicant, quem in ſimilibus non eſſe dignum pœna, quia adfuit impotentia, vel invincibilis ignorantia: at nemini videtur veniſſe in mentem, talia eſſe etiam præmianda. In re noſtra ex ignorantia invincibili juris, ut multi poſſibile putant, furatur quis, vel mentitur vel blaſphemat: vel ex ignorantia invincibili facti quis accedens ad uon ſuam committit adulterium, profectò adulterium furtum, mendacium, blaſphemiæ opera bona eſſe non poſſunt, nec propter illa cœlo donabimur, vel donari poſſumus, ut urget Guillelmus Pariſienſis. At ſi voluntas eſſet bona, opera etiam redderentur bona; tum quia haberent eamdem cauſam honeſtantem, ſcilicet rationem, & conſcientiam invincibiliter errantem; tum quia implicat, voluntatem id faciendi quod bonum, & laudabile nou eſt eſſe bonam, & laudabilem; quin ideò voluntas laudabilis eſt, quia quod per illam agere volumus laudabile eſt; & ſi mentiri laudabile fieri nequit, neque poteſt fieri laudabile velle mentiri; tum quia ratio errans non voluntatem, ſed mendacium proponit ut bouum, & obligatorium, & hinc ſecundariò voluntatem mentiendi: ergo ſi furtum, mendacium, adulterium bona non fiunt, neque voluntas efficitur bona.

Porrò mendacia, furta, adulteria nunquam fieri bona, nunquam reddi laudanda, ſed vel vituperanda, vel ut ſummum purè excuſabilia: nunquam illa eſſe Deo noſtro accepta, grata; nunquam Deum glorioſum dicere poſſe: *Euge ſerve bone, intra in gaudium Domini Dei tui: venite benedicti Patris mei, accipite regnum, quia furati eſtis, quia mentiti eſtis, quia adulteraſtis ex erronea conſcientia*, videtur omni ſanè rationi conſonum; & contrarium indigeret maxima, & violentiſſima probatioue.

Neceſſe eſt ergo, quod in talibus ad puram defenſionem, & excuſationem cauſa toto revocetur, non ad prætenſionem laudis, & præmii. Cujus ſignum eſt, quod cauſa tota reſolvitur ad ignorantiam. Ab omni enim operante contra legem eſt quærere, & objurgare, *cur fecerit contra legem:* Neceſſe eſt, ut recurrat ad ignorantiam: rursùs quæritur, *cur ignoraverit?* Neceſſe eſt, ut recurrat ad impotentiam, & involuntarietatem:

quam

quam ſi probet excuſatur: ſed inſuper præmium velle nimium eſt.

Exiſtimavi, inquis, rem eſſe bonam, & obligatoriam, & idcò bona intentione eam feci. Sed hujus reſponſio eſt, fili deceptus es, & ſatis eſt te eſſe liberum à pœna.

§. IV.

Hujus doctrinæ concordia cum vera Theologia.

HÆc doctrina illuſtratur, communiterque de novo ex magna illius concordia, & conſonantia cum aliis veræ, & revelatæ doctrinæ principiis. Etenim omnis bona voluntas hominis juſti eſt voluntas ſalutaris; ſaltem omnis voluntas hominis juſti, ſi poteſt eſſe bona, poteſt etiam eſſe ſalutaris, ſcilicet ponendo motivum ſupernaturale: omnis portò voluntas ſalutaris requirit doctrinam ſalutarem: at oſtenſum fuit ſupra integra quæſtione, omnem doctrinam ſalutarem, & ſanam eſſe veram: ratio autem errans nec eſt doctrina vera, nec continet doctrinam veram, ut patet: ergo voluntas requirens rationem errantem, & ſolùm habens conformitatem ad illam, non eſt voluntas bona.

Dicis, intereſſe tunc aliam doctrinam ſalutarem, & veram, quæ dicit unicuique, *debes operari ſecundum quod tua tibi ratio praſcribit*. Sed ne diſcurſum reddamus impeditum, infrà de iſto argumento tractabitur.

Præterea quia, ut Theologi communiter tradunt, divina bonitas tam phyſica, quam moralis eſt menſura omnis bonitatis noſtræ tam phyſicæ, quam moralis; & idcircò dicimur, & ſumus meliores, vel minus boni, quò magis approximamus; vel diſtamus à divina bonitate; & abſolutè primum in unoquoque genere eſt menſura reliquorum in eo genere; & primum in omni genere perfectionis, ſcilicet Deus glorioſus eſt menſura omnis perfectionis. Ergo voluntas repugnans divinæ bonitati morali nequit eſſe voluntas bona. Talis eſt omnis voluntas, qua volumus mala, ut mendacia, furta, adulteria: hæc enim, & horum amor, & proſecutio repugnant divinæ honeſtati, & bonitati morali. Ergo voluntas talium non eſt bona voluntas quæ cuncta in terminis docet S. Thomas 1. 2. *q.* 19. *art.* 9. *& alias.* Hæc in longum promoveri poſſunt inductione imperfectionum phyſicarum, & hoc genus aliarum rerum: item ſimilitudine intellectus, cujus perfectio eſſe nequit aſſenſus alicujus rei, cujus aſſenſus repugnat divinæ veritati, licet multæ veritates uno modo à nobis, alio à Deo dicantur: eædem tamen à Deo dicuntur, & quæ Deus dicere non poteſt, perfectio intellectus non eſt dicere. Sic autem ſe habet honeſtas ad voluntatem, ſicut veritas ad intellectum. Ergo.

Præterea, omnis bona voluntas eſt a Deo Autore; nulla malorum voluntas eſt à Deo Autore: ergo nulla malorum, ſeu rerum malorum voluntas eſt bona. Major eſt innegabilis. Minor in omnium ſententia fundari multùm poteſt; clariùs autem, & urgentiùs in ſententia adverſariorum, qui multorum jurium naturalium, divinorum ignorantia invincibiles admittunt.

Ponitur ergo, in primis veræ religionis ignorantiam invincibilem dari poſſe, & errorem invincibilem ſingularum hæreſum, & infidelitatum, Mahometiſmi, Gentiliſmi, &c. Jam ergo voluntas ipſa hæreſum, Gentiliſmi, Mahometiſmi; voluntas ipſa idololatriandi in quamplurimis à Deo Autore fuit: Autoritates in contrarium adducere deſiſto, quia à nullo ſub his formalibus terminis rem iſtam dictam invenio. Idem de bellis innumeris, quæ boni omnes blaſphemarunt, de voluntate perſequendi Chriſtianos Tyrannorum, Turcæ, & Turcarum, & hoc genus peſtium aliarum quæro, & propono: horum omnium ignorantiam invincibilem poſſibilem ponunt. An ergo eorum omnium voluntas à Deo Autore, an à mundi Rectore, & tenebrarum harum? an à portis inferi? Mox in ſpecie quærimus, an voluntas tantæ multitudinis ignorantis Arrianæ, Macedonianæ, Neſtorianæ, Eutychianæ, Pelagianæ, Lutheranæ Deo extiterint Autore, deſurſum fuerit deſcendens à Patre luminum; an voluntas Priſcillianiſtarum, qua mentiri volebant, an voluntas Donatiſtarum, vel qua Catholicos immaniter inſequebantur, qua ſe præcipitabant, vel qua rebaptizabant, vel qua, ut Schiſmatici omnes ab Eccleſiæ unitate ſe abſcindebant, extiterit in multis ſaltem, in toto in ſumma rudi populo Deo ipſo Autore? Ergo & ſeparatio ipſa ab Eccleſia, ergo deſperatio, vel occiſio illa propria Deo extitere Autore. Ergo laudanda fuerat. Ergo habendæ gratiæ: ergo glorificandus Deus in his factis in ſeditionibus, in hæreſi, in idololatria; mendacio, in rapina, in immunditia, quæ ſcilicet omnia ex ignorantia invincibili, ex conſequenti bona, & recta voluntate, ex conſequenti Autore Deo peragi potuerunt.

Eadem porrò in his eſt ratio de toto, & de parte; de magno, & parvo: nam ſi vel unica ſola voluntas leviſſimi mendacii ex errore invincibili obligante reddi poteſt bona, honeſta, & laudabilis, voluntas cujuſcumque quanticumque ſceleris, ſi admittatur ſimilis error invincibilis, reddétur bona, honeſta, & laudabilis: & ſimiliter in multitudine; nam ubique adeſt error invincibilis ligans, aut obligans: ac proindè voluntas concordans rationi erranti erit bona, & ſi bona, erit honeſta, erit laudabilis, erit prædicanda, atque in Deum referenda, qui bonorum omnium principium, & Autor eſt.

Fortè ego met iculoſus nimium ſum, & pavidus: ea fortè cauſa eſt, cur hæc, & alia, quæ indè conſequuntur, à nemine exiſtimem concedenda: tamen quandiu ſub propoſitis terminis ea conceſſa, non videam, abſtinendum judicavi ab operoſiore hoc circa labore.

Jam ergo pridem tradidi, nihil naturæ intellectuali, qua intellectuali, quatenus ſcilicet mentem, memoriam, & voluntatem complectitur, nihil, inquam, naturæ intellectuali diſſentaneum poſſe exiſtere Autore Deo, etſi omnis abſit culpa. Idcircò nullus error etiam inculpabilis, nulla falſitas, quantum cumq; vera nobis videatur, à Deo eſt: nulla inſtigatio, & inductio ad culpam quales ſunt motus primo primi culpa omni vacantes, à Deo ſunt, ſed vel è mundo, vel Dæmone, vel à carne: mala porrò ut mendacia, ut furta, & adulteria ſunt naturæ intellectuali diſſentanea, & idcircò ſine culpa niſi per ignorantiam admitti nequeunt ex omnium ſententia. Mentior ego exiſtimans, me verum dicere: non in Deum iſta referuntur. Quod ſi operum ipſorum Deus autor non eſt, neque autor eſſe poteſt voluntatum; quia cauſa voluntatum eſt cauſa operum à

quæ neceſſariò conſequuntur, ut fusè probatur, ubi differitur de prædeterminatione ad materiale peccati.

Quare tota reſolutio bonorum operum eſt in bonam voluntatem; reſolutio bonæ voluntatis in veritatem: veritatis in Deum, qui Deus eſt veritatis, qui teſtimonia ſua, & veritatem ſuam mandavit cuſtodiri nimis: ſic etiam eſt omnium reſolutio ad Chriſtum, qui eſt veritas, tum quia nobis ſola vera, nulla falſa meruit; tam quia ſola, nulla falſa docuit: à qua proindè error nullus eſt: à quo proinde nulla bonitas eſt, quæ in errorem reſolvatur, & quæ a conformitate ad errorem deſumitur.

§. V.

Argumenta contraria expediuntur.

PRimò ergo objicient argumentum illud, quod initio quæſtionis tertio loco propoſuimus, ſequi ſcilicet, voluntatem illam, qua ex conſcientia invincibiliter errante volumus malum aliquod, ſi bona non eſt, eſſe actum indifferentem in individuo, cum aliunde ſupponatur, non eſſe culpabilem. Reſpondetur, hoc quidem ſequi in ſenſu, in quo à multis intenditur, nec in eo eſſe quidquam abſurdi, cum actus indifferentes in individuo paſſim à multis admittantur: non tamen ſequi in ſenſu, in quo ſapientioribus eſt ſermo in ea quæſtione: ſermo enim eſt, an ſicut ſunt actus indifferentes in ſpecie, qui nullatenus ſint neque boni, neque mali, nec excuſatione indigentes, neque laudabilitatem afferentes, ut eſt elevare feſtucam, fricare barbam, ſic ſint poſſibiles actus indifferentes in individuo, poſſitque ea indifferentia ſpecifica contrahi ad individuum nulla aliunde addita vel honeſtate, vel malitia ex fine, vel ex defectu finis? Hoc autem ſenſu nec voluntas mentiendi, nec mendacium eſt actus indifferens: imò tam voluntas, quam mendacium ſunt materialiter mala, licet non formaliter propter ignorantiam, quam nunc ponimus eſſe invincibilem. Et poteſt hic applicari ſolutio S. Thomæ ad primùm: nam dicebat, ad bonitatem requiri, ut actus neque contra conſcientiam eſſet, neque contra legem: ſic ergo ad indifferentiam requiritur. & præter conſcientiam eſſe, & præter legem: inquam præter conſcientiam, ſcilicet nihil de præcepto, vel de conſilio circa actionem illam præſcribentem, ſed prætermittentem.

Secundum argumentum eſt. Qui invincibiliter malum credit bonum, exiſtimat, ſe honeſtè operari: ergo honeſtè operabitur. Hæc ſumma argumenti multipliciter promoveri poteſt. Sed ſemper eſt fallax. Qui exiſtimat, ſe liberè, & honeſtè operari, cum re ipſa liber non ſit, non propter exiſtimationem honeſtè operatur: qui ſe exiſtimans eſſe in gratia, tum non ſit, putat ſe operari meritoriè ex condigno, non ideò meritoriè ex condigno operatur: qui errans in Theologia, vel in fide, honeſtius putaret eſſe ſperare in Deo, quam amare Deum, & ſperaret, & non amaret; qui meliorem credens eſſe temperantiam, quam juſtitiam, & ſic in aliis, minus bona ex ea falſa exiſtimatione eligeret, non ideò honeſtius operaretur. Tenent multi impoſſibilem eſſe actum indifferentem in individuo. Jam argue: qui tenent contrarium, exiſtimant ſe elicere actus indifferentes in individuo: ergo dantur actus indifferentes in individuo. Thomiſta tenet, offenſam Dei eſſe ſimpliciter infinitam: arguet: ſed adverſarii putant offenſam eſſe ſimpliciter finitam: ergo horum offenſa erit ſimpliciter finita. Contra hos ſimiliter. Thomiſtæ putant offenſam eſſe ſimpliciter infinitam: ergo offenſa ſaltem Thomiſtarum erit infinita: & ideò unusquisque ſcholam mutare deberet, ne committeret offenſam infinitam: quæ ſunt puerilia. Exiſtimat quis, ſe operari infinitè honeſtè: redimere ergo poteſt genus humanum.

Ex his conſpicitur de novo, falſas noſtras exiſtimationes non tribuere operationibus noſtris ſuas falsò exiſtimantes honeſtates, & bonitates, quin nec malitias omnes. Quarè conſequentia illa non ſequitur; invincibiliter errans aliquid putat ſe honeſtè operari: ergo honeſtè operatur. Erit proinde hoc oſtendendum alio medio. Dicis; qui credit ſe malè operari, malè operatur: ergo è contra. Sed ad hoc jam ſupra S. Thomas reſpondit dicendo, plus requiri ad bonum, quam ad malum.

Tertium argumentum eſt, quia quando ſaltem erramus circa indifferentia, exiſtimando illa eſſe prohibita, ut ſcrupuloſis ſæpè accidit, ſaltem eam voluntatem, qua non quidem mala volumus, ſed indifferentia tamquam mala cavemus, idque bono, & ſancto motivo, ut ſcrupuloſi faciunt, eſſe bonam, in quibus ſcilicet multi Deo diligenter inſervientes ſcrupuloſi diu exercentur quos in eo ſolum excuſabiles dicere, & mercede, & præmio evacuare videtur ſanè nimis durum. Aliundè verò videmus, de antiquis Doctoribus, qui inter mala, & indifferentia diſcrimen adſtruebant, ſatis contra morem ſuum pronuntiaſſe S. Thomam: *Sed hoc* (ait 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5.) *irrationabiliter dicitur.* Et hæc pars confirmatur etiam; quia ſcrupuloſi, in quantum ſcrupuloſi, non ſunt prudentes, nec prudenter operantur in eo, quo ſcrupuloſè operantur: at in quo prudenter non operantur, compaſſionabiliter quidem, ut ita loquar, non tamen laudabiliter operantur: ergo neque honeſtè. Et hoc conſtat ex neceſſitate prudentiæ ad omnes virtutes.

Nihilominùs rem quoad præſens, ſcilicet quoad bonum, vel non bonum cenſeo eſſe longè diverſam de voluntate indifferentium, & de voluntate malorum; quæ diverſitas antiquiores illos Doctores duxit ad diversè pronunciandum circa malum, & non malum dicendo, operari contra conſcientiam erroneam, quæ mala dicit eſſe obligatoria, non eſſe peccatum; operari verò contra conſcientiam erroneam; quæ indifferentia proponit eſſe obligatoria, eſſe peccatum. Et de hoc dicit S. Thomas, eſſe *irrationabiliter* Dictum. Ipſe enim ſapienter ſeparavit quæſtionem de peccato, vel non peccato à quæſtione de bono, vel non bono; & ideò novum articulum propoſuit de bono, vel non bono, & præterea ea *q.* 17. *de verit. art.* 4. ſignanter eosdem Doctores de quæſtionis intelligentia notavit, ſubdiditque: *Secundum hoc enim conſcientia ligare dicitur, quod aliquis, niſi conſcientiam impleat, peccatum incurrat:* & quoad hoc nulla eſt diverſitas, indifferentium, & malorum: *non autem ad hoc, quod aliquis implens rectè faciat.*

Dico ergo, voluntatem, qua res indifferentes volumus, judicando eas eſſe bonas vel de præcepto, vel de conſilio, eſſe bonam. Tota porrò difficultas revocatur, eò, ut oſtendatur, quomodò ea voluntas, ejusque bonitas in veritatem

atque

atque prudentiam reſolvi poſſit, dum non niſi ex errore ideatur promanare; quæ autem ex errore ſunt, nec à veritate ſint, neque à prudentia, nec à Deo.

:: ea itaque conſcientia erronea, & voluntate inde nata habemus primum voluntatem, quæ ſa em à Deo eſſe poteſt, & quotidiè ſancti homines ſe exercent circa indifferentia voluntare ſanctiſſima, & ſive manducent, ſiv bibant, ſive aliud quid faciant, omnia in gloriam Dei faciunt: quare hæc voluntas non eſt ex ſui natura, ſicut voluntas malorum, quæ ſalrem per ſe, & citra ignorantiam à Deo eſſe nequit juxta omnes; illa autem ſaltem per ſe, & citra ignorantiam & eſſe poteſt, & eſt ſæpiſſimè à Deo. Nec ejus bonitati obſtat error ille conſcientiæ; nam error ill, quo indifferens aliquid exiſtimatur bonum, vel obligatorium, reſolvitur in duo; nam qui aliquid dicit eſſe bonum, duo dicit vel expreſsè, vel ſaltem virtualiter; nam dicit, & id malum non eſſe, & inſuper neque indifferens, ſed bonum eſſe, & dicere aliquid bonum, eſt illud non malum, & aliquid prætereà dicere. Idcirco ſi ab exiſtimatione, elevare feſtucam eſſe bonum, vel etiam obligatorium, quæras, an putet, eam elevationem eſſe malam, ſtulta eſſet quæſtio; nam qui dicit aliquid eſſe bonum, à fortiori per id ipſum dicit, id non non malum. Enunciatio ergo de bono claudit enunciationem de non malo, ſicut qui dicit, aliquem eſſe dicit, aliquem eſſe divitem, vel ſapientem, per hoc ipſum dicit, eum paupetem non eſſe, vel ignorantem.

Jam ergo error ille, in quantum dicit, elevationem feſtucæ non eſſe malam, verum dicit, & non ex hoc, ſed ex addito de bonitate error eſt. In voluntatem autem bonitas non reſultat ex eo errore, quatenùs elevationem dicit bonam, ſed quatenus eam dicit non malam, & inſuper additur verum motivum, & honeſtum. Propter quod eam elevationem voluntas amat: nec enim ad bonitatem voluntatis neceſſaria eſt bonitas objecti materialis, ſed ſufficit non malitia ejus, & bonitas objecti formalis, & motivi, ut patet, quando de facto verſamur circa indifferentia bono fine. Sic eſt in caſibus ſuprà tactis, quando quis ex errore operationem aliquam ſuam exiſtimaret eſſe infinitè honeſtam, operatio certè honeſta foret, non infinitè, ut putat, ſed finitè; non quia errat; ſed quia exiſtimando eam eſſe infinitè honeſtam, in hoc ipſo clauderet quantitatem honeſtatis re ipſa convenientis tali operationi. Similiter qui ſpem charitate præſtantiorem, qui temperantiam juſtitiæ meliorem exiſtimans, ſperare, temperans eſſe vellet, honeſtè procul dubio ageret, non propter errorem, ſed propter verum in errore clauſum: & ſic in aliis hoc circa proponibilibus: quorum, & doctrinæ noſtræ circa voluntatem indifferentium ipſiſſima eſt ratio.

Quod porrò iſta ex errore in quantum errore non proveniant, ex errore prætereà conſpicitur, quod non illi commenſurantur in bonitate; & ideò nec infinita bonitas reſultat, nec ſpes charitatem æquat, nec temperantia juſtitiam cæteris quoad hoc ſervatis paribus. Honeſtas ergo temperantiæ tanta eſſet; quanta foret, ſi vera omninò cognitione, ipſam rectè taxante exercetetur; & ita in cæteris. Si enim ex falſa exiſtimatione, qua temperantia præfertur juſtitiæ, bonitas temperantiæ creſceret aliquid, creſcente errore creſceret plus, ſi exiſtimaretur eam etiam ſpe, & fide eſſe meliorem, imò multò meliorem, ut decem, ut viginti, ut centum: & ſic fieri poſſet, quod temperantia juſtitiæ, ſpes charitati ex errore noſtro præſtarent; quod videtur abſurdum.

Hinc videtur tenendum, eam his virtutibus ineſſe honeſtatem; eam etiam voluntati elevandi feſtucam, quæ ineſſet ipſis, ſi nullus error adeſſet. Et ſicut temperantia, quæ falsò exiſtimaretur eſſe juſtitia, vel charitas, honeſtatem juſtitiæ, vel charitatis non contraheret, ſed ſuam propriam retineret, ſic voluntas elovandi feſtucam ex falſo præcepto exiſtimato non conttaheret honeſtatem propriam obedientiæ, ſed eam ſolam quam habitura eſſet, ſi nullus error adfuiſſet, & bono motivo concepta fuiſſet.

Atque hæc hoc modo ſatis videntur explicari; ſi tamen alius aptiùs rem ſciet declarare, nihil recuſabimus. Intentio nimirùm noſtra principalis fuit oſtendere, voluntatem eorum, quæ mala ſunt, nunquam eſſe bonam: videntur autem adducta inconvenientia ceſſare in voluntate indifferentium: rurſus mala exiſtimare bona eſſe potiſſimum ſceleratorum, obcæcatorum, deceptatorum: contra verò indifferentia exiſtimare bona, & obligatoria eſſe animarum Deo inſervientium, ac ſcrupuloſarum. Quare harum cauſa longè aliter decernenda viſa eſt. Si tamen explicatio adducta non ſufficiet, libentiſſimè meliorem aliam amplectemur.

Fortè adhuc aliquis replicabit, in caſu noſtro, in quo elevatio feſtucæ proponitur præcepta, errari etiam in motivo, nam motivum eſt bonum obedientiæ: tunc autem ſolum ex errore adeſt bonum obedientiæ: ergo ſemper ſumus in errore non ſolum circa objectum materiale, de quo dictum eſt, ſed etiam circa objectum formale, & motivum.

Sed ad hoc jam fidentiùs reſpondeo ex D. Thoma *q. 17. de verit. art. 2.* & alias, atque ex aliis dicentibus, & ſupponentibus, in judiciis univerſalibus pertinentibus ad ſynderesim nullum eſſe errorem, atque ita nunquam errare ſynderesim, qua judicamus, bona facienda eſſe, obligatoria peragenda eſſe, &c. & errorem ſolùm contingere in particularibus, quæ per conſcientiam applicantur. In caſu ergo noſtro ſynderesis enunciat, bona facienda eſſe, obligatoria adimplenda eſſe, in quo nullus eſt error. Hoc autem uniuerſale eſt motivum voluntatis elevandi feſtucam; nam omne motivum actus alicujus virtutis accipit motivum univerſaliter, non particulariter, & contractè ad illud ſolum objectum materiale; alioqui materiale eſſet ſaltem inadæquatè objectum formale. Volens itaque elevare feſtucam non movetur bonitate contractè ſumpta ad eam elevationem, ſed vult elevare, quia bona & obligatoria facienda ſunt: ſunt; ideoque in motivo nullus eſt error; ſolum eſt error in applicatione particularis boni, quod eſt objectum materiale: jam autem dictum eſt, quomodo in hoc errore claudatur aliquid veri; atque ex hoc voluntas illa reddatur bona.

§. VI.

Aliud argumentum ex conſcientia erronea ligante contra datam doctrinam.

SUpereſt unum argumentum ſanè difficile, & niſi contra omnes eſſet, minimè contemnendum. Arguitur ergo pro bonitate tam voluntaris, quam operum ipſorum de ſe malorum, quoties ex conſcientia erronea ligante, & obligante proveniunt. Videntur enim, tunc omnia eſſe reſolubilia in veritatem, & conſequenter & prudentiæ, & virtutibus locum eſſe.

Argumentum eſt hoc. Quoties conſcientia invincibiliter errans, malum aliquod dicit eſſe bonum, adſunt, vel adeſſe ſaltem poſſunt cognitiones reflexæ veræ, ex quibus voluntas id faciendi habeat rationem virtutis moralis: ergo erit, vel poterit eſſe bona. Cognitiones reflexæ ſunt iſtæ: *Quæcumque mea mihi ratio proponit eſſe obligatoria, teneor facere: ſed nunc mea mihi ratio proponit eſſe obligatorium mentiri: ergo teneor mentiri.* Hic omnia ſunt vera, & ideò locus eſt etiam prudentiæ.

Majorem propoſitionem diſtinguere non poſſumus dicendo, & diſtinguendo, *quæcumque mea mihi ratio proponit eſſe obligatoria, teneor facere, ſi ratio ſit recta, & vera*, concedendo: ſin minus, negando. Alioquin incideremus in opinionem antiquorum tenentium, conſcientiam erroneam malorum non ligare, nec obligare; quod non ſolùm negant, ſed notant etiam Theologi, ut videre eſt apud Vaſquez *diſp. 59. & Suar. diſp.* 12. *ſect.* 4. Verum eſt ergo, nos teneri ea facere, quæ noſtra nobis ratio etiam falſa, ſaltem invincibiliter errans proponit eſſe obligatoria: nec aliàs peccaremus operando contra conſcientiam invincibiliter erroneam.

Nec item conſentire Cajetano poſſumus 1. 2. q. 19. *art.* 5. Ubi brevi commentario totam obligationem cujuslibet conſcientiæ erroneæ videtur de medio tollere univerſaliſſimè tradena, rationem erroneam non habere, undè liget & ſic abſque ulla ratione, etiam ex impetu, vel libito licitè contra eam fieri. Hoc plus videtur eſſe, quam dictum antiquiorum, qui ſaltem illicitum dicebant eſſe agere contra rationem errantem circa ea indifferentia: Cajetanua de omni ratione errante ait, licitè contra eam fieri absque ulla ratione, etiamſi ex impetu, vel libito fiat, nec eam habere, unde liget, niſi acceptetur. At quæremus, an abſque ulla ratione etiam ex impetu, vel libito poſſimus non acceptare? ergo ligat: ſi ultro, ut indicat, poſſumus non acceptare, jam planè contra S. Doctorem, & Theologos conſcientia erronea numquam, & ad nihil obligabit, vel ligabit: quod abſurdum eſt. Ligat ergo, vel obligat: hoc autem ex eo naſcitur quod teneamur, & obligemur ratione erraote, quam veram exiſtimamus, ſaltem quando eam deponere non poſſumus, quia eſt error invincibilis.

Ad argumentum ergo omiſſa reſponſione ſubtili Vaſquii *diſp.* 60 *cap.* 2. quæ ſolùm invincibili errore locum habet, reſpondeo. Primò argumentum eſſe contra omnes; quia tollit conſcientiam invincibiliter erroneam; quia eam reſolvit in veram, ut in facto ſyllogiſmo cernitur; nam ille formari poteſt in omni caſu conſcientiæ erroneæ: ſyllogiſmus autem conſtat veris, ut dicitur; ex veris autem non conſcientia erronea, ſed recta, veraque reſultat. Eſt ergo illa reſolutio contra ſenſum naturalem omnium.

Secundò dico, iſtas reflexas induci ex ignorantia eſſentiæ, & de finitionum virtutum moralium, & intellectualium, & in his tantis molitionibus ſuper reflexis eſſe, & fore ſemper hunc defectum.

Veritas itaque, quæ eſt de conceptu virtutum moralium, veritas item, quæ eſt de ratione virtutum intellectualium, & prudentiæ, non eſt veritas ſolum eorum, quæ ſunt vera, vel falſa, quoad nos, ut latè dictum fuit *quæſt. præc.* ſed de rebus ipſis eſt ferendum judicium: alioqui brevi, & compendiaria lectione imprudentes, & ignorantes omnes poſſemus reddere prudentes dicendo: illa facere debetis, quæ vobis videbuntur facienda; mox judicio ſuo unicuique innoteſceret, quid ſibi videretur faciendum. Ecce tyronem militem facio uno verbo prudentiſſimum ducem: debes aciem inſtruere, & prælium committere, quando, & quomodò judicabis: jam autem ipſe judicat ex errore invincibili, ſic eſſe inſtruendam aciem, nunc committendum prælium, & omnia perdit, ſtultiſſimè omnium operatus eſt. De quo rursùs, *quæſt ſeq.*

Itaque ne in his immoremur, neceſſe eſt ad honeſtè, & prudenter operandum, non ſolum de ipſo judicio, & exiſtimatione, ſed de ipſis etiam rebus agendis ferre judicium: quare quoties res ſunt malæ, neceſſariò erratur in toto, nec locus eſt prudentiæ, neque virtutibus.

Ex his porrò de novo patet, doctrinas probabiles falſas neque regulam eſſe morum, & virtutum; neque eſſe rectas doctrinas: atque per illas id ut ſummum haberi poſſe, quòd excuſent à peccato, error fuerit invincibilis: quòd autem rectè, & virtuosè agamus, fieri non poſſe.

QUÆSTIO V.

Utrum ergo omnis ratio probabilis reducatur vel ad conſcientiam rectam, vel ad conſcientiam erroneam? id eſt, vera ad rectam, falſa ad erroneam.

CUm ex ratione recta, vel non recta, ſed errante reſultet conſcientia conſimilis, quærimus conſequenter ad dicta, an omnis ratio probabilis, ſi vera illa ſit, conſcientiam rectam conſtituat, vel inferat; ſin autem falſa, conſtituat conſcientiam erroneam, nec ſit conſcientia alia quaſi media probabilis, quæ vel ad rectam, vel ad erroneam non pertineat.

§. I.

Explicatur quæſtio.

RAtio ergo noſtra vera poteſt eſſe, vel certa; idque multipliciter juxta multiplicem gradum certitudinis, vel poteſt eſſe vera, & non certa ſed probabilis. Similiter ratio noſtra falſa poteſt eſſe vel certa (ſcilicet quoad nos) idque multipliciter juxta multiplicem gradum certitudinis nobis falsò apparentis; vel poteſt eſſe falſa non certa, ſed probabilis probabilitate ſolum tali

quoad

quoad nos, & ſolum apparenti; quemadmodum ſuperius ſtabilivimus, omnem probabilitatem rei falſæ, ſicut omnem certitudinem, & evidentiam rei falſæ, eſſe ſolum talem quoad nos,& ſecundum quid, loquendo de probabilitate reali, & poſitiva. Nec enim quæ in ſe probabilia non ſunt, nos poſſumus magis reddere probabilia, nec credibilia, quæ in ſe credibilia non ſunt, quam quæ certa, vel evidentia non ſunt, quia nobis talia videntur, efficere certa poſſumus,aut evidentia, ut ex dictis ſupra fusè conſtat.

In quæſtione propoſita multi præter conſcientiam rectam, & erroneam (ut dubiam, & ſcrupuloſam nunc omittamus) uidentur memorare, & nominare conſcientiam etiam probabilem. Haud tamen videtur eſſe intentio, ut mox dicam, addendi præter rectam, & erroneam etiam aliam probabilem.

§. II.

Concluſio.

Videtur tenendum, omnem rationem probabilem, ſi vera ſit, conſtituere, vel inferre conſcientiam rectam, ſi juxta illam formetur: omnem rationem probabilem falſam conſtituere, vel inferre conſcientiam erroneam, ſi juxta illam formetur, v. g. probabile eſt, aliquem contractum non eſſe uſurarium, & malum: ſi contractus re ipſa non eſt uſurarius, nec malus, reſultat conſcientia recta; ſi re ipſa uſurarius, & malus eſt, reſultat conſcientia erronea: & ita in aliis.

Primò probatur ex intentione, & ſenſu Autorum memorantium, & numerantium conſcientiam probabilem; nam ſaltem quando probabilitas eſt vera, hoc eſt, rei veræ, per conſcientiam probabilem nolunt excludere conſcientiam rectam, nec dicent, conſcientiam tunc non eſſe rectam, nec quidquam deeſſe ad rectitudinem: ergo conſcientiam probabilem non diſtinguunt contra rectam: intentio ergo non eſt addere aliam tertiam conſcientiam, ſed varios modos, & gradus earumdem conſcientiarum notare. Quemadmodum ad eandem rectam conſcientiam pertinet, ſive uſuram ſciam eſſe malam demonſtratione, ſive fide divina, ſive cognitione moraliter certa fundata in omnium ſenſu, & conſenſu. Sic ergo & vera, & recta ratio probabilis, licet in inferiori gradu pertinebit ad eamdem conſcientiam. Senſus porrò Autorum à fortiori videtur conſtare; quia ſi, qui conſcientiam probabilem ſub hoc nomine memorant, ex probabilitate eliciunt dictamen certum, & evidens conſcientiæ: at manifeſtum eſt, dictamen certum, & evidens conſtituere rectam conſcientiam. Certum ergo eſt, juxta ipſos rationem probabilem ſaltem veram conſtituere, vel inferre conſcientiam rectam,nec ex illa addendam aliam conſcientiam contradiſtinctam à recta: imò fortè volent rationem probabilem etiam falſam ſufficere ad rectam conſcientiam: quod tamen nos obviabimus.

Secundò, probatur de ratione probabili vera, eam pertinere ad conſcientiam rectam ex multis ſuperius conſtitutis. Oſtenſum fuit, probabilitatem (ſcilicet realem, & poſitivam, de qua eſt ſermo) vel opinionem probabilem eſſe rectam regulam morum; ergo conſtituit conſcientiam rectam, vel infert. Oſtenſum fuit, leges humanas non habere aliam indefectibilitatem, & rectitudinem, quam probabilitatis: at leges humanæ ſufficiunt pro rectitudine conſcientiæ: ergo & probabilitas, & ratio probabilis non errans. Oſtenſum fuit prætereà integra quæſtione, dictamen ultimum conſcientiæ ſæpè ſaltem non eſſe certum, & evidens, ſed ſolum probabile tam de non peccato, quam de honeſtate operationis: tuncque nos honeſtè & rectè operari ſequendo tale dictamen. Ergo ratio probabilis verá, ſeu non errans ſufficit pro rectitudine conſcientiæ; nam non requiritur plus rectitudinis in ratione antecedenti ſaltem tota, quam requiratur in ipſo dictamine.

Ratio à priori eſt, quia rectitudo conſcientiæ non diſtrahitur per rationem veram, ſeu non errantem; nam omnis ratio vera eſt ratio recta: nihil ergo ponitur pugnans cum rectitudine conſcientiæ; quia rectum recto non contrariatur. Cum ergo ex conſcientia recta ſint omnes virtutes morales, & in conſcientia recta locum habeat prudentia, & in erronea indifferentium ſolum quoad aliquid etiam verum juxta dicta *quaſt. prac.* ratio autem probabilis vera, & non errans ſit ratio recta, concluditur, rationem probabilem rectam, & conſcientiam rectam, & virtutes morales, quæ per rectam rationem definiuntur, & prudentiem, quæ eſt virtus intellectualis, ac proindè falſum dicere nequit, inquam, concluditur, hæc omnia ſine repugnantia ulla, & cohærentia magna inter ſe ſe ſingula concordare.

§. III.

Ratio probabilis falſa pertinet ad conſcientiam erroneam.

Inquam, *ratio probabilis falſa*, id eſt, probabilis quoad nos; nam in re nulla eſt ratio probabilis falſa, ſicut eſt ratio certa falſa ex dictis loquendo de probabilitate poſitiva, & reali, & de probabili, quod cum opinabili coincidit, & eſt objectum opinionis. Dixi *pertinet*, ſcilicet vel conſtituendo, vel prævie ad conſcientiam ſe habendo; & ſenſus eſt, ex ratione probabili falſa, vel ex applicatione probabili falſa rationis veræ formatur conſcientia recta, ſed ſemper erronea.

Hanc partem non invenio tractatam in terminis, nec affirmatam, nec negatam ab Autoribus. S. Thomas illam ſuppoſuit; nam 1. 2. *quaſt.* 19. *art.* 6. ait, hanc quæſtionem, utrum voluntas diſcordans à ratione errante ſit mala eamdem eſſe cum ea quæſtione, qua quæritur, utrum conſcientia erronea liget? Ergo quæſtio de ratione errante eſt quæſtio de conſcientia erronea: hoc autem eſſe non poſſet, ſi omnis ratio errans ad conſcientiam erroneam non pertineret, ſed aliqua pertinet ad rectam. At ratio probabilis falſa eſt ratio errans, ut patet; nam errare, vel non errare, habetur à vero, & falſo.

Supponit deindè hoc ex Decretalibus, *quaſt.* 17. *de verit. art.* 4. in argumento 4. & in ſolutione: ſecundum jura, (ait) ſi aliquis habet conſcientiam, quod uxor ſibi attineat in aliquo gradu prohibito, & conſcientia illa ſit probabilis, tunc oportet eam ſequi contra præceptum Eccleſiæ etiamſi excommunicatio addatur; ſi au-

tem non ſit probabilis, conſcientia non ligatur ad hoc, quod eam impleat, ſed debet magis Eccleſiæ obedire: ſed conſcientia erronea præcipuè de per ſe malis nunquam eſt probabilis: ergo talis conſcientia non ligat. Hæc in argumento: ubi ea, quæ in re probabilia non ſunt, ſupponitur, non eſſe probabilia, ſicut nec certa: ſunt tamen probabilia quoad nos. Reſpondet: *Dicendum, quod quando conſcientia non eſt probabilis, tunc debet eam deponere; ſed tamen dum manet, ſi contra eam faciat, mortaliter peccat.* Ergo ratio & conſcientia probabilis, non in re, ſed quoad nos, ligat tamquam conſcientia erronea, & quandiu manet, obligat; debemus tamen eam deponere, quia ligat non per ſe, ſed ex errore: quod in conſcientia recta locum non habet; quia conſcientiam rectam nunquam tenemur deponere.

Probatur ergo pars poſita. Primò, quia de ſe videretur mirabile, quod ratio errans certa (id eſt, quoad me talis) non ſufficiat ad conſtituendam, vel fundandam rectam conſcientiam, & quod ratio probabilis errans ſufficiat: apparentia rerum tanta, quæ mihi rem facit videri certam, & certiſſimam, quia tamen fallit ad rectitudinem conſcientiæ nequeat; ſufficiat verò apparentia minor probabilitati correſpondens, & probabilitatis exiſtimatæ: & quod ad id, ad quod plus non ſufficit, ſufficiat minus. Quod porrò ratio errans certa (id eſt, non in re, ſed qnoad me) non ſufficiat, conſtat; quia ſi in illa ſufficeret, & probabilis errans etiam ſufficeret, jam nulla eſſet conſcientia erronea; quia nec à ratione errante certa quoad nos, nec ex ratione errante probabili quoad nos ea reſultaret. Quod dici non poteſt; quia manifeſtum eſt, dari conſcientiam erroneam vincibilem & invincibilem.

Secundò ex hoc ipſo; quia ſicut ratio, ſi & conſcientia dicitur recta, vel non recta. At ratio errans non eſt ratio recta, & recta ratio, & vera ratio idem ſunt. Ergo conſcientia conſtituta, vel formata ex ratione errante non eſt recta. Sed omnis ratio probabilis falſa eſt ratio errans, nec errare tollitur per probabile; & probabiliter errans errat: ſicut probabiliter verum dicens verum dicit. Ergo ratio probabilis falſa pertinet ad conſcientiam erroneam. Declaratur, & confirmatur: ſic ſe habet ratio probabilis vera ad rectam rationem, ſicut ratio probabilis falſa ad non rectam rationem, & è contra: ergo ſicut in probabili ratione vera, quia per probabile veritas, & rectitudo rationis non tollitur reſultat conſcientia recta; ſic in probabili ratione falſa, quia per probabile error non tollitur, reſultabit conſcientia erronea, quæ talis eſt, & dicitur ex errore, vel non errore; & cætera ſe habent impertinenter, ut patet in regulis, & menſuris omnibns; quia ex omnium perceptione naturali manifeſtum eſt, nullam regulam, aut menſuram eſſe rectam in eo, in quo errat, & fallit; & niſi auferendo errorem, implicat ullo mundi remedio eas reddere rectas non minùs, quam implicet hominem reddere ſanum niſi ablato morbo.

Declaratur proponendo, quid intelligamus per conſcientiam erroneam. Nimirum per hoc aliud non intelligimus, quam conſcientiam errare circa bonum, & malum, dicendo non malum malum, non bonum bonum; malum bonum, vel bonum malum, & tenebras lucem, & lucem tenebras, & ſic de indifferentibus: ad hoc enim totus error conſcientiæ revocatur. Sed quoties ratio probabilis errat, & ex illa formatur conſcientia, conſcientia dicit bonum malum, vel malum bonum, vel non bonum bonum, vel malum malum, vel in ſubſtantia, vel in tanto, aut aliqua circunſtantia, ſcilicet in quo ratio probabilis errat. Ergo ex ratione probabili errante ſemper reſultat conſcientia erronea.

Itaque non probabilitas ipſa, ſed aliud quidpiam per probabilitatem reddetur probabile, ut contractum non eſſe malum, non jejunare eſſe bonum, &c. Quoties ratio probabilis errat, imò ſi centum eſſent rationes probabiles errantes, ſemper quoad ea, in quibus errat, reſultat conſcientia erronea, qua exiſtimatur contractum non eſſe malum, jejunium non eſſe obligatorium; quia ſemper ſumus in caſu, in quo conſcientia dictat, bonum malum, malum bonum, non bonum bonunm, & tenebras lucem, & lucem tenebras.

§. IV.

Quædam æquivocatio removetur.

Vitio dandum non eſt, ſi aliqua in qnibus ſæpè contingit errare, ſæpè cave mus; eti enim repetamus, nunquam vitioſè dicuntur, quæ utiliter dicuntur. Dices ergo, non magna rerum imperitia laborare, dum probamus, ex ratione probabili errante reſultare conſcientiam erroneam; imò vix non ridiculum eſſe rationem probabilem adeſſe, & conſcientiam erroneam reſultare; nam ex ratione probabili etiam falſa ſtatim nullo negotio formatur conſcientia recta: quod cum vel pueri ſciant, miraris, nos in re tam obvia, & trita æquivocatos.

Ecce ergo ais, extante ratione probabili falſa quomodo conſcientia formetur tota recta, tota vera nil continens erroris, imò certa & evidens. Video enim, me habere rationem probabilem; an ſit errans, vel non, ego neſcio; imò quandoqnidem erro, eam puto veram; nam nemo errat niſi exiſtimando falſum eſſe verum. Tunc ergo dico: quis ſine peccato ſequitur rationem ſuam, quam judicat veram: ſed ego veram puto rationem quæ mihi dicit hunc contractum non eſſe malum, non eſſe prohibitum: ergo ſine peccato eam ſequor: ergo contrahendo non pecco. Ego itaque quod nimis groſſum foret, per conſcientiam meam nihil dico de contractu, an ſit bonus, an malus; nam errarem ſi malum dicerem bonum, aut malum: conſcientia ergo ſolum pronunciat de eo, quod noſtra intereſt, an ſcilicet peccem ego, vel non peccem: reliqua prætermitrit, quæ nihil ad ipſam. Ergo nullo negotio ex ratione probabili errante componitur conſcientia recta tota, & veta.

Hæc quidem tranſmitti poſſent in ratione probabili errante, ſcilicet probabili quoad nos, probante tamen veritatem quoad nos, id eſt, nobis perſuadente contractum non eſſe malum. Jam quòd ulteriùs alii volunt, etiam ex probabilitate nihil probante contractum non eſſe malum, ſed omninò rem inſpectis omnibus indifferentem quoad me relinquente elici poſſe, formarique rectam conſcientiam, ſuperius ſatis exploſum eſt appellando hoc genus probabilitatis à probabilitate conſcientiæ. Quæ tamen ſemper dicimus, &

nunc

nunc dicemus, eam omnem probabilitatem non probabilem, ſeu probativam rejiciunt, & rejiciunt.

De hoc argumento, atque de illius vel æquivocatione, vel fallacia dictum eſt denique *quæſt. præc.* ad finem, & dicemus infrà latè de reflexarum harum inſufficientia. Diximus primò, per iſtud argumentum tolli de medio omnem conſcientiam erroneam, nam convertitur in rectam per illas reflexas, ut quilibet cernit. Nemo autem hactenùs eò proceſſit, ut conſcientiam erroneam tolleret, raderetque ex libris omnibus quæſtiones omnes de conſcientia erronea; quod ſanè fieri à nullo poteſt nec ratione, nec authoritate conſiderata.

Ideò ergo, ut loco citato dictum eſt, & per ſuperiora, maximè verò agendo de prudentia probatum, conſcientia eſt erronea non obſtantibus illis reflexis; quia prudentia, vel conſcientia nequit in ſe, & intrà ſe, ut ita loquar, recondi, & recludi, ita ut nihil de objectis ipſis enunciet: debet velit nolit de objectis etiam ipſis judicare, & dictare, an ſint bona, an mala; debet, ſi contractus ineundus eſt, de ipſo contractu dictamen facere, an ſit bonus, an malus, an non malus; quare ſi contractus re ipſa malus eſt, errat dictando malum non eſſe malum. Velle porrò quem ita ſibi caſibuſque ſuis proſpicere, ut cauſam ſuam de peccato, vel non peccato ſeparet ab eo, quod contractus ſit, vel non ſit malus; ſit, vel non ſit contra legem Dei, & nihil de contractu judicando velle de ſuo non peccato judicare, & tutum eſſe, hoc ad illud reducitur uno verbo, quod dici ſolet, velle peccare non peccando. Ex dictis itaque de prudentia, & dictis de virtutibus moralibus, & intellectualibus eſt perſpicuum, & de harum omnium, & conſcientiæ rectæ ratione eſſe, non de ſolis actibus in abdito reflexarum ſiſtendo judicare, ſed de objectis ipſis, & hoc eſt primarium, & directum, ut fusè declaratum fuit, nec negari videtur poſſe niſi ex conſcientia erronea. Tenetur ergo omnis rectè operaturus videre, & judicare, an quod agere vult, vel deliberat, ſit, vel non ſit malum, contra legem, vel non: & de hoc formare debet conſcientiam: & nullâ de hoc formata conſcientia velle operari eſt velle peccare. At omnis ratio probabilis falſa vel malum dicit bonum, vel bonum malum, vel malum non malum, vel bonum non bonum ſive in toto, ſive in tanto. Cum ergo de hac ipſa re judicare debeat conſcientia, vel conſtitui ipſa illa ratione probabili falſa ſequitur ſemper. & reſultat conſcientia erronea.

Sed dices, ſubtilem adhuc reflexionem aliam nos hoc circa prætcriiſſe, per quam, quidquid dictum eſt, diruitur. Supereſt enim reflexa alia ſeparans, & præſcindens malitiam formalem à malitia materiali: & idem circa bonitatem diſtinguitur. Sunt nimirùm in contractu uſurario de cujus non malitia habeo rationem probabilem errantem, & falſam, duæ malitiæ, alia, eaque notiſſima, quam omnes vocant materialem; alia, quam omnes appellant formalem: hæc imputabilis, inimputabilis illa: una culpabilis, alia omnis expers culpæ.

Dicis: ergo in caſu noſtro rationis probabilis falſæ, conſcientiam dictare, contractum non eſſe malum malitia formali; non autem, non eſſe malum malitia materiali: quare nihil falſum dictat: quia verum eſt, tunc non adeſſe malitiam formalem, & imputabilem De materiali autem vel nihil dictat, & ſic nullo modo erit erronea conſcientia; vel ſi dictat, dicit, contractum eſſe fortè materialiter malum: & ſic ipſa quoque conſcientia poterit dici materialiter erronea; ſicut & contractus, dicitur materialirer malus: quod cum culpa omnis abſit, nihil refert: & cura omnis verrenda eſt in malitiam formalem, ac imputabilem, & modò abſit iſta, nihil planè intereſt materialis.

Eodem hæc replica ſpectat, quò argumentum, & eadem infert præjudicia, ſcilicet tollit conſcientiam erroneam, & peccata ignorantiæ. Etenim in omni conſcientia erronea locum habet eodem modo iſta ſubtilis ſeparatio, & præciſio malitiæ formalis, & materialis; & omnis interficiens Apoſtolos exiſtimans, obſequium ſe præſtare Deo, & omnis uno verbo ille, qui exiſtimando malum bonum vel peccat, vel ex ignorantia invincibili excuſatur, prætermittere malitiam materialem poteſt, & ſolùm judicare de malitia formali; & cum ignorantia eſt invincibilis, verum dicet, quia abeſt malitia formalis; non ergo erit conſcientia errronea excuſans: cum etiam ignorantia eſt vincibilis, ſolum indirectè voluntaria, non autem directè, operans exiſtimat, ſe non peccare; quæ eſt diſpoſitio intellectualiter errantium omnium, & eò magis, quò magis deceptorum & obſtinatorum; & tamen peccant: non ergo operantur ex conſcientia recta, quia de maliria materiali voluntariè falſò judicant. Hæc itaque replica eamdem fallaciam, vel æquivocationem habet; atque argumentum: quia ad conſcientiam fotmaliter, quin primariò, & principaliter pertinet dictare de malitia, quam vocant materialem; & ex hoc dicitur erronea. Quia tamen in hoc contingit falli multos, operæ erit pretium magnum aliam de eo quæſtionem inſtituere.

QUÆSTIO VI.
in idem.

Vtrum ergo in tantum quis ſcire poſſit, nec plus, nec minus, ſe non peccare, in quantum ſcit ſe re ipſa non agere contra legem? Vbi de malitia formali, & materiali.

Quia itaque per illam ſeparationem, atque præciſionem malitiæ materialis, & formalis multi per inconſiderationem evadunt, & cauſam peccati, vel non peccati à cauſa legis, vel non legis ſeparando, & disjungendo conſcientiam formare ſe poſſe credunt de non peccato, quin eam forment de non lege, & de non malo materialiter, quærimus, utrum unuſquiſque in tantum ſciat, & ſic ſciat, ſe non peccare, nec plus, nec minus, in quantum ſcit, & ſicut ſcit, ſe non operari contra legem? Hoc enim ſub terminis conſtituto, evidenter videntur ceſſare lites omnes de reflexis: nam reflexarum ſubtilitas, & vigor omnis ad eam in ſumma ſeparationem, præciſionem, & velut malitiæ materialis à formali avulſionem tandem revocatur, atque reſolvitur. Hic porrò peccata ignorantiæ comprehenſa nolo;

§. I

§. I.

Quid tenendum?

QUæſtione præcendenti declaratum eſt, quid per malitiam formalem, quid per materialem intelligatur. Quo ſuppoſito, nunc ad queſtionem ex immediata doctrina queſtionis præcedentis videtur reſpondendum, in tantum quem ſcire, & exiſtimare poſſe, ſe non peccare, nec plus, nec minus in quantum ſcit, & exiſtimat, ſe re ipſa non operari contra legem. In hac concluſione elauditur iſta alia: in tantum quis ſcire, & exiſtimare poteſt, ſe non contrahere, & incurrere malitiam formalem, nec plus, nec minus, in quantum ſcit, & exiſtimat, ſe non incurrere malitiam materialem. In quibus clauditur, cauſam de operando ſine peccato, vel cum peccato inſeparabilem eſſe à cauſa de operando contra legem, vel non: ideò conſcientiam formari non poſſe de non peccato, quin formetur conſcientia, operationem non eſſe contra legem.

Hæc concluſio videtur eſſe conformis ſenſui Theologorum in 2. *diſt*. 39. & 1. *queſt*. 19. *art* 5. ubi tractant de conſcientia erronea; nam dum conſcientiam erroneam explicant, errorem accipiunt in ordine ad legem, vel non legem, & faciunt vulgarem diſtinctionem bonorum, malorum, & indifferentium, id eſt, eorum, vel quæ re ipſa ſunt bona, ſeu etiam præcepta; vel eorum, quæ re ipſa ſunt mala & prohibita, vel eorum, quæ ſunt præter legem, & etiam conſilium. Omnes ergo formant conſcientiam, & loquuntur de conſcientia in ordine ad iſta, & ſi errat, erroneam; ſi non errat, rectam, ſi nihil dictat, dubiam & intelligunt, & vocant. Et ſic S. Bonaventura *quaſt*. 3. ut aliquem in ſpecie reſcribamus, reſpondeo dicendum (ait) quod conſcientia aliquando dictat aliquid, quod eſt ſecundum legem Dei; aliquando aliquid, quod eſt præter legem Dei, & aliquandò aliquid quod eſt contra legem Dei. Eadem diſtinctione procedit S. Thomas, & *in ea diſt*. 39. & *in ſumma*, & *in diſputatis*. Eodem modo communiter cæteri ſupponendo magis, quam tranctando; quia res uidetur eſſe citra dubium, & quæſtionem. Nova ergo, & inaudita videretur conſcientia formata de non peccato, quæ nihil formetur, dictet nihil, an operatio ſit re ipſa contra legem, & ſeparans cauſam de non peccato à cauſa de non lege.

Concluſio oſtenditur ex tota ſerie ſuperioris doctrinæ. Tractatum, & explicatum eſt ſuperins, humanam rationem eſſe regulam humanorum actuum proximam, applicativam, ſecundariam, & ſubordinatam legi æternæ: in tantum eſt ergo regula, in quantum eam nobis proponit, & intima, & ſic obligat, vel non obligat conſcientia, quam ideo antiqui declarabant per præconem, & regem, ut ſcilicet conſcientia ſe habeat, ſicut præco intimans, notificans, & notam faciens voluntatem Regis; in tantum ratio humana, in tantum conſcientia eſt regula vel obligans, vel deobligans, in quantum notificat, & intimat, & dictat Deum jubere, vel non jubere; prohibere, vel non prohibere: & ſeorſim ab hoc nullam habet rationem regulæ, nec obligare, nec deobligare. Ergo in tantum dictat, & intimat nobis, nos ad aliquid teneri, vel non tenеri, obligari, vel non obligari, in quantum nobis proponi, dictat, & intimat, id eſſe Deo prohibitum, vel non prohibitum; id eſſe, vel non eſſe contra legem præcipientem, aut prohibentem. In tantum ergo nobis proponit, dictat, & intimat, nos in aliquo non peccare, in quantum proponit nobis, intimat, & dictat, id non eſſe contra legem Dei, v. g. contractum, quem ire vellem, non eſſe contra legem Dei. Ergo in tantum quis ſcire poteſt, vel non poteſt, ſe non peccare, nec plus, nec minus, in quantum ſcit, & ſicut ſcit ſe non operari contra legem.

Declaratur. Conſcientia in primis per judicium rationis applicare debet legem Dei; alioqui non eſt regula; nec enim conſcientia eſt ſuprema regula; & ideo velle operari ſine omni tali applicatione, & propoſitione foret velle operari ſine regula; & clarè loquendo velle operari ſine conſcientia; quod ipſum eſſet contra conſcientiam. Proponit, ergo, & dictat conſcientia, id, quod agere volumus, aut deliberamus, v. gr. contractum vel eſſe à Deo præceptum, vel eſſe à Deo prohibitum; vel neque eſſe præceptum, neque prohibitum (omitto conſilia) quod eſt idem, atque dictare conſcientiam, contractum eſſe bonum, vel malum, vel neque bonum, neque malum: nam inter hæc medium nullum eſt, eſt ſi conſcientia dictat, & judicat. Eſt ergo conſcientia regula noſtra nos obligans ſub peccato ad contractum, dictat, eum eſſe à Deo præceptum: erit regula nos obligans ſub peccato ad nun contractum, ſi dictat, & proponit, contractum eſſe à Deo prohibitum: erit regula nos ad nihil obligans, ſi intimat, contractum neque præceptum eſſe, neque prohibitum hæc ita, niſi erret conſcientia, & teneamur ad deponendam eam. In tantum ergo, & ſic ſcire poteſt unuſquiſque, ſe in aliquo ſuo actu non peccare, in quantum ſcit, & ſicut ſcit, illum actum ſuum non eſſe re ipſa contra legem Dei: ſic proinde ſcire poteſt, ſe non incurrere malitiam formalem, ſicut ſcit, ſe non incurrere materialem, id eſt, ſe re ipſa non operari contra legem Dei. Atque iſta declarantur ulterius exemplo illo ſcito Proconſulis, & Imperatoris, quod toties S. Thomas, & alii aſſerunt ex Auguſtino. Infertur ergo, conſcientiam abſcindentem malitiam formalem à materiali (id eſt, à malo re ipſa) non eſſe conſcientiam; imò conſcientiam directè ſaltem, & primariò pronunciare de malitia materiali, de malo in re, & de lege in re.

Oſtenditur ſecundò doctrina ex dictis de virtutibus in univerſum, & de prudentia in particulari; hæc enim dictat bona, & mala in ſe, & re ipſa, eo loco eſt ſatis probatum; alioqui ignorantiſſimi quique ſunt prudentiſſimi tam in prudentia ſimpliciter, quam in prudentia particulari civili, militari, œconomica. Ubique prudentia diſcernere debet quid re ipſa ſit bonum, quid malum vel ad finem ſimpliciter, vel ad particulares particularium prudentiarum. At quis in tantum ſcite poteſt ſe non peccare, in quantum id poteſt judicare prudenter: in tantum rurſus judicare poteſt per prudentiam, ſe non peccare, in quantum ſcit ſe non operari malum re ipſa, & contra legem re ipſa. Ergo in tantum quis ſcire poteſt, ſe non peccare, in quantum ſcit, ſe non operari contra legem re ipſa: & ſicut repugnat prudentiæ ea ſeparatio malitiæ formalis à materiali, ita etiam repugnat conſcientiæ rectè, & debito

modo formatæ.

Tertiò, quia etiam ſuperius fuit demonſtraſtratum: nullam probabilitatem indifferenter ſe habentem ut concordet re ipſa, vel diſcordet legi Dei, eſſe regulam morum, potius quam pars apprehenſiva ſit regula propter eamindifferentiam ad verum, & falſum. Et hac de cauſa ſunt prohibita ſortilegia, & duella in finem ſciendæ veritatis & juſtitiæ uniuſcujuſque, agnoſcendæ, ut olim erant in uſu: quia per hæc media nil innoteſcit veritas, & caſualiter ſe habent: nec enim Deus adeſt in prælio vel ſemper, vel plerumque meliorem cauſam habenti. Ratio ergo, & conſcientia debent applicare legem Dei, & judicare, quid re ipſa juſſerit, quid prohibuerit Deus glorioſus, alioqui ſors, & apprehenſio poſſent eſſe regula, Hæc autem pertinent ad malitiam, quam vocant materialem. Habetur ergo, in tantum formari conſcientiam de non malitia formali, in quantum formatur de non malitia materiali: & in tantum nobis dicere conſcientiam, nos non peccare in aliquo, in quantum dicit, & dictat, id non eſſe contra legem Dei: imò hoc poſtetius eſſe cauſam prioris.

Illa ergo conſcientiæ intra ſe ipſam per reflexas abditio, & receſſio, qua quaſi prætermittendo dictare de lege Dei, vult ſolum de ſuo non peccato judicare, affectatum quid, & prætextus eſt: nemo enim ſanus hæc judicia in conſcientia formate poſſe videtur: *ſive hic contractus re ipſa ſit malus, & à Deo prohibitus: ſive non, ego illum faciendo non pecco; licet neſciam, an re ipſa operer contra legem Dei, ſcio tamen me non peccare: etiamſi hic contractus re ipſa ſit contra legem Dei, ego tamen non pecco.* Et ſi quia ita dicenti intimet; *teneris formare dictamen conſcientiæ, & inſpicere an quod acturus es contra legem Dei.* Videtur, reſpondere neminem poſſe; *Ego ad conſcientiam de eo formandam non teneor.* Hoc enim perindè eſſet atque dicere, *mea regula non eſt lex Dei*, ſi enim eſt, juxta eam operari teneria, & de ea in primis formare dictamen. Et profectò operari cum conſcientia dubia, quod omnes tenent eſſe illicitum, aliundè malum non, niſi quia illa continet, & involuit hæc eadem, quæ propoſuimus ut *lib. ſequ.* iterum dicetur.

Nunc porrò præter dicta oſtenditur dupliciter, velle operari cum iſta propoſita conſcientia eſſe peccatum, & culpam, incurrique malitiam formalem. Primò quia tunc malitia materialis tranſit in formalem, cum eſt voluntaria, & imputabilia; ex terminia enim eſt notum, & ex celebri Auguſtini definitione peccati conſtat, omnem voluntariam, ac imputabilem violationem, & tranſgreſſionem legis Dei eſſe peccatum, eſſe culpam, contineteque malitiam formalem. At in caſu propoſitæ conſcientiæ voluntaria, ac imputabilis eſt violatio, & tranſgreſſio; nam prævidetur indifferenter ſecutura, vel non ſecutura violatio, & tranſgreſſio re ipſa, ut patet: omne autem ſic indifferenter prævīſum, & poſt volitum eſt nobis voluntarium, ac imputabile. Sic in omni ludo lucrum, vel jactura, quæ ſic indifferenter prævidentur; & amantur, ſunt nobis voluntaria, & imputabilia: ſic in duello mors ſequens vel propria, vel aliena: ſic in operante cum conſcientia dubia, per quam ſolum indifferenter prævidetur ſecutura, vel non ſecutura violatio materialis: & ſic in aliis; omnia quippe ſimilia ſunt voluntaria, & imputabilia, Ergo in caſu violatio materialis eſt voluntaria, ac imputabilis, ſi ſequatur: ergo formalis, atque culpabilis: imò etſi non ſequatur, ipſum illud ſic indifferenter velle, & amare violationem, & tranſgreſſionem materialem eſt contemptus legis Dei, & peccatum, ut de conſcientia dubia diſcurrunt omnes. Confirmantur, quia ideò juxta omnea ignorantia invincibilis excuſat, quia illam habena nec prævidit, nec prævidere potuit, an re ipſa ageret contra legem Dei; idcircò eſt prorsùs involuntaria violatio ac purè materialem modo dicto prævideri, & amari, & eam ſolum eſſe materialem, perindè dictu eſt, atque illam eſſe præcognitam, & ſic amatam; & tamen non eſſe præcognitam, nec amatam; ut patet ex definitione voluntarii; nam definitur, *quod eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula* &c. hoc ergo eſt eſſe voluntarium: hoc ergo eſſe imputabile: hoe ergo malitiam illam non eſſe materialem.

Confirmatur rursùs ex conſcientia erronea vincibili: nam abſurdum videtur, eum peccare, qui licet ſe operari re ipſa contra legem non prævideriṭ, prævidere tamen potuit, & arbitrando intereà non ſolum non violare legem, ſed obſequium ſe præſtare Deo peccat, ut patet in interficientibus Apoſtolos: de quo latè *part.* 2 & eum non peccare, qui legem in mente habet, & de ea conſcientiam formare directè recuſat, vult operari, ſive id, quod agere aggreditur, re ipſa, vel non ſit contra legem Dei: hoc eò pertinere videtur: recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus, &c.

Prætereà ergo ſecundò oſtenditur, eum ſic præſcindere, & nihil de lege, vel non lege conſcientiam formare volentem, & intereà independenter ab hoc conſcientiam formantem, vel formare affectantem de ſuo non peccato dicendo, *ſive contractus ſit re ipſa, vel non ſit contra legem Dei, ego eum ineundo non pecco*: inquam, oſtenditur, hunc perverſè operari; nam vult aſſumere pro regula ſuæ honeſtatis, vel non peccati aliquid quoquo modo vocatum, independens à prima regula: quod eſt idem, atque velle ſibi confingere aliquam primam, & non ſubordinatam regulam, quam vult eſſe rectam, ſive ſit juxta, ſive ſit contra legem Dei re ipſa: quod eſt aliquid non divinum divinitate donare velle.

Hujus rei malitia conſpicitur in exemplis vulgaribus præconis, Proconſulis, &c. quibus hac in re utuntur Theologi: præco enim dicens, aut Proconſul intimans, *hoc, & hoc faciendo rectè operabimini, ſive Imperator ita velit, ſive non: id lege Imperatoris ſit prohibitum, ſive non*, per hoc ipſum rei fierent affectati imperii, & uſurpatæ juriſdictionis Imperialis. Sic autem ſe habet conſcientia; nam ſicut dicit D. Bonaventura ea *quæſt.* 3. conſcientia eſt lex intellectus noſtri, ſed non eſt lex ſuprema; ſupra ipſam enim eſt alia, ſcilicet lex divina. In tantum proinde conſcientia, in tantum authoritas quælibet, & probabilitas, & interpretatio, ſeu aliquid quidvis quocumque nomine vocatum nos à peccato liberat, vel ſuo peccato obligat, & nos peccare, vel non peccare dictat, & intimat, in quantum dictat, & intimat, Deum ita præcipere, vel prohibere, vel nihil ea in te præcipere, neque prohibere. Velle ergo independenter ab hoc aſſumere regula actuum noſtrorum, vel liberante à peccato, vel obli-

gante

gante ſub peccato, quilibet quomodolibet vocatum, eſt velle dare illi ſupremitatem, & primatum in obligando nos, vel abſolvendo à peccato: Quod ſanè fieri nequit.

Fruſtra eſt, quod hanc in rem authoritates ſanctarum ſcripturarum cumulemus. Quidquid in illis continetur, ſive evangelium, ſive Prophetæ incipiendo à Geneſi, nihil forte frequentius memorat, quam legem Dei, quam mandata quam voluntatem, præcepta, vias, teſtimonia, & verba Dei. Conſtat ex ſingulis, nos teneri operari juxta hanc legem, juxta hæc mandata, præcepta, vias teſtimonia, verba Dei: 1. *ad Corinth.* 14. *Si quis ignorat, ignorabitur: mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*: ad Epheſ. 5. *nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei*: Eccl. 6. *cogitatum tuum habe in præceptis Dei; & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto*; ut ſcilicet ea opere impleat: Jubet, nos legem ſuam cuſtodire: mandata ſervare, voluntatem ſuam facere; neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare, Sed quid moror? de hoc eſt maximè tota lex. Hæc autem lex, hæc mandata, hæc præcepta ſunt illa, quæ re ipſa conſtituit Dominus. Tenemur ergo ſub gravi, & ſub graviſſimo hanc legem, hos ſermones non abjicere, non derelinquere, nec loco eorum, ſive ita ſe in re habeant, ſive ſecus ſe habeant, aliud quidpiam nobis pro regula uſurpare, quodcumque quantumque illud fuerit, niſi in quantum per illud in nobis innotuerit lex Dei, voluntas Dei, ſermo Dei. Quia uno verbo ratio humana, ut Theologi omnes conſtituunt, & eadem conſequentia omnis alia res ſive interpretatio, ſive opinio, ſive authoritas, vel Author, vel quilibet eſt regula per modum applicantis ſolum, & notificantis voluntatem Dei, vel legem; & ſecundum iſtam re ipſa ambulare tenemur; niſi quod excuſamur, quando nec ſcivimus, nec ſciſe potuimus.

§. II.

De malitia formali, & materiali annotatio neceſſaria.

Satis, credo, conſtat ex propoſitis, nos ad malitiam formalem, vel malitiam refugere non poſſe, & noſmet ita intra nos per reflexas ullas recondere, ut de illa ſola judicando, & materialem, & ipſam realem violationem, vel non violationem, legis in ſe prætermittendo, & ſe giegando per argutias cauſam peccati, vel non peccati à cauſa legis violatæ, vel non violatæ, effugiamus peccatum. Nullo id ingenio, nullo reflexarum acumine obtinebitur. Cauſa ergo tota ſemper revocatur, & reſolvitur ultimò ad realem legis in ſe violationem, vel non violationem: & hæc eſt origo, & cardo cauſæ totius peccandi, vel non peccandi. Si voluntariè, ac ideò imputabiliter legem re ipſa tranſgredior, pecco; nec Deus ipſe hoc mutare poteſt, Si prævidi, legem certo violandam; ſi prævidi, fortè violandam, fortè non pecco; hoc enim ſufficit ad voluntarietatem. Si nullo modo prævidi, vel ignorantia fuit vincibilis; & pecco: vel fuit invincibilis; & tunc non pecco; quia tunc violatio illa materialis, & realis legis in ſe fuit mihi prorſus involuntaria. Et ſic ultima reſolutio peccati, vel non peccati; malitiæ formalis, vel non malitiæ, tota eſt ad voluntarietatem, vel non voluntarietatem; ad imputabilitatem, vel non imputabilitatem ipſius malitiæ, quam vocamus materialem; quod eſt idem, atque violatio realis in ſe: & hanc nobis eſſe voluntariam, & nos non peccare deſideranda fortè, magna tamen chimæra eſt. Uſurpo autem voluntarium, ut in his ex 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. ſumi ſolet, ſcilicet pro libero.

Sic eſt in omni alia re: nequit realis occiſio hominis in ſe, id eſt, materialis illa eſſe mihi voluntaria, & non eſſe imputabilis; & ſi prohibita eſt. pecco; nec valet præciſio de occiſione materiali & formali. Et ita in aliis. Idem ergo eſt in violatione reali, & materiali legis in ſe.

Sola ergo involuntarietas reparat malitiam formalem à materiali; quia enim iſtam non prævidi ullo modo, nec prævidere potui, inde prorſus involuntaria, & neceſſaria mihi fuit illa violatio materialis; & ideo mihi illa non attribuitur neque imputatur; & hoc eſt me non incurrere malitiam formalem.

Cæterùm, quod fuit origo æquivocationis, & eſt valdè notandum, hæc non malitia formalis, ſeu hæc non culpa non fuit objectum ſaltem primarium, neque directum meæ conſcientiæ; imò nec eſt objectum neceſſarium ad evitandam malitam formalem, & culpam. Etenim conſcientia directè ſaltem & primariò formatur circa objectum directum, an actus, v. g. vel conctus ſit bonus, vel malus; contra legem, vel juxta, vel præter. Ex hoc dictato ſequitur, & pendet & reſultat illud aliud, an peccem, vel non peccem: & hoc reſultat ex primo, & fortè ſæpè in actu ſignato non cognoſcitur; certè non eſt neceſſarium, ut ita cognoſcatur; ſatis eſt, ſi exiſtimemus, nos operari juxta legem; & hoc per ſolum habebimus non peccare, niſi aliquid ignorantia vincibilis. Ex ipſo ergo directo, & primario dictaro naſcitur illud ſecundum de culpa, vel non culpa; in quo ſecundo, & reflexo dictato conſcientia magis ſe tenet ex parte objecti, nec eſt propriè dictamen conſcientiæ, ſed reflexio ſupra ipſam conſcientiam.

Quarè conſcientia objectum ſufficiens non haberet, ſi ſolum dictaret malitiam, vel non malitiam formalem: quia quod malitia illa ſit formalis, vel non ſit, debet ex ipſa conſcientia, quod ſcilicet ſit recta, & operatio illi conformis: ut autem conſcientia de ſe dictet, ſe eſſe rectam, debet primò aliundè conſtitui.

Hoc cernitur, & intelligitur perſimilia. Ut quis dicat, ego bene ſyllogizo, ego ſine vitio demonſtro, ego hoc pacto ſine peccato, & ſolæciſmo loquar, neceſſe eſt, ſyllogiſmum, & demonſtrationem, & elocutionem, non per has reflexas, ſed aliundè ex ſuis directis objectis, & regulis eſſe rectas, & ſi non eſſent hæ regulæ directę, nihil ſignificarent illæ reflexæ. Sic eſt in conſcientia. Et ne iſta fuſius proſequar, omnis veritas reflexarum pendet à directis, & directarum ab objecto, quod ſcilicet juxta vetus ſapientium proverbium eſt menſura actuum; & non eſt reſolutio directarum ad reflexas, ſed è contra: de quo latius in Appendice.

QUÆSTIO VII.

QUÆSTIO VII.

Vtrum prædicta evacuentur appellando ad poſſeſſionem libertatis, vel appellando ad prudentes?

NEutrum horum hùc pertinet; nam ſecundum de prudentibus diſcurſum eſt ſupra; ptimum de poſſeſſione non hùc, & ad probabilia pertine, ſed ad conſequentem librum de dubiis; nam regula de poſſeſſione de dubiis agit, & loquitut. Nihilominus quia in his offendiculis paſſim impingitur, præſertim, ubi de reflexis eſt ſermo, ad totius ſeriei expeditam conſtantiam intereſt plurimum, hos hic obices curſim ex dictis & dicendis revellere, ut his relictis ad veritatem, quæ operis noſtri ſcopus eſt, recto tramite contendamus.

§. I.

De poſſeſſione libertatis.

HOc de poſſeſſione non hùc, ut dixit, pertinet, ſed ad dubia: quare *lib. ſeq.* diligenter diſcutietur. Nunc duo ſolum dicimus. Si hæc libertatis poſſeſſio, allegatur, & propter quam ad legem re ipſa ad implendam excuſatos nos eſſe volunt, aliquando, & alicubi locum habet, propriiſſimè locum habebit in caſu, in quo ad litteram jura pro poſſeſſione loquuntur: abſurdum quippe foret, tunc & ibi locum non haberet, de quo, & in quo jura diſponunt: tunc verò & ibi locum habere, de quo nihil loquuntut. Jura portò in terminis, & ad literam non in probabilibus, ſed in dubiis, & de dubiis loquuntur, & diſponunt pro poſſeſſore. Ergo ſi hoc privilegium locum habet in poſſeſſione libertaris, ad literam applicandum eſt pro cònſcientia dubia, & dicendum, conſcientiam dubiam non obligare, quia poſſidet libertas, & in dubio nemo tenetur, ſe ſpoliare re ſua. Sed conſequens eſt abſurdum, & contra omnes Theologos loquendo in terminis de conſcientia dubia, imò manifeſtum eſt etiam in dubio purè negativo, poſſeſſorem non teneri ad ſpoliandum ſe hæreditate. Abs re ergo hic eſt iſta ad poſſeſſionem appellatio.

Secundò, quia hic poſſeſſio eſt de ſubjecto non ſupponente; nam vel per poſſeſſionem libertaris intelligunt poſſeſſionem libertatis phyſicæ? & iſta per obligationem, & ſententiam pro lege dando non tollitur, ſed relinquitur nobis; ſicut prius, ut patet, vel intelligunt poſſeſſionem libertatis moralis, & immunitatis ab obligatione? Et iſta poſſeſſio eſt de ſubjecto non ſupponente; imò lis eſt de hac ipſa poſſeſſione, vel non tam poſſeſſione, quam habitatione libertatis hujus moralis: nec ego hanc poſſeſſionem antea habui contra legem, ſed à principio ſumus in lite. Ergo judicare per poſſeſſionem eſt judicare per id, quod non eſt. Et ideò caſus eſt, ſicut quando nulla partium antecedenter poſſidente lis moveretur in materia juſtitiæ: imò jura requirunt poſſeſſionem pacificam, bona fide juxta omnes ſaltem inceptam, vel etiam ſemper continuatam juxta aliquos, &c. de quibus *lib. ſeq.* Ex hoc ergo ſolum ſequi poteſt, legem aliquam, contra quam ego in poſſeſſione antea fui, eaque legitima, & pacifica non poſſe me obligare de novo: at ſi à principio ſemper eſt lis, nulla fuit poſſeſſio.

§. II.

De appellatione ad prudentes.

VT nihil eſt ſanctius, & diſciplinæ morum conformius, quam appellatio ad prudentes ritè & rectè intellectos, ita nihil diſciplinam morum, ſalva ſaltem fide (licet & hæc ipſa requirat prudentiam, corrumperet magis univerſaliter, quam ſi prudentiam, & prudentes nec ritè, nec rectè intelligamus.

De hoc ſatis egimus ſupra oſtendimus, prudentiam circa vera duntaxat verſari, falſum nullum dicere prudentes quidem verſari poſſunt circa falſa, & falſum etiam dicere, ſed non in eo, in quo prudentes ſunt. Admittimus ergo, & probamus, & laudamus appellationem ad prudentes in omni eo, in quo prudentes ſunt, id eſt, in quo ex definitione prudentiæ ipſorum ratio eſt recta ratio agibilium: in quo, vera cum ratione agunt, vel conſulunt: prudentiam quippe, ut dictis addamus aliquid, ex Auguſtino *lib. 1. de libero arbitr. cap. 18. aliud non eſt, quam appetendarum, & vitandarum rerum ſcientia.* Non utique vel ſcientia, vel ignorantia, vel error, vel pſeudo ſcientia, ſed ſcientia, de cujus ratione eſt veritas.

Jam ergo inconveniens ego hinc & hinc opiniones, vel probabilitates, vel Authores dicentes, me eſſe obligatum, & dicentes me eſſe obligatum, id eſt, bonum, & malum dicentes eundem contractum: vel ſcio, & cognoſco aut cerno, aut probabilitate reali, & poſitiva jam à nobis declarata, alterutros verum dicere, & conformia re ipſa legi Dei? Et tunc ſanè illos in eo prudentes judicare poſſum, & illorum dicto rectè ſto, & niſi ignorantia aliqua volunraria interſit, non pecco illis ſtando. Vel ego nihil ſcio, utri fallantur, vel fallant? Et tunc neutri ſunt apud me prudentes; quia neutri, nec veri, nec falſi: prudentiam autem tunc illis in eo attribuere eſt definitum ſine definitione attribuere velle. Si nulla ſimiliter eſt contractio, & quis mihi dicit, non eſſe legem? vel eum puto verum dicere? & tunc eum in eo prudentem arbitrari poſſum: & niſi obrepat ignorantia voluntaria, non pecco: ſi leviter, aut citò credo, pecco ſi ſaltem re ipſa eſt in contrarium.

Id verò ad doctrinas ſuperiores attinet, quando dictamen, & conſcientiam formare non poſſum de non lege, poſſum ſtare illis, quos prudentes nomino? Tunc negatur ſuppoſitum; nam ſi eos puto verum dicere, poſſum formare conſcientiam de non lege: ſi hoc dictam formare non poſſum, pecco operando ſine conſcientia; nec eos in corde meo prudentes in eo arbitror, niſi ultro ignorem, quid ſit prudentia, & quid prudentes.

Itaque ut de cæteris omnibus dictum eſt, ſcillicet de ipſa humana ratione, de probabilitate &c. & quemadmodum evangelium dicit de traditionibus Doctorum legis, ſic etiam eſt de prudentia: hæc omnia ſunt regula ſubordinata morum: in tantum liberant, vel non, in quantum proponunt ſupremam regulam: quoties iſtam non determinant, & dictant, ad conſcientiam formandam non ſufficiunt, & violatio materialis fit formalis. Ve-

rum enim eſt, quod *2. ad Rom.* dicit Apoſtolus, non per hoc, nec per illud, ſed *quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur*, & in factis contra legem una, & ſola excuſare poterit ignorantia invincibilis, ſi datur: cætera ſunt excuſationes excuſantium ſe in peccatis. Sic autem erit de judicare, ſicut nunc eſt de operari: ergo &c.

QUÆSTIO VIII.

Utrum contra ſuperiores doctrinas obtendi poſſit, leges, de quibus ſunt opiniones probabiles contrariæ, non eſſe ſatis promulgatas.?

HÆc eſt alia reflexio, & per reflexas evaſio ab omni directa doctrina controverſa de bono, & malo. Neque verò hic hæ opiniones probabiles contrariæ ſi ſint circa idem adæquatè objectum, ſunt probabiles probabilitate reali poſitiva à nobis declarata: hæc enim probabilitas nunquam contradictoriis convenit. Eſt ergo ſermo de alia probabilitate aliquorum eorum generum, quæ ſuperiùs oſtendimus, ad conſcientiam, & pro conſcientia non ſufficere; quia per eam non habetur magis verum, quam falſum; conformitas magis cum lege re ipſa, quam cum non lege.

Oſtenſum itaque fuit, has probabilitates non ſufficere: ſed tamen ibi ſupponebamus, per iſtas probabilitates legem re ipſa non interimi, ſed extare, & permanere, & re ipſa, & materialiter ſaltem obligare. Jam autem nunc hoc ipſum nobis videtur negari; nam dicitur, illas probabilitates æquivalere non promulgationi legis: quare eas probabilitates hinc, & hinc nobis proponi, perinde apud nos, & pro nobis erit, atque ſi lex non fuiſſet promulgata. At quando lex non eſt promulgata: ad eam non tenemur; nec ejus violatio etiam ſcita, & volita adhuc directè eſt nobis culpabilis, quia lex non ſatis promulgata ad nihil obligat: quare violatio materialis non fiet formalis, & omnia ceſſant.

§. I.

Iſtius non promulgationis declaratio ex Eminentiſſimo Cardinali Pallavicino.

VIx aliquem, qui impugnandus eſſet, hactenus placuit nominare; ne quem offenderemus, neque videretur eſſe contentio cum hominibus contra præſcripta ſanctorum. Jam verò hic eum ſortiri ſumus impugnandum, qui magis amet vera, quam ſua, ſcilicet Emin. Cardinalem Pallavicinum, qui dignatus cætera operis hujus perlegere, ſuam in eo impugnationem deſideravit, eamque, ut efficerem injunxit.

Docuit ergo tomo de actibus humanis, licere ſequi opinionem probabilem etiam ei, qui vel contrarium opinatur, vel qui circa eam opinari non poteſt; dummodo ex tranſgreſſione materiali legis non poſſit oriri magnum incommodum, licet quando res eſt dubia, hoc non ſit verum niſi favore poſſeſſionis, &c.

Ratio eſt (ait quia vel in eo caſu obligare intendimus hominem ad ſequendam partem tutiorem, etiamſi contrarium putet probabile? & hoc non &c. (ut ſupponimus) vel quia putat partem tutiorem eſſe probabiliorem, & ſpeculativè putat rationes hujus partis eſſe veras? Et contra hoc eſt (inquit) quia cum videam multos homines prudentes exiſtimaturos, non dari obligationem, adeoque licitè operaturos, atque ſi nulla eſſet obligatio, non eſt rationi conſonum: nec expedit Reipublicæ, ut ego ex mea peculiari opinione ſim obligatus ad id, ad quod alii non tenentur; lex enim debet eſſe communis, & æquè obligans omnes, quibus proponuntur eadem motiva obligationis, ut in Republica ſit uniformitas operandi. Et ideò quando aliqua lex non acceptata, quamvis culpabiliter à majori parte Reipublicæ, non obligat alios; quia ordinatur ad conſtituendam in moribus regulam communem &c. Et hæc diſparitas (concludit) inter dubium utrimque probabile, & inter merum dubium.

Verùm Eminentiſſimus Dominus Auguſtinianæ, quam Tullianæ laudis amantior iſta omnia revocavit, mihique ut id edicerem, præſcripſit. Hæc ad præſens Auguſtinus *Epiſtola ſeptima.* (Romani maximus Author Tullius eloquii (*ſumuntur ex Lucano*) nullum unquam verbum, quod revocare vellet, emiſit. Quæ quidem laus (*gloſſa Auguſtinus*) quamvis præclariſſima videatur, tamen credibilior eſt de nimio fatuo, quam de ſapiente perfecto. Nam & illi; quos vulgò motiones vocant, quantò magis à ſenſu communi diſſonant, magiſque abſurdi, & inſulſi ſunt, tanto magis nullum verbum emittunt, quod revocare velint: quia dicti mali, vel ſtulti, vel incommodi pœnitere; utique cordatorum eſt.)

Mox exceptis à regula ſua Scriptoribus Canonicis, concludit. *Ab hac ego excellentia tam longè abſum, ut ſi nullum verbum, quod revocare vellem, protulero, fatuo ſim, quam ſapienti ſimilior.* Attulerat porrò. Auguſtinus paulo ante dicti ſui rationem irrefragabilem, dicendo: *Ego proindè fateor, me ex eorum numero eſſe conari. qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt.* Etenim incipienti, proficienti, & perfecto eadem videri, tam eſt impoſſibile, quam incipere, proficere, & perfici, unum, idemque eſſe. Placeat itaque quibus volet: Tulliana, & Lucanina laus; Auguſtino diſplicuit, qui copioſos retractationum libros conſcripſit: paucos adeò ſortitus ſui imitatores: cum intereà, hæc ſit Auguſtini laus excelſior, quod ſuprà ſe ipſum profecerit, ſuique factus Magiſter correxit ſemetipſum major Auguſtino ipſo Auguſtinus. Profectò Eminentiſ. Cardinalis, qui quando reflexas iſtas approbavit, id utique noverat, quod norunt modo alii, cogere ipſos ad reflectendum ſuper reflexas iſtas poſſet, anne id roboris habeant, quod creditur. Omnes profectò homines ſumus; at experimento didici, ſummis ingeniis falſas ſuas opiniones quaſi diaphanas, quæ viſum non expediant, exiſtere: aliis inſtar opacorum ſunt corporum quæ viſum omnem adimant.

§. II.

§. II.

Infideles videntur ſe excuſare poſſe eodem modo.

HOc medium ipſi Eminentiſſimo Cardinali viſum eſt efficax, concludenſque quod iſta per non promulgationem legis reflexa vel defenſio, vel excuſatio, ac ſimiles uſurpari eodem modo poſſe videantur ab infideli, & ab hærerico quolibet appellando ab omni directa diſputatione de veritate, vel falſitate ad reflexas, quas ipſi probabiles eſſe tuebuntur: & probabilitatem certè ſophiſticam, & phantaſticam, & non in re, ſed quoad ipſos talem habere poſſunt ex ſupradictis. Nec odioſa videri debet argumentatio: ipſi enim, qui hoc poſſunt objicere, ſciunt, paſſim in ſcolis, & in libris moris eſſe ſententiam contrariam ad impoſſibile, vel hæreſim, vel inconveniens aliquod deducere.

Ecce ergo Calviniſtæ prædicandum eſt: eò potiſſimum, vel unicè diſputatio eſt dirigenda, ut ipſi perſuadeas, Eccleſiam noſtram eſſe veram, exrra quam proinde non ſit ſalus; & argumenta cumulas veritatis Eccleſiæ noſtræ. At ipſe ſe expedit ab omnibus; nihil dicit eſſe neceſſariam veritatem: ſatis ait eſſe probabile, & probabiliter catholicum ſufficere in materia religionis; ſicut in materia morum ſufficit non uſurarium probabiliter: omninò autem recuſat directam de veritate, vel falſitate diſputationem: Doctores ſuos, ait, audiviſſe fundamenta noſtra; nihil tamen fuiſſe motos; quare legem, ſiqua eſt, acceptandæ noſtræ religionis non fuiſſe ſatis promulgatam.

Verùm replicas, Doctores ſuos non eſſe prudentes: religionem proinde ſuam ex eorum authoritate non effici probabilem. At ipſe vix non iraſcitur; & perſuaſionis loco rixa reſultat. Quærit deinde, cur, & unde noſtri in ipſis illis rebus, in quibus ſibi contradicunt, & falluntur alterutri neceſſariò, ſint intereà utrique ſimul prudentes, & qui unum ſentir, ſtare prudèter queat dictis ſui adverſarii, quem falli credit; excludantur tamen ab hoc privilegio ſui doctores? An quia falluntur? & hoc non: quia in materia morum conſtat evidenter, falli alterutros, & utrique interea ſimul prudentes eſſe, & prudenter dicere creduntur: non autem magis pugnat veritas religionis cum falſitate religionis, quam veritas in doctrina morum cum falſitate. Vel veritas, inquit, neceſſaria eſt ad prudentiam? & tunc in alterutra parte illa deficit tam in doctrina morum, quam fidei. Vel nihil eſt neceſſaria veritas? tunc, cur ſui non ſint prudentes?

Replicas, ſuos Doctores eſſe damnatos ab Eccleſia, & ideo dictum eorum nihil efficere. At dicit, de hoc ipſo eſſe litem, cui Eccleſiæ, & cujus judicio ſir ſtandum: ſe autem negare, Eccleſiæ noſtræ judicium ſibi, quiſque præjudicare. Et oſtenſum fuit alias fidem, & Eccleſiam ad ſe ipſas per ſe ipſas non obligare: ſed exteriùs miraculis, & argumentis; interiùs gratia Spiritus ſancti, ſine qua nihil ſufficit prædicatio.

Denuò replicas, non valere iſtas reflexas defenſiones, ubi pro veritate ſupperunt certa, & manifeſta fundamenta pro Eccleſiæ autem, religioniſque noſtræ veritare ſuppetere certa, & manifeſta fundamenta.

At reſpondet, non hunc ſenſum eſſe iſtorum, qui in doctrina morum per reflexas non promulgationis, atque ſimiles reſpondent. Nam explicatè, ac interminis rogati, an fundamenta Catholicæ religionis talia ſint, tanta ſint, quæ certò rem, certo veritatem ipſam concludant, & ſtatuant; negant tanta, ac talia eſſe: ad prudentes & in hoc denuò recurrere moris eſt dicendo, ea talia, tantáque eſſe, quibus nemo prudens non cedit. De novo ergo ſumus in dijudicandis prudentibus, quod certè, ſi quod aliud, eſt judicium difficile. Et quærit denuò, an prudentia veritatem requirat, an ſecus? Si requirit, in doctrina morum deeſt in alterutra partium. Si non requirit cur in doctrina religionis in utraque parte contradicentium prudentia non abſit?

Sed quoniam de prudentia, de fundamentis gravibus, de probabilitate in re, qua hæretici omnes carent, de probabilitate non in re, ſed purè quoad ipſos, ſophiſtica, & phantaſtica, qua hæretici, & ſophiſtæ quique non carent, dictum eſt ſatis in ſuperioribus ubi reflexas quoque iſtas repulimus veniamus modo ad formale punctum non promulgationis, quomodo per iſtam evadere infideles quoque poſſint, & potuerint.

Paulus prædicat in Areopago doctiſſimis coram hominibus, qui Athenis tanti eſſent, quanti ſiunt apud nos Doctores, vel Senatores noſtri. Motiva Pauli, prædicatio Pauli propoſita fuit omnibus, audita cunctis. *Cum audiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam, quidem irridebant; quidam verò dixerunt: audiemus te de hoc iterum, quidam verò viri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris; & alii cum eis Act. 17.*

Profectò Dionyſius, & alii legem accipiunt non ſatis promulgatam: ſi data ſolutio valet; cui ſcilicet auditis motivis illius omnibus ab Apoſtolo propoſitis Athenienſium, & Areopagi major pars, imo vix non tota reſiſtit: lex autem, quæ uniformis eſt regula, ſi pleróſque non obligat, paucos reſiduos comprehendere nequit, ut ais. Quid Dionyſius ſanctè, & humiliter per reflexas non ſe expediat? mihi quidem iſta adducta à Paulo fortia, vera videntur: at hi una mecum omnes audierunt; nihil moti ſunr; alii iterum audire differunt; alii rident: an ego omnium prudentiſſimus? Solus ego, vel nos pauci ex tanta mnltitdine ad tam novam, ac difficilem adeò legem obligemur? oportet in Republica uniformes eſſe operationes, maximè verò religionis, cujus diverſitas turbationem magnam affert. Quidquid verò ſpeculando de motivis iſtis mihi videbitur, poſſum practicè per tot aliorum, & unius fermè inregri Senatus celebratiſſimi judicium ſcrupulis depoſitis conſcientiam accommodare: ſin minus ſingularis ero, paradoxi, durique judicii notam incurro, cæteris me præfero.

Sed fortè aliquis recurrit ad miracula. Verùm nullum tunc per actum legitur. Mirandum deinde eſt homines alioqui doctiſſimos, ut pro Judæis, pro Gentibus, ac aliis diſparitatem reddant, ad hoc miraculorum medium refugere. Sciunt probè ipſi, cauſam diſcernendi vera miracula à falſis eſſe mille fraudibus expoſitam: ſciunt miracula Salvatoris, Apoſtolorum, diſcipulorum, martyrum, præſtigiis, conſortio Dæmonis fuiſſe attributa. Qua ergo ratione in aliis cauſis à directis ad reflexa itur, eodem jure in miraculis id fieri poteſt: doctis ſuis non eſſe viſa miracula, viſas eſſe præſti-

Digitized by Google

gias; & vide lege dicitur, ea vel miracula non eſſe, vel non eſſe conſpicua ſatis, & promulgata.

Jam à Dionyſio ad cauſam univerſam Chriſtianorum veniamus. Ecce pars minima mundi eam tenet: quaqua-verſum omnibus illius motiva non ſemel propoſita ſunt. Quid ergo non dicatur, legem Chriſtianam haud ſatis promulgatam eſſe? quæ ſcilicet non pro Europa, ſed pro toto mundo conſtituta eſt: & intereà ex iis, qui audierunt, pars minima cedit: quod ſi maximæ parti ſatis intimari non potuit, minus multò promulgatam ſatis fuiſſe dicetur.

Quin imò hæc via non promulgationis videretur reddere impoſſibilem converſionem gentium, & populorum; nam cum converſio ab aliquo primum uno, vel à paucis plerumque cœperit, incepturaque ſit in poſterum; potuit, poteritque unuſquiſque ad totius ſuæ gentis, vel mundi judicium, prætexta etiam, ſi oportuerit, modeſtia, ac humilitate provocare: reliqui (dicet) ſicut ego, audierunt, nec tamen moventur: quidni vel ſolus ego, vel pauci nos non fallamur; fallantur autem pœnè univerſi? Hæc lex vel non eſt, vel ſatis promulgata non eſt Lex à majori parte Reipublicæ non acceptata etiam culpabiliter, reliquos non obligat. Ergo neque obligor. Idem porrò eſt de ſingulis. Nullus ergo primo obligatur. Ergo converſio gentium nec incipere unquam potuiſſet; nec in poſterum incipiet. In Suecia, in Dania hic, vel ille motiva Eccleſiæ Catholicæ perlegens, illa ſanè exiſtimat valdè fundata, & fortia, & in ſpeculatione directa ſibi ea videantur vera; falſa autem, quæ ſui reſpondent. At mox reflectet, & dicet, ea in regno ſuo à quamplurimis eſſe perlecta: nihil intereà eos motos: durum, quin duriſſimum eſſe, ſe Patriâ exulare bonis omnibus ſpoliatum: expedire, ut ipſe reliquo regni corpori congruat, nec ſuo ſe judicio ad tam dura condemnet.

§. III.

Hoc genus reſpondendi eſt illegitimum, & circulum committit.

Manifeſtum videtur naturæ lumine, neminem ſe aliqua lege legitime excuſare per alios, aliorùmque deobligationem, niſi ſupponendo, eos alios legitimè ſe gerere, eſſeque legitimè excuſatos in eadem cauſa. Hæc enim defenſio, vel excuſatio eſt naturæ lumine turpis, & vitioſa: major pars Reipublicæ, vel etiam mundi ſive bene, ſive male juxta hanc legem non operatur, nec juxta illam operandum putat. Ergo ego juxta illam operari non obligor. Nam conſequentia eſt iſta: *Ergo & ego vel benè, vel malè poſſum juxta illam non operari*: item *poſſum vel benè, vel malè putare, juxta illam non operandum.*

Hinc ut recta ſit mea defenſio, debeo ſuſcipere defenſionem reliquorum. Iſti alii bene operantur hanc legem non ſervando; benè item putant hanc obligationem non dari: ergo & ego bene operabor legem non ſervando: bene etiam ſentiam putando obligationem non dari.

At jam tunc venitur ad diſputationem directam; nam ut me defenderem provocavi ad alios Doctores; hos dixi benè operari, alii Doctores; alii autem Doctores non ſuperſunt, quos pro illis defendendis de novo provocem. Cogor ergo ad diſputationem directam venire, v. g. an contractus ſit uſurarius, & per directas cauſam terminare.

Rursùs & eſt proponi, ac audiri motiva alicujus obligationis: & eſt ritè intelligere, ac ſatis percipere illa motiva. Vel ergo multitudo illa, per quam me volo excuſare, ſupponitur audiſſe, & bene percepiſſe, & intellexiſſe motiva propoſita: vel ſupponitur audiſſe quidem, ſed non ſatis intellexiſſe, nec benè calluiſſe?

Si ſupponatur audiſſe quidem motiva, non tamen ſatis ea percepiſſe, nec ſatis calluiſſe: Nulla eſt pro me defenſio, ut patet: nam eſt defenſio per aliorum ignorantiam, ut patet in converſione gentium. Scitur quippe ex principiis communibus & indubitatis de conſcientia, ignorantiam aliquando non excuſare, eum utique, qui ignorat: non alium, qui ignorat, unuſque juxta conſcientiam ſuam vel excuſatur vel non excuſatur. Vel ergo ii, qui motiva viderunt, non benè perceperunt culpa ſua? & tunc illi non excuſantur: ergo minus ego: vel citra culpam putarunt, ſe non eſſe obligatos? & tunc excuſantur per ignorantiam invincibilem: at ego unde excuſer, qui eam ignorantiam non habeo?

Nunc de multitudine ſatis intelligente, & benè callente motiva. Hic profectò ſe putant obligatos: ad inintelligentes occluſa eſt appellatio. Neceſſe eſt ergo, ut hic obligationem dari ſpeculativè cenſentes, vel omni relicta appellatione operentur juxta eam obligationem, vel ut ſinguli ad reliquos noſtrûm provocemus dicendo: hi alii, ſicut ego perceperunt vim motivorum: & tamen ſe & excuſant, & liberant ab obligatione: ergo & ego.

Hic committitur manifeſtus circulus. Ponamus enim v. gr. eſſe quatuor Petrum, Paulum, Jacobum, Joannem, qui vim motivorum ſatis perceperunt, & unuſquique ſe liberat per reliquos. Jam Petrus ſe defendit per Paulum, Jacobum, & Joannem: Paulus per Jacobum, & Joannem, & Petrum: Jacobus per Joannem Petrum, & Paulum, & de novo incipiet circulus: & unuſquiſque ſe defendit per alios, qui ſe etiam inadæquatè defendunt per ipſos. Idem porrò eſt, ſi numerus ſit millionis: niſi quod non tam facile mente capitur, & tenetur.

Hoc genus civili committitur in quamplurimis reſolutionibus moralibus. Quæritur, an uſus chocolati ſaltem frequens ſit contra paupertatem religioſam? quia non eſt res pauperum, ſed divitum, & principum, & magni pretii. Reſpondent aliqui, ejus uſum dari in Religionibus etiam valdè obſervantibus, & dum ſingulæ ſe juſtificant per reliquas, committitur circulus: nulla prima eſt rem primò juſtificans. Idem eſt quæſtione de nimio ornatu mulierum: ſingulæ ſe excuſant per reliquas. Præterea alia ſimilia.

Jam ergo quicumque ſe legitimè excuſaturus eſt per alium, ſupponere debet, eum ſeorſim ab omni ignorantia rectè agere: & eſſe aliquem primum, in quo ſiſtat, & terminetur appellatio. Si alius per ignorantiam excuſatur, nihil illa, valet pro me: Si alius malè agit, nulla defenſio. Si neſcio, nulla item eſt defenſio.

Sanè nulla ſimili interpoſita appellatione converſus fuit mundus ad legem Chriſtianam: aliquis vel aliqui primum fundamenta ejus exiſtimarunt: conſcientiam unuſquiſque ſuam ſecutus eſt,

eſt, & credidit. Hoc & nunc fieri debet: ſi Genevæ vel unus ſolus cauſam noſtram veram puter; nequit ſe excuſare per Rempublicam ſuam: obſtant plurima duriſſima. At lex Dei ſuper omnia eſt: & tenetur illi ſtare contra ſuam Rempublicam.

§. IV.

Videtur prædictam non promulgationem allegari non poſſe.

CUm dicitur, leges Dei, circa quas opiniones utrinque probabiles (non utique probabilitate reali poſitiva) iuqua, leges ejuſmodi non eſſe ſatis promulgatas, vel ſermo eſt proprius, & improptiè loquuntur, nihil dicitur; & debebit aliquid propriè tale afferri. Suppono ergo, ſermonem eſſe proprium, & loqui retento rigore ſermonis.

Videtur vero dici non poſſe, prædictas leges non eſſe ſatis promulgaras, retento rigore ſermnis, & loquendo propriè, & doctrinaliter. Et primò quia alioqui, nulla contra quam ipſi, & omnes loquuntur, daretur nec violatio quidem materialis; nam lex non ſatis promulgara non eſt ſimpliciter promulgata: lex autem non promulgata nec realiter quidem & in ſe obligat, nec magis violatur, quam ſi non eſſet: ac ponunt violationes materiales: ergo.

Hinc ſecundò tutior pars non ſolum non eſſet de præcepto, ſed nec de conſilio, quod ramen ipſi ponunt: ut patet in legibus humanis non promulgatis: nam leges non promulgatæ ſunt, ſicut non factæ, & ipſa ſui non promulgatione revocatæ.

Tertiò, quia in talibus non ſolum quis operari, & conſulete poſſet contra propriam opinionem, ſed eriam contra demonſtrationem, & divinam ipſam revelationem; quod tamen negant omnes. Etenim ſi mihi revelet Deus, à ſe quidem factam legem aliquam, non tamen fuiſſe ſatis promulgatam, id eſt, non ſimpliciter promulgatam, ego non eſſem obligatus, niſi me in particulari obligate vellet ſpeciali voluntate.

Dices, jam legem mihi per demonſtrationem, aut revelationem promulgari ſatis, & intimari. Sed contra eſt, quia leges iſtæ, ſicut & leges omnes non pro me, aut illo in particulari conſtitutæ ſunt: idem autem eſt de promulgatione, quæ naturam legum ſequitur; idem de non acceptatione; & idcircò bene dicebatur, legem à majori parte Reipublicæ non acceptatam reliquos non obligare; nam ita eſt in legibus, quarum vis pendet ab acceptarione. Quare leges prædictas mihi, vel rarò alicui eſſe notiſſimas vel demonſtratione, vel revelatione, non reddit ipſas ſatis promulgatas; nam nec lex, nec promulgatio ad me dirigitur, ſed ad communitatem. Idcircò ſi ego eſſem Secretatius Romani Pontificis, vel Regis, & ipſa mea manu legem aliquam ſcripſiſſem; quæ tamen poſteà aut non promulgaretur, aut non ſatis promulgaretur, aut non acceptaretur, nihil ego obligarer ex intuitiva mea particulari notitia conſtitutionis legis, ut ex communibus principiis de legibus, & de earum promulgatione, & acceptione conſtat. Ergo mea privata revelatio, vel demonſtratio leges Dei non ſatis promulgatas nequit reddere promulgatas, niſi revelatio, & ut demonſtratio habeatur à pleriſque.

Sin autem dicatur, leges Dei eſſe quidem in ſe ſatis promulgatas; non autem mihi; quoties certitudinem non habeo. Hoc eſt implicare in terminis dicendo leges eſſe promulgaras in ſe; nam *τὸ in ſe* ſignificat, illas non quidem nobis, ſed in ſe eſſe promulgatas: quod eſt implicatio; nam promulgatio eſt quoad nos, & non in ſe ſolum quaſi ſeorſim à nobis. Quod autem mihi non ſint ſatis promulgatæ, eſt evaſio ſophiſtica; non enim de me tractamus, ſed de omnibus. Vel ergo leges, habentes has probabilitates, ſunt omnibus, & multitudini ſatis promulgatæ, & intimatæ, vel non? ſi primum; ergo habemus intentum. Si ſecundum. Dicimus, mihi promulgari non eſſe promulgari: & eſſe implieationem in illis terminis *promulgari, & mihi.*

Quartò, quia qui dicit, idem eſſe eas probabilitates dari, & leges illas non eſſe promulgatas, vel eſſe connexa. In primis reddit omnes libros ſuos de ſimilibus valdè vitioſos: nemo enim laborat, ut ſciat, an leges non ſufficienter promulgatæ obligent: ſcitur non obligare. Deindè non liceret, in talibus aliquid dicere eſſe peccatum; nam ſcitur, contra leges non ſufficienter promulgatas, quod eſt, non ſimpliciter promulgatas, nullum eſſe peccatum. Contrarium autem omnes dicunt, & faciunt. Non ergo creditur, leges prædictas aut eſſe non ſatis promulgatas, aut eſſe ſicut non acceptatas.

Rurſus omnis ferè ſpeculatio moralis redditur inutilis; nec libros implet. Nam ferè tota eſt de ſimilibus quæſtionibus. Ergo eſſemus, ſicut in legibus non ſatis promulgatis, aut non acceptatis: de his autem nemo curat. Præterea moralis ſcientia, ut adverſarii maximè dicunt, & benè dicunt, paucas habet certitudines, & materiam habet plerumque probabilem ex plerumque veris, ut ſcitur ex principio Ethicorum, & conſtat experientia. Si ergo in talibus ſumus in non promulgatione, poſſemus una vice, hoc unum ſtatuere, & moralem omnem ſcientiam, Theologos tollere; quæ ſcilicet facultas tota demum ſiſtit, & re: ſolvitur in non ſatis promulgatis.

Dicendum eſt ergo, Deum glorioſum ſatis, ſuperque promulgaſſe legem ſanctam ſuam, multifariam, multiſque modis olim loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè autem nobis locutum in Filio: quam ſanctam legem per univerſum mundum primum Apoſtoli, mox alii prędicarunt; ſancta Concilia, Romani Pontifices ſancti Patres, & Theologi declararunt.

Hæc lex ſancta Dei, vel hæ leges ſanctæ Dei ſic jam ſatis promulgatæ, & obligantes ſingulorum cognitionibus applicantur ſingulis, non promulgantur, non acceptantur, ſed purè applicantur: & ratio ſua unicuique eſt regula ſubordinata, & applicans. Jam in controverſis ſaltem hæc ratio humana ut in plurimum ſolum eſt probabilis: ligat ergo, ut dictum eſt ſupra. Dicere rationem probabilem, qua cui aliquid malum eſſe videtur non obligare, & ſimul dicere, ut dicitur, certitudines raras eſſe; eſt uno ictu & moralem Theologiam, ut, dictum eſt, & legem Dei in controverſis & quibus libri implentur, interimere, ma-

Digitized by Google

ximè verò non promulgationis, & non acceptationis exempla teneant.

QUÆSTIO IX.

Quid de ſyllogiſmo illo reflexo: omne probabile eſt licitum: hoc eſt probabile: ergo licitum.

HIc eſt celeberrimus ſyllogiſmus, quem una lectione omnes comparant, & incipientes, & laici etiam ipſi, & apud multos quodammodò verſus in naturam eſt. Quare licet de materia tota hujus ſyllogiſmi tot, & toties ſint dicta, contra conſueta tamen, ſicut contra naturam ferè, vix unquam ſatis dicitur, cum contra brevis ſermo, modica perſuaſio pro conſuetis ſufficiat. Vix verum, aut falſum auditur; per probabile reſolvuntur ſingula: quare ad celebrem adeò ſyllogiſmum aliquibus in terminis dicendum fuerat.

§. I.

Multiplex diſtinctio majoris, & minoris.

TOtum ex integro ſyllogiſmum quoad rem tranſmittimus, ſi ſermo ſit de probabilitate probante, de probabilitate reali, & poſitiva, quam ſuperius declaravimus, & conſtituimus eſſe rectam regulam morum.

At ſyllogiſmus formatur ſine ulla diſtinctione probabilitatis. Jam ergo majorem propoſitionem diſtinguo. Primò, ſi ſermo eſt de prædicta noſtra probabilitate, concedo: ſi ſermo ſit de quocumque genere probabilitatis ſine diſtinctione, eam Auguſtinus dicebat eſſe optimo cuique metuendam; item jurabat, ſe neſcire prorſus, quomodo ea ſic generaliter admiſſa, adulterium eſſe peccatum. Quare non eſt, cur nec certa, nec probabilis ea major exiſtimetur loquendo de omni genere probabilitatis.

Secundò, eamdem majorem diſtinguo: ſi ſermo ſit de probabilitate reali, & poſitiva concedò: ſi ſermo ſit de probabilitate ſolum tali quoad nos, ſolum apparenti, quæ videtur eſſe, & non eſt, ideſt, ſophiſtica: nego. Abſurdum porrò eſſet, iſtam velle ſufficere; nam hæretici, & ſophiſtæ hoc genus probabilitatis, imò & certitudinis habent, & evidentias falſas, quibus animas decipiunt. Quæ probata ſunt.

Tertiò diſtinguendo majorem, nego illam, ſi ſermo ſit de probabilitate quaſi authentica, & opinionibus dari ſolita. Hanc enim ſufficere, id eſt, omnes opiniones non notatas ſufficere. Authorum gravium docuit nemo; imò eſt contra omnium documenta. Quod etiam probatum fuit.

Quartò diſtinguendo eamdem majorem, nego illam, ſi ſermo ſit de probabilitate purè negativa; quia ſcilicet contra iſtam partem nullum eſt argumentum convincens certo: quo revocavimus probabilitatem fabricatam per ſolutionem argumentorum, probabilitatem ad hominem, & ſimiles. Hanc probabilitatem excludunt Authores claſſici, qui requirunt fundamentum grave: at non dari contra te argumentum certum, & concludens, non eſt te habere fundamentum grave Quæ probata ſunt.

Totum ergo negotium reducitur ad probabile fundatum in authoritate, vel ratione gravi, & magna ſupponendo, eſſe Authores, & eſſe rationes etiam leves; quarum proinde probabile non faciat licitum ex ſententia communi Theologorum. Quapropter ex eodem ſenſu Theologorum concludendi ſunt à prædicto ſyllogiſmo uſurpando, & illum in mores convertendo, quicumque ipſam moralem ſcientiam neſciunt; quia ſolum per ipſam ſcientiam noſci poterit, quæ ratio ſit gravis, quæ levis: quis Author gravis, quis ſuperficialis: an deinde ipſe etiam gravis Author in ea particulari opinione lapſus ſit, an graviter dixerit. Nam cum major ſolum ſub illis omnibus diſtinctionibus excluſivis concedatur, nequit indoctus in ſubſumptis minoribus diſcernere, quo genere probabilitatis ſint illæ, probabiles: quia hanc peritiam non habet; quare conſequentiam de licito ipſe inferre non poterit turbam aliquando Doctorum habebit, & non habebit probabile ex ſenſu Theologorum. Quæ ſunt probata.

Jam veniamus ad majorem illam loquendo cum doctis in ipſorum ſenſu, omne ſcilicet probabile ea probabilitate, quæ fundatur in authoritate, vel ratione gravi, aut magna pro ea re, eſſe licitum. Et hanc majorem ſub ipſis terminis admittimus, & probamus, & probavimus.

De minoribus ſupererit tota controverſia. Et univerſaliſſimè in ſuperioribus oſtenſum eſt, omnem noſtram obligationem eſſe ad veritatem: quia tenemur operari re ipſa juxta legem Dei, & non contra: ſicut tenemur non occidere, non mœchari. Occurrente verò contradictione opinionum, ſcit evidenter unuſquiſq; alterutram eſſe falſam. Ex hoc ſcit eadem evidentia fundamenta alterutrius partis vel eſſe falſa: vel ſi vera ſint, neutiquam ex illis ſequi concluſionem. Ex his concluſimus, & oſtenuimus, impoſſibile prorſus eſſe, fundamenta ſive authoritatis, ſive rationis utriuſque partis contradictionis utraque ſimul ſint vel in ſe, vel quoad nos gravia, ac rurſus nullas contradictorias concluſiones eſſe probabiles probabilitate conſcientiæ demonſtratum eſt lib. præc. Quare niſi opere hoc noſtro toto deſtructo ſyllogiſmus valere nequit in ſenſu arguentium.

Quinimò commonſtratum fuit totius ſophiſtices velut producta tabula, opus ſophiſtæ, & ſophiſticæ in alio non eſſe, quam in eo, quod ad probandum concluſionem aſſumantur falſa, quæ videantur vera: vel aſſumantur vera, ex quibus non ſequatur concluſio: videatur tamen ſequi: & ſimiliter eſt, quando eſt deceptio in forma: videtur eſſe bona, & non eſt. Et hoc eſt, & nihil aliud, quidquid ſub odioſo illo nomine ſophiſtices clauditur: & eſt per ſe ſatis evidens, ſophiſticem non eſſe regulam morum. At evidens eſſe videtur, in omni contradictione fundamenta alterutrius partis vel non eſſe vera, licet apparentiam habeant; vel ſi vera ſunt, ex iis non ſequi concluſionem, cum ex veris non ſequatur falſum, ut nemo negat; ſit vero in omni contradictione altera pars falſa, ut etiam negat nemo. Ergo alterutra fundamenta ſemper ſunt & in ſe, & quoad nos purè ſophiſtica & deluſoria. Quemadmodum ſi Angelus, & Dæmon ſeſe mihi ſiſterent, maxima uterq; luce perfuſus, & alter diceret, rem aliquam malam & alter eſſe bonam; evidenter ſcirem, alterum eſſe Dæmonem, alteram lucem eſſe fallacem cavendamque, & teneer ulterius videre.

Sic ergo reducta probabilitate in omni contradi-

ctione ad unam partem, ſi revera ſubſumptæ minores extiterint probabiles, ac fundamenta habuerint, quæ non ſolum videantur, ſed ſint etiam gravia, conceduntur minores; ſin minus negantur. Quod ſi quis in minoribus decipiatur, reſultabit conſcientia erronea, ut probavimus; ſi ignorantia fuit involuntaria, excuſatur; ſi minus, non excuſator.

Jam porrò præter probata ſuperius hic breviter ex propriis ſuis maximis reflexiſtæ quique reducendi ſunt ad relinquendam probabilitatem contrariis opinionibus communem, & ad reſtringendas reflexas ad unam ſolam partem contradictionis, quæ ſola eſt de veritate.

Primò; quia ipſorum eſt maxima, peritis eſſe ſtandum; contrà verò imperitis. At evidens videtur, utrumque ſibi contradicentem non eſſe peritum ea in re; nam alteruter errat? errans autem in aliqua re non eſt in ea peritus: errans deinde eſt imperitus: alteruter ergo imperitus in ea re: ergo utrique ſtari poſſe eſt petito, & imperito ſtari poſſe.

Secundò; dicunt ſolam autoritatem hominis ſcientiæ, & conſcientiæ eſſe gravem, & facere probabile. At in omni contradictione eſt evidens, utrumque Autorem non eſſe ſcientiæ ea in re, ſed alterum ſolum ſcientiæ; errantem alterum. Ergo in utroque ſimul non eſt probabilitas, nec gravis autoritas. Et quod hic reponi poteſt, rejectum eſt *lib. ſuper.*

Tertiò; ſimiliter requirunt hominem pium, & doctum. At evidens eſt in omni contradictione in alterutro deeſſe doctrinam circa eam rem; nam evidens eſt, adeſſe ignorantiam, vel errorem: evidens rursùs, errorem, vel ignorantiam non non eſſe doctrinam.

Quartò requirunt prudentes, & prudentiam. At in omni contradictione alteruter fallitur: ergo alteruter ea in re caret prudentia; quæ eſt virtus intellectualis, & tam nequit falſum dicere; atque virtus moralis nequit peccatum operari, & juſtitia injuſtitiam.

Quintò; quia omnes dicunt, illis autoritatibus, illis rationibus ſtari poſſe, quæ rem faciunt dignam aſſenſu, Imò prudenti aſſenſu: idcirco in dictis mentientium, ignorantiam, intelligentium, levium, ſophiſtarum &c. fundere non poſſumus operationes noſtras. At ex communiori Suarez, Vaſquez, Sanchez, Leſſii, Layman, Breſſeri, Conimbricenſium, Comitoli, ac Eminentiſſimi Pallavicini vera ſententia, numquam intellectui proponitur ut digna aſſenſu utraque pars contradictionis nec in ſenſu diviſo, & diviſivè, ſed vel neutra, vel unica. Numquam ergo utraque vel eſt, vel nobis proponitur ut digna aſſenſu.

Ex his de novo conſtat quinquies majorem illam ſyllogiſmi reflexi in ſenſu arguentium eſſe manifeſtè falſam, ad quam intereà tanquam ad primùm principium volunt reſolvere totam vitam Chriſtianam.

Tenemur ergo in omni contradictione partem eam quærere, quæ eſt digna aſſenſu; hoc autem habetur per connexionem cum veritate; veritas quippe unica totum momentum, & pretium eſt reſpectu intellectus; cætera dicere: eſt aliena dicere: connexio cum veritate minima omnium eſt illa de *fere ſemper*: reliqua infra hoc non reddunt rem dignam aſſenſu, ut fuit oſtenſum. Habetur ergo, hos ſyllogiſmos reflexos valere poſſe de noſtra probabilitate: cæteras omnes probabilitates, ſicut directè procedendo nihil ſufficiunt, ita per reflexas roboris accipere nihil.

§. II.

Defectus propoſiti ſyllogiſmi reflexi.

SYllogiſmus erat: omne probabile eſt licitum: hoc eſt probabile: ergo licitum; vel formetur quocumque alio modo. Ponimus, iſtum ſyllogiſmum, & ſimiles omnes eſſe inutiles, & inſufficientes pro ſcopo ſuo.

Aſſumamus majorem *Omne probabile eſt licitum*: τὸ *probabile* ſubindicat aliud, & eſt in ſyllogiſmo relativum; nam ſignificat omne probabile eſſe, vel non eſſe; id eſt omne quod eſt probabile, non eſſe peccatum, vel non eſſe malum, vel eſſe bonum. Nam dicenti omne probabile quæritur; *quid probabile*; & ſi intelligeretur omne probabile ferrum, eſſet inepta, & fatua propoſitio; ſi intelligeretur omne probabile malum eſt licitum; eſſet incongrua, vel repugnans propoſitio; nam eſſe probabile malum nihil confert ad licitum; imò præfert repugnantiam.

Senſus ergo eſt: omne probabile eſt licitum; id eſt, omne illud, de cujus non malitia eſt opinio probabilis, eſt licitum; ſeu brevius: omne probabiliter non malum eſt licitum. Et hic eſt ſenſus prætenſus reflexiſtarum.

Formemus itaque ſyllogiſmum clarum; qui ſua claritate detegat ſuum virium. Omne probabiliter non malum eſt licitum: hic contractus eſt probabiliter non malus: ergo hic contractus eſt licitus.

Jam ſyllogiſmus ſecum affert ſuam diſtinctionem ſic omne probabiliter non malum eſt licitum: diſtinguo: eſt licitum, ſicut eſt non malum, id eſt, probabiliter, & probabiliter, concedo: eſt magis, aut aliter licitum, & aliter non malum, nego. Et transmiſſa minori: diſtinguo conſequens: ergo hic contractus eſt probabiliter licitus, concedo: plus, aut aliter, nego.

Dicis, latius patere licitum, quàm non malum, & ex probabiliter non malo ſequi ſine addito licitum, & certò licitum, & abſolutè licitum. Verùm nobis videtur, cauſam tuam in hac reflexa lite tam videri malam, atque viſa fuerat in diſputatione directa.

A contrario ergo uſurpo propoſitiones, quæ videntur honeſtiores, & meliores; ſic, & in tantum, rem unamquam eſſe licitam; in quantum non eſt illicita: in tantum rursùs non eſſe illicitam, in quantum non eſt mala; in quantum non eſt contra legem. Etenim licitum ponitur per ablationem illiciti; illicitum tollitur per ablationem mali, & malitiæ: malitia, & malum tolluntur per conformitatem ad regulam. Ideò ſupra habitum eſt, in tantum, & nihil plus, aut minus ſcire quem poſſe, ſe benè, & licitè operari, in quantum ſcit, ſe non agere contra legem, ſeu ſe non violare re ipſa legem. Ergo eſt prædicandum in propoſitione majori licitum, ſicut aſſumitur non malum: ergo non eſt dicendum, omne probabiliter non malum eſt licitum; ſed omne probabiliter non malum eſt probabiliter licitum; & ſimiliter in conſequenti.

Jam cum hac diſtinctione nunquam per reflexas perveniens ad ſcopum, ſcilicet operandi. Habes enim hanc conſequenriam: *Ergo hic contractus eſt probabiliter licitus.* Indiges alia univerſali ad formandam conſcientiam, quam univerſalem ſemper nos diſtinguemus per probabile, & probabiliter. Aſſumis itaque; hic contractus eſt probabiliter licitus: ſed omne probabiliter licitum eſt licitum. Nam hanc diſtinguimus; omne probabiliter licitum eſt probabiliter licirum, concedo, & eſt nugaroria propoſitio: omne probabiliter licitum eſt certò licitum, eſt ſimplicitet licitum loquendo de tua probabilitate, nego. Et cogo te vel ad ſyllogizandum ſine fine, vel ad diſputationem directam, certè ad non adeò reflexam, quam ſuperius habuimus, quæ ſcilicet, & qualis probabilitas requiratur, & ſufficiat pro conſcientia.

Omitto alium defectum horum ſyllogiſmorum; proſequi: quia multi ignorant regulas logicæ. Defectus autem eſt, quod cum concluſio conſclentiæ debeat eſſe de operatione noſtra ſingulari, & primò intentionaliter ſumpta: præmiſſæ autem ſint reflexæ, & de ſecundis intentionibus, & de operatione ut ſubeſt opinioni probabili; ſequitur, quod terminus *operatio* variet ſuppoſitionem, & jam ſimpliciter, jam perſonaliter ſupponat: ſicut in vulgari ſyllogiſmo appatentiſſimo, & qui ignorantibus videretur evidentiſſimus. *Homo eſt ſpecies; Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt ſpecies.* Totus defectus eſt, quod terminus *homo* variat ſuppoſitionem, & de ſecundis intentionibus ſaltatur ad primas. At in præſenti ſyllogiſmo incipiunt per teflexas: reflexas autem pertinere ad ſecundas intentiones, nemo ignorat. Finitur autem in concluſione conſcientiæ, quæ non eſt de ſecundis intentionibus, ut patet, ſaltandum eſt ergo, & varianda ſuppoſitio.

QUÆSTIO X.

Vtrum ergo illis, qui hiſtoriam ſolum opinionum norunt, nec quidquam de illa conformitate, vel difformitate cum lege judicando conſulunt, vel operantur, ſit voluntaria, & imputablis transgeſſio legis? nec ſequatur violatio materialis, ſed formalis?

IAm ſuperius quæſtionem aliam tractavi cum iſta connexam, in qua hujus hiſtoriæ, & hiſtoricorum inſufficientiam; & ipſius Moralis Theologiæ, atque Theologorum neceſſitatem commonſtravi ex ſenſu Regnorum, & Theologorum, communi. Nam quilibet quodcumque genus probabilitatis pro regula conſcientiæ ſufficere dicentes, interea omnes diſtinguunt inter opiniones, & opiniones; inter fun damenta, & fundamenta; inter Autores, & Autores: tequirunt gravia omnia, requirunt ſolida: excludunt levia, excludunt ſuperficialia, antiquata, evidenter impugnata. Hæc autem judicari, & diſcerni nequeunt per hiſtoriam, ſed cuncta pertinent ad judicium, & Tribunal ipſius Theologiæ moralis purè doctrinaliter: poteſtativè doctrinaliter ad ſuperiores. Quarè hanc puram hiſtoriam, hos puros hiſtoticos reflexos opinionum non ſufficere, eo loci commonſtratum ſuppono.

Nunc quæro, an illis, dum hiſtotiam iſtam uſurpant pro tegula operandi, vel conſulendi, quin dictamen forment de ſua reali conformitate cum lege, & voluntate Dei, tam ipſa violatio materialis, cum contingit, ſit voluntaria, & imputabilis, quam etiam ſit culpa velle ſic operari, vel conſulere?

Jam ex dictis per antecedentes quæſtiones habetur manifeſtè, & ſequitur, omnes ita operantes, aur conſulentes peccare, tum quia volunt pro tegula uſurpate aliquid iudependens à prima tegula, rum quia violationes ipſæ materiales ſequentes ſunt prævîſæ, volitæ indeterminatè; & ſic ſunt formales, & minimè ſolùm materiales, quæ locum non habent in volitis, ſed ſolum in involuntariis, & ſic nec indeterminatè prævîſis: & propter alia multa in ſuperioribus ſancita. Exitus autem per appellationes ad poſſeſſionem libertatis, ad prudentes, ad non promulgationem legis occluſi ſunt omnes.

Quia tamen res hæc graviſſima eſt, ut hiſtorici, ſi qui ſunt, à Doctoribus de ſua obligatione inſtituantur, coganturque laborare, & ſtudere & humiliter doctiores conſulete, ut in artibus mechanici omnibus imperiti quique peritos conſulunt, viſum eſt pro rei gravitate addere alia.

§. I.

De periculo ſic operantium, aut conſulentium.

HI puri hiſtorici opinionum, qui nec judicant, nec judicare poſſunr, an quod dicunt, ſit re ipſa bonum, aut malum, an te ipſa juxta, an contra ſanctam legem Dei loquantur, illi ipſi eſſe videntur, quos proponit, & damnat Paulus Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 1. *volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque affirmat.* Sermo ille totus eſt de doctrina morum. Textum declaret S. Thomas, ſi tamen indiget declaratione: *Volentes eſſe* &c. *ponitur conditio falſa docentium; & primò inordinata ambitio ſecundò profectus eorum. Volenres eſſe: Matth. 23. amant primos recubitus in cœnis, & vocari ab hominibus Rabbi: Jacobi 3. nolite plures Magiſtri fieri. Quantum ad ſecundum dicit, non intelligentes Pſalm 81. neſcierunt, neque intellexerunt, &c. neque quæ loquuntur, autoritates, quas non intelligunt, neque de quibus affirmant, ſcilicen concludendo.* Hæc S. Doctor.

Nam purus hiſtoricus dicit, hoc non eſſe uſuram, hoc aliud non eſſe ſimoniam: hunc non teneri ad reſtitutionem, teneri illum alium: ipſe autem iſta per ſe ipſum nihil intelligit, nec ſcientiam, ut ſupponimus, habet ipſarum uſurarum aut ſimoniæ, aut juſtitiæ, & juris ſed ſolum ſcit, eſſe Autorem ita dicentem: an autem rectè dicat, vel ſecus, ipſe neſcit, quin aliquando quis ſit Autor, vel cujus gentis, nec quid, aut qua approbatione ſcripſerit, ignorat, & ſolum legit citatum in ſumma aliqua.

Hac ſanè in re ad conſiderandum vel unus Auguſtinus coget, ſi quis ſit Auguſtinus, non omnino ignoratur, Ergo *ſerm.* 112. de tempore qui

eſt

eſt de ſtudio ſapientiæ, & meditatione legis Dei, poſt ia ſic.

Omnes planè ſcripturæ ſanctæ ad noſtram ſalutem ſcriptæ ſunt, ut proficiamus in eis in veritatis agnitionem. Sæpiùs cæcus offendit; quàm videns: ſic ignorans legem Dei ſæpiùs ignoranter peccat, quàm ille qui ſcit. Sicut cæcus ſine ductore, ſic homo ſine Doctore rectam viam vix graditur. Et ideò, fratres chariſſimi, quicumque ex vobis lectiones ſacras legere, & intelligere poſſunt, in his ſtudium impendant, ut earum frequenter meditatione utantur: qui verò ſenſum locutionis non poſſunt percipere, attentius audiant interpretantem. Omnis porrò non potens judicare, an re ipſa detur lex Dei, an non detur, ignorat re ipſa legem Dei; ſicut ego ignoro, quot ſint arenæ maris, & an pares, vel impares, quandiu de hoc nullum judicium formare poſſem: & cognoſcere ſanè legem Dei eſt ſcire, an eà detur, vel non detur. Si ergo ignorans legem Dei non ſolum peccat, ſed ſæpius etiam (ſaltem cæteris paribus) ex Auguſtino peccat, quam ſciens, quid erit de aſſumentibus univerſaliſſimam quandam hiſtoricam viam, per quam numquam in particulari ſcitur, quid re ipſa Deus velit, & jubeat, vel non jubeat. Hoc ipſum eſt prætereà velle ſæpè, quantum ad ipſos attinet, conſulere re ipſa contra legem Dei: quod eſt nefas, ut ſupra eſt habitum. *Itaque omni diligentia* (ſubdit Auguſtinus) *ſtudere, ut cognoſcatis voluntatem Dei*, ne ſcilicet eam neſciendo ſæpius peccemus, quam ſcientes: tenetur proindè, qui rectam viam legis. & voluntatis Dei per ſe ipſum judicare non poteſt, Ductorem, & Doctorem quærere, qui eam ſciat; eſt alioqui *ſicut cæcus ſine ductore.*

Illud autem notandum non erat, quod toties eſt repulſum, ſcire, & cognoſcere probabilitatem legis, vel non legis, quæ non ſufficit ad judicium, & conſcientiam formandam de ipſa lege, vel non lege, non eſſe cognoſcere ipſam legem, & voluntarem Dei, ut patet. Hæc autem lex, hæc Dei voluntas eſt noſtra regula. Eſt ergo velle operari, vel conſulere non cognoſcendo regulam ipſam.

Huc & illa ſpectant, quæ 38. *diſtinct. cap.* 1. tanta univerſalitate ac pondere dicuntur: *Ignorantia mater cunctorum errorum:* & *cap.* 5. *valde periculoſæ ſunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Non unus dixit* (reflectit Auguſtinus) *ſed ambo.* In Evangelio quidem univerſalia ſunt, & ad Judæos tunc temporis magis pertinentia, ſed Chriſtianis etiam conſignanda: in Decreto, & in Auguſtino ad nos præſertim Chriſtianos ſermo dirigitur. At innegabile videtur viam, ad quam ſimilitudine cæci inducta alluditur, ambulandi ſcilicet ad ſalutem eſſe legem Dei; hi enim ſunt beati, qui ambulant in lege Domini: contra qui eam neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: ſicut innegabile eſt, legem Dei; & voluntatem eſſe regulam rectè vivendi. Ergo ſermo ille pertinet ad eos, qui judicare omninò non poſſunt, nec conſcientiam formare, an quod agere volunt, aut conſulunt, ſit re ipſa juxta, an contra, an præter voluntatem Dei, & omninò caſualiter, ſicut ſors ſe habet ad voluntatem Dei, & ad contrarium;.

Conſpicitur hoc ipſo inducto exemplo cæcus pro Ductore aſſumeret aliquem, de quo nec credere, nec judicare poſſet, nec dictamen formare, an ille rectum iter ſciret, an potius contrarium, an ducturus eò eſſet, quò ire deſiderat, an in foveam, & ſic rebus hinc & inde ſtantibus neutrum potens determinare, eum nihilominus Ductorem acciperet; profectò eſſet ille temerarius, & ſive erraret, ſive caderet in foveam, non eſſet excuſabilis; & omnia ipſi imputarentur. Sic autem ſe habet lex Dei, ſicut recta via, & violatio legis, ſicut cadere in foveam. Qui ergo hiſtoriam, vel quidlibet aliud pro ductore viæ uſurpat, quin judicare poſſit, nec formare dictamen, an re ipſa ſecundum legem ducendus ſit, an in violationem, ultrò, & voluntariè errat, & in foveam cadit. Dicis, non eſſe ſimile de cæco, & via, ſed ab Evangelio inducitur. Dicis multum intereſſe, re ipſa errare in via, & in foveam cadere; non ita re ipſa violare legem Dei, & mandata ejus. Sed hoc dicens, cum aliis non mecum contendat. Jam ergo nihil ſcire velle, nec quærere legem Dei, nullum eſſet peccatum, quia ſola ſequetur violatio materialis, quæ non multum intereſt, neque per illam ullus homo occiditur. Dicis: jam tunc violatio materialis fiet voluntaria, & ſcelus magnum. Infero: jam ergo multum intereſt, plusquam cadere in foveam, ſi violatio materialis fiat voluntaria, & imputabilis. At hiſtorico noſtro ſic eſt voluntaria; & imputabilis violatio materialis, ſicut cæco noſtro fuit voluntarium, & imputabile errare, & in foveam cadere: neſciens enim, an erraturus eſſet vel non erraturus: caſurus in foveam, vel non caſurus; cæcus noſter aſſumpſit Ductorem illum, & ſecutus eſt; & hiſtoricus noſter aſſumpſit ſimiliter ſuam vel hiſtoriam, vel opinionem, neſciens prorsùs, an eam ſequendo re ipſa violaturus eſſet, an non, legem ſanctam Dei; & tamen ſequi voluit.

Graviter ſanè, & Chriſtianè hoc circa diſſerit *tract. de legib. cap.* 21. Guillelmus Pariſienſis, cujus illa inter alias magna laus, quod vir ille Dei Joannes de Avila tantopere ipſum commendaverit pro doctrina ſalutari, hoc eſt, pro doctrina ſana, pro doctrina ſalutis, & ſpiritua, ſeu ſpirituali (ſunt quippe ſynonima) comparanda.

(Si enim volens ambulare (ait) corporaliter, nollet prævidere viæ ipſius diſcrimina, videlicet offendicula, præcipitia, & alia, quæ oculis corporis videri, & prævideri poſſunt, ſed magis clauſis oculis, aut diverſis à via, vellet incedere, quidquid ei mali, hoc eſt, offenſionis, vel caſus eveniret, juſtiſſimè ipſi imputari poſſet, &c. & iſte eſt communis omnium animarum conceptio. Similiter; imò multò fortius in via morum ſe habere neceſſe eſt.) Hæc ille. At omnia offendicula, & præcipitia viæ morum reſolvuntur ad violandam legem Dei: hiſtoricus autem noſter non ſolum in ſingulis non vult advertere, & cognoſcere, an tunc; & in eo violet, vel non violet re ipſa legem Dei, ſed ſibi ſumit univerſalem quandam hiſtoricam regulam, quæ ſic ſe habeat ad violare, ſicut ad non violare, & fortè ſemper re ipſa violabit, fortè nunquam ſicut in cæco illo: quoad ipſum tamen omnia ſunt caſualia: & rursùs in ſingulis videt in conſpectu violationem legis in ſe, & non violationem non magis unam, quam alteram: & tamen vult ambulare. Ergo quidquid offenſionis, vel caſus, vel violationis evenerit, ipſi imputabitur.

Confirmatur, Citò, & leviter credens, juxta

omnes

omnes eſt imprudens, & reprehenſibilis; & ſi quod malum incurrat, ipſi imputatur: ergo multo magis imprudens, & reprehenſibilis erit, qui fundamenta vel probabilitatem, vel hiſtoriam, ſequitur, cui non ſolùm leviter credit, ſed cui nec leviter quidem credere poteſt, & ſi quod malum incurrat, ipſi imputabitur. Sic autem eſt in caſu noſtro; nam conſultor noſter hiſtoricus videt opiniones, vel probabilitates atteſtantes conſtantes contractum non eſſe contra legem Dei; quia ipſe videt, vel contrarium ab aliis atteſtatum, vel quia de fundamentis adductis judicare nihil poteſt ipſe prorſùs neſcie, an opinio, vel probabilitas verum atteſtetur, an falſum imò nec ſuſpicari magis veritatem poteſt, quam falſitatem: ergo credere nullo modo poteſt, ut latius conſtat ex appendice. Ergo imprudens, & reprehenſibilis eſt, & cuncta ipſi imputantur.

Ais: conſultor hiſtoricus credere quidem nequit, contractum re ipſa non eſſe contra legem Dei; credit autem, ſe non peccare. Verum hoc repulſum eſt per dicta omnia: eſt enim illud de malitia materiali, & non formali: oſtenſum eſt ergo, omnem malitiam imputabilem eſſe formalem. Nunc porrò exemplo cæci, leviter credentis commonſtrata eſt de novo imputabilitas, & voluntarietas. Ergo commonſtratum eſt, te peccare. Peccare itaque aliud non eſt, quam imputabiliter, voluntariò, & liberè violare re ipſa legem Dei: & ſicut violare: ſi violare eſt purè materialiter, id eſt, ſine voluntate, eſt etiam peccare purè materialiter: & voluntariè violare eſt formaliter peccare. Citò, & leviter credens voluntariè violat. Magis ergo multo nullatenus credere potens.

Hæc regula ſervatur in humanis omnibus, & omnes ex conceptione naturali eam in rebus, negotiisque ſuis ſervatam volunt; ſic minus offenduntur. Relinquamus voces omnes probabilitatis, vel hiſtoriæ, vel prudentiæ, &c. de quibus dictum eſt; & ſupponendo; in vocibus, & verbis nullum eſſe privilegium, nec virtutem, veniamus ad rem ipſam in famulis v. g. vel amicis. Qui eam ſibi in famulatu, vel amicitia uſurparet regulam, (quocumque illa vocaretur nomine) per quam non magis re ipſa faceret voluntatem Domini, vel amici, quam contrarium, eſſet indignus amicus, & famulus; nec eſſet excuſabilis in transgreſſionibus: & offenderetur Dominus, & amicus: quia ſic agere eſt contra ipſum lumen naturæ de famulatu, & amicitia: amicus enim & famulus debent magis re ipſa facere juxta voluntatem amici, & Domini, quam contra; & ideò ad eam cognoſcendam obligantur.

Cur ergo in famulis, & ſervis non fit diſtinctio violationis materialis, & formalis? dicitur de famulo, eum neſcire quidem in ſingulis, & in omnibus, quæ ſit re ipſa voluntate Domini; an juxta, an contra eam operetur: eum nihilominus optimum eſſe famulum, quia ſcit, quod intereſt, ſe ſcilicet rectè gerere: violationem autem ipſam voluntatis Domini in ſe eſſe purè materialem, & intereſſe nihil; modò famulum ipſum non reddat reprehenſibilem, ac vituperabilem? Cur iſta in humanis non diſtinguantur? Quod ſi nemo eſt mortalium Dominorum, amicorum nemo qui hanc amicitiæ, & ſervitutis, legem admittat, & omnes volunt, & juſtè volunt, ſervum operari re ipſa juxta voluntatem ſuam in pertinentibus ad famulatum, & amicum operari re ipſa juxta voluntatem amici in pertinentibus ad amicitiam; & hoc à natura eſt omnibus inſitum: quid leges amicitiæ, & ſervitutis cum Deo noſtro non tenere volumus?

Deus miſericors eſt, inquis, & diſpenſavit in hoc, & parum curat, an juxta, an contra ipſius voluntatem, & legem re ipſa operemur, vel non. Enim verò univerſa ſancta ſcriptura repugnat, & conſulta contrarium reſpondet, & ut quilibet accepto libro, quem concordantias vocamus, videre poteſt; nihil magis inculcat, quam fieri voluntatem ſuam, quam cuſtodiri legem ſuam, ſervari ſermones, ſervari præcepta: illa utique, quæ re ipſa dedit. Quid alioquin legem fecit. Deus itaque glorioſus ſicut non in eo diſpenſavit, quod amici, quod ſervi ejus eſſemus; ſic nec diſpenſavit in pertinentibus ex naturæ ipſo lumine ad legem boni amici, boni ſervi. Ipſe porrò, qui nos non fallit, ſic dicit Lucæ 12. *Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparavit, nec fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Sic planè diſpenſavit.

§. II.

Ulterior doctrinæ confirmatio.

REm adeò univerſalem modis omnibus ſtabilire, atque declarare, conſultum eſt. Ex indicatis itaque de facienda voluntate Dei de ſervanda lege Dei, hæc præpoſitio videtur innegabiliter accipi, ſic, & non minùs nos teneri ad faciendam re ipſa voluntatem præceptivam Dei, ad non violandam re ipſa legem Dei; ſicut tenemur ad non occidendum, ad non adulterandum, & ad reliqua Decalogi; ideò tenemur ad iſta, quia tenemur ad illa. Si hæc In terminis propoſitio negata fuerit, quod non credo, obvium eſt eam ſtabilire irrefragabili autoritate. Jam ergo infero: ergo cæteris ſervatis paribus de voluntarietate, & libertate, ſic peccar non faciens re ipſa voluntatem præceptivam Dei, & violans re ipſa legem Dei, ſicut qui occidit, qui adulterat; quin in his ideò peccat, quia non facit re ipſa voluntatem præceptivam Dei, & qui violat re ipſa legem Dei; & ideò ſi non eſſet prohibitio, non eſſet peccatum ſaltem Theologicè tale ex vera ſententia: ſed quidquid ſit de hoc, illud videtur innegabile, quod iutulimus, ſic cæteris ſervatis paribus, eſſe peccatum non facere re ipſa voluntatem præceptivam Dei, ſicut occidere, mœchari, &c.

At in caſu noſtro de operante, vel conſulente per puram opinionum hiſtoriam, ſi quis non potens formare judicium, & dictamen, an actio ſua re ipſa occiſura ſit, vel non ſit occiſura hominem, quia rebus undique omnibus conſideratis, non habet, unde ſibi perſuadeat unum præ alio, nihilominus actionem exercere vellet, reus eſſet homicidii, & peccatet, (niſi autoritate publica occidere liceret) v.g. ſi in illa contingentia, & probabilitate quod fera ſit, vel homo, ſagittam projiceret, vel ſaxum ex tecto in plateam publicá, per quam probabile eſt tunc tranſire aliquem, Ergo peccat in ſimili omnino, imo eodem caſu operans, quin judicare poſſit, ante ipſa operatio

ratio ſua violatura ſit, vel non ſit violatura legem Dei.

Hinc ergo cernitur, quod contraria exiſtimatio nata videatur ex inconſideratione, quod parui videatur intereſſe, an violetur re ipſa lex Dei, vel non violetur; modò ex violatione materiali non oriatur aliquod damnum temporale, ut eſt homicidium, & ablatio rei alienæ, ſimilia: quarè de hoc rerum genere aliter aliqui philoſophati ſunt, & decreverunt.

Cæterùm hoc non ita eſt; quia lex Dei non ideò obligat, quia per illam vitantur mala temporalia, vel etiam ſpiritualia proximi, ſed quia lex Dei eſt; & illius violatio ex ſe, & ſeorſim ab omni alio præjudicio eſt malum, & peccatum grave. Ergo obligamur ad illam re ipſa non violandam, ſicut obligamur ad re ipſa non occidendum. Ergo id ſolum excuſat in violatione, quod excuſat in homicidio; ſcilicet unica, & ſola ignorantia invincibilis. Hanc autem non habet, qui indifferenter videns, & prævidens violationem, & non violationem, vult nihilominus operari, ut cernitur exemplo homicidii; & exemplo omnium aliarum actionum materialium adulterii, teſtimonii falſi, periurii, &c. nam iſta indifferenter cognoſcenti, & amanti ſemper imputantur ad culpam; ergo dummodò iſta indifferentia non tollitur, quodcumque aliud agatur, ut caſu noſtro, ſemper habetur violatio indifferenter prævìſa, & ſic amata, & volita legis Dei: quod eſt manifeſtè peccatum.

Tota res hæc videtur deciſa, & determinata *Deuteron.* 17. Textus eſt notus, & celebris pro Autoritate ſummi Pontificis: ſed utinam omnes vellent illi ſaltem acquieſcere. Affertur pro doctrina morum. Nos inde nunc haud arguimus pro autoritate ſummi Pontificis, ſed ad probandum, ſtante illa contingentia veritatis, & legis Dei non licere operari id, in quo cernitur eſſe illam contingentiam, caſualitatem, & probabilitatem: ſatis enim conſueto ſermone contingentia vocamus probabilia probabile eſſe hunc, vel illum fore Proregem, Cardinalem, Papam, & multis concurrentibus dicimus de unoquolibet eſſe probabile: non quidem dicimus fore, ſed probabile eſſe: ſicut in re noſtra, probabile eſſe legem non dari; non tamen dicimus, eam non eſſe, id eſt, re ipſa non eſſe.

Textus ergo eſt: (*Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem; cauſam, & cauſam; lepram, & non lepram; & judicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore quæresque ab eis, qui judicabunt judicii veritatem. Et facies, quodcumque dixerunt, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: ſequerisque ſententiam eorum; neque declinabis ad dexteram neq; ad ſiniſtram.*)

Ex hoc loco inter alia colligi ſolet, Confeſſarios teneri ad cognoſcendas ſpecies peccatorum, eorumque differentias vel forma ſcholaſtica, vel alia; ad diſcernendum item inter peccatum mortale, & veniale, & inter peccatum, & non peccatum, quæ eſt communis ſententia Theologorum: & eadem eſt ratio de conſultoribus conſcientiæ.

Primò cernitur, non ſufficere rem aliquam eſſe difficilem, ex qua difficultate redditur ambigua, apud nos contingens, & neutra: non ergo ſufficit habere utrinque rationes, imò difficiles rationes; res enim, & judicium ſeu judicare eſt, & redditur difficile ex difficultate rationum utrinque concurrentium; & res vel omni carens ratione, vel leves habens rationes, nec implexa dici ſolet.

Secundò, qui caſus ad litteram noſtrorum hiſtoricorum videtur eſſe, cernitur, non ſufficere habere verba contraria, & varia Judicum, & illis etiam in rebus ex officio verſatorum hominum dicentium eſſe lepram, & non eſſe lepram: quia per hæc non habetur veritas: quærendum proindè eſſe judicii veritatem. Si autem probabilitas illa, & contingentia variatum Judicium ſatis excuſaret, nihil neceſſe eſſet ulteriùs quærere judicii veritatem: per id enim ſemper haberetur violatio materialis ſine formanti.

Ut itaque ſententia Theologorum tenet, neceſſe eſt, ut Confeſſor & Conſultor diſcernere poſſit inter mortale, & veniale, id eſt uno verbo, ut agnoſcat bonum, & malum, nec bonum malum bonum, nec leve malum putet grave, vel è contra, ſed agnoſcat, & diſtinguat inter cauſam, & cauſam; inter lepram, & non lepram. Hoc autem facere non poteſt per ſolam hiſtoriam ſi judicare ulterius non poteſt de cauſa ipſa, de lepra ipſa, de re ipſa propoſita; nam hiſtoria ſolum dicit, dari opinionem, vel Autorem dicentem, eam non eſſe lepram, eam cauſam ſic ſe habere; ſed quoniam opiniones, & Autores variant, ſicut in textu Judices, & alii dicunt eſſe lepram, alii non eſſe; alii rem eſſe malam, alii bonam, non poteſt inter cauſam, & cauſam judicare, nec inter lepram, & non lepram diſtinguere: ergo debet dicere rem apud ipſum eſſe ambiguam, & difficilem; & vel ipſe per ſe alios diſcernere potentes conſulere, vel operaturum ipſum ad alios remittere, quandiù judicium veritatis non habetur vel per medium certum, vel ſaltem per probabilitatem realem, & poſitivam jam ſuperius declaratam, non licet id conſulere, vel operari, de quo judicari non poteſt, an ſit lepra, vel non; an ſit malum, vel non.

Quod autem nihil conſcientiam formando circa rem ipſam, & propoſitam cauſam, v. g. contractum, ſeparare velint cauſam peccati, jam ſatis exploſum eſt. Nunc ex adducto loco id conſtat; quia obligatur ille habens difficile aliquid, & ambiguum non ſiſtere in verbis variantium Judicum: nequit ergo per verba ſic variantia opinionum, vel Autorum ſatis judicare inter cauſam, & cauſam. Abſolutè verò oſtenſum eſt, judicium de peccare, vel non peccare non poſſe fieri independenter à judicio de bono, & malo re ipſa, à judicio lepræ, & non lepræ re ipſa, à judicio de lege, vel non lege re ipſa.

Itaque illi, qui ſolam hiſtoriam opinionum norunt, nec de cauſis ipſis ipſi per ſe judicare ſufficiunt, debent ſequi Auguſtini doctrinam: *Qui verò ſenſum lectionis ſacræ ex lectione non poſſunt percipere, attentiùs interpretantem audiant*: Sermo Auguſtino erat circa legem Dei. In hunc finem in ſacris religionibus habentur ſingulis hebdomadis collationes caſuum conſcientiæ, quibus interſunt, qui intra, vel extra confeſſionem caſus reſolvunt. In eundem finem examen præmittitur, ut ab Ordinariis

nariis facultas concedatur confeſſiones audiendi. Quam tantum Eccleſiæ, & Epiſcoporum, & Superiorum curam de re levi eſſe exiſtimare, & artes omnes etiam mechanicas diligentiam, ſtudium, & peritiam requirere; hanc ſolam artem omnium ſummam in cœlum animas dirigendi, oves Chriſti ſana doctrina paſcendi ſufficere quidlibet: Ariſtotelem nec dignos quidem ſuæ moralis ſcientiæ diſcipulos habuiſſe juvenes, & paſſionum ſectatores, quæ perturbant veritatis judicium; pro tota autem morali Theologia, ac doctrina morum brevem quandam hiſtoricam memoriam ſufficere. Vix equidem credo, ſeriò, & conſideratè à quoquam dicendum.

Quod ſi aliquis erit, eum repellat magnus Gregorius. Abſcondit ſe ne Pontifex fieret, de quo ab aliquo fratrum, benignè tamen, ac humiliter reprehenſus, cauſas ſui conſilii proſequitur in libro quadripartito de cura Paſtorali: ſtatim autem in ipſo prologo: *ſed quia ſunt* (ait) *plerique mihi imperitia ſimiles, qui dum mentiri ſe neſciunt, quæ non didicerunt, docere concupiſcunt, qui pondus Magiſterii tantò levius æſtimant, quantò vim magnitudinis illius ignorant, ab ipſo libri hujus reprehenduntur exordio, ut qui indocti, ac præcipites doctrinæ arcem appetunt, à præcipitationis ſuæ auſibus in ipſa locutionis noſtræ janua repellantur.* Mentiuntur itaque, dum mentiri ſe neſciunt, quoties malum dicunt bonum, & vice verſa, & licitum, quod re vera eſt prohibitum & malum.

QUÆSTIO X.

Utrum ergo magis ſit voluntaria transgreſſio illis, qui contra opinionem propriam ſpeculativè, & practicè talem operantur, vel conſulunt?

§. I.

Declaratio quæſtionis.

DIco *contra propriam opinionem*: id eſt, eam tenendo, & in ſenſu compoſito: nam ſi deponatur, non eſt hujus loci. Dico *propriam*; non intelligo ſingularem ſui ipſius, & propriam quarto modo, nam tales opiniones plerunque ſaltem deponendæ forent: ſin verò deponi non poſſet pertinet etiam ad iſtam quæſtionem: propriam ergo opinionem eam voco, & vocamus, quam quis arbitratur veram.

Quæſivi rursùs *contra propriam opinionem ſpeculativè, & practicè propriam*, id eſt quam ſpeculativè, & practicè veram putat. At operis fermè exordio ex communi, & obvio ſenſu Autorum diſtinximus probabilitatem ſpeculativam, & practicam: verſatur illa circa rem ſecundum ſe, & in univerſali; practica circa rem in particulari, ſicut conſcientia, & ſic eſt circa rem ut hic, & nunc occurrentem ſub omnibus ſuis circumſtantiis. Similiter judicium, & opinio diſtingui poſſunt, licet opinio magis pertineat ad probabilitatem ſpeculativam, & rei in univerſali.

Poteſt ergo contingere, quod quis habeat opinionem de re in univerſali, & quod poſteà in particulari occurrat hic, & nunc circumſtantia aliqua particularis, quæ cogat variare in judicio practico ab opinione univerſali. Et tunc licet, imò teneri etiam poſſumus ad operandum contra opinionem propriam, ſcilicet de re ſecundum ſe, & in univerſali, vel etiam de re ſub omnibus circumſtantiis, quæ ferè ſemper illam rem comitari ſolent: imò id ita fieri; natura ipſa opinionis probabilis, probabilitatis ſecum trahit, ut eſt fusè explicatum ſuprà,

Atque hoc pacto, & in hoc ſenſu intelleximus ſententiam Patris Vaſquez, Sanchez, & communem aliorum: ita enim ſibi in omnibus concordant, dum tradunt licere operari, & conſulere contra propriam opinionem; & dum ſimul tenent, judicium practicum, id eſt de re in particulari, & nunc, debere concordare cum judicio ſpeculativo, quoties non adeſt ſpecialis ratio variandi, & diſcrepandi: autoritas quippè opinionis contrariæ ſimiliter faciebat, imò directè faciebat contra judicium ſpeculativum, & opinionem in univerſali; ſi ergo examinata illâ, contra eam tamen formavi judicium ſpeculativum, nulla ſpecialis ratio, vel autoritas occurrit pro diſcordando in judicio practico. Dictum etiam fuit lib. 1. niſi ita explicando, & intelligendo, eam ſententiam non poſſe habere ſenſum, & intellectum.

In quæſtione itaque non quærimus, utrum quis operari queat, quin ei imputetur transgreſſio; contra ſuam opinionem præciſè ſpeculativam, ſeu ſpeculativè talem, ſed addimus etiam *practicè talem*? id eſt, quando quis ita prorsùs judicat de re in particulari, & hic, nunc ſub omnibus occurrentibus, ſicut judicavit in univerſali, hoc genus contractus v. g. accipiendi aliquid propter moram ſolutionis eſſe uſurarium, & ſic contra legem Dei prohibentem uſuras: conſulit me hic, & nunc Mercator, an hoc genus contractus ſit uſurarium: & ego nihil inveniens ſpeciale in hoc homine, vel in hoc caſu periculi, undè aliter hic, & nunc judicare poſſim, judicio de hoc homine, & de hoc contractu mihi propoſito, ſicut judicavi in univerſali, eſſe uſurarium, & contra legem Dei: quæritur, an ſi ego ei reſpondeam, ſe licitè poſſe contrahere, ſit mihi voluntaria trangreſſio legis Dei contra uſuras? & ſimiliter ſi ego ipſe contrahere volo.

Similiter opinor ego, ſartores, & concionatores non deobligari à jejunio. Quærit à me ſartor, vel concionator, an ipſe teneatur hac quadrageſima jejunare. Nihil ego invenio ſpeciale, nec in hoc ſartore, nec in hoc concionatore, nec in hac quadrageſima: & proinde judico, & opinor de hoc particulari, ſicut de univerſali: repugnant enim affirmatio univerſalis, & negatio particularis ejuſdem ſecundum idem, ut conſtat ex Logica, & oſtenſum eſt *lib.* 1. & firmandum eſt de novo propter rei tantæ neceſſitatem maximam. Ponamus ad hanc quæſtionem, quod ita judico de hoc particulari, ſicut de univerſali, & ſic de hoc ſartore, & de hac quadrageſima, ſicut de ſartore, & de quadrageſima in univerſali. Quæritur, an ego conſultus reſpondere queam huic ſartori, eum non teneri? Vel ſi concionator ſum, poſſim non jejunare contra meam opinionem in univerſali, & in particulari? an violatio, & transgreſſio legis ſit mihi futura voluntaria & voluntariiſſima,

Sub his terminis de opinione univerſali, & parti-

particulari non invenio, qui dicat licere operari, vel conſulere contrà propriam opinionem. Nihilominus quia affirmabit forſitam aliquis, diſſerendum nonnihil duximus.

§. II.

Quid dicendum ex dictis.

SAtis per ſuperiora deciſum, oſtenſumque eſt, ei, qui ſic operaretur, vel conſuleret fore voluntariam, ac imputabilem transgreſſionem, ſi contingat: & rursùs peccatum eſſe huic periculo violationi prævisæ ſe exponere. A fortiori ergo voluntaria, ac imputabilis erat judicanti, & opinanti, id, quod agit, vel conſulit, eſſe re ipſa contra legem Dei; hic enim non ſolum indeterminatè, ſed judicio per opinionem determinante prævideri, violandam eſſe re ipſa legem Dei: non ergo erit transgreſſio, & violatio purè materialis, ſed formalis, & directè volita, & amata.

Rursùs hæc, & ſimilia ponuntur, & procedunt ex ſuppoſitione, ſupponunt enim, in utraque parte contradictionis, & in opinione mea, & in contradictoria reperiri ſimul probabilitatem conſcientiæ. Ar nos in ſuperioribus oſtendimus, probabilitatem non poſſe ſimul utrique contradictorio convenire; & fundamenta alterutrius partis ſemper eſſe & in ſe, & quoad nos ſaltem indeterminatè levia, & nunquam utraque ſimul gravia: eſt enim cuilibet evidenter notum, alterutra vel eſſe falſa, vel ſi vera ſint, non ſequi ullo modo concluſionem: quod ſuperius eſt declaratum, ac ſtabilitum. Ceſſant ergo illa, in quibus reflexæ iſtæ de operando, & conſulendo contra propriam opinionem fundari ſolent.

Rursùs quæcunque de virtutibus & de prudentia dicta ſunt, probant à fortiori hoc ipſum: ſi enim prudentia falſum dicere re ipſa non poteſt, nec dictare eſſe bonum, quod re ipſa malum eſt, minùs multò dictare poteſt bonum eſſe, quod tu ipſe malum re ipſa eſſe opináris, & affirmas; *nam opinio non inquiſitio, ſed enuntiatio jam eſt*, ait Ariſtoteles *6. Ethic. capite nono*, & paulo ante: *accedit, quod definitum* (id eſt, judicatum, & ſententiarum) *jam omne id eſt, opinio*; & hoc eſt evidens; alioqui nulla eſſet contradictio inter opiniones. Si ergo nihil definiens, nihil enuntians peccat, ut conſtat de hiſtorico ex *quæſt. præc.* & patet in dubitante, multò clarius peccat, qui opinans, & judicans tam in univerſali, quam in particulari, contractum, vel non jejunium eſſe contra legem Dei, vel Eccleſiæ, vult nihilominus contra operari, vel conſulere: vult enim voluntariò transgredi re ipſa legem, multò magis quam dubitans. Dicere autem: *Ergo quidem puto me re ipſa transgreſſurum legem; tamen id faciam, quin peccem*, eſt ſanè implicantia dicere; ut patet in occidente, adulterante, in cæco, & reliquis adductis *quæſt. præc.*

Evaſio vulgaris eſt: me opinantem non eſſe certum de veritate, ſed formidare, an fallar, & puto, fortè non eſſe uſuram, ſed contrarium. Sed hoc falſum eſſe, conſtat ex appendice: nemo enim cum enuntiatione de aliquo conjungere poteſt: *fortè fallor*; hoc enim dubitantium eſt. Deinde dicat utique, *fortè fallor*: dicet ergo: *fortè operatio mea erit re ipſa contra legem Dei.* Jam ergo ſemper devoro, volo, & amo violationem re ipſa: hæc ergo eſt volita, ſicut ab operante eum conſcientia dubia, & ſicut occidenti in ſimili eſt voluntaria occiſio, & ſunt voluntariæ omnes ſimiles actiones materiales. Itaque eadem videtur eſſe iſta quæſtio, atque ſi quæreres, utrum aliquis poſſit accedere ad eam, quam opinatur non eſſe ſuam, ſeu ſagittam projicere in animal, quod in corde ſuo per enuntiationem opinativam putat eſſe hominem?

Rursùs videtur eſſe in conſequentia, hinc exaltate opinionem probabilem, ut eam dicas rectam regulam morum; hinc ira eam diminuere ut contra eam & agere, & conſulere liceat, ipſa non depoſita, & in ſenſu compoſito. Ex terminis enim videtur manifeſtum, operari contra rectam regulam, & illi diſcordare non eſſe rectum, quod exemplo omnis rectæ regulæ conſpicitur: recta linea non eſt cujus contraria recta eſt; horologium rectum non eſt, cujus contrarium, & diſcordans rectum eſt: ergo operatio contrariæ rectæ regulæ recta non eſt: ſed per ſe opinio probabilis eſt recta regula: ergo ubi ea recta eſt, & non deficit, operatio illi contraria recta non eſt; idque non materialiter ſolum; ſed ſciens, & volens ab ea diſcordas.

Poſtremò; quia oſtenſum eſt, conſcientiam probabilem veram eſſe rectam conſcientiam: conſcientia autem recta obligat. Quod ſi contingat conſcientiam probabilem eſſe falſam, à me tamen putatur vera: quare ligat: & erit conſcientia erronea, ligans, & obligans. Conſtat enim ex omnium conſenſu, peccatum eſſe agere contra conſcientiam: judicium autem illud particulare probabile, quo hic, & nunc ego ego exiſtimo, legem Dei eſſe, quod ego hic, & nunc hoc faciam, hoc ipſum eſt judicium conſcientiæ, & conſcientia, & dictameu conſcientiæ. Quare S. Thom. *quæſt. 17. de verit. art. 4. in arg. 4. & in reſponſ.* ſupponit, conſcientiam probabilem obligare. Et in genere ejusdem rationis eſt ligare, & non ligatum oſtendere: & ideo ratio probabilis ſive errans, ſive non errans eodem modo ad conſcientiam ſe habent, eo ſolum diſcrimine, quod vera cauſet, vel conſtituat conſcientiam rectam, contra quam agere non licet; errans verò cauſet, vel conſtituat conſcientiam erroneam, quæ deponi poteſt, & debet etiam aliquando; quamdiu tamen manet, manifeſtius obligat, quam conſcientia.

§. III.

Comprobatio dictorum.

DE habentibus opinionem univerſalem, quod lex jejunii v. g. obliget ſartores; & quia nulla eſt ratio particularis; Idem in particulari judicantibus de hoc ſartore in hac quadrageſima; & tamen eum, & eodem jure alium, & alium à jejunio liberantibus, timeri poteſt, ne ipſis congruant ea *Pſalmi 19. Quoniam diminuta ſunt veritates à filiis hominum: vana locuti ſunt unusquisque ad proximum ſuum; labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.*

In corde enim habent, legem Eccleſiæ velle, ut ille, & ille jejunet; qui enim affirmat aliquid in corde ſuo, credit id ipſum in corde ſuo; opinans autem affirmat: ſi ergo contra reſpondet, in corde, & corde loquitur. Rursùs reſpondere etiam poſſunt juxta opinionem ſuam: hoc enim negat nemo: ergo alteri reſpondere poſſunt, eum tenere contrarium: & legem Dei redde-

re in uſum ſuum reſpondendo in uno corde amico, in alio non amico. Contra quos Ariſtoteles pridem dixit, illiberale quiddam eſſe veritatem; eſt enim de uno: quare via iſta de contradictoriis nequit eſſe via veritatis: Deus autem mandavit teſtimonia ſua, & veritatem ſuam nimis, Ubi urgent illa Hieronymi *lib. 8. Ezechiel. cap. 22. a juxt Hebraei, Graeciam, id eſt, Januam interpretari eſt, & non eſt: quod propriè refertur ad ſapientiam ſecularem:* Hoc eſt, ad ſapientiam ſaeculi, & mundi. Nam ſapientia coeli, & Chriſtiana *Matth.* 15. eſt illa; *ſit ſermo autem veſter, eſt, eſt; non non.*

Jam verò evaſio illa protrito eſt ſæpè: ego de lege in corde habeo, & credo, quod eſt, & quod re ipſa obligat: ita enim credo, & enuntio, ſi opinor; reſpondeo vero aliud, ſcilicet eum non peccare contra faciendo, quia eſt opinio in contrarium. Hoc inquam protritum eſt: ſic enim habeo in corde non peccatum; ſicut habeo non legem: ut fuit commonſtratum: & hæc ſunt inſeparabilia: at ego non obſtante opinione contraria in corde credo, & habeo, lex eſt comprehendens iſtum: ergo in corde habeo, iſte obligatur; nam lex obligat, quos comprehendit. Ideo inconſideratum eſſet, ſi diceres: ego quidem in corde credo, legem jejunii obligare, & comprehendere Concionatores; ut de te aliter judicem, nihil eſt ſpeciale: tamen tu contra eam faciendo non peccas. Hoc certè non poteſt, non ſolum opinans, ſed nec ipſe Romanus Pontifex efficere: poteſt quidem à lege jejunii iſtum eximere; at quod in lege comprehendatur, & includatur, & quod contra eam operando non peccat, nequit facere. Ergo opinio contraria, quæ iſtum in corde tuo à lege non excepit, ab obligatione, & peccato eximere non poteſt.

Totum porrò reducitur ad dicta; quod violatio legis ſit volita, & amata, non ſolùm in univerſali, quod ad voluntarium ſufficeret, ſed in ſpecie, & in particulari hic, & nunc. Ut autem hoc punctum de operantibus, vel conſulentibus contra propriam opinionem diſtinctius innoteſcat, & fortius veritas communiatur, diſtinctis quæſtionibus aliqua enodanda ſunt, quæ eò pertinent.

QUÆSTIO XII.

Utrum ergo is, qui contra aliquam autoritatem opinatur, & judicat in univerſali, poſſit propter illam aliter judicare in particulari.

HÆc quæſtio ad eandem cum præcedente materiam, illiusque majorem declarationem, & confirmationem dirigitur. Quid potrò in hac controverſia nobis in terminis reſpondendum ſit, prorsùs ignoro: hæc enim ipſa ego quoque ipſe dicebam aliquando, poſſe ſcilicet quem & operari, & conſulere contra propriam opinionem: quid autem in mente tunc mea haberem, omninò non aſſequor.

§. I.

Declaratio quæſtionis.

DUpliciter enim intendi, & dici poteſt, licere operari, vel conſulere contra propriam opinionem v. g. in contractu, (quem ego opinor eſſe uſurarium,) ſequendo aliam opinionem probabilem. Primò enim poteſt dici, me de ſimilibus contractibus opinari in univerſali, id genus contractus eſſe uſurarium, & malum, & prohibitum: tamen cum in particulari à Petro conſulor, an prohibitus, me in hoc caſu particulari non judicare judicio particulari, ſicut judicabam in univerſali, ſed potius reflectendo ad opinionem contrariam probabilem, motus hujus autoritate formare judicium particulare, quo opinor, vel puto, contractum non eſſe uſurarium, malum, & prohibitum.

Secundò poteſt dici, me habere judicium particulare conforme judicio univerſali: & in univerſali: & in particulari de hoc homine, & de hoc contractu hic, & nunc judicare, eum eſſe uſurarium, malum, & prohibitum; nam ſicut de uſurarium, ſic dico reliqua, quæ ſunt inſeparabilia; & tamen contra meam opinionem univerſalem, & judicium meum particulare reſpondere poſſe Petro, eum licitè contrahere; ſeu me ipſum contra utrumque illud judicium operando non peccare.

Hæc, inquam, duo reſponderi poſſunt: nec eſt medium. Utra verò reſponſionum deligenda ſit, prorsùs ignoro, nam utraque videtur eſſe contra communia omnium documenta: propterea viſum eſt, de utraque ſeorſim dicere: nunc porrò in hac quæſtione primum illud verſamus, an ille, qui contra autoritatem aliquam, vel Autores aliquos in ſpeculando, & in univerſali opinatur, & judicat, poſſit aliter, & contrariè judicare in particulari, & judicio practico propter ipſam illam autoritatem, contra quam in ſpeculando judicavit, nulla nova occurrente circumſtantia, variatione in objecto?

§. II.

Quid videatur tenendum?

UT de ſenſu Autorum conſtet, à paucis illum multorum nomine audiamus. P. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 3.* ſic ſcribit. Tertium fundamentum (hoc eſt, fundamentale principium) eſt. Poſſunt ſcientia, opinio, dubium eſſe ſpeculativa, aut practica. Speculativa dicuntur quando intellectus dictat in communi tanquam certum, vel opinatur, aut dubitat, aliquid eſſe licitum, vel illicitum. Practica autem, quando in ſingulari hic, & nunc perpenſis omnibus circumſtantiis. Quod latius probavi *l. 2. de matrim. diſp. 41. n. ubi n. 5.* probavi, ex ſcientia, vel dubio ſpeculativis oriri ſimilem ſcientiam, & dubium practicum, nec judicia hæc poſſe licitè diſcordare, niſi aliqua ratio ſpecialis, adhibita ſufficienti diligentia ad veritatem aſſequendam, judicium practicum à ſpeculativo variare cogat, judicando hic, & nunc licitum, quod in communi judicatur illicitum, aut de eo dubitatur. Et ultra ibi allegatos tenent Vaſquez 1. 2. q. 19. *art. 6. diſp. 63. c. 1. n. 2.* Suarez 5. *tom. in 3. part diſp. 40. ſect. 5. n. 14.* & licet

non

non ita diſtinctè, Azor *tom. 1. lib. 2. inſtitut. mor. cap. 19. quæſt.* 13. Hactenus Sanchez *eo loci.*

Loco autem citato *de matrim.* ſic differit: obſervandum tamen eſt ex ſcientia, vel opinione, vel dubitatione ſpeculativa, quam quis habet, teneri ſimile judicium practicum formare, &c. niſi aliqua ratio ſpecialis cogat variare judicium practicum. Deviat enim à recta ratione, me credere omnem, hominem teneri reſtituere, & me in eodem caſu abſqua aliqua ſpeciali ratione eximere. Deindè quia cognitio ſpeculativa dirigit voluntatem ad opus: ergo tale debet eſſe judicium practicum, quale eſt ſpeculativum, niſi ſpecialis ratio variare cogat. Quod autem ob aliquam rationem variari poſſit judicium hoc, probatur; quia cum res morales ob circumſtantias varientur, poteſt aliqua occurrere, quæ licitum mihi efficiat, quod in communi, & ex ſe illicitum eſt. Ut poſſum ſcire in communi, non licere rem alienam capere; at in particulari hic, & nunc mihi licere, quia extremè indigeo. Sic Corduba &c. Hactenus Sanchez, & in eodem ſenſu citat *num.* 8. plurimos.

Ex iſta tam perſpicua ejus probatione colligitur, non poſſe quem in univerſali videre, Cajetanum v. g. vel Vazquium, vel ſimul utrumque tenere, contractum aliquem non eſſe uſurarium, & eorum autoritate non obſtante, & contra illam opinari, & judicare in communi, contractum eſſe uſurarium; & mox caſu particulari occurrente de eodem contractu, nullaque nova concurrente circumſtantia judicio practico in particulari judicare, Petrum, non fore uſurarium, ineundo eum contractum, & ad hanc variationem uti autoritate Cajetani, & Vaſquez: quia hæc autoritas non eſt ratio ſpecialis, ſed communis: quare vel in communi, & pro omnibus ſufficit, vel pro nullo, ut patet.

Vaſquez verò exploratam, ac indubitabilem habet ea *diſp. 65. cap.* 1. *n.* 2. iſtam judicii univerſalis, & judicii particularis concordiam, & non diſcrepantiam: quare autoritate opinionis contrariæ probabilis utitur eodem modo pro judicio, & opinione in univerſali; ſicut pro judicio particulari: de quo poſt pauca: nam qui fieri poteſt (ait) ut idem intellectus in univerſum dubitet, an aliquid ſit malum, & ſimul exiſtimet ſibi non eſſe malum? Quod ſi contingere poſſet ut quis dubius de aliqua re in univerſum, an ſit mala, determinato aſſenſu crederet ſibi non eſſe malam, & peccatum abſque ulla nova circumſtantia, quæ à peccato eum videretur excuſare, quod mea quidem ſententia fieri neutiquam poteſt, inquit Corduba, talem non peccaturum ex eo, quod operaretur contra conſcientiæ judicium, ſed quia tale judicium temerè, & abſque ullo fundamento haberet. Hæc Vaſquez. Multa alia ſimilia tradit, egregie verò *diſp. 62. cap. 5.*

Tenendum eſt ergo, neminem poſſe in univerſali, & in communi de re aliqua judicare, & opinari contra aliquam alicujus opinionis autoritatem; & mox de eadem re ſub eiſdem circumſtantiis in particulari aliter, & contrariè judicare propter eandem ipſam autoritatem. Hæc concluſio videtur manifeſtè probari per adducta ex Sanchez, & Vaſquez.

§. III.

Ulterior concluſionis probatio.

VIdetur prætereà concluſio planè demonſtrari ex duabus irrefragabilibus regulis. Prima eſt, duas contradictorias non poſſe eſſe ſimul veras. Secunda eſt, duas contrarias poſſe quidem eſſe ſimul falſas, non tamen ſimul veras.

Ex prima ſic. Affirmativa univerſalis, & negativa particularis ejuſdem de eodem ſecundum idem ſunt contradictoriæ juxta omnes, ut omnis homo currit; aliquis homo non currit. Ergo & iſtæ ſunt contradictoriæ: omnis ſartor, quantum eſt ex vi officii, tenetur jejunare: iſte ſartor, vel aliquis propter ſuum officium non tenetur jejunare: item omnis talis contractus eſt uſurarius, & prohibitus: iſte contractus non eſt uſurarius, nec prohibitus: ſuppono enim nihil variare in objecto. Recurſus ad probabilitatem opinionis contrariæ non variat objectum: quia opinio contraria afficiebat, imò directè afficiebat objectum in univerſali, & in communi. Ergo de eodem objecto manente eodem modo, & ita de eodem ſecundum idem affirmo in univerſali, & nego in particulari: quod juxta omnes eſt contradictio.

Ex ſecunda regula ſic. Quia ſi probabilitas opinionis contrariæ ſufficit ad eximendum, & excipiendum unum in particulari, ſine nova ulla circumſtantia pro eo, eodem modo ſufficit ad excipiendum alium, & mox alium, & ſic de cæteris: ergo ad excipiendum omnes. Ergo poterit eſſe vera univerſalis negativa dicens: *nullus tenetur*; ſicut ſi nec Petrus currit, nec Paulus, & ſic de cæteris, vera eſt univerſalis negativa, *nullus currit*: & ſemper iſte aſcenſus valet in propoſitionibus de actu; non de poſſe. Aliunde opinio mea in univerſali erat: *omnis tenetur*: univerſalis autem affirmativa, & univerſalis negativa ſunt contrariæ, ſi ſint de eodem invariato objecto. Ergo ſequitur, duas contrarias eſſe ſimul veras: quod negant omnes, Nulla porrò eſt variatio objecti propter autoritatem opinionis probabilis contrariæ: quia hæc afficit objectum in univerſali eodem modo, imò magis directè: quare nullas vires particulares habet ad verificandum judicium particulare negativum magis, quam univerſale negativum. Sed in univerſali dixi, ea non obſtante contractum eſſe uſurarium. Ergo ſic etiam dicere cogor in particulari.

Cum iſta adeò videantur perſpicua; res autem, qua de tractatur, ſumma, in qua non reſiſtentias, & evaſiones quomodolibet, ſed vera, & clara fundamenta oporteret habere, quia iſta nobis non occurrunt; cogimur quælibet quomodolibet dicibilia proſequi, ut ſaltem obligemus ad dicendum conſideratione habita, quod dicitur: fortè enim non dicetur.

§. IV.

Opinio univerſalis enuntiat de objecto, clauſa etiam, incluſa probabilitate contraria.

CUm adeò ſit manifeſtum judicium particulare debere concordare cum judicio univerſali, quoties nova circumſtantia non va-

fiat; cum rurſùs conſcientia ſit hoc ipſum judicium particulare; vel ſaltem debear huic concordare juxta omnes, neceſſe videtur, ut cogantur ad litem movendam de ipſis judiciis univerſalibus, ſeu de ipſis opinionibus, contra quas agere nos, & conſulere poſſe dicitur.

Dicetur ergo, ipſam opinionem, quæ in univerſali de contractu enuntiat eſſe uſuratium, ferri directè ad contractum; deque illo judicare conſiderato ipſo ſecundum ſe, & per locum, ut ajunt, ab intrinſeco, & à ratione: non autem de contractu, ut ſubeſt opinioni probabili contrariæ: ſic enim eſt probabiliter non uſurarius, & ſic probabiliter non prohibitus; & abſolutè licitus. Et hoc eodem modo formatur judicium ſingulare conſcientiæ.

Hujus reſponſionis partes omnes rejectæ ſunt in ſuperioribus jam excludendo hoc genus probabilitatis contradictoriarum à probabilitate conſcientiæ: jam oſtendendo, in talibus non eſſe locum prudentiæ, non eſſe locum rectæ regulæ: jam tandem commonſtrando, ſaltum illum à probabiliter prohibito, & malo ad certò licitum eſſe illegitimum: & ſic unumquemque eſſe certum de ſuo licito, & non peccato, ſicut eſt certus, vel conſcius de malo vel non malo; de prohibito, vel non prohibito. Oſtenſum item eſt, his in caſibus violationes eſſe formales, Quare omnes hæ reflexiones ad directas reſolvendæ ſunt, & per directas judicandæ. Quia tamen veritas eſt copioſa, & ubique ſibi cohærens, nunc oſtendendum eſt, nos per opiniones noſtras judicare de objecto, clauſa etiam, & incluſa autoritate contraria, quam novimus, & illa non obſtante, & illa contra illam, inquam, *quam novimus*; nam ſi nova aliqua, & imprævifa occurrat, alia eſt ratio, ut patet.

Quod autem omnis intellectualis aſſertio, & ſententia, & judicium cadat ſuper totum objectum, ut nobis occurrit, proponitur, & de ipſo enuntiet ſic eſſe, vel non eſſe, omnibus illis conſideratis, & computatis, quæ judicanti ſe offerunt pro veritate, vel falſitate illius, tam videtur manifeſtum; atque fuit manifeſtum, judicium univerſale, & particulare debere concordare, quoties in objecto nulla accidit variatio.

Sin minus omnium rerum videtur ſequi concluſio. Primò occurrente divina autoritate pro exiſtentia Incarnarionia potero ego de incarnatione ſecundum ſe, & per locum, ut ajunt ab intrinſeco, & à ratione, & ipſa Incarnatione ſolum directè conſiderata negare illam: vel ſi in incarnatione nolint exemplum, ponatur in dilectione inimicorum. Opinabor contra iſtam, & negabo: mea autem negativa hæreſis non erit: quia nulla enuntiatio eſt hæretica, quæ rectè cohæret cum vera fide: ſed negare dilectionem inimicorum eſſe bonam, ea ſecundum ſe, & ab intrinſeco, & à ratione conſiderata, & nihil clauſa autoritate divina, non eſt incompoſſibilis cum recta fide: ſicut dicere de contractu ſecundum ſe, & à ratione & ab intrinſeco eſſe illicitum, & reflectendo mox ad autoritatem contrariam, eundem contractum dicere licitum, cohærent rectè juxta datam ſolutionem: & ſumus, & quod tanti faciunt, in directis, & reflexis. Ratio à priori eſt; quia ut mox declarabo, altera enuntiatio eſt ſimpliciter talis, altera ſolum ſecundum quid: ideò nulla eſt contradictio.

Secundò ſimiliter occurrente mihi in contrarium tota autoritate Sanctorum. vel tota autoritate Theologorum omnium, potero ſine temeritate, nec nota contrarium opinari. Nec accuſari poſſum de contemptu vel parvi habita tanta autoritate: nihil minus: nam ego, ut dicitur, de re ſolum ſecundum ſe, & ab intrinſeco, non de ipſa, ut ſubeſt autoritati Sanctorum vel Theologorum judicium tuli, & opinatus ſum. Mox verò ſumpto eodem objecto, ut illi autoritati ſubeſt; opinabor contrarium, quia nulla eſt contradictio; & primum judicium fuit de re ſecundum ſe: ſecundum de re, quæ ſubeſt autoritati contrariæ. Vel enim ego in opinando computare etiam debeo autoritatem, & illius etiam habita ratione, & ſic de toto objecto, ut proponitur, judicium ferre? & tunc cadit data ſolutio: vel non debeo autoritatem computare, ſed ſeorſim ab illa de objecto ab intrinſecis ſuis ſententiam ferre? & tunc contra quaslibet divinas, & humanas autoritates licebit opinari, quaſi non eſſent in mundo; ſic enim comparantur quoad judicium directum intellectus.

Tertiò quia per hanc viam omnes opiniones fiunt, & redduntur de *ſecundum quid*. Nam opinio in univerſali enuntiat de contractu, eſſe uſurarium, quantum eſt ab intrinſeco, & à ratione: & à ratione, & eodem ſenſu dicit eſſe illicitum, nam uſurarium ſecum ſub ipſis terminis trahit illicitum. Mox verò reflectendo ad probabilitatem ſententiæ contrariæ abſolutè pronunriat eſſe licitum, & licere, & ſine peccato fieri poſſe. Ergo aſſertio illa directa prima dicit, *non licet*, *eſt peccatum*: ſecunda reflexa abſolutè enuntiat, *licet: non eſt peccatum.* Primæ autem ſenſus eſt de ſecundum quid: id eſt, *non licet*, *eſt peccatum*, *eſt uſura*, conſiderato contractu ſecundum ſe, & ab intrinſeco: ſecundæ autem ſenſus eſt abſolutus, & ſine addito, *abſolutè licet*, *non eſt peccatum*. Undè patet quod diximus, hoc genus opinionum de ſecundum quid, ſi intellectus judicare poſſet, fore compoſſibile etiam cum fide.

Jam hinc: ergo ſenſus noſtrarum opinionum is ipſe eſt, qui vulgò explicari ſolet dicendo, hoc, vel illud ita eſſe ſtando rationi, & ſeorſim ab autoritate. Ergo opiniones noſtræ, quibus libros implemus, hunc ſenſum habent; ſecundum rationem, & ab intrinſeco hoc eſt, vel eſſet uſura; hoc eſt, vel eſſet illicitum, & peccatum: hoc bellum foret illicitum: in controverſis tamen omnibus, in quibus ſunt ſimiles opiuiones probabiles contradictoriæ, toto objecto conſiderato, & abſolutè, & ſine addito pronuntiando, nihil horum eſt illicitum, & peccatum. Ergo inutiles ſuut omnes tales quæſtiones ad finem moralis ſcientiæ, qui eſt operatio, ut oſtenſum eſt *lib.* 1. Rurſùs: ergo contra naturam ſcientiæ & omnis modi doctrinalis omnes opiniones noſtræ, & enuntiationes erunt de *ſecundum quid.*

Nec negari poteſt, alterutram enuntiationem eſſe modificatam, & reſtrictam, & ſecundum quid: nam: *eſt peccatum*, *& non eſt peccatum*, ſi utraque eſſet enuntiatio ſimpliciter, & abſoluta, eſſent contradictoriæ. Nec ſiſti poteſt in ſolis reflexis, ſed per reflexas veniendum eſt ad directum judicium de bonitate, vel malitia operationis contrahendi, & nunc. Habemus autem in particulari ex propria opinione: *eſt peccatum*; *non licet*: habemus

mnis per reflexas &c, & ex reflexis; *non eſt peccatum licet.* Niſi alrerutra, vel utraque ſit ſecundum quid, & reſtricta, committeretur manifeſta, & impoſſibilis contradictio. Ergo alrera ſaltem aſſertio eſt reſtricta, & ralis ſecundum quid. At illa, per quam, & ex qua operamur, non eſt d ſecundum quid; nam ur operemut ſine peccato, non ſufficit, quod conſcientia dictat, contractum n eſſe malum ſecundum hoc, vel ſecundum illud, ſed abſolutè dictare debet, non eſſe malum, ſeu illicitum. Ergo altera aſſertio dicens, eſſe uſurarium, vel illicitum, eſt reſtricta, eſt ſecundum quid, enuncians de contractu ſolùm ſtando rationi; non ſtando autoritati contrariæ.

Quartò ex his, quia omnes noſtræ quæſtiones, & libri videntur exponi ludibrio hominum; quid dicimus, & actuosè contendimus in controverſis, aliquid eſſe peccarum, eſſe ſimoniam, uſuram, dari obligarionem reſtituendi, &c. & ſenſus ſemper erit ſecundum quid, & reſtrictus, de objecto ab intrinſeco ſolum, & per intrinſeca conſiderato: ſi enim quæramur, quid judicemus de objecto illo totaliter ſumpto ſecundum inttinſeca, & ſecundum extrinſeca ſibi? ſenſus noſter, & exiſtimatio eſt, toto objecto conſiderato, & ſic loquendo ſimpliciter, & cathegorice, rem illam fieri poſſe ſine peccato, ſine uſura, ſine ſimonia. Quid precor mundo, & tebus noſtris intereſt, an hinc liceat, vel inde liceat, ſi abſolutè licet? Exprobrabunt ſanè illud, parturient montes, & naſcetur ridiculus mus. Quin ubi ſunt ſimiles probabilitates, numquam dicere deberemus, *eſt peccatum, eſt uſura*; quia non ita exiſtimamus ſine addito, ſed dicendum foret: *Hic contractus peccaminoſus eſſet*, niſi adeſſet pro illo ſententia probabilis: de facto autem cum eam ſupponant adeſſe, nec de hoc diſputent, omnium una deberet eſſe ſententia, *non eſt peccatum, licet*. Omitto hic alia.

Quintò; quia ſi judicium intellectus de toto objecto, ut ſibi occurrit, non enunciaret, poſſet ſimilirer ſecundum rationes unius partis affirmare, & ſecundum contrarias negare ſimul: quod licet imperitior aliquis concedat, communiter tamen, & meritò reſpuitur; non ſanè, ut ego quidem exiſtimo, quia ſequeretur contradictio, ſed quia ſequeretur nihil dictio: dicens enim reſtrictè, ſecundum hoc ita, & ſecundum hoc aliud non ita, nihil dicit, nihil affirmat, nec negat.

Reſpondebis itaque, non ſequi ab autoritate contrariæ opinionis ad rationes contrariæ opinionis quod ſicut enuntiationem, reſtringimus ad ſolam rationem, nihil de autoritate contrariæ opinionis judicando, nec de objecto ſecundum illam, idem fieri poſſit de rationibus, & rationibus, & propter has dicere reſtrictè unum; propter contrarias contrarium. Cur autem hoc fieri non poſſit, cauſam eam aſſignas, quia ego opinando contractum eſſe uſurarium, per hoc ipſum dico; rationes contrarias eſſe vel falſas, vel intelligitimas.

Verùm hoc eſt ſimiliter contra autoritatem contrariæ opinionis; nam ſicut ego opinando unum, dico, contrarias rationes eſſe vel falſas, vel nullas; ſic dico, Autores contrarios falli. Quin in tantum habent autoritatem, in quantum habent rationem, nec fallunt, nec falluntur, ut de omni autoritate in communi fuit oſtenſum; & irrefragabile eſt, quod Auguſtinus *epiſt.* 112. *cap.* 1. *& c.* 15. & aliàs ut notum reſumit, tantum unicuiqne Autori deferendum eſſe, *quantum meriti ad faciendam fidem habere perceperis*. Ergo autoritas omnis reſolvitur ad autoritatis rationem. Ergo ſi opinans unum, nequit reſumere rationes contrarias ad dicendum contrarium; nec poterit reſumere autoritatem contrariam: quæ neceſſariò eundem gradum, & locum cum ſuis rationibus habet.

Tenendum eſt ergo, omnem enuntiationem noſtram ferri ad totum objectum, ut nobis proponitur, atque de eo undique librato, conſideratoque totaliter ferre ſententiam. Idcircò ad opinandum prudens quiſque proponit, & attendit ad rationes, & ad autoritates, an ſit ſententia communis, an ſingularis; an omnium, an aliquorum, & quorum, & qualium: atque iſta eſt praxis omnium naturalis. Idcircò etiam diſplicet naturaliter unicuique, quod alter ſit, non ſuæ, ſed contrariæ opinionis, tum ut ſuppono, propter amorem proprium, quia ejus autoritas poſt habetur: contra placet habere ſectatores: quod ſignum eſt, quod de objecto pronunciatur, non quaſi ſeorſim à dicto contrariorum, ſed eo etiam conſiderato, & illo non obſtante; quin approbatio concluſionis eſt reprobatio contrariæ, & rationum ejus, & Autorum. Idcirco ipſos etiam Autores & abſolutè, & ad hominem rejicimus. Ipſis præterea contra arguentibus dicimus, *nego antecedens, majorem*, &c. & ideo diſputationes ſunt concluſionum contra concluſiones, & ſimiliter hominum contra homines ea in re, & quoad eam tem. Ergo concluſio mea, & opinio eſt de objecto ſimpliciter & totaliter conſiderato, & clauſa. & computata etiam autoritate contraria. Ergo dico de contractu eſſe uſurarium, ut ſubeſt intrinſecis, & extrinſecis hic, & nunc mihi occurrentibus, & ſimiliter dico eſſe peccatum, eſſe illicitum. Ceſſat ergo origo evaſionis.

Ratio à priori eſt, quod, intellectus eſt ad verum: ideò ad omnem ſuam enuntiationem conſiderat in omnibus ſibi occurrentibus, & propoſitis, quidquid pro veritate, vel falſitate facit, tanquam Judex in Tribunali. Vel ergo autoritas contrariæ opinionis facit ad cauſam ea in re, & ad veritatem, vel falſitatem ferendæ ſententiæ, vel non facit? Si facit, conſiderata fuit, & ea non obſtante, & contra ipſam pronuntiatum eſt. Si ad cauſam non facit: ſic ergo per illam nequit poni, vel tolli licitum, aut illicitum, ſicut nequit, per ſaltum Turcæ.

Confirmantut iſta omnia; quia opinans unum, judicat, falli adverſarios. Ergo credere illis non poteſt. Quid ergo eſt velle tanti facere autoritatem illam cui credere non potes? Ais; formidat, Sed jam dictum eſt ex appendice, opinantem non formidare, an verum dicat, ſed videre non repugnantiam, ut fallatur; credit autem ſe non falli. Cæterum ſi de ſua parte formidat, non obſtante, quod illa ſibi videatur vera; magis multo formidat, vel pluſquam formidat de contraria; nam de hujus falſitate non ſolum formidat, ſed etiam enuntiat, & affirmat. Si ergo qui habetet in corde, *fortè hæc operatio eſt contra legem Dei, & fortè non*, ſic operans devorat violationem legis Dei, clarius eam devorat is, cui videtur in corde legem eſſe, dari Autores contrarios, qui tamen ſibi videntur falli, & tamen vult operari.

§. V.

Concluſio totius doctrinæ.

HAbuimus initio, judicium practicum ſingulare, & judicium univerſale, & ſpeculativum deberc ſibi concordare, niſi fiat variatio in objecto particulari hic, & nunc. Quare commonſtravimus, non poſſe judicium practicum particulare dictare, Petrum hic, & nunc non peccate in faciendo hoc contractu, fundando hoc in probabilitate, & autoritate opinionis contrariæ, ſi ego opinans in univerſali, & in communi dicebam, contractum illum eſſe uſurarium & peccaminoſum, non obſtante probabilitate,& autoritate opinionis contrariæ, & hac etiam autoritate clauſa, & librata. Eſt enim manifeſta contradictio dicere in univerſali, non obſtante probabilitate, & auroritate contrariæ opinionis contractus eſt uſurarius, & peccaminoſus; & dicere in particulari, propter autoritatem, & probabiliratem contrariæ opinionis hic contractus hic, & nunc deſinit eſſe peccaminoſus, & tranſit in licitum.

Oſtenſum eſt deinde, omne genus enunciationum mentalium, & ſic enunciationem opinativam enunciare de objecto ſimpliciter, & ſumptis omnibus hic, & nunc intellectui propoſitis; & ita affirmare, contractum eſſe uſurarium, & peccaminoſum non obſtante, & non præjudicante autoritate, & probabilitate opinionis contrariæ. Et ideo præter adducta omnis opinans unum, vel negat, vel interpretatur omnes autoritates contrarias. Judicat ergo de objecto, ut ſub eſt & rationi, & autoritati, niſi expreſsè conteſtetur contrarium, & ponat ſolum concluſionem de *ſecundum quid*, id eſt, ſtando rationi, vel quid ſimile.

Concluditur: ergo opinans contractum eſſe uſurarium, de primo ad ultimum habet judicium, & dictamen particulare practicum dicens, non obſtante autoritate, & probabilitate contrariæ opinionis hunc contractum hic, & nunc fore uſurarium. Ergo eſſe prohibitum. Ergo eſſe peccaminoſum: ſunt enim hi tres annuli catenæ connexi, & inſeparabiles. Ergo peccat contra agendo, vel conſulendo.

Nunc patet ſolutio ad reflexum ſyllogiſmum, quem ſæpe numero repellimus. Omne probabiliter bonum eſt licitum: hic contractus eſt probabiliter bonus: ergo licitus: ergo hic, & nunc non peccabo, &c.

Major, & minor tot fermè habent diſtinctiones, quot ſcripſimus quæſtiones: de multiplici genere probabilitatis ſunt falſæ: de probabilitate poſitiva, & reali ſunt veræ; ſed hic abs re. Jam his omiſſis, in hac controverſia de operante, vel conſulente contra propriam opinionem, quando nulla ſpecialis ratio, nec circumſtantia occurrit hic, & nunc, per quam, & ex qua judicium practicum, & particulare diſcordet à judicio univerſali impoſſibile eſt, non quod ore dicat, ſed corde proferat quis illam concluſionem particularem: *Ergo hic contractus eſt licitus*, vel abſolutè, vel hic, & nunc nam pugnat contradictoriè cum propria opinione, quæ dicit abſolutè, contractum eſſe uſurarium, & prohibitum, & peccaminoſum non obſtante, & nihil præjudicante autoritate, & probabilitate contrariæ opinionis.

Ne itaque confundatur quiſquam, uſurarium malum, prohibitum, peccaminoſum, illicitum, eodem modo, in eodemque gradu conveniunt, vel non conveniunt contractui; nec dici poteſt, contractum uſurarium quidem eſſe, non tamen malum, malum eſſe non tamen prohibitum; prohibitum; non tamen peccaminoſum; peccaminoſum, non tamen illicitum eſſe: ſunt enim iſta contra principia indefectibilia univerſalis ſynderesis, quæ contraria omnia determinat, & ſtatuit. Dico ergo per opinionem meam in communi, contractum eſſe uſurarium non obſtante probabilitate, & autoritate contrariæ opinionis; & ſic dico reliqua illa. Ergo niſi occurrat ratio, vel circumſtantia particularis, idem dico particulariter per judicium particulare, & per dictamen conſcientiæ. Ergo contra agendo, vel conſulendo, ago, vel conſulo contra conſcientiam.

QUÆSTIO XIII.

Vtrum ergo, qui ait, ſe agere poſſe contra propriam opinionem, cogatur ad multas duras propoſitiones concedendas?

COgatur, inquam, ſi tamen eſt intelligens, ac ſcientiæ modum aliquem ſeruat; aliqui enim adeò præter regulas omnes reſpondent, & diſputant, ut niſi ſtomachari velis, emittendi prorsùs ſint.

Suppono autem propter hos inintelligentes, quod apud ſapientes, aut aliquid ſcientes nihil erat notandum, opinionem eſſe enuntiationem, & opinantem aliquid dicere, & vel affirmare, & negare. Quod cum adeò ſit notum, & ipſi quotidie opinando diſputent, & affirment, & negant, ita tamen omnia confundunt, ac parum vel in ſecta propria reflectunt, ut hoc ipſum aliquando coacti ſimus probare, ſcilicet opinionem eſſe enuntiationem, & omnem opinantem affirmare aliquid, vel negare: an non ultrò, & palam ipſi, & omnes opinionem definiunt aſſenſum (enuntiationem intellige) cum formidine oppoſiti? Teneatur ergo hoc ipſo in progreſſu.

§. I.

Qualia ergo cogatur fateri?

POno, te opinari, accipere in mutuo quatuor ex centum propter periculum recuperandæ, ſortis eſſe uſuram: ſit ergo hic caſus ex gra. Dicis deinde, te nihilominus utendo opinione probabili contrariâ (ponamus eam probabilem) non peccare accipiendo illa quatuor. Ac idem eſt, ſi id alteri conſulas: idem in quocumque alio caſu.

Nunc ſic ſyllogiſo adverſum te: accipere quatuor ex centum in mutuo propter periculum recuperandæ ſortis eſt uſura. At tu potes hoc facere ſine peccato. Ergo tu potes facere, id quod eſt uſura ſine peccato. Vel aliter: contractus ille eſt uſurarius: tu potes contractum illum facere ſine peccato. Et tu ipſe cogeris ad hunc ſyllogiſmum, contractus hic eſt uſurarius: ſed licet mihi hic contractus ergo licet mihi contractus uſurarius.

Jam majores propoſitiones ſunt opiniones tuæ, ſeu cum omnes una ſint opinio tua. Pono te illam in ſchola docere: ergo poneres majorem propo-

propoſitionem pro concluſione tua: & ſi arguens dicat: accipere quatuor ex centum in mutuo propter periculum recuperandæ ſortis non eſt contractus uſurarius, tu quid reſpondes? an non, *nego antecedens*? Ecce ergo contradictorium tibi propono in majoribus ſyllogiſmorum: ergo vel in ſchola, aut foris mentiris, aut neſcis, quod loqueris; vel debes dicere, concedo majorem, vel majores, nam ſunt mea ipſiſſima opinio.

Minores ſimiliter ſunt propoſitiones tuæ: nam tu ipſe dicis, tibi licere, te non peccare utendo opinione probabili contraria tuam: ſed omni caſu ponimus adeſſe opinionem probabilem contrariam. ergo non peccas illâ utendo. Sed illâ uti eſt facere illum contractum. Ergo dicis: hic contractus eſt mihi licitus: ego ſine peccato contractum iſtum ineo.

Conſequentiæ porrò ſequuntur legitimè; videntur autem eſſe non modò duræ, ſed etiam hæreticæ: nemo certè citra gravem cenſuram dicere has diſpoſitiones poteſt: mihi licet contractus uſurarius: ego exercendo uſuras non pecco; nam de fide eſt omnem uſuram eſſe peccatum, contractum. Quod porrò tu de te ipſo fateris cogeris fateri de quocumque alio, & ita de omnibus: ac proinde iſtam conſequentiam: ergo omnibus eſt licitus contractus iſte uſurarius: & nemo peccat uſuram iſtam exercendo.

§. II.

Ineptis diſtinctionibus occurritur.

Iam ergo, licet aſſumptæ à nobis præmiſſæ ſunt tuæ ipſiſſimæ propoſitiones, quas ſine ulla diſtinctione, ac pleno ore tu ipſe loqueris, enuncias, ac doces, nunc tamen voles illas diſtinguere, vel explicare; nam illis non diſtinctis, aut tactis nequit, tangi concluſio. Et ego certè neſcio, quas ſis illaturus diſtinctiones; nam utilis, aut dubia nulla occurrit; ineptæ autem comprehendi omnes nequeunt; nam ineptire procedit in infinitum.

Majorem itaque diſtinguis ſic: contractus hic eſt uſurarius, *ſpeculative*, concedis; *practicè*, negas, Et primò de te conqueror, quod non hac limitatione, ac his terminis in ſchola, vel libro locutus his: hoc enim conceſſo, ceſſaſſet fortè omnis diſputatio, contentio, & contradictio. Deinde ſuppono, non eo ſenſu uti illis terminis *ſpeculativè*, & *practicè*, quo viri ſapientes utuntur, quod ſcilicet accipere quatuor &c. in univerſali ſit uſurarium adſit autem hic, & nunc in particulari ratio aliqua, vel circunſtantia in hoc particulari contractu, ne ſit uſurarius, Non enim de hoc caſu tractamus, ſed quando ſine tali diverſa circunſtantia præciſè niteris in probabilitate opinionis contrariæ: quæ ut *queſt, prac.* eſt habitum, aderat ſimiliter, quin directè in univerſali.

Inferamus ergo duo vel tria ex tua diſtinctione. Ergo quoties in ſchola, vel libro doces, aliquid eſſe illicitum, injuſtum, vel uſurarium. ſenſus tuæ opinionis eſt, quod eſt tale ſpeculativè; non autem practicè. Ergo invertis ſcientiam moralem, quæ non eſt ſpeculationis gratia, ſed operationis, & propter agere.

Secundò: non ergo ureris opinione contraria; nam per terminos illos *practicè*, & *ſpeculativè* rollitur omnis contrarietas, & contradictio, ut patet, quia mutatur objectum.

Tertiò: ergo nullius opinione probabili uteris. Nam ſi tua opinio poſita in libro, aut tradita in ſchola, in qua dicis, *hic contractus eſt uſurarius*, hunc ſenſum habet, ſcilicet *eſt uſurarius ſpeculativè*; ſimiliter opinio contraria dicens, *hic contractus non eſt uſurarius*, eumdem ſenſum habebit, ſcilicet *hic contractus non eſt uſurarius ſpeculativè*. Ubi eſt ergo, & cujus opinio docens, eum non eſſe uſurarium practicè? Non enim eorum, qui in libro, vel ſcola tradiderunt, non uſurarium, nam ſenſus eſt *ſpeculativè*: at ex ſpeculativè licito non magis ſequitur practicè licitum, quam ex illicito ſpeculativè ſequatur practicè illicitum: at per te hoc non ſequitur: ac paſſim dicunt, aliquam opinionem eſſe ſpeculativè probabilem non autem practicè; & licet quidam hoc inconſequens putent, eorum tamen ratio tenet ſimiliter in illicito.

Hinc fiet, nullius Authoris opinionem, allegari poſſe pro praxi, & pro operando, vel non operando: nam ſenſus librorum eſt *ſpeculativè*. Vel ſi iſta tibi haud placent, quæ totam Theologiam moralem inutilem, & ridiculam efficerent, dicito, omnes opiniones de licito, & de non peccato eſſe abſolutas, ſine reſtrictione, limitatione, & intelligi & ſpeculativè, & practicè: ſecus autem contrarias. Hoc ergo inſcribatur in librorum omnium facie, omnes ſcilicet opiniones habendas de peccato poni ſolùm ſpeculationis gratia, & non ad uſum, nec pro praxi: neganres autem peccatum, eſſe abſolutas, & utiles, & quæ ad operandum deſerviant. Hoc opinor nemo palam fatebitur. Deinde ridicula eſſe contradictio, & impugnatio mutua in nullatenùs contrariis, neque oppoſitis. Nulla præterea opinio affirmans ſaltem peccatum allegari poterit pro operando, vel non operando. Rursùs operari contra opinionem communem de peccato erit de ſubjecto non ſupponente; nam ſenſus erat *ſpeculativè*. Ac denique, ne plura proſequar, & abſtruſiora prætercam, nemo dicens aliquid non eſſe peccatum, habebit ullam opinionem contra ſe: nam omnium dicentium eſſe peccatum ſenſus eſt ſpeculativè.

At fortè dicas propter inconſiderationem, eum, qui dicit, aliquid non eſſe peccatum, enunciare de non peccato ſpeculativè ſimul, & practicè: opponitur proindè opinioni contrariæ, qua parte ſaltem ſpeculativè enunciat non eſſe peccatum. Hoc, inquam, niſi propter inconſiderationem dicere nequis; nam tu ipſe in propoſitis ſyllogiſmis inferebas, licere tibi, & non eſſe peccaminoſum illum contractum; & ponebamus te ſpeculativè contrarium opinari, & enunciare. Ut ergo dicatur, aliquid non eſſe peccatum non eſt neceſſe ſenſum eſſe ſpeculativè ſimul, & practicè: alioquin tu ipſe in majore ſyllogiſmi diceres, hic contractus eſt uſurarius, id eſt, *ſpeculativè*; & in concluſione diceres; hic contractus eſt eſt mihi licitus & ſpeculativè ſimul, & practicè.

§. II.

Alia diſtinctio.

Aliter itaque diſtinguere voles, & repetamus de novo ſyllogiſmum: hic contractus eſt uſurarius: ſed hic contractus eſt mihi licitus ergo eſt mihi licitus contractus uſurarius. Vel ſic exercere hanc contractum eſt exercere uſu-

ram: ſed ego poſſum exercere hunc contractum ſine peccato. Ergo poſſum exercere uſuram ſine peccato.

Diſtinguis itaque majorem dicendo, hic contractus eſt uſurarius, materialirer, concedo: formaliter, nego. Deindè minorem: ſed hic contractus eſt mihi licitus, materialiter, nego: formaliter, coucedo. Denique conſequentiam: ergo eſt eſt mihi licitus contractus uſurarius, materialitet talis, concedo; formaliter talis, nego. Hæc autem conceſſa conſequentia nihil continet abſurdi, ſicut patet in exercente contractom aliquem uſurarium ob ignoranriam invincibilem (ſi tamen caſus eſt poſſibilis) cui liceret, certè malus non eſſet contractus ille uſurarius; nam ignorantia invincibilis excuſat, a peccato.

Actum eſt in ſuperioribus de his terminis *materialiter*, *& formaliter*, & de violatione materiali, & formali, & oſtenſum fuit, violationem, materialem, & violare materialiter, & ita etiam uſuram exercere materialiter locum dumtaxat habere in ignorante invincibilirer: arque hoc eſt evidens ſcientibus, & intelligentibus prima principia de voluntario, & involuntario. Etenim violare materialiter eſt inimputabiliter violare: rursùs violare inimputabiliter eſt violare involuntariò: ut porrò actus ſit involuntarius omninò, id eſt, directè, & indirectè, tequiritur vel impotentia ad oppoſitum, vel ignorantia invincibilis. In præviſis proindè, & præcognitis, & prætereà liberis los cum non habet involuntarium: ergo nec inimpotabile: ergo neque mareriale, & materialiter. Atque de his nulla eſt diſputatio cum intelligentibus ſub his terminis.

Idcircò in præviſis, & præcognitis vel ſolùm dubitarivè in ſenſu compoſito dubii locus non eſt illis terminis involuntariò, & inimputabiliter, materialiter, ſed violatio eſt voluntaria, & formalis juxta omnes: ergo multò magis in præviſis, & præcognitis opinativè, & in ſe ſenſu compoſito opinionis; cum evidens ſit plus eſſe opinari, quam dubitare, & magis eſſe præcognita opinata quam prædubitata; cum dubitatio nullius partis ſit aſſenſus; opinio autem ſit aſſenſus; cum ſormidine quidem, aſſenſus tamen: dubitario autem nec cum formidine quidem. Eſt ergo magis voluntarium præopinatum, quam prædubitatum, quia magis præcognitum. Solùm ergo præignorata invincibiliter ſunt omninò non præcognita. Hæc ergo ſola ſunt materialia, involuntaria, inimputabilia. Alioqui nihil actum ex opinione neque malum, neque bonum eſſet nobis voluntarium.

Nunc ad ſyllogiſmum, in quo ſanè eſt valdè admirabilis illa diſtinctio; nam per majorem ipſam propoſitionem & uſuram affirmas, & illam ſimul dicis involuntariam, ſeu materialem, ſeu inimputabilem; hæc quippe tria connexa, vel idem ſunt: quod apud intelligentem perindè dictum eſt, atque dicere; iſte contractus eſt uſurarius mihi ignoratus, vel ignotus.

Vel explicemus majorem à te non diſtinctam, & reliquum ſyllogiſmum mòdo tuo, & in majore ipſa nobis concedis, qood per conſequentiam inferebamus. Dicis itaque: iſte contractus eſt uſurarius materialiter, id eſt, iſte contractus eſt uſurarius ſine peccaro, & culpa exercibilis: hoc enim terminus *materialiter* apud te ſignificat: infero: ergo datur contractus uſurarius ſine peccato, & ſine culpa exercibilis. In hanc conſequentiam diſtingues de novo dicendo: ergò datur contractus uſurarius ſine peccato, & ſine culpa exercibilis, materialirer talis concedo: formaliter talis, nego. Jam aurem hoc eſt nugari, nam materialiter talis, & ſine peccato, & ſine culpa exercibilis idem ſignificant. Quare propoſitio à te conceſſa eſt iſta: ergo datur contractus ſine peccato, & ſine culpa exercibilis, id eſt, materialiter talis, id eſt, ſine peccato, & ſine culpa exercibilis, concedo.

Nunc totum ſyllogiſmum pono à te diſtinctum eum explicatione terminorum. Hic contractus eſt uſurarius materialiter, id eſt ſine culpa, & peccaro exercibilis. Sed hic contractus eſt mibi licitus formaliter, id eſt, ſine culpa exercibilis. Ergo eſt mihi licitus contractus uſurarius, marcrialiter talis, id eſt, ſine culpa exercibilis. Totus quautus videtur ridiculus.

A contrario etiam cernitur in eo, qui haberet ignorantiam invincibilem de uſura illius contractus. Fac, ut formet ille ſyllogiſmum aliquem de hac re. Nihil hujuſmodi in mentem venire illi poteſt, qui prorsùs, & invincibilitet ignorat illum contractum eſſe uſurarium, nec quidquam cognoſcit de hoc, nec opinatur, nec dubitar, ſed ignorat. Idcircò dato caſu uſura materialiter ſe habet reſpectu ejus. Ex quo palam vides, quam aliter ſe illa habeat reſpectu tui, qui etiam in ſchola defendis, eum contractum eſſe uſurarium.

Sed inquis, nos poſſe formare pro illo ſyllogiſmum ſimilem ſuprà poſitis, quem cogamur omnes eodem modo diſtinguere, & ſic ille v. gr. Petrus. Hic contractus eſt uſurarius. Sed Petrus poteſt excercere hunc contractum ſine peccato, & culpa (ſupponitur quippe ignorantia invincibilis.) Ergo Petrus poteſt exercere contractum uſurarium ſine peccato, & culpa.

Quæris à me diſtinctionem. Reſpoodeo, me in primis nihil diſtinguere majorem: hoc enim non licet propter dicta, & dicenda. Minorem itaque conceſſa majore, diſtinguo: ſed Petrus poteſt exercere hunc contractum ſine peccato, & culpa, diſtinguo, exercendo illum involuntario, concedo, voluntariò, nego: nam voluntarium eſt à principio intrinſeco cognoſcente, &c. Ac ſimiliter diſtinguitut conſequens. Ex quo cernitur, quam abs re exemplum invincibiliter igoorantis in ſolutione aſſerre.

Nonnihil addo de minore ſyllogiſmi anteà propoſiti. Eam diſtinxiſti ſic: ſed hic contractus eſt mihi licitus, formaliter concedo; materialiter nego. Senſus eſt, hunc contractum re ipſa, & marialiter uſurarium amare, velle; & facere non eſt mihi impurabile: id eſt, amo quidem, & volo, & exequor uſuram iſtam; bic tamen amor, & voluntas, & operatio quà tales non mihi imputantur. Et cur in omni peccaro ita diſtioguere non poterimus materiale præviſum, volitum, & amatum à formali, ſi ſemel formale peccati ſeparari poſſit à materiali præviſo, amato, & volito; & juſtificare noſmet diſcendo, hoc quidem facere volo, quod re ipſa eſt peccatum, tamen formaliter mihi non eſt peccatum, ſed licitum formaliter, & ſolùm materialitet malum. Sed de his plurima ſuperiùs dicta ſunt.

§. IV.

§. IV.

Denuò contra datam diſtinctionem.

MAjorem propoſitionem diſtinguebas dicendo, hic contractus eſt uſurarius materialiter, concedebas; formaliter, negabas. Hæc diſtinctio iiſdem inconvenientibus ſubjacet, atque illa alia de practico, & ſpeculativo,

Inferamus proindè eadem. Ergo quoties in ſchola, vel libro doces, aliquid eſſe malum, uſurarium, ſimoniacum, luxurioſum, &c. ſenſus opinionum eſt, illa eſſe talia materialiter, non formaliter, & quoad contrahendam culpam; hoc enim ſignificat hoc tuum *formaliter*. Invertis ergo primùm totam naturam moralis ſcientiæ.

Secundò: ergo & ſenſus contrarium opinionis idem erit, hæc ſcilicet, & illa eſſe bona, non uſuratia, non luxurioſa, ſcilicet materialiter; non autem eſſe bona formaliter: ſin minus in ſchola, vel libro non contradicitis, ſed nugamini, dum alius hoc dicit uſurarium materialiter; alius, non eſſe uſurarium formaliter. Hoc deindè privilegium opinionum negantium, aliquid eſſe malum, divulgandum eſſet, illas ſcilicet eſſe abſolutas ab omni reſtrictione, & deſervientes pro praxi, contrarias autem omnes eſſe limitatas per *τὸ materialiter*, & inutiles pro vita, moribùſque hominum. Ac rursùs nullâ uteris opinione contrariâ tuæ, nam formaliter, & materialiter perimitur contrarietas.

Tertio: ergo quicumque contra omnes dicit, aliquid eſſe licitum, non contra omnes dicit, ut ſupponitur, ſed contra nullum. Patet; quia per te ſenſus omnium opinionum dicentium, aliquid eſſe malum, eſſe injuſtum, vel uſurarium, eſt eſſe tale materialiter, non autem formaliter. Qui autem vult conſulere, vel operari ea, quæ videbantur eſſe contra omnes, parum cùrat, an ſit bonum, vel malum materialiter; ſatis ſibi eſt, ut non ſit malum formaliter. Ergo dicendo, vel operando, quod videbatur contra omnes, nihil dicit, vel operatur contra omnes.

Hinc omnia erunt licita; nam aſſerta omnia de malo, & de peccato intelliguntur de peccato, & malo materialiter; non formaliter. Jam autem exploſa fuit ea evaſio, quod ſcilicet qui dicit, aliquid ſibi eſſe bonum, vel licitum, dicat eſſe bonum materialiter ſimul, & formaliter. Nam ſi ita eſſet, tu, qui in majore ſyllogiſmi per opinionem tuam dicis, contractum prædictum eſſe uſurarium materialiter, dicendo deindè in concluſione, & per dictamen conſcientiæ licere tibi eum contractum, haberes ſimul hos duos actus, hic contractus eſt materialiter malus; hic contractus nec materialiter, nec formaliter eſt malus: quorum actuum implicantia adeò eſt manifeſta. Ergo per te dictamen conſcientiæ præſcindit à materialiter malo, vel non malo; & ſolum dictat de formali: opiniones contrà dicunt, & intelligunt de malo materialiter, non formaliter.

§. V.

Denuò ad ſyllogiſmum factum.

PAtet ergo, majorem illam ſyllogiſmi propoſiti, ſcilicet *hic contractus eſt uſurarius*, non poſſe diſtingui nec per practicè, & ſpeculativè, nec per materialiter, & formaliter, & hoc genus omne diſtinctionum eſſe ineptum. Eſt proindè illa abſoluta, & concedenda corde, & ore ab habente eam opinionem; quemadmodum opinans, materiam primam habere propriam exiſtentiam, hanc ſuam aſſertionem concedit, & tenet; & ſic prorsùs illa de contractu prædicat uſuram, ſicut iſta de materia exiſtentiam, ſcilicet verè, & re ipſa eum contractum eſſe uſurarium. Mox in minori ſubſumit, eum contractum ſibi licere. Ergo habemus te ex ore tuo fatentem, licere tibi uſuras. Quidam pauci recurrent ad diverſitatem motivorum. Sed plerique hoc ſpernunt, & ſciunt diverſitatem motivorum non tollere contradictionem. In ſerie deinde noſtra diverſitas iſta non tollit, quominus iſta mente ſimul enuncies, hoc eſt uſurarium; & hoc eſt mihi licitum; ac inferet intellectus: ergo aliquid uſurarium eſt mihi licitum.

Ex quo denuò arguitur, ſi aliquid uſurarium eſt tibi licitum, omnes uſuræ ſunt tibi licitæ: nam tota ratio illiciti in uſuris eſt ratio uſuræ. Sed dicis: aliquid uſurarium eſt mihi licitum. Ergo inferre potes; omnia uſuratia, & uſuræ omnes mihi licent. Additur mox: ſed qui exercere poteſt uſuras ſine peccato, poteſt & reliqua omnia, quæ quippè non ſunt magis prohibita. Licebunt ergo omnia.

Hic directus proceſſus diſtingui nequit per probabile, vel probabiliter: nam iſta ſunt reflexa circa opinionem tuam directam, ego autem aſſumo opinionem tuam directam, qua de contractu enuncias eſſe uſurarium. Non enim eſt ſenſus, eſſe uſurarium probabiliter: hoc namque eſt alia enunciatio reflexa non opinativa, ſed evidens; Alioqui hic foret ſenſus omnium opinionum; ceſſaret omnis contradictio: ineptæ eſſent diſputationes, & nego, & concedo. Et ea omnia ſequuntur, quæ de illis aliis diſtinctionibus dicta ſunt.

§. VI.

Cui licet operari contra ſuam opinionem licet contra opinionem omnium.

HOc etiam cogeris fateri; pone enim tecum opinari omnes Theologos: ſed dictamen conſcientiæ tuæ, quo concludis, & dictas, tibi hic, & nunc licere iſtum contractum, vel contradicit opinioni tuæ, vel non contradicit? Si contradicit ergo ſimul eſſe non poſſunt; ſi ſcilicet una aſſertio affirmat, quod altera negat, juxta regulas Logicæ. Si non eſt contradictio; ergo nec dictamen tuæ conſcientiæ erit contra opinionem, quæ ſupponitur eſſe omnium.

Hæc conſecutio videtur evidens: nam quod dicit, & enunciat opinio tua, hoc idem eodem modo enunciat opinio Petri, & opinio Pauli; & ita de reliquis nullo excepto: ergo idem eodem modo enunciat opinio omnium: at dictamen tuæ conſcientiæ non contradicit opinioni tuæ: ergo nec opinioni omnium: nam per eamdem enunciationem nequit contradici & non contradici idem eodem modo dicentibus.

Sed per te dictamen tuæ conſcientiæ, quo concludis, hunc contractum tibi licere, nihil contradicit opinioni tuæ dicenti, contractum eſſe uſurarium, ſed per diſtinctiones ſpeculativè, vel practicè; aut materialiter, vel formaliter, vel per ſimiles

miles concilias omnia, & contradictionem impedis. Ergo iiſdem viis, & terminis conſiliabitur dictamen tuum cum opinione contraria omnium, nec ulla erit contradictio, nec contrarietas. Proindè tu, quando contra omnium opinionem agere videris, non contrà agis, ſed omninò præter.

Ais, quando omnes opinantur, contractum eſſe uſurarium, non ſupereſſe opinionem probabilem contrariam, quâ formare poſſis dictamen conſcientiæ, quo dicas, tibi licere eum contractum.

Cæterùm non de hoc ego immediatè diſputabam, ſed inferebam, dictamen, quo diceres, tibi licere illum contractum, non fore contra opinionem omnium; nam hæc idem eodem modo enunciat, ſive ſit opinio probabilis in contrarium, ſive non: & ſi omnibus nunc tenentibus contractum eſſe uſurarium, anno ſequenti veniant tres Theologi, qui doceant, non eſſe uſurarium, opinio omnium non variat objectum. Sed idem hoc anno, in quo eſt omnium, & in ſequenti, in quo non erit omnium, enunciabit, & eodem modo. Habetur ergo illa conſecutio, quod tu volens formare dictamen conſcientiæ, quo dicas, licere tibi eum contractum, nihil contradicis, nihil repugnas opinioni omnium.

Hinc rursùs habebitur, tibi licitum fore contractum: nam ne de hoc formare poſſes dictamen conſcienriæ, illud obſtabat, quod omnes dicerent eſſe uſurarium: at tuum dictamen nihil per hoc dictum impeditur; nam dictamen tuum nihil contradicit huic dicto omnium, ſed cum illo cohæret, & conciliatur; quemadmodùm per te cohæret, & conciliatur cum opinione tua idem eodem modo enuncianre, & dicente: niſi velis, hæc duo non habere contradictionem, & repugnantiam in eodem intellectu, ſcilicet in tuo in diverſis autem habere. Itaque per quaſcumque diſtinctiones conciliabis dictamen tuum cum opinione tua, conciliabis eodem modo cum opinione omnium, & nulla opinio poterit tibi manus ligare.

Confirmantur; ſi nemo opinaretur contractum eſſe uſurarium, ſed omnes prætermitterent, vel dicerent: ſe neſcire, tibi liceret is contractus. Ergo ne de facto liceat, ſolùm obſtat opinio omnium. Hæc autem nihil obſtat, & aliud omninò neſcio quid enunciat opinio omnium, ſicut opinio tua; & aliud prorsùs dictamen, nec eſt contradictio, vel affirmatur, & negatio ejuſdem de eodem ſecundum idem; alioqui nec cum tua opinione cohæret.

Alia abſurda.

EOdem modo fateri debes dictamen tuum, quo dicis, tibi licere furari, nihil opponi præcepto Decalogi, & ita de cæreris præceptis. Et probatur, quia præceptum Decalogi, & opinio, ſi qua eſſet de eadem re alicujus ſaltem Philoſophi, ſunt de eodem, & idem dicunt. Et idem eſt, ſi aſſumamus aliquid aliud, quod ſit de fide eſſe malum. Fides dicens, id eſſe malum, & opinio dicens, id eſſe malum, idem dicunt; & ideò etiam diſputatur, an fides, & opinio poſſint eſſe ſimul; ſupponitur ergo idem per utramq; affirmari. Præterea quia juxta omnes implicant eſſe ſimul fides affirmans, & opinio negans. Sunt ergo de eodem. Denique quia fides eſſet de uno, & opinio de alio neſcio, quo qui negativè opinaretur contra fidem non eſſet hæreticus; quia de alio eſſet fides, & de alio opinio negativa. Patet ergo de eodem eſſe fidem & opinionem, licet alia ſit aſſenſus firmiſſimus, alia aſſenſus cum formidine.

Infero: ergo quod non opponitur, nec contradicit opinioni affirmanti aliquid, neque opponitur, vel contradicit fidei idem affirmanti; nec item præcepto idem jubenti. At dictamen conſcientiæ tuæ opponitur, nec contradicit opinioni tuæ affirmanti aliquid eſſe furtum. Ergo nec opponitur, nec contradicit fidei affirmanti, aliquid eſſe furtum: ac eodem modo neque præcepto prohibenti. Quarè nullum dictamen conſcientiæ eſſe poterit vel contra fidem, vel contra præceptum, licebuntque omnia contrahendo dictamina noſtra intra nos ipſos, præſcindendo à rebus in ſe, & materialiter, eo demùm modo, quo component dictamina cum propriis opinionibus contrariis.

Nec eſt in his evaſio per probabile; nam opiniones, de quibus loquimur, non ſunt reflexæ. ſed directæ, nec dicunt de probabilitate ipſa, ſed de re, uti fides, & ſcientia, ut patet & oſtenditur per dicta. Alia plurima ſeſe hic offerunt: ſed hæc videntur ſuffectura, ut adverſarii, qui adeò reflexivi videntur, in ſua dicta reflectant, eorumque ſignificata, & objecta nobis nihil prorsùs intellige potentibus exponant non verbo dando, ſed ſenſa.

QUÆSTIO XIV.

Vtrum ergo ſubditus teneatur obedire ſuperiori contra propriam opinionem de peccato?

§. I.

Aliqua præmittuntur.

INquam, *contra propriam opinionem de peccato*; Nam ſi diverſitas opinionum, & judiciorum eſt circa alia, & de rebus agendis, vel non agendis: & ſic, vel aliter: ab hoc, vel alio agendis, citra peccatum tamen, certum eſt ſubditum teneri obedire: & ita habemus in cœleſti *epiſtola* 5. Ignatii de obedientia primum gradum obedientiæ, id eſt, exterioris executionis, & ſecundum, id eſt voluntatem obedientiæ, & obediendi contra opinionem propriam, & contra júdicium proprium.

Prætereà certum eſt, ſubditum non teneri examinare, & ſcire, an ſuperior rectà præcipiat, an mala. Debent præſumere, ubi neſciunt: ea eſſe recta. Sicut ex Auguſtino *lib.* 22. contra Fauſtum Manich. *cap.* 74. & refertur *cap. quid culpatur* 23. *qu.* 1. accipiunt Theologi, & non tenentur milites examinare, & noſſe juſtitiam belli. Sin verò injuſtitia eſſet manifeſta peccarent militando. Si ſolum opinentur, erit caſus noſtræ quæſtionis.

Videtur ergo, quod ſubditus teneatur obedire ſuperiori etiam contra propriam opinionem de peccato. Primò per textum mihi irrefragabilem S. Ignatii dicenti obediendum eſſe ſuperiori, *ubi peccatum non cerneretur*; At habens opinionem ſolam de peccato, peccatum non cernit, nec videt, ſed opinatur ſolum, & videt, ſe falli poſſe. Ergo obedire debet.

Secundò, quia, quò quidam refugiunt, certum

tum prævalet non certo : at præceptum ſuperioris eſt certum, manifeſtum, ut ſupponimus: lex autem Dei ſolùm eſt opinata, nam ſubditus ſolùm opinatus, certus non eſt de pecoato. Ergo tenetur obedire. Confirmatur; nam poſito, vel ficto, me opinionem habere de lege Dei pro facienda re aliqua; certitudinem verò pro non facienda, tenerer non facere: & hic locum ad litteram illud haber. *Tene certum, & dimitte incertum*; prævaler enim lex certa non certæ. ſed ſolum opinatæ. Ergo ſtandum eſt præcepto certo ſuperioris contra legem in contrarium opinatam ſolum.

Tertiò; quia dato etiam, quod operari nemo poſſit, neque conſulere contra propriam opinionem ſpeculativam, & practicam, ar juxta dicta poteſt, quoties pro judicio practico occurrit ſpecialis ratio, & circunſtanria particularis. Ar in quæſtione occurit ſpecialiſſima circunſtanria, ſcilicet voluntas Superioris, ex qua, & propter quam liceat, imò debear quis diſcedere à judicio univerſali ſpeculativo in formando ſingulari practico judicio; nec indè ulla reſultat contradictio, quia judicium practicum non fertur ad idem adæquatè objectum cum ſpeculativo, ſed ad illud jam variatum, & nova particulari circumſtantia voluntatis ſuperioris affectum, atque veſtitum. Tenemur ergo obedire contra propriam opinionem.

Alioqui magna inconvenienria incurri videntur; quia facile unuſquiſque dicet: ſe opinionem habere de peccato, & re ipſa quæſiris ad id rationibus opinabitur; & tota vis obedientiæ labefactabirur. Nec videtur ſufficere reſtinguendo malo recurſus ad magis probabile; quia ur veriſſimè conteſtatur Vaſquez: unicuique ſua ſemper opinio videtur probabilior, quod conſtabit in appendice.

§. II.

Reſpondetur ad quæſtionem.

R_Eſpondeo, hanc quæſtionem ſic per ſe, & ut in plurimum loquendo eſſe decidendam: quemadmodùm per ſe, & de ſemper reſolvunt Theologi quæſtionem illam, an conſcientia erronea liget, aut obliget: & quemadmodum de conſcientia erronea vincibili tradi S. Thomas 1.2. *qu. 19. art. 6. ad 3.* & alias; declarat autem acutè Vaſquez *diſp. 60. cap. 2. num 4.* Tradunt enim ſimpliciter. & abſolutè non teneri quem adimplendam, & ſequendam conſcientiam erroneam; quia ſimpliciter & abſolutè potius tenetur ad eam deponendam: cum addiro tamen, & ſuppoſito errore, ideſt, ex ſuppoſitione, ut ſermo S. Thomæ procedit, obligatur quis ad non contravenientum conſcienriæ erroneæ, ſeu ut loquitur Vaſquez, obligat talis conſcientia negativè, non poſirivè.

Ratio autem pariſicandæ quæſtionis ſumitur ex dictis; quia tamen eſt omnis noſtra conſcientia, qualis eſt noſtra ratio, vel certa, vel opinativa; & ſi rario; & opinio eſt de peccaro, eſt etiam conſcientia de peccato. Ratio autem noſtra, & opinio per ſe, & ut in plurimum loquendo, quæ eſt contra juſſa Superiorum, eſt ratio errans; & ex conſequenti efficit conſcienriam erroneam per ſe loquendo, & ut in plurimum; & mox ex S. Ignatio probationem efficaciſſimam ſignificabimus. Differunt verò ratio errans, & conſcientia erronea à ratione; & opinione contra ſuperiorem in hoc, quod ratio errans, & conſcientia erronea ſub his terminis, ſemper, & per neceſſe ſint erronea: rario autem; & opinio contra Superiorem poteſt eſſe vera, & recta, nec hoc repugnat: eſt tamen per ſe loquendo, & ut in plurimum falſa, & errans. Idcirco quod de ſemper; & neceſſariò deciditur de ratione vincibiliter errante, & de conſcientia erronea vincibili; hoc idem de plerumque eſt dicendum de ratione; & opinione contra imperatà, vel quoquo modo præſcripta à ſuperiore.

Reſpondemus ergò categoricè, ſubditum per ſe, & ut in plurimum loquendo teneri ſimpliciter ad obediendum ſuperiori: quia abſolutè & ſimpliciter tenetur ad deponendum ſuam opinionem, & ſuam conſcienriam: ex ſuppoſitione tamen ſibi ut in plurimum voluntaria opinionis ſuæ contrariæ, & in ſenſu compoſito ſuæ opinionis de peccato nequit contra iſtam operari, ſeu tenetur negativè, non quod opinionem ſuam ſequendo rectè faciat, ur ſuperius de ratione errante notabar S. Thomas, ſed quod peccet contra illum operando. Et ideò ſecundum S. Thomæ doctrinam in dicta reſponſione ad 3. *& de verit. qu. 17. art. 4. ad* 8. & alias, peccabit utrumlibet faciendo.

Videbunt ex his, quid de illis ſit habendum, qui non ſolum habenres opinionem contrariam, ſed vel nihil omninò opinando, & generaliſſimas opiniones aſſumendo quin de earum veritate, nec opinari quidem poſſint, vel etiam opinionem conformem ſuperiori habendo, præter aut contra propriam eriam opinionem audent non obedire: hos enim, ſi qui ſunt, peccare, ex ſuperioribus quæſtionibus palam accipitur, & ex adjungendis modò conſtabit à fortiori. Probemus nunc dicta per partes.

§. III.

Non poteſt quis obedire, quin peccet. in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione opinionis ſua de peccato.

S_Umarius ſubditum religioſum opinantem ſe peccare, niſi jejunet in hac quadrageſima; & ſuperiorem, quia eum malè habere cernit, præcipere, ne jejunet. Dico, quod religioſus iſte peccabit non jejunando in ſenſu compoſito ſuæ opinionis de peccato.

Hæc concluſio probatur primum ex dictis de operantibus, vel conſulentibus contra propriam opinionem: nam operans contra propriam opinionem operatur contra propriam conſcienriam: nam ratio ſpeculativa, & conſcientia, & judicium univerſale ſpeculativum, & judicium particulare practicum in omnibus, & per omnia ſibi concordant; ubi non eſt ratio particularis diſcordandi, ut ex Vaſquez, Sanchez, & aliis declaravimus. Quod autem in argumentis allegatum eſt, me eſſe rationem ſpecialem de voluntare ſuperioris, verum quidem eſt, ſi ſubditus tenax non ſit, & credit ſuperiori, ſe in univerſali lege non eſſe comprehenſum: ſi tamen perſiſtat in proprio judicio, nulla eſt ratio ſpecialis quoad ipſum.

Deindè quæſtio non eſt de ſuperiore jubente,

quando

quando adducit rationem ſpecialem, ut in caſu invaletudinis; ſed an ipſa ſua juſſio ſine ſpeciali alia ratione ſit circunſtantia particularis, ut ſi ſubditus opinetur, omnem talem contractum eſſe uſurarium, & ſuperior jubeat, ut ſimilem aliquem contractum ineat, ſine ulla circunſtantia diverſificante contractum hunc particularem à contractu in communi, quem uſurarium eſſe ſubditus opinatur. Tunc voluntas ſuperioris nihil ponit particulare, cur contractus hic particularis non ſit uſurarius, ſi ſimilis omnis contractus in communi eſt uſurarius: at ſubditus de omni ſimili contractu in communi opinatur, & judicat eſſe uſurarium: ergo & de contractu particulari injuncto judicat judicio particulari eſſe uſurarium: ergo ineundo contractum operatur contra conſcientiam dictantem, ſe committere uſuram.

Probatur ſecundo & declaratur. Habens opinionem de peccato judicat nolle Deum, ut rem illam faciat; opinari enim eſt judicare, ut ſuppono. Ergo habens opinionem de peccato nequit judicare, contrarium velle Deum, nequit enim unus, & idem judicare Deum velle, & nolle, ſe rem eamdem facere. Quod ſi quis judicaret, eſſet caſus de conſcientia perplexa & per accidens; & tractamus de hoc. Ergo habens opinionem de peccato, non judicat præcepto ſuperioris adeſſe voluntatem divinam, ſeu non judicat, Deum, id velle, quod vult ſuperior: haberet alioqui judicia contradictoria opinativa de voluntate, & non voluntate Dei: quod implicat ex communi & vera ſententia. Ergo non judicat, præceptum ſuperioris eſſe obligatorium. Cujus conſequentiæ probatio eo reſolvitur, quod vis omnis ſuperioris revocatur ad voluntatem divinam, & in tantum homines habent vim obligandi in conſcientia, in quantum eorum juſſionibus adeſt voluntas divina, & prima regula.

Hanc doctrinam ſtatuit ſæpè, & probat Doctor de obedientia egregius S. Ignatius, & vim ubique omnem eò revocat, *omninò conformantes*, inquit, *propoſita ſibi voluntate, ac judicio ſuperioris pro regula ſuæ voluntatis, & judicii, quò exactius conformentur primæ ac ſummæ regulæ omnis bonæ voluntatis, & judicii, quæ eſt æterna bonitas, ſapientia*: Ut hic obiter videat quiſque, qualis regula eſſe poſſint opiniones non magis veræ, quam falſæ, id eſt, non magis conformes voluntati Dei, quam non voluntati.

Multis in idem arguit epiſtola de obedientia. Superiorem ſicut Chriſti Vicarium, Dei vicem gerentem, & loco ejus habere jubet. Arguit ex *Lucæ* 10. *qui vos audit, me audit* &c. ex *Matth.* 23. *omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite*; ex epiſt. ad Eph. 6. *obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, ſicut Chriſto* &c. *facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus.* Tota ergo vis ſuperioris, virtus tota obligandi eò reſolvitur, quod voluntati ſuperioris adeſt ipſa voluntas Dei, & in tantum tenemur, & nihil plus, & minus, ad obediendum ſuperiori, in quantum quod vult ſuperior, vult etiam ipſe Deus: hinc illa Bernardi adducta à S. Patre: *Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.*

Hinc in quæſtione ſubditus ſic de præcepto, & ejus obligatione judicare poteſt, ſicut judicare poteſt de voluntate Dei: at nequit opinari & judicare Deum velle contradictoria; aliundè verò opinatur, & judicat, Deum velle contradictorium ejus, quod vult ſuperior; & opinatur, & judicat, eſſe peccatum, ac proinde contra voluntatem Dei id, quod jubet ſuperior: nequit ergo ſimul judicare, id velle Deum; nam aſſenſus etiam opinativus habet contradictionem, & incompoſſibilitatem cum aſſenſu contradictorio; nequit ergo judicare (loquor ſemper in ſenſu compoſito) præceptum habere ullam vim; ſiquidem vis omnis ineſt ex conſortio voluntatis Dei.

Quarè nimis videntur ſuperficialiter decreviſſe illi qui dicunt præceptum ſuperioris eſſe certum, ac ideò prævalere. Vel enim eſt conſiderare præceptum quaſi phiſicè, id eſt, quoad locutionem illam; & ſic eſt certum: vel eſt conſiderare moraliter, id eſt quoad vim obligandi, quoad ſuam rectitudinem, & conformitatem cum voluntate Dei, & cum prima regula: Et ſic non eſt certum, neque mentaliter enunciabile ei, qui opinatur, & opinando judicat rem eam, quæ jubetur, eſſe peccatum, id eſt, eſſe contra voluntatem Dei, & primam regulam. Et id circò caſus pro iſto non eſt, ſicut ſi opinaretur, Deum velle unum, & ſimul certò ſciret, Deum ipſum velle contradictorium: hoc enim ficto caſu certum non certo prævalere deberet, cum cætera omnia ſint paria. Verum caſus noſter non eſt iſte: ſed opinatur ſubditus, Deum velle unum, & certò, ſcit ſuperiorem, id eſt, hominem velle contrarium, cui tamen in eo non adeſt voluntas Dei; ut ipſe credit. Tunc ergo ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito procedendo peccat, ſi contra opinionem ſuam operetur. Et hic eſt caſus Conſulis, & imperatoris, quem ex Auguſtino S. Thomas, & Theologi uſurpant.

§. IV.

Quædam ſolutio removetur authoritate, & doctrina S. Ignatii.

DIſtinguent ergo duas Dei voluntates, aliam quaſi primariam, & antecedentem, qua aliquid abſolutè præcepit; aliam ſecundariam, & conſequentem, & quaſi ex ſuppoſitione præcepti ſuperioris, abſoluta enim illa, & primaria, & antecedenti voluntate voluit re vera, & præcepit me jejunare, vel orare: at quia plus facit obedientiam, quam victimas, & jejunia, vult conſequenti alia voluntate, me obedire ſuperiori, & ex ſuppoſitione præcepti vult me ſtare præcepto. Hinc opinio mea de peccato verſatur circa primariam illam, & antecedentem voluntatem: operando verò contra illam formabo judicium particulare de non peccato, quia ex ſuppoſitione præcepti ſuperioris vult Deus, ut non obſtante ſua quaſi ſua voluntate me accommodem præcepto ſuperioris. Hanc autem conſequentem voluntatem conſtare, inquis, & eſſe revelationem in illis locis; *Qui vos audit, me audit: omnia quæcumque dixerint vobis* &c.

Profectò ſi omnes in mundo ſuperiores tales ſint contra quod nil ego ſcio) quale. ego habui, parùm curatem, quod iſta voluntatem Dei diſtinctio fieret circa ſuperiores: nunquam enim vidi, à ſuperioribus meis præcipi aliquid, de quo operari, nec ſuſpicari poſſem eſſe peccatum: ſanctiſſima volunt, & jubent; utinam impleremus. Dato deindè, quod caſus rarus aliquis accideret, raròi

accidentia

accidentia præter ſcientiam ſunt; nec magna inde & frequentia mala evenirent. At videtur, quod practicè diſtinctionem illam extenſam aliqui volunt etiam ad Doctores, etiam contra ſuperiores, & etiam contra ſuperiores ſimul, & propriam opinionem, vel nullam. De Doctoribus porrò falſis multas contrarias revelationes habemus, ut conſtabit. *lib. ult.* Nunc *Matth.15.* poſt memoratam illam rectam opinionem Doctorum legis: *ſine cauſa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum*, uti erat doctrina illa.

Quia ergo id circa Doctores dici non poſſe probabitur practicè exemplo Doctorum legis; & oſtendetur libro ultimo, nunc ut idem quaſi à fortiori conſtet, neganda eſt ea diſtinctio voluntatum Dei etiam circa ſuperiores.

In primis illa locum non habet in per ſe malis, de quibus, & circa quæ Deus nullam voluntatem nec antecedentem, nec conſequentem habet niſi purè permiſſivam non tollentem, imò ſupponentem rationem peccati. Ergo Deus nec conſequenti voluntate vult ea à nobis fieri, ſi à ſuperiore præcipiantur.

Secundò quia ſi Deus hujuſmodi antecedentes, & conſequentes voluntates haberet, parendum eſſet ſuperioribus etiam quando quæ imperant, ſunt manifeſtè contra voluntatem Dei: eſſent enim contraria voluntati antecedenti, & abſolutæ, quaſi ſuæ: at ex ſuppoſitione quod ſuperior juſſerit contrarium, jam Deus univerſaliſſima voluntate retractavit omnes ſuas voluntates, eáſque voluntatibus ſuperiorum ſubordinavit. Conſequens autem eſt manifeſtè abſurdum notum: *Ubi tamen Deo contraria non præcipit homo*, dicebat Bernardus: *ubi peccatum non cerneretur*, dicebat S. Ignatius: & iterum; *omnibus in rebus, quæ cum peccato manifeſto conjunctæ non ſunt.*

Ratio autem à priori, cur Deus in iis, in quibus ipſe per ſe jam legem tulit, non conſultis quidem, nec arbitris ſuperioribus, non poſſit nec legem, nec voluntatem ſuam ſubordinare legi, & voluntati Superiorum, ea eſt, quod hoc pacto ſe ſpoliaret primatu ſuo in regulando, & ſuperiores divinitate donaret:quod implicat: quare voluntas Superiorum debet reſolvi tamquam in primum in voluntatem Dei, & non vice verſa. Et hæc eſt etiam ratio manifeſta, cur divina ſapientia nequit ſpoliari primatu in gubernando dirigendoq; homines in finem ſuum. Ideo omnis humana ratio dirigens, & regulans debet reſolvi in divinam Sapientiam. At nulla falſa eſt reſolutionis nec participativè, nec confirmativè. Nulla ergo falſa dirigit, & regulat, id eſt, rectè.

Hanc veriſſimam Theologiam notam habuit, & ſuppoſuit S. Ignatius in epiſtola citata, & alias. Idcirco intendens ultimum, & perfectum gradum obedientiæ, qui in conformitate judicii ſubditi cum judicio ſuperioris conſiſtit, nullam talem conſequentem voluntatem Dei affinxit; quo poſito nulla erat ratio diſcordandi, nulla erat ſecus opinandi, & judicandi; per ipſam enim voluntatem ſuperioris haberet ſubditus, & noſceret voluntatem illam conſequentem, & quaſi pediſequam Dei: & fatuum eſſet, ulterius quærere, an bonum, an malum eſſet, quod jubebantur. Supponit ergo nihil tale dari.

Totus proindè eò ducitur, ut ſubditis perſuadeat, judicium ſuperioris eſſe re ipſa conforme voluntati, & ſapientiæ Dei; non autem judicium ſuum, aut opinionem ſuam. (Primò non confirando in perſona ſuperioris hominem obnoxium erroribus, ſed Chriſtum, qui eſt ſapientia ſumma, bonitas immenſa, caritas infinita, qui nec decipi poteſt, nec vos vult ipſe decipere. Et quoniam conſcii vobiſmet eſtis: vos Dei amore jugum obedientiæ ſubiiſſe, ut in ſuperiores voluntare ſequenda voluntatem divinam certiùs ſequeremini, nolite dubitare, quin pergat fideliſſima Domini caritas eorum miniſterio, quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare:) utique in ſequenda voluntate divina.

Altera ratio vel modus S. Patris ad concordiam judicii obtinendam eſt, ut quod Superior mandat, vel ſentit, defendere ſemper apud amicos noſtros ſtudioſè nitamur; improbare autem nequaquam.

Tertia eſt ſtatuendo nobiſcum, quidquid ſuperior præcipit, ipſius Dei præceptum eſſe, & voluntatem: atque ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto animo aſſenſuque noſtro ſtatim incumbimus, ſic ad ea facienda quæcumque ſuperior dixerit cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, ſine ulla prorsùs diſquiſitione feramur. Quod exemplo Abrahami, ſanctique Mauri, atque aliis confirmat.

Ex quibus denique mirabili ſapientia ſubjiciendo ſubditum ſuperiori, & hunc rursùs ſuo, & ſic deinceps uſque ad Romanum Pontificem, omnium voluntatem ad divinam, judiciorum omnium ad ſapientiam Dei inſtitui, facitque reſolutionem, rem exemplo mobilium ad ſupremum movens, ordinum ſimiliter Angelorum illuſtrans egregiè, atque declarans.

Cuncta hæc vana eſſent, & nihil neceſſaria diſtinguendo duas voluntates Dei. Una eſt ergo: circa quam tamen habendam, & tenendam præferendum ſit judicium ſuperioris, credendùmque rarò ſaltem falli ſuperiorem, & in contradictione judicandum eſſe cum ſuperiore, ut mox declarabo. Ubi vides obiter; quod etiam in appendice dicimus, quàm procul abfuerit S. Pater ab ea immediata libertate voluntati concedenda, qua in rebus non evidentibus valeat immediatè cogere intellectum ad ſenſum cujuſlibet partis: quemadmodùm ego nunc liber ſum ad ſcribendum, vel ad ceſſandum. Si hanc libertatem admiſiſſet, quorsùm illud proœmium: *Videor mihi vos, fratres chariſſimi, audire dicentes, de virtutis quidem hujuſce neceſſitate* (id eſt, judicandi, ſicut judicat ſuperior) *jam non ambigere, illud verò, ut cognoſcatis, vehementer optare, quo pacto ad ejus perfectionem pervenire poſſitis?* Sicut ſi quærerem ego, quo pacto ad ceſſandum à ſcribendo pervenire poſſim. Deindè omnes tres traditi modi eo tendunt, ut ſubditus ſibi perſuadeat, ſe errare, & non ſuperiorem. Revocat ergo ſubditum ad judicandum cum ſuperiore; quia hoc eſt verum; & contrarium falſum: non ergo quia volo. Imò reſponderetur, infallibilius quidem eſſe judicium ſuperioris: contrarium tamen relinqui probabile, & hoc ſufficere, ut ſubditus in ſuo judicio perſiſtat: ſed de his ſatis in appendice.

Patet ergo, omnia etiam in ſuperioribus reſolvi ad veritatem, ſcilicet ad conformitatem cum voluntate divina, quæ eſt conformis tum ſibi, tum ſapientiæ Dei, & hæc non errat, Scientiſſimus obedientiæ Doctor non dixit, non innuit; verum, vel falſum eſſe nihil intereſt: ſive erret, ſive non

erret ſuperior; ſive bonum dicat malum, vel malum bonum, ſalva eſt obedientia: totus contraducitur, ut oſtendat, judicium ſuperioris non errare, eſſe rectum; hoc eſſe medium habendi re ipſa voluntatum Dei. Sciebat ſanctus Pater, non eam vim eſſe ſuperiorum, ut ſive conformia, ſive contraria re ipſa voluntati Dei jubeant, id eſt, ſive errent, ſive non errent, habere vim dirigendi, regulandi, obligandi (niſi ex conſcienria erronea:) ſed vim omnem reſolvit demùm ad conformitatem realem cum divina lege, & ad veritatem.

Quod in ſuperioribus ita eſt, liquet à fortiori clariſſimè idem ipſum in doctrina, in Doctoribus, in opinionibus, & in omni humana ratione, & in qualibet mundi regula. Patet enim, ex genere ſuo Plus deferendum eſſe ſuperiori, quam Authori, ex genere inquam ſuo, & cæteris non admodum imparibus, & contradicente Authore, & ſuperiore, ſtandum eſt ſuperiori. Non ergo eſt invenire ullam regulam ſiſtendo in contradictionibus non magis conformibus, quam difformibus voluntati Dei: quærenda eſt ulterius voluntas Dei: & reſolutio facienda ad veritatem.

ſ. V.

Abſolutè & ſimpliciter ſubditus tenetur obedire.

DIctum eſt procedendo ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito propriæ opinionis: qui ſermo ut exemplo conſcientiæ erroneæ vincibilis declaravimus, eſt ſermo ſecundum quid. Iam nunc abſolutè, eſt dicendum ſubditum abſolutè & ſimpliciter teneri obedire ſaltem per ſe loquendo, ut in plurimum; quia tenetur deponere ſuum judicium: quemadmodum qui habet conſcientiam erroneam vincibilem, abſolu-tè, & ſimpliciter tenetur ad legem contrariam; & ſolum ex ſuppoſitione, & ſecundum quid, & in ſenſu compoſito tenetur ad conſcientien erroneam legi contrariam re ipſa.

Hoc autem non ſolùm pono quando ſubditus habet opinionem contrariam de peccato, id eſt, opinionem propriè talem, vi cujus ſubditus pro certo nòn habet, eſſe peccatum, quod jubet ſuperior: nec enim hoc ſolo poſito obedientia debita eſt in tuto: nam quemadmodum facilè fabricamus opiniones, & probabilitates; ſic etiam facillimè fallimur, & ſi paſſio aliqua vehemens vrgeat, certitudines, & cvidentias comminiſcimur, quas obedientiæ opponamus. Dicimus itaque, ſubditum non ſolùm teneri abſolutè, & ſimpliciter obedire, loquendo ut in plurimum contra propriam opinionem. ſed etiam teneri contra omne proprium judicium *omnibus in rebus, quæ cum manifeſto peccato conjuncta non ſunt:* quales eſſe non ſolent res utrinque controverſæ; & ſcitur, quænam ſint manifeſtè peccata.

Etenim ratio probant, deberi obedientiam contra propriam opinionem, probat, deberi obedientiam contra proprium omne judicium in rebus omnibus, in quibus manifeſtè peccatum non cernitur, quamquam ſubdito ex ſuo judicio certum videatur peccatum eſſe. Nam ratio probans contra opinionem, non eſt, quia opinio eſt quid debile; ſed quia adſunt media ad oſtendendum opinionem ſubdiri, pleтumque ſaltem eſſe falſam: veram autem opinionem ſuperioris, & omnia reſolvuntur ad verum, & falſum; Sed hoc medium quod ſuperior non erret, & ſubditus potius ſit, qui errat, comprehendit etiam judicia, quæ ſubdito exiſtimentur eſſe certa, & judicare debet ſuam certitudinem eſſe falſam. Ergo in rebus, quæ manifeſtè, id eſt; ſine controverſia, & clarè peccato non ſunt, ut in plurimum ſubditus obedire non ſolum contra proprium judicium opinativum, ſed contra omne aliud ſuum judicium. Sin minus ſi quælibet exiſtimata certitudo obedientiam evacuat, & eſt legitima exceptio contra præceptum ſuperioris, difficile haud erit & comparare, & obtendere hoc genus certitudinum multatum.

Concluſio poſita, qua diximus, ſubditum contrà opinantem, & contrà judicantem abſolutè & ſimpliciter teneri ad obediendum plerumque, & ut in plurimum, in gravibus quidem graviter, & in levibus leviter, probatur ex adductis à S. Patre Ignatio. Probat enim ex Dei promiſſionibus, atque ex dictis, & factis ſanctorum, & ratione, medium habendi re ipſa voluntatem Dei eſſe voluntatem ſuperioris. In hoc porrò involvitur, voluntatem ſuperioris plerumque ſaltem, & ut in plurimum eſſe re ipſa conformem voluntati Dei; nam ſi non haberet plerumque ſaltem conformari voluntati Dei, non eſſet per illam magis noſſe, quam non noſſe voluntatem Dei, ut fusè declaratum eſt explicando probabilitatem. Ergo voluntas, & præcepta ſuperiorum habent ſaltem plerumque conformari voluntati Dei. Ergo judicium, quod præceptum ſuperioris contineat peccatum, id eſt, quod eſt contra voluntatem Dei, eſt judicium ex genere ſuo contra plerumque verum; & judicia contra ſuperiorem ſunt plerumque falſa. Ergo plerumque, & ut plurimum tenemur ea deponendo obedire.

Modos autem breviter, & expeditè judicium proprium deponendi tradidimus ex S. Patre. Ex illis ipſis reflexè elicitur hic alius, quod judicare contra voluntatem ſuperioris plerumque, & ut in plurimum eſt errare: in his autem, quæ plerumque falſa ſunt, facilè quis credit, ſe falli, niſi irregularem aliquam, & ſpecialiſſimam rationem habeat. Quemadmodùm contingit in omnibus plerumque falſis, ut ſi quis credat, Matrem odio habere filium; Luxurioſum hominem in occaſione occurente non lapſum: uno, aut ludo deditum non ludere, non bibere. Requiritur vehementiſſima, & violentiſſima probatio. Cum ergo voluntas ſuperioris in plerumque concordans voluntati Dei, ut probatum eſt ex Patre, ac proinde omne judicium contrarium ſit plerumque falſum, ſequitur, quod plerumque ſubditus tenetur obedire deponendo mne ſuum judicium, ſive ulterius judicium ſuum concordet cum judidio ſuperioris, quoad perfectionem pertinet, ſive nihil prorsùs judicet de materia præcepti.

ſ. VI.

Declaratio ulterior doctrinæ.

HAud ſanè æquiparare poſſumus ſuperiores omnes: eſt enim inter eos ordo, & major, & minor immunitas ab errore. Primum in terris locum habent Eccleſia, & Romanus Pontifex inquam, Eccleſia, vel per Romanum ipſum Pontificem, vel per Concilium generale legitimum præcipiens

præcipiens. Huic ſuperiori ſemper, & in omnibus eſt obediendum in iis omnibus: quæ vel circa mores, vel cultum, & religionem jubet omnibus fidelibus: nam in talibus nunquam erant: quicumque ergo ſubditus contrà judicans, niſi obediat, peccat modò ab ignorantia invincibili non excuſetur. Ad noſtrum porrò argumentum non pertinet, hanc Romani Pontificis, & Conciliorum in talibus infallibilitatem ſtatuere.

Jam de reliquis ſuperioribus nemo intendere, nec contendere poteſt, eorum voluntatem, & legem eſſe infallibilem, & indefectibilem regulam morum: cogimur id de Romano etiam Pontifice contra contentioſos probare, & quis interea de eo privilegio inferioribus ſuperioribus adſcribendo verbum faciat? Hic probabile illud ſive verum, ſive falſum, & nihil veritari alligarum, videbunt quale ſit: aiunt illud regulam indefectilem morum. Et ecce interea ſi vel Concilium unum Provinciale non approbatum, & vel Hieronymum, vel Thomam faciamus, regulam infallibilem morum, ridemur. Quid autem eſt eſſe regulam morum infallibilem? Utique non aliud, niſi eam ſequendo peccare non poſſe: De Romano, ut dicebam, interea Pontifice hoc actuosè probare cogimur: & interim unuſquiſque ſequendo unum, vel quatuor Authores certiſſimè non peccat ſive verum, ſive falſum ſequatur, evidens eſt non peccare: quod quippe purè materialis error, minimè nobis imputandus, quin honeſtati morum nihil præjudicans incurratur; quid noſtra, quid mundi refert? De quo late *parte* 2.

Sed ad nos. Compertum eſt itaque de reliquis ſuperioribus inferioribus ſive regibus, ſive Ducibus, ſive Epiſcopis, ſive prælatis Religionum, quod eorum nullus eſt regula infallibilis morum, & quod poſſibile ſit eos errare in præcipiendo. Idcircò ſuperiores revocarunt multas leges ſuperiorum inferiorum; Eccleſia revocavit Imperatorum leges aliquas; item regulæ ipſæ Patriarcharum Religionum judicio Eccleſiæ ſubijciuntur, & à ſede Apoſtolica approbantur. Et eſt omnium reſolutio ad unum, id eſt, ad verum, per quod cuncta dijudicantur.

Habemus ergo ex una parte, hos omnes ſuperiores errare poſſe, & præcipere contraria voluntati Dei Habemus ex alia parte legem Dei clarè præcipientem, ut obediamus ſuperioribus: *Luc*. 10. *Matth*. 32. *ad Epheſ*. 6. Item 1. *Petri* 2. *ſubjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus tamquam ab eo miſſis*, &c. Jam concordiam quærere non poſſumus diſtinguendo, & confingendo duas illas voluntates Dei, de quibus dictum eſt; & alioquin quemlibet ſuperiorem facimus infallibilem, cujus ſcilicet voluntas annexam habeat, & afferat voluntatem conſequentem approbativam Dei.

Tenendum eſt ergo, concordiam eſſe, quam diximus, ſcilicet ſuperiores plerumque præcipere conformia, non contraria voluntati, & & legi Dei: tenemur ergo plerumque, & ut in plurimum obedire, & juſſa facere: ſic voluntas ſuperioris eſt bona, & probabilis regula morum. Habere quidem poteſt exceptionem, ut de probabilibus in genere oſtenſum eſt: requiritur tamen magna, & particulariſſima probatio.

Hoc ad literam explicatur, & probatur ex iis, quæ ex Ariſtotele & D. Thoma, & aliis adduximus de æquo, & bono, ſeu epicheia, quà indigent leges purè humanæ, quia ſcilicet leges hę aliquando deficiunt, & ideò ubi peccant, opus habent emendatione. Sic ergo ſuperiores, reliqui præter & infra primum gradum cum non ſint infallibiles; exceptionem admittunt, nec pluris rectitudinis, & indeficientiæ ipſis tribui poteſt, quam legibus ex adductis ab Ariſtotele 1. *Rhetoric. cap*. 1. licet enim leges propter ſuam univerſalitatem ſint alicui errori magis obnoxiæ, quia tamen legiſlatores pauci prudentiſſimi deliguntur, & in univerſali conſtituunt; *Senator verò, & judex* (& ſimiliter ſuperior) *de præſentibus* determinent, *& ament; & oderint ſua quoque utilitas connexa ſit*, nec ideò *ſatis queant veritatem perſpicere*, computatis omnibus non poſſumus ſaltem plus indefectibilitatis tribuere ſuperioribus, quam legibus. Sicut ergo leges indigere poſſunt emendatione per æquum, & bonum; ſic etiam ſuperiores.

At autem neceſſaria eſt Gloſſa S. Thomæ 2. 2. *quæſt*. 120. *art* 1. *ad* 3. ne per iſtud æquum, & bonum, ſeu epichiam, vel epicheiam præcepta ſuperiorum enerrentur, vel evacuentur, ſicut evacuari leges ſolent. Dicit Itaque Angelicus Doctor, quod cum dictis S. Patris Ignatii concordat; congruunt quippe ſancta ſanctis, dicit, inquam, epicheiam non habere locum in dubiis, *in quibus non licet abſque determinatione Principis à veris legis recedere, ſed in manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed emendatione*. Epicheia itaque circa legem locum ſolum habet in manifeſtis, & proportionaliter circa ſuperiores, id eſt, quod S. Pater dixit parendum eſſe *omnibus in rebus, quæ cum manifeſto peccato conjunctæ non ſunt*. Ad rem quoque eſt gloſſa altera Caietani: *& hoc*, inquit, *benè notent ſapientes in oculis ſuis, qui etiam, quæ juris divini, interpretari præſumunt*, &c. *& dicunt, ſe uti epicheia*: per quod Cajetanus ſignificat, aliquos nomen quidem noſſe epicheiæ, ignorare tamen rem ſignificatam.

Doctrinam itaque concludendo, ſi ſuperiores plerumque præciperent contraria Deo, eſſent Tyranni, & non ſuperiores; ſi non haberent præcipere magis conformia, quam contraria, nullam obligationem inducerent, niſi probarent in particulari; id, quod ea vice præcipiunt: eſſe conforme: ſi nunquam errarent, eſſent, ſicut Eccleſia. hoc ergo in genere habent, ſcilicet plerumque non errare. Sicut tamen alia ſunt aliis probabiliora, & rarius mater non diligit filium, quam amicum: ita alii aliis ſuperioribus præſtant in iſta conformitate cum Deo, id eſt, in veritate.

QUÆSTIO XV.

Vtrum ergo minus multò Confeſſarius poſſit abſolvere, pænitentem contra propriam opinionem.

NOn eò imus, ut Confeſſarios, & ſingulos reddamus, in opinionibus ſuis pertinaces, ſed ut reddamus veritatis, quam cognoſcunt, & ſicut cognoſcunt ſectatores, ut *veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus Eph*. 4. *qui eſt via, & veritas Ioan*. 14. nec eſt alia via.

§. I.

Senſus quæſtionis.

IAm itaque ſuperius notavimus per propriam opinionem haud intelligi meam mei ſolius unius opinionem: hujuſmodi enim opiniones ſanius eſt deponere. Propriam vocamus, quam ſcilicet de facto habet Confeſſarius, & qua hoc ſibi verum, oppoſitum falſum videtur; qua credit, poſſibile quidem eſſe falli, de facto tamen ſibi videtur non falli. Quæſtio proindè eſt in ſenſu compoſito, & retinendo ſuam opinionem; nam ſi perveniente pœnitente ſapientiſſimo, & ejus atrenta authoritate, vel ejus auditis rationibus opinionem, & conceptum ſuum mutet, nulla eſt, ut patet, quæſtio; jam enim tunc ſua opinio eſt, pænitentem eſſe abſolvendum. Quod ſi nihilominus perſiſtat in ſua opinione, caſus erit pertinens ad noſtram quæſtionem.

Jam ergo in hac quæſtione quæ antiquiſſima non viderur eſſe, diſtingui primùm ſolent opiniones probabiles, & improbabiles, erroneæ; & reſolvitur, confeſſarium non poſſe abſolvere pœnitentem contra propriam opinionem, ſi opinionem pœnitentis putet eſſe improbabilem: minus vero, ſi habeat erroneam. Rem ergo ad opininiones probabiles reſtringendo; mox, aliqui diſtingunt Confeſſarium proprium, cujus ſunt oves propriæ: & hunc aiunt poſſe, & debere abſolvere pœnitentem contra propriam opinionem accommodando ſe opinioni probabili pœnitentis: ſecus autem Confeſſarium non proprium, & cujus non eſt ovis illa. Alii utrumque Confeſſarium obligant.

Probatio eſt; quia unuſquiſque in cauſa ſua propria poteſt uti opinione probabili aliena contra ſuam opinionem: ergo melius in aliena. Reſponſio noſtra eſt nemo in cauſa propria, nec in cauſa in genere ulla poteſt operari, nec conſulere contra propriam opinionem in ſenſu compoſito: quin nec ſubditus obedire in ſenſu compoſito: minus ergo multò Confeſſarius, qui ad pœnitentem comparatur tamquam ſuperior ad inferiorem.

Additur, Confeſſarium teneri abſolvere pœnitenrem ritè diſpoſitum: ſed pœnitens in caſu eſt ritè diſpoſitus: ergo tenetur eum abſolvere. Majorem diſtinguimus: Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem ritè diſpoſitum, quem non pœnitens, ſed confeſſor ipſe putat, & credit eſſe ritè diſpoſirum, concedo; quem non putat, nec credit, eſſe ritè diſpoſitum, nego: nam Confeſſarius, & quilibet ſua ſe conſcientia regulare debet in ſenſu compoſito, non aliena; nam unuſquiſque judicabitur per ſuam, niſi in caſu ſcandali; tunc enim debemus conſcientiam accommodare non quidem in malis, ſed in non talibus, ut toties tradir Paulus 1. *ad Corinth.* 8.

Pœnitens itaque opinione ſua credit, ſe non teneri ad reſtirutionem: contra Confeſſarius opinione ſua credit, eum teneri, & unicuique ſua opinio videtur vera; hoc enim eſt de eſſentiali conceptu cujuſlibet mentalis enunciationis: verum enim, vel falſum dicere neceſſe. inquit Ariſtoteles, & concedunt omnes; *opinio antem non inquiſitio, ſed enunciatio jam eſt*, ut idem ponir Ariſtoteles, & pariter omnes concordant. Quibus poſitis, ut mox amplius declarabitur, nulla videtur poſſe ratio eſſe, cur Confeſſarius ſuam, quam verum putat, opinionem poſthabere debeat, aut poſſit opinioni pænitentis, quam falſam credit.

§. II.

Quid ergo reſpondendum ex dictis?

EX dictis itaque univerſaliter de omni operante, vel conſulente contra propriam opinionem, quoties pro variando judicio particulari practico non occurrit circunſtantia aliqua particularis, ex qua, & ob quam judicium particulare conſcientiæ non ultrò, & temerè, ſed rectè diſcorder à judicio univerſali ſpeculativo, accipitur, Confeſſarium non poſſe ullum unquam pœnitentem abſolvere contra propriam opinionem. Reflexas autem omnes, quas in aliis invenimus, & quæ nobis occurrerunt, ſupra propoſuimus, & confutavimus.

Declaremus nonnihil: omnia quippe reſolvuntur ad verum, & falſum; & per hæc ſola omnis dirimenda eſt quęſtio; & probabilitas ipſa pręſtar improbabilitati, & erroneo, quia magis ſe habet ad verum; & ranta eſt vis veritatis, ut dato, vel ficto, improbabilia, & erronea ſe magis habere ad verum, quàm probabilia maximarum, apparentiarum, omni procul-dubio improbabilia, erronea eſſent præferenda, & præhabenda probabilibus; qui fictus caſus explicat, quam in probabilibus nihil ſir ſubſidii ſeorſim à reſpectu ad veritatem, quæ eſt totum, & unicum pretium, *melior eſt* enim, ut dicebat Auguſtinus, *vera ſtipula, quam lux inani cogitatione formata.*

Jam ergo confeſſarium inter, & pænitentem occurrit caſus controverſus de reſtitutione, qui utrinque dicitur probabilis, non utique probabilitare reali poſitiva, quæ eſt regula morum; nam hæc nunquam contradictoriis ſub omnibus eiſdem circunſtantiis congruit, ſed probabilitate alia aliorum generum, quæ diximus non ſufficere

Convenit profectò Confeſſarium inter, & pœnitentem, falli alterutrum; hoc enim non probabile, ſed evidens eſt omnibus, in omni contradictione etiam per ſolas opiniones falli unam partium. Convenit etiam inter utrumque, poſſibile eſſe & falli Confeſſarium, & falli pœnitentem: & hæc eſt formido opinionis; nec enim Confeſſor falli poteſt, & pœnitens falli non poteſt: & ſi ponas pœnitentem, qui falli nequeat, ceſſant omnia, & Confeſſor tenerur ad omnia, niſi ex conſcientia erronea invincibili ignoret hoc tantum pœnitentis ſui privilegium.

Cum in prædictis duobus conveniant Confeſſarius, & pœnitens, jam in alio diſcordant ex toto: Confeſſarius putat ſe non falli, & falli pœnitentem: pœnitens, ſe non falli; falli autem Confeſſarium. In hoc ipſo involvitur, quod ſupra roties eſt declararum, quod Confeſſarius putar, Deum velle, ut pænitens reſtituat, & credir ſe non falli; falli autem pœnitentem, qui credit, Deum non jubere. Jam ergo confeſſor juberur, ut quod ſibi videtur verum, poſthabeat falſo; & quod ſententiam non dicat, ut ipſe credit eſſe legem Dei, ſed contra quam ipſi viderur, eſſe legem Dei.

Eviſceremus iſta amplius. Vim itaque omnem

ponent

ponent in eo, quod opinio confeſſoris ſolum ſit opinio, quod annexam habeat formidinem, quod falli poteſt, & cum iſtis convertibilia alia, quæ omnia pro dictis habeo.

Jam verò primo, per hanc viam exaltari ſimul, &deprimi videntur opiniones probabiles. Exaltari quidem adeò, ut tam infallibiliter liberent à peccaro, tam infallibiliter, actus ab ipſis regulatos reddant honeſtos, atque ipſæmet divinæ revelationes: prorsùs enim, ut aiunt, eſt chimera, quod quis peccer ſequendo opinionem probabilem; ſicur eſt chimæra, quod quis peccet ſequendo divinam revelationem: quod porrò materialis error nobis minimè imputandus, honeſtati noſtræ nihil præjudicans, incurratur, quid precor, noſtra intereſt? Aliundè verò has ipſas opiniones probabiles, quæ adeo infaillibilis ſunt morum regula, tam parvi ſimul faciunr, ur quilibet quandolibet, & conſultor, & Confeſſor poſſinr, imò debeant contra ſuas opiniones probabiles operari, nec eas pluris facere, quam ſi non haberentur. Profectò iſta non videtur eſſe æquitas: & quod ad liberandum nihil ſit potentius; ad obligandum nihil infirmius.

Secundò; nec inter confeſſarium noſtrum, & pænirenrem videntur ſervare æquitarem: inſiſtunt debilirati, formidini, & imperfectioni opinionis Confeſſarii: & opinio pænitenris quid precor eſt. Ur itaque *lib. ſeq.* acutiſſimè Auguſtinus ponderabir, & reflectendum eſt, quod quæcumque contra Confeſſorem allegant, quod falli poteſt, quod formidet, quod contraria, opinio eſt probabilis, hæc ſimul omnia à fortiori allegant pœnirentem, quem reum, & in cauſa ſua magis errori obnoxium magis, & à fortiori convolvunr, ut à ſuo judicio deſiſtens ſtet Confeſſori. Hic mihi videor S. Patrem Ignatium audire dicentem: *tam ſi un un, . undèmque oportet eſſe membrorum ſenſum, & capitis, facile cernitur, utrum ſit æquus, caput membris, an membra capitis conſentire.* Concordari debet Confeſſarius, & pœnitens circa reſtiturionem; reus, & Judex; ſubditus, & Superior; Miniſter, & locum renens Chriſti, & peccarotum; facile cernitur, quis cui debeat conſentire.

Tertiò; idem cernitur ſimilitudine, quæ videtur identica rerum aliatum. Ecce circa res alias habemus opiniones contrarias, & alteri quidem videtur Petrum domi remanſiſſe, alteri egreſſum eſſe: alteri videtur inſidiis plena, eſſe itinera; alteri ſecus. Quæro, ſi de his rogemur, quibus fere tota ſocietas humana conſtar, quid reſpondere debemus? an contra propriam opiniouem? & juxra opiniouem aliorum? An mendaces non erimus? An excuſabimur, quia plurima certò, & indubitatè neſcimus? An velles ſervum, amicum, ſocium, concivem qui in talibus contra ſuam opinionem per reflexas: quod aliis ira videatur, evaderet? Hoc in aliis pro mendacio habetur. Sed ais, in ralibus falli poſſumus. Utique falli poſſumus, homines enim ſumus: id ergo noſtrum eſt, ur quæ cognoſcimus, & quomodo cognoſcimus, ita dicamus & verbis, & factis. Cauſa porrò noſtra eſt multò gravior, quam humanæ iſtæ minutiæ. Confeſſor ergo debet abſolvere, & judicare, ſicut, & quomodò inrelligit coram Deo; at putar pœnirenrem teneri reſtituere: ergo niſi velit reſtituere, non poteſt eum abſolvere: & ſi pœnitens nolit conſentire, ipſe ſibi imputet.

Si conſcientia Confeſſarii recta fuit, & ratio ejus non errabat, rectè fecit: ſi errabat, habuit conſcientiam erroneam: ſi ea fuit invincibilis, nil peccavit: ſi fuit vincibilis, commiſit peccatum ignorantiæ per regulas communes.

§. III.

Vlterior comprobatio doctrinæ.

HOc in loco illud primum quærendum arbitrarer, cur quæſtio iſta de foro ſimiliter exteriori, ſeu fori non inſtituantur, utrum ſcilicet Judex vel in criminibus, vel civilibus poſſit, num etiam teneatur vel abſolvere, vel ferre ſententiam, vel judicare contra opinionem ſuam (nec enim ſemper nec ſæpe habenr evidentias) juxta opinionem probabilem rei, vel partis unius in civilibus? Videtur ſanè reſpondendum à Judicibus, haud dignam eſſe quæſtionem; cum enim Judex, & non reus ſit judex, judicis eſt judicare; rei eſt judicari judicis ſentenriæ, ac judicio reus ſtare debet, non contra: eſſet enim vices invertere, & ordinem pertubare rerum omnem. Sed aio: iſta accomodari ritè per reflexas. Ar negant, nec diſputandum autumant, an ſive per directas, ſive per reflexas reſolutio, demùm ſir facienda ad opinionem rei contra judicem, an ad opinionem, & judicium judicis contra reum. Facimus alioqui reum ſuimet judicem, & judicem ipſius miniſtrum.

Ar in ſacro magno Concilio Tridentino traditur *ſeſ.* 14. *cap.* 6. *Quamvis autem abſolutio ſacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed inſtar actus judicialis, quo ab ipſo velut à judice ſententia pronuntiatur.* Videtur ergo, quod in quæſtione de reſtirutione inrer Confeſſorem, & pœnitentem, hic illius conſenrire judicio, non judex pœnitenti ſtare debear. Poteſt quidem in urroque foro à parte ipſa judex, vel Confeſſor audire motiva ſua, & his induci ad idem cum reo judicandum: verum non iſta eſt quæſtio, ſed quando auditis cunctis contrariæ opinionis vel eſt judex, vel Confeſſor.

Ais, plurimum diſcrepare urtumque forum, & tribunalium, & ſactamenti. Er fateor equidem; nam alterum eſt juſtitiæ, plenum miſericordiæ alterum, in quo quippe æterna pœna in temporalem commutatur; culpa tota remittitur: in quo reus pro ſe auditur. quia fallere eum non poteſt, qui peccata remittir, ſeu in cujus nomine, & virtute ſir remiſſio, & ſi mentitur, nil obtiner. Cæterùm in quibus ſir miſericordia ſcitur; nec hoc ad alia eſt extendendum. Pœnitenti credendum eſt dicenti pro ſe, & contra ſe, ſcilicet in factis, vel non factis: non in reliquis, an peccatum ſit mortale, an veniale; an hujus, an illius ſpeciei, an majus, an minus, an v. g. omnea ſpecies luxuriæ ſint minus peccatum, quam minimum peccatum mortale furti. In his Confeſſor eſt, qui judicare debet: alioqui contra quam omnes Theologi tenent, nulla horum ſcientia, vel cognitio eſſe neceſſaria Confeſſatio: quemadmodum nulla eſt illi neceſſaria cognitio, quid quiſque fecerit, vel non fecerit; peccaverit, vel non peccaverir: nam hæc accipere debet à pænitenre: ſicur & judex aliunde noſſe debet factum, vel non factum. At facti totius habita cognitione, re-

liqua adinſtar actus judicialis procedunt: Confeſſor plus minus conjicere debet, an ſit ritè diſpoſitus pœnitens: ſi opinatur, eum non eſſe ritè diſpoſitum, nec credere viſis omnibus ei poteſt dicenti ſe pœnitere, quia ipſi non hoc verum videtur, quia vel occaſionem proximam habet, vel alia de cauſa, nequit eum abſolvere. Similiter ergo, ſi legem Dei eſſe videtur, quod reſtituat & falli eos, qui contra opinantur, non poteſt illum contra ſuam ſententiam abſolvere, ſed tenetur, ut judicat corde, ſic etiam ore proferre ſententiam, ſicut judices: & ſicut reflexæ illæ tergiverſationes in judicibus locum non habent, ita neque in Confeſſore. Sin minus contra quam Concilium ſtatuit, nihil formæ judiciariæ ſupereſt, ſi pœnitens denique non judicio Confeſſoris, ſed judicio potius ſuo, vel aliorum abſolvitur.

Confirmantur iſta ſaltem quoad caſus omnes pertinentes ad tertiam perſonam. Ridiculum videretur, quod in cauſa contractus alicujus, vel furti; vel debiti, vel illatæ injuriæ &c. non ſolum poſſe judex furem, vel debitorem, vel offenſorem contra ſuam opinionem abſolvere, ſed quod hoc ulterius fieret inaudita protsùs altera parte, & quod judicium fiat audito ſolum debitore de ſuis magnis neceſſitatibus, & aliis cauſis; propter quas non videtur cogendus ad reſtitutionem, vel ſolutionem, & eo etiam dato inſuper, quod eſſe vir graviſſimus, qui ſciens, & volens non mentiretur; falli enim poſſet in cauſa propria: audienda eſt alia pars, qui fortè majora patitur, qui multa pro ſe allegabit. Confeſſor ergo in his ſaltem cauſis eſt medius, & in quo nimium uni favet, injuſtè præjudicat alteri: pro pœnitente debitore, vel fure, vel offenſore mitem eſſe eſt contra creditorem, contra dominum rei, contra offenſum durum exiſtere, quibus intereà major debetur benignitas, & favor. Tenetur ergo non ſolum contra opinionem propriam non abſolvere, ſed quandoquidem in ſuo judicio pars alia non compatet, illius quaſi ſuſtinere perſonam, & ſupplere defectum conſiderando ſaltem univerſaliter, quanta creditores, rerum domini, offenſi, & alii patiantur, quia ſua ſibi bona non reſtituuntur; & omnibus citra amorem, & odium, quæ judicium veritatis perturbant, attentè perpenſis, ut ſibi in Domino videbitur, rectum judicium, id eſt, veritatis judicium judicare: quemadmodum faciunt judices.

Declaratur, quia licet, quoad remittendas culpas, & quoad infligendas pœnas utrumque forum prorsùs diſcrepet, & tribunal ſacramenti totius ſit clementiæ ex Jeſu Chriſti ſanguine, at nihil juris competit Confeſſori magis, quam judici quoad diſponendum vel arbitrandum de bonis, & fortunis aliorum, nec ad hoc erectum eſt ſacramentum pœnitentiæ, nec fuſus ſanguis Chriſti. Nihil ergo quoad illa magis poteſt Confeſſor, quam judex, quem, & quando judex reum non liberaret, nec abſolveret, neque Confeſſor poteſt. At quidquid noviſſime aliqui reclamarint, ſecundum bonos quoſque Theologos, & ſecundum ſenſum, & praxim bonorum judicum, judex opinans omnibus conſideratis, reum teneri ſolvere, vel reſtituere, vel contractui ſtare nequit eum contra ſuam ipſam opinionem liberare, & abſolvere ſequendo alias opiniones, quæ ſibi falſæ videntur. Ergo neque poteſt Confeſſor.

Comprobantur iſta ex cauſis, & controverſiis frequentibus inter utramque Poteſtatem, Eccleſiaſticam ſcilicet, & temporalem. Jam ſi Confeſſor & poteſt, & tenetur contra ſuam opinionem ſtare opinioni probabili pœnitentis, & rei, poterit, ſimiliter & tenebitur Poteſtas Eccleſiaſtica, id eſt, ſancta, & pia Mater Eccleſia contra ſuam opinionem ſtare opinioni probabili filiorum ſuorum, ſcilicet ſæcularium Principum, & Miniſtrorum: quo uno omnes controverſiæ ceſſabunt, & nulli communitet ſententiæ excommunicationis, aut alteri pœnæ locus ſupererit. Etenim Dei gratia nullos his ſaltem ætatibus fortiti ſumus tyrannos Principes Eccleſiæ ſanctæ filios: habito conſilio ſuorum ſenatorum judicio, nec ſine Theologis, ſi res ad Theologiam pertinet, vel bella movent, vel delinquentes ex ſacro loco extrahunt; profectò operantur ex opinione autorizata, nec prorsùs abſque ulla apparentia rationum, Qui enim, vel ubi principes Orthodoxi, qui citra ſimilia contendunt cum Matre Eccleſia? Quæ porrò pro abſolutione in ſacramento allegantur, eadem hic vigent. Jam ergo ſemper ſancta Mater Eccleſia contra ſuam etiam propriam opinionem ſtare debebit opinioni ſubditorum filiorum, nunquamque eos condemnare: ipſi quidem ex ſua opinione probabili, imò, nihil opinando, & ex alieno etiam probabili ſanctè, & ſine peccato juriſdictionem ſuam, vel promovebunt, vel tuebuntur, contra Eccleſia per eorum probabile judicare debebit.

Poſtremò, ut omittam alia, ex doctrina contraria fieret, contra quam omnes credunt, & loquuntur: Confeſſores Regum, & Principum in nullo eſſe periculo; quia quibus Regibus, & Principibus ſuffragia deſunt Senatorum, & Theologorum, & ſic probabile pro his maximè rebus, quas non tamquam homines fragiles committūt, ſed tanquam Reges, & Principes per agunt ſive in inferendo bello, ſive ineundo confœderationes, in gabellis: irrumpenda pace, & infringendis juramentis, &c. ſanè practicè rem conſiderando qui ſunt, vel ubinam gentium hi Reges, & Principes? Quin iis plus ſuppetit copia Authorum ſubſcribentium, & approbantium, Quare Confeſſores eorum minus haberent periculi, ſi contra opinionem ſuam abſolvere poſſunt, & debent: quia nec opinari quidem obligantur, ſed nihil prorsùs opinando, nec res intelligendo, an bonæ ſint, an malæ, abſolvunt tutiſſimè.

Neque verò illi Confeſſores ſolùm ſunt hominum, & non hominum Regum, aut homo peccat; & Rex non peccat; aut res hominis ad conſcientiam pertinent & ſtatus, & bella, & fœdera ad conſcientiam non pertinent, aut ſi perit Rex, ſalvabitur homo, quemadmodum per inconſiderationem, quidquid eſt negotii, ſeparare à conſcientia velle videntur aliqui.

Quod ſi de Confeſſariis, contra, vel præter opinionem ſuam abſolventibus opponat aliquis, quod tamen neſcio, quam multi hoc faciunt. Eo dato, & non conceſſo reſponderet Auguſtinus *in Pſal. 35. Nunc autem multi doloſè regunt, ut inveniant iniquitatem &c. Quid enim dicit? quam multi hoc faciunt? Et quis hoc non facit? Et numquid omnes perdituri eſt Deus?* Jam ſuperius eſt oſtenſum, hunc eſſe manifeſtum, & vitioſum circulum aliorum per alios viciſſim ſe excuſantium & defendentium.

QUÆSTIO XVI.

QUÆSTIO XVI.

Utrum ergo via, & lex veritatis ſit omnibus commoda, & deſideranda?

§. I.

Veritas videtur incommoda.

HOc ex loco ſacroſanctæ veritati medium conflatum eſt maximum, & velut nimis dura, auſtera, ac terribilis traducitur, quaſi homines relictis reliquis ad veritatem ipſam quærendam obligare, ad illamque, qualiter invenerunt, aut inveniſſe ſibi videntur, mores ſuos exigere, ſit auſterum nimis, incommodum, & terribile. Inde alia via quæſita eſt, quæ non magis vera ſit quoad res ipſas, quam falſa: inde contra quam nobis verum videtur, operari conceſſum, & conſulere, & abſoluere: indultum inde, ut liceat bonum re ipſa dicere malum, & malum re ipſa tale dicere bonum, modò probabilitas ad ſit, quæ tamen inſpectis omnibus, quæ occurrunt utrinque, non magis perſuadeat nobis, eſſe bonum re ipſa, quoad bonum eſſe dicimus, quam eſſe malum: eſſe magis re ipſa lucem, quam eſſe re ipſa tenebras.

Videtur porrò, ex quo odium conflatum eſt veritati, noſtra intereſſe plurimum, quod ad ipſam præcisè veritatem non obligamur; nam illa in primis, cum in omni contradictione, & controverſia uni duntaxat parti conveniat, utrique ſimul congruat nunquam, magnam nobis adimit libertatem, & exemptionem per contradictoria, ut libet, ambulandi; illiberale quiddam idcircò appellavit jure Ariſtoteles veritatem; in eſſendo quippe illa ſemper eſt pro uno; in cognoſcendo ſimiliter ſive per certitudinem, ſive per opinionem vel pro uno, vel pro nullo, quando ſcilicet ignoratur: pro utroque ſimul ſanè nunquam: quod adeò veritati repugnat, atque repugnat ipſam veritatem ſimul, & falſitatem eſſe. Hinc ergo prima, & univerſaliſſima veritatis duritis, quod utrique ſimul parti, ſicut favere non poteſt, ita neque placere: & ſimiliter Doctores illius favere, & placere virisque ſimul nequeant.

Deſcendendo mox ad facta, moresque hominum, veritatis ſervata lege plurima facere non poſſunt, quæ vel faciunt, vel poſſe facere ſua intereſt plurimum ſive ad tuendum honorem, ſive ad cumulandas divitias, ad ampliandum ditionem, jurisdictionem, ac ſimilia: quæ in ſpecie, & in particulari deducere non licet, ne eorum propoſitio videatur eſſe accuſatio; ſcitur, hoc ex loco veritati illatum bellum, dicendo, per eam manus ligari ad plurima: omnibus expedire, cauſam eſſe omnium, ne ad illam præcisè teneamur, ſed ſufficiat aliquid, quod utrique contradictorio conciliari queat. Hinc, ut alia præteream, non ante annos certè innumeros Patri Vaſquez *diſp.64. cap.3. numer.16. & 17.* abſurdum, & quod nemo eatenùs auſus eſſet concedere, & inauditum videbatur poſſe dari bellum juſtum ex utraque per ſe loquendo, & citra ignorantiam invincibilem unius partium: jam tamen ſublata lege veritatis præciſæ, conceſſum eſt bellum juſtum utrinque citra ignorantiam omnem talem.

In hac quæſtione conſilium non eſt de noſtra ad veritatem obligatione, atque de reliquorum inſufficientia dicere; dictum eſt de hoc multum, diceretùrque in libris conſequentibus. Si enim omnes viæ Dei ſunt veritas, viam, & legem veritatis nolle id eſſe videtur: recede à nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus, nam uno verbo lex Dei, & veritas ſunt idem, vel connexa, utque ſcitur in Logica, id eſt in intellectu verum, quod in rebus eſt eſſe: & ideò ſicut veritas, ſic & lex uni ſolum parti omni contradictione, & controverſia congruit, & favet, & placere poteſt.

De ipſo itaque temporali noſtro commodo viſum eſt aliqua pro ſacroſancta veritate dicere, ut ſiquidem ſola ignorantia, vel error veritati bellum poteſt indicere, detecto errore ipſam ut nobis etiam commodam amplectamur, neque nobis ex D. Thoma *Opuſc.73.* de uſuris in prooemio, aliis increpetur: *Omnis homo à natura non degenerans veritatem amat, ex 1. Metaph. 1.*

§. II.

Lex veritatis eſt omnibus commoda, & deſideranda.

SUppono hic, & nunc, his, & illis in particularibus occurrentibus caſibus veritatem eſſe incommodam, duram, & difficilem. Verùm non in hoc ſenſu noſtra nunc quæſtio inſtituitur, ſed loquendo de omnibus, & per ſe, & præſcindendo à caſibus partibus, in quibus de facto ſumus, & non de parte, ut ita dicam, cauſæ, ſed de univerſa cauſa reſpectu omnium caſuum, & reſpectu noſtrum omnium, & ſingulorum ferendo judicium.

Quoniam verò iſta indigeat magis rerum ipſarum declaratione, quam argumentis aliis, quibus extorqueatur aſſenſus, incipiamus ab eo, quod *quæſt. præc.* eſt tractatum, an lex illa, qua Confeſſorem obligavimus ad cogendum pœnitentem ad reſtitutionem, quam debitam eſſe re ipſa Confeſſori videtur, ſit commoda, vel incommoda; dura, vel blanda? Jam dictum eſt, id, quod ſuave eſt pœnitenti debitori, durum eſſe creditori; jam etiam patet, hic, & nunc illi debitori commodum eſſe non reſtituere; commodum eſſe quòd Confeſſor, non ut ſibi videtur verum, ſed alienæ opinioni, quam falſam credit, conſcientiam ſuam per reflexas accommodando ferat ſententiam.

Conſideremus porrò hos ipſos & debitorem, & creditorem; furem, & rei dominum ante caſus ſuos occurrentes omnes, deliberantes, quid ſua magis intereſſet, an quod ſtantibus utrinque opinionibus res unicuique ſuæ redderentur, & debita ſolverentur, an ſecus? An rurſus ut pro obligatione reſtitutionis, aut ſolutionis opinionibus ſtaretur utriuslibet partium, an perſonæ tertiæ, maximè verò ſuſtinentis perſonam judicis, locum tenentis Chriſti; cujus nulla eſſet utilitas in reſtitutione, quam non reſtitutione, nec in ſolutione magis, quam in non ſolutione? Quærantur ergo, quid ſibi deſiderent: quid ſua intereſſit magis?

Profectò videntur reſponſuri, & Reipublicæ, & omnium, & ſingulorum intereſſe, quod unusquisque habeat, quod ſuum eſt: & quod ſententia feratur, non juxta opiniones partiom, ſed ut illi tertiæ perſonæ juſtum, tectumque videtur. Reipublicæ ſanè ita expedire: idcirco conſtitutos eſſe judices; leges item latas, ablata reſtituere, debita ſolvere jubeant, msnifeſtom eſt: id autem, quod expedit Reipublicæ, commodum etiam eſſe civibus, majori ſaltem parti perſpicuum eſt.

Sed ad unum, eundemque hominem veniamus nondom debitorem, nec creditotem, & quid ſibi commodum, inquiratur. Vellem, ait, ut ſi ego debitor ad ſactamentum pænitentiæ pervenero, Confeſſarius me abſolveret juxta meam probabilem opinionem, nec me cogeret reſtituere, vel ſolvere; licet ipſi aliud videatur: vellem tamen ut ſi meus veniret debitor, cogeretur reſtituere quia multum patior ego, & patiuntur alii, quia ſua ſibi non reſtituuntor, neque ſolvuntur. At dicimus illi, hoc eſſe non poſſe; unam fore legem creditorum omnium, & debitotum omnium. Quibus ergo ex genere, & in univerſali faveri velit? Certè niſi jam ſit debitor factus, aut fur, omnibus in genere expedire dicet, quod debitores cogentut ſolvere, & fures reſtituere: æquius eſſe, ut patiantur, qui aliena expenderunt, aut abſtuletunt, quam ii, quibus vel invitis ablatæ ſunt res ſuæ, vel qui ut bene facerent, mutuarunt aliis res ſuas.

Rursùs mundos plenus eſt debiroribus, & creditoribus: offenſoribus, & offenſis; furibus, & rerum dominis. Manifeſtum eſt, eam veritatis legem, & obligationem ad veritatem utilem, & commodam eſſe creditoribus offenſis, rerom dominis: hæc autem pars eſt cæteris paribus melior pars Reipublicæ: melius eſt enim cæteris ſervatis paribus creditorem eſſe, quam debitorem; offenſam pati, quam inferre; dominum eſſe, quam raptotem. Ergo meliori ſaltem parti Reipublicæ commoda utilisque eſt obligatio ad veritatem, quæ videtur perſonæ tertiæ.

Sed ad noſtum nunc pœntientem redeamus, eique repræſentemus; quot in uno commodo ipſe devoret incommoda; fortè enim propoſitis omnibus ipſe jam factus etiam debitor commodum non reſtitutionis cum tot una incommodis volet. Sequentia ergo omnia illi propono ſequi contra ipſum, ex hoc ſuo commodo, quod non cogetur reſtituere, quia ſua opinio eſt probabilis.

Vide ergo; nam primum ſequitur, nec debitores tuos nec præſentes, nec futuros cogendos ſolvere, aut reſtituere in ſimili: ſi qois fortè tibi injutiam inferet, aut dedecus, haud tenebitur reſarcire infamiam, quidquid Confeſſori videbitur, ſi ipſe pro ſe habuerit opinionem probabilem. Si famulos habes, poterunt ſinguli tria, & quatuor, & octo regalia ſine peccato mortali ſurripere, & largiùs ex comeſtibilibus: licet, quod pactus es, illis ſolvas, id, quod ſibi ex modo ſuo deerit, auferre poterunt. Quisquis gravem neceſſitatem patitur, ut tot ſine numero milites, tot in Republica ſine numero alii, poterunt ſibi ex bonis tuis providere. Si pauper es, vel fueris, rati, & raro cleemoſinam tribuere tenebuntur. Si Rex, aut Princeps opinionem probabilem duorum, aut trium pro ſe habuerit, quidquid integro ſenatui reliquo aliud videatur, poterit gabellas imponere, augere, multiplicare. Si Princeps vicinus jus probabile habuerit, poterit Regem tuum bello petere, patriam tuam invadere; & circa te, & circa tua peragere ea, quæ in bello vel Aurore ipſo Principe, vel ipſo impedire non potente ſequi ſolent malorum omnium. Si Confeſſor te tuus rectè abſolvit contra opinionem ſuam, etiam Confeſſor Principis ejus rectè facit: confeſſores reliquorum illorum ritè abſolvent.

Si præterea timet fundatè quis, te tevelaturum vera illius crimina; poterit ille, ut honori ſuo provideat, ſeque defendat, fabricare falſa crimina de te, illaque dicere. Quidquid de te ſcitur, quod peccatum non fuerit, publicare quisque poterir: peccata etiam, ſcelera, ſi quæ tuo uno in loco ſcitur, à quibuslibet ubilibet evulgari poterunt. Prætereo longiorem rerum harum catenam retexere. Si confeſſor tuus contra ſuam opinionem eo duntaxat fundamento, quia ſcilicet contratia quoque opinio tua eſt probabilis, te poteſt abſolvere, ea omoia vel pleraque, quæ propoſuimus, & alia multa ſequuntur, quæ contra te vel ſine peccato ullo, vel cum peccato ſolum veniali, quod tam facile admittitur, fieri poſſint. Quæro ergo, quod non ad ſolam non reſtitutionem, quæ par- eſt cauſæ, ſed ad univerſam cauſam tuam reſpiciens, tebus tuis omnibus conſulens, reſpondeas, quid ſit tibi commodius, qnid deſiderandum magis, an tot contra te rebus, & conſequentiis, & periculis ſubjici; an reſtititutionem illam facere? & quod lex contradictoriotum nulla ſit, ſed veritas, quæ uni ſoli, ſemper favet, id eſt, veritati favet, prævaleat, & ad illam quærendam obligentur homines relictis teliquis?

Reſponſurus videris utique, hanc veritaris legem omnibus quaquam verſum conſideratis commodiorem eſſe, deſiderabilioremque ſanè omnibus: ad teliquos minimè eam amplexuros: quod ſi omnes unâ convenirent, nil futurum fœlicius. Cæterùm habemus ex hoc, quidqoid intendebamus, veritatem non, ut obtenditur, eſſe incommodam rebus noſtris, non duram, auſteram, & terribilem, ſed errotem hunc eſſe, qui prætextis erroribus verirati bellom indixit: & quemadmodum ertoris Pater Dæmon hoc eodem artificio ſuos ſeducit perſuadendo Deum eſſe auſterum nimis, & dutum, multò verò commodios ſibi conſentire, & interea ſuos torquet, & cruciat; ita prorsùs, quoniam veritatis, & Dei una eſt cauſa, ſuadere nixus eſt, viam veritaris eſſe duriſſimam, rebus noſtris incommodam; quod cum contra veritatem ſit, falſum eſſe, mirum non eſt.

ſ. III.

Vlterior declaratio commodorum veritatis.

SUper illud, *& veritas liberabit te*, ſi non placet veritas, delectet libertas, inquit Auguſtinus: dèlectet nos ſaltem commoditas noſtra, & otilitas, ſubdam ego.

Jam ergo probabilitates in præſentia commodi cauſa prætenduntur; veritatis natura diſplicet, quæ ſemper eſt pro uno ſolo. Hoc tamen obtendenti

denti cuique nunc univerſaliſſima proponimus, has probabilitates ſic eſſe,& valere contra ipſum, atque pro ipſo : hoc tamen diſcrimine, quod ipſe unus ſolus eſt ; plurimi illi, qui contra ipſum his probabiliratibus uti queant: plus autem poſſunt cæteris paribus multi contra unum, quam unus contra multos. Ergo univerſaliter plus præjudicii, vel incommodi afferet uniçuiqne, quod laxetur cum multis contra ipſum, quam quod laxetut cum ipſo contra multos. Singulari alicui; qui propter officium aliquod, vel potentiam majorem commodior etit laxitas; quia plus ipſe uti poteſt conrra multos, quam multi contra ipſum: ſed hic eſt ſingularis aliquis: non ejus cauſam hic tractamus,ſed univerſaliter omnium, & etiam ferè omnium ſingulorum.

Nunc ad hotum clariratem majorem conferamus, Principem cum ſubditis, & ſuditos cum Principe; Principes cum Principibus, Regna cum Regnis: venditores, & emprores; mutuantes, & mutuatarios : dominos, & famulos, & uno verbo proximum quemque, & frattem noſttum cum omnibus proximis ſuis, & fratribus: ſumus enim his correlationibus, & nexibus conjuncti, conſtrictique viciſſim & invieem membra. Neque vcrò dicitur, pro aliquo vetiratem neceſſariam non eſſe: pro cæteris autem contra ipſum veriratem neceſſariam eſſe: laxandum cum Principe, non laxandum cum ſubditis; vel indulgendum Prin-ipibus: incertum porrò eſt loquendo etiam depotentiſſimis Principibus, qui quibus plus poſſint, an ſubditi omnes contra Principem, an Princeps contra ſubditos: ſi laxentur illi manus ad augendas gabellas, lege eadem laxanrur ſubditis ad non ſolvendum, ad defraudandum quia nimiæ ſunt ; ad occultas debitorum compenſationes; ad parvitates ſatis magnas corrodendas : ad conductionum augenda pretia, ad muruaræ pecuniæ exigenda lucra ingentia, quibus æraria Regia plerunque obſumuntur. Quo rursùs jure Principi ſolvuntur manus, ut ex jurc probabili ſive vero, ſive falſo bellum inferat, eodem ſuis ſubditis Ptincipibus ſolvuntur adverſus ipſum. Nnnc quidem quia Regum aliquis fœlicius habet, è re ſua eſt facilitas bellum movendi, ſuasqne ampliandi Provincia: at mutatæ ſunt vices, murarique in poſterum poſſunt: & hæc ipſa probabilitas, quæ ſibi nunc eſt commoda, ſibi fortè poſt, aut ſucceſſoribus, & Regno cladem afferre poterit. Certè bono communi in univerſum, debilioribusque Principibus hunc majoris facilitatis commoditatem unius exitialem eſſe, nemo non videt.

Commodum unicuique, ut cætera prælibata omittamus, videtur, quod in præcepto dilectionis proximi laxetur cum ipſo, & vix ad aliud obligetur, quam ad non odio habendum,& hoc ſit amare, ſcilicet non odio habere, & hoc benefacere iis, qui oderunt nos, illis non male facere. Sir ſanè ita : non nunc de hoc, ſed de commodo uniuscujusque diſputamus. Ac videre debet, ſicut laxatur cum ipſo,ſic eſſe laxandum cum reliquis. Quis ergo ſibi videtur fore jucundius; & commodius, ut ipſe quidem diligeret proximos, ſicut ſe ipſum, id eſt, ad modum ſui, & quantum poſſet, benefaceret: de malis eorum, quod diligentium eſt, triſtareruſ, dc bonis lætaretur: loqueretur tanquam de fratribus: ſic autem viciſſim plurimi erga ipſum ſe gererent: an oppoſitum? Videtur ſanè unicuique commodiſſimam, ac valdè deſiderandam eſſe hanc fraternitatis, & mutuæ dilectionis legem.

Dicamus ergo, nobis liberalitatem, & ſtrictam naturam veritatis conditionem non placere, quia ſemper eſt pro uno, utrisque ſimul favere nequir, Haud tamen dicamus, illam nobis commodiſſimam non eſſe. Ligat quidem nobis munus in multis: at ligat ſimul multis aliis contra nos. Obligat nos ad multa bona erga alios: obligat ipſa multos alios ad multa bona ergo nos. Noſtrum ergo vitium, non natura ſua eſt, quod veritas plurimum non placeat : ignorantia noſtra eſt, quod eam tanquam incommodam, tanquam auſteram nimis, & rigidam, & terribilem aut tergiverſemur; & loco ejus, quæ in omni contra dictione, & litc, & controverſia ſemper eſt pro uno ſolùm, aliud quidpiam conquiramus, quod utrique ſimul contradictorio conveniat, id eſt, vero, & falſo.

Jam porrò ſi poſtremò ſupremas ipſas Poteſtates conferre iiceret ſpiritualem, temporalem, & præjudicia illa proſequi, quæ in autoritate, in jurisdictione, in immunitate, in doctrina ipſa paſſa eſt aliquando ſancta Mater Eccleſia, coacta eſt aliàs tolerare ſilentio ex opinionibus, quæ h c gentium, ibi Regnorum probabiles æſtimantur, videret ſanè oculis ſuis quilibet, maximè omnium intereſſe ſanctæ Eccleſiæ utpote habentis autoritatem quidem ſummam, vires tamen temporales impates, ut omni contradictionum ſublata licentia omnes ad unum ad veritatem obligarentur, & quod ſuum eſt ; unicuique te ipſa ſervaretur; nec ſufficeret obtendere, probabilitatem habeo, ſed cogeremur ad dicendum corde, & ore, *veritatem habeo, & ſequor* : ſin minus injuſtitiam committo.

Sed dicis; in ipſius etiam veritatis cognitione errari poteſt: potetit ergo Eccleſia, potcrit ſedes Apoſtolica pari præjudicia,& ſi omnes ad veritatem quætendam, & ad operandum ſecundum illam obligentur : exiſtimabit enim ex etrore aliquis ſe veritatem ſcqui, dum præjudicat. Nihil ergo obtinemus commodi ex obligatione ad veritatem.

Enim verò primùm non eo directa eſt præcipuè quæſtio, ut oſtendatur, veritatem eſſe ſingulis, & omnibus commodiorem probabilitatibus utrique ſimul contradictotio convenientibus: potius enim veritati odium conflatum eſt tanquam nimis duræ, & vix tolcrabili : ad hoc porrò conterendum ſaris foret, ſi ex illa majora incommoda pati non poſſet v. g. ſuprema Eccleſiæ autoritas, quam omnibus demum penſatis hinc, & inde ſubiret præjudiciorum ex probabilitatibus ad verum, & falſum ſe habentibus.

Deindè prope infinitum differunt præjudicia, quæ ex probabilibus licitè, ut dicitur, illa ſubit. Nec enim toties, nec tam facile invenitur veritas, etiam falsò exiſtimata talis : atque invenitur probabiliras; nam iſta in omnibus pœnè controverſis ſpontè ſe offert in utroque contradictorio, & in eo, quod pro me facit, & in eo, quod contra me: ideo in manu mea eſt eligere autem, quod volo: eligetur autem, quod facit pro me. Veritas autem occurret aliquando pro me, aliquando contra me. Non ergo libet maneo. Et rursùs hæc doctrina probabilitatum eſt commoda Prin-

cipi

cipi v. g. controvertenti, ut dicunt, ideoque benignam vocant. Ergo neceſſario eſt incommoda parti impugnatæ: quia lis eſt de eodem bono habendo: quantum ergo extenſionis uni conceditur, tantum ſubit incommodi, & damni pars altera oppugnata.

Quod autem objectum eſt, circa veritatem etiam ipſam errare poſſe homines exiſtimando falſum verum, & ideo nec hac via evitari præjudicia, vel incommoda omnia. Eodem prorsùs modo contra juſtitiam allegari poteſt, eam non eſſe commodam neque Reipublicæ, neque hominibus; quia licet teneantur ad juſtitiam, falli poterunt exiſtimando injuſtitiam eſſe juſtitiam: idcirco ut de probabilibus intenditur, ſatis fore, ſi alterutrum extremum ſequamur juſtitiæ, vel injuſtitiæ. Reſpondetur enim, homines quidem homines eſſe, & errori obnoxios: magnum tamen bonum eſſe, quod ad juſtitiam præcisè obligentur; quam neſcientes, nihil aggredi contra alium poſſint; quam quærere graviter obligentur; ſi voluntario etiam indirectè ignorent, peccent contra juſtitiam, & teneantur reſtituere, vel ſarcire: ſi rarus caſus accidere poterit ignorantiæ invincibilis, hoc inter miſerias humanas recenſeatur. Idem ergo eodem modo de veritate reponimus: ſequentur enim præjudicia vel nulla, vel rata: libro quippe ultimo oſtendetur, vel nullam, vel raram eſſe juris naturalis invincibilem ignorantiam.

Quantum porrò legi præcisè veritatis renuntiando, & ampliorem aliam regulam aſſumendo, ſibi, rebuſque ſuis, ob ignorantiam utique, præjudicatum homines eant, ex divinis veritatis ſacro ſanctæ proprietatibus facile cernitur: habet enim veritas, quod in Auguſtino ſuper pſalmos notatum memini, proprietates illas, quod ſemper, & ubique ſit. Sanè ut S. Thomas 1. *p. quæſt.* 16. & alias demonſtrat, veritas creata cum creaturis ipſis conſiſtit, & cum iſtæ non ſemper fuerint, ſed eſſe aliquando inceperint, nec veritas ipſarum æterna extitit: qua eadem de cauſa, cum illæ ubique non ſint, nec earum veritas ubique adeſt, ſed loco circumſcribitur, vel definitur. At hæc ita quidem ſunt de veritate, quam transcendentalem vocitant, & à rebus ipſis indiſtinctam conſtituunt.

Cæterùm de veritate formali, quæ enuntiationibus, cognitionibuſque noſtris attribuitur, & congruit, res aliter habet: eſt illa ſemper in intellectu Dei: eſt illa in potentia ubique temporum etiam reſpectu intellectus humani, ubicunque iſte erit, quandocunque iſte erit: ubi hoc ſenſu eſt, & ſemper eſt, nunc, & prius; ante, & poſt: in Italia, in Gallia, in Germania, & ubique terrarum, apud ſingulos, & apud omnes ſimul tota, & integra: me nunc non occidere, ſed ſcribere verum eſt ubique, & ſemper apud omnes & ſingulos.

Hinc cernitur, quantum virium unusquiſque habeat in veritate. Rex quidem noſter habet in Belgico exercitum, qui magnis conſtet expenſis curis, laboribus: habet alibi alios: ſed nullum Pariſiis, nullum Viennæ, Romæ, Venetiis, Hajæ, Stracolmi &c. vires ibi ſuæ reducuntur ad veritatem, quæ omnibus præſcribit, hoc eſſe juſtum, hoc injuſtum. Sed habet, inquis, etiam probabilitates ubique. Vides tamen, quantum ſit diſcriminis; nam probabilitates quidem ubique habet, ſed pro ſe, & contra ſe: ubi autem exercitum non habet pro ſua probabilitate, arripitur contraria probabilitas, & oppugnatur, & patitur. Ergo ſi Rex veritati ſuæ renuntiet, omnibus virium ſuarum potentiſſimis neſciens renuntiat. Quod porrò ipſe etiam ſimiles probabilitates habeat adverſum alios, jam dictum eſt ſupra, per ſe loquendo plus poſſe multos contra unumquemlibet, quam unus quilibet contra multos ſui gradus, omnes Reges, quam unus. Deinde probabilitates, quæ ipſi inſerviant, ſolum habet, ubi ipſe eſt & poteſt: non ante, non poſt; non alibi, non Pariſiis, non Londini: potius enim hic inſervient probabilitates contrariæ. Qui ergo ſe de fraudat veritate, & aliam, quam præcisè veritatis vult legem valere, divina quadam ſua ſe ſpoliat potentia, qua ubique locorum, & temporum pugnet, & contra quam nemo agere valeat niſi devorando infernum, & niſi ſub graviſſimo onere reſtitutionis, ut cætera mala omittam, quæ peccarum conſequuntur.

Hoc, quod de Rege dictum eſt, proportionatè ſingulis congruit. Habet civis quiſque in tota ſua civitate, in ſingulis vicis, in unaquaque domo, apud unumquemque concivium, in mente, in corde cum adeſt, cum abeſt, cum ſupereſt, & cum moritur, veritatem ſua ſibi bona vel corporis, vel fortunæ, vel honoris vindicantem: tot manus, quot ſunt homines: tot vires, quot loca, quot tempora. Quis etiam potentiſſimorum tantum habet virium phyſicarum, aut civilis potentiæ? Nullus nullibi nunquam. Verè quippe ſcriptum eſt: *Scuto circumdabit te veritas ejus.*

Eſt præterea veritas æqualiſſima, à Deo nata Dei ad inſtar: non eſt acceptatrix perſonarum, nec veritas viduæ, aut pupilli eſt infirma, & veritas Nobilium potens, veritas Principum valentior. Tantum poteſt veritas pauperis, veritas viduæ, quantum veritas Regum, & quæ favet Regibus, ſicut Deus Regis, & Deus viduæ. Quis jam precor hominum veritati tanto ſuo bono, omnium ſuarum rerum tutrici, vindicatrici niſi ob ignorantiam ſummam opponat, ſua eam non intereſſe, comodam non eſſe, deſiderandam, ardenter amandam non eſſe? aliud quidpiam utilius eſſe, benignius eſſe; ipſam illiberalem, duram auſteram, ac terribilem eſſe? Ergo durum hominibus non eſt ſed omnium benigniſſimum, quod ablata facultate vivendi, & ambulandi per contradictoria, ad veritatem, quæ unius, & pro eſt, obligentur; quin hoc ſua intereſt.

Intereſt porrò impotentiorum, magis viduarum, pupillorum, religioſorum, pauperum: potentes enim ſæpè vi, & potentiæ magnitudine ſe tuentur: at impotentibus veritas ſub cœlo relicta eſt, quæ eos tueatur, quæ apud hoſtes, apud Principes in curia, aulaque nos vindicet. Ad pauperes autem Theologi plerumque pertinemus. Quid ergo veritatem incommodam eſſe ad quærendam obligare, juxta eam humano modo inventam operari durum eſſe nos vel prætexímus, vel opinamur, quorum ferè, ut tuti eſſe poſſimus, patrimonium, & vis, & arma veritas una eſt.

§. IV.

§. IV.

Neceſſarior eſt hominibus veritas, quam virtutes reliquæ.

QUis hoc, quæſo, crederet, veritatem magis eſſe neceſſariam hominibus, quam virtutes ipſas? Certè tam eſſe neceſſariam liquidò deducitur ex conſtitutis ſuperius; nam citra veritatem ſaltem juris nulla eſt in univerſali, & in genere virtus; quia ut ex definitione ipſa virtutum accepimus, recta ratio eſt de neceſſitate de ratione virtutis; recta autem ratio non eſt ratio errans. Rursùs magis in ſpecie nulla virtus intellectualis dicit falſum: nam eſt evidens, virtutem intellectualem, & ejus actus ſingulos perficere intellectum: item eſt evidens, nullum actum falſum perficere intellectum. Magis denuò in particulari idem de prudentia commonſtravimus. At ſine prudentia nulla eſt virtus moralis: ſaltem ut minimum ſine uſu, & actu prudentiæ nullus eſt uſus, & actus virtutis moralis. Ergo de primo ad ultimum, ſic pereunt virtutes unà omnes, ſicut perit veritas, & ſicut ſunt neceſſariæ virtutes, ſic eſt neceſſaria veritas, qua intereunte virtutes omnes intereunt. Divino proinde ingenio paucis multa complexus Auguſtinus *epiſt.* 5. de civitate Dei, *cujus*, inquit, *lex charitas, cujus Rex veritas eſt*: Babylonis proinde lex ſeditio, Rex falſitas erit.

At præter virtutum omnem materiam in ipſis indifferentibus utile eſt hominibus non falli; amplior eſt proinde ditio veritatis, quam virtutum reliquarum. Ergo veritas eſt hominibus neceſſaria & pro virtutibus; & eſt prætereà utilis quoad alia. Rursùs ignorantias invincibiles factorum ſaltem contingentium non obſtare virtutibus multorum eſt ſententia. Jam ergo ſalva juſtitia ſi tu innocens homicida eſſe probaberis, ad furcam tolleris, Ecce tibi ſervatur juſtitia, & quia veritas defuit, innocens raperis. Si ignorantia invincibili uxor tua credatur ſoluta, vel ipſa etiam ſimiliter te mortuum habuit, nulla illata injuſtitia formali uxore tua utuntur, quia veritas vel abfuit, vel latuit. Non tenerentur homines accuratè iſta noſſe, & quanta unusquisque per ignorantiam pateretur?

Omittò alia proſequi, maximè verò de obedientia, quâ, atque juſtitiâ ſalus tota Religionum, & domorum ſingularum, & quæ non plus ſupereſſe poſſunt, quam ſua unicuique veritas conſtet, & ſuperſit. Nimirum ex dictis hactenùs quisque facile accipiet, quantum Superiorum interſit veritas, nec arbitrariis interpretationibus, ut Indiarum Apoſtolus Xaverius in quadam ſua epiſtola loquitur, ipſorum eludatur voluntas, ſciaturque quid re ipſa velint, & id fiat, quod jubent: quantum viciſſim ſubdito unicuique expediat non famam quamlibet, non tumores, non apparentias, ſed veritatem ipſam ſuam reſciri à ſuperioribus, & ſi quando ſua id non intereſt, interſit tamen communitatis.

Uno jam verbo ſic, & adeo eſt hominibus commoda veritas aliquando pro uno, aliquando pro alio militans, atque eſt illis neceſſarius intellectus; & id erit humana Respublica ſine veritate, quod futura eſſet ſine intellectu; non quidem tanquam Respublica, vel aggregatio ferarum, ſed deterior.

Hoc nimirum totum, quod glorioſo vocabulo intellectum vocamus, & quo beſtiis præſtamus, aliud re ipſa non eſt, quam potentia quædam circa verum verſans; atque ſublata veritate interit, ſicut viſus ſublato colore: quare per veritatem homines gubernari aliud non eſt, quam gubernari per intellectum: & circa quæ tollitur veritas, tollitur intellectus circa eadem.

Eſt enim in hac noſtra potentia pars quædam apprehenſiva amplior, quam brutorum, & verorum æqualiter, & falſorum, chimærarum, ſomniorum, & hæc ſola ſine intellectu judicante tantò eſſet & nobis, & aliis deterior, quantò amplior: hæc proinde ſola non utilis, ſed pernicioſa eſſet hominibus. Eſt & pars alia, quæ apud aliquos eſt in ſummo pretio, diſcurſiva, & illativa aliorum ex aliis, acutiſſima, ſubtiliſſima. Et hæc niſi ſit conjuncta cum parte judicativa, qua verum à falſo diſcernatur, niſi ſit ordinata in ignotæ veritatis cognitionem, eſt, ne dicam aliud, omnium rerum vaniſſima, nec quidquid hac parte ſyllogizaretur, & elaboraretur, quidquam differret à ſomniis, in quibus ex his ad alia delirando divagamur: & his hoc ſenſu diſcurſivis implere Rempublicam eſt amentibus illam complere.

Quidquid ergo eſt boni in hac noſtrâ, quam intellectum vocamus potentia ſine qua cuncta forent mala eſt vis judicativa, vis diſcretiva veri à falſo, verum approbans, falſum reſpuens; & tam pars apprehenſiva, quam diſcurſiva in tantum bonæ ſunt, in quantum illi eum in finem inſerviunt. Si impediunt, ſi exundant, nocent; ſi ſupercreſcant plurimùm, faciunt ineptos, vel ſcrupuloſos, vel amentes aut fatuos, aut pacificos, & noxios; qui ſi plurimi eſſent, atque multò plures à quibus ligarentur, non ſupereſſent, conclamatum jam eſſet de humano genere. Homines ergo ſumus, in quantum vi iſta judicativa, vi iſta diſcretiva veri à falſo, verum accipiente, falſum reſpuente prædití ſumus à Deo veritatis.

Hæc cum ita ſint de veritate universa, qua ſublatâ homines eſſe deſinimus, & ad ſolam veritatem moralem, quæ actus humanos dirigit, ſermonem reſtringendo per probabilitates rerum moralium contractuum, univerſæ juſtitiæ, univerſæ obedientiæ, religionis, pietatis, caſtitatis, paupertatis, & quod primò dicendum fuerat, charitatis, per probabilitates, inquam, utrique contradictorio communes nulla veritas habetur rerum ipſarum moralium; eas probabilitates ſufficere eſt veritatem non eſſe neceſſariam: eas commodiores tueri eſt veritatem ipſam incommodam dicere. Neſcitur inquam, probabilitates iſtas veritas ipſa rerum moralium: ſciò probabile eſſe hoc juſtitiæ congruere, religioni congruere, obedientiæ, caſtitati congruere; & oppoſitum ſimiliter congruere: quid re ipſa congruat, quæ ſit re ipſa veritas, quæ falſitas rerum omnium talium tam corde vi talium probabilitatum dicere non poſſum; atque dicere non poſſum, quot ſint arenæ in littore maris. At ſi tollere in univerſum veritatem eſt tollere intellectum, tollere homines; tollere profectò veritatem ipſam rerum moralium tam circa jus, & de bono, & malo, quam circa facta etiam ipſa, circa indif-

indifferentia etiam, videbitur eſſe tollere intellectum circa talia, & quas dicere, homines quidem in negotiis mutuis, in epiſtolis, in convictu univerſo homines eſſe oportere: at in rebus moralibus circa bona ipſa, & mala, circa facta concernentia nihil eſſe neceſſariam veritatem, nihil proinde intellectum circa ea; nihil proinde homines eſſe.

Acutiſſimo præmiſſo diſcurſu, concludit Auguſtinus *lib. de vera relig. cap. 49. Ita omnis palma cognitioni datur, & artificio, & comprehenſioni veritatis, ad quam nullo modo perveniunt, qui foris eam quærunt. Itaque in tantas nugas, & turpitudines merſi ſumus, ut cum interroganti, quid ſit melius, verum, an falſum* (adde an neutrum) *ore uno reſpondeamus, verum eſſe melius jocis, & ludis; tamen ubi nos utique non vera, ſed falſa delectant, multò propenſius, quam præceptis ipſius veritatis hæreamus. Ita noſtro judicio, & ore punimur, aliud ratione approbantes, aliud vanitate ſectantes.* Quæratur ſanè à quolibet, quid ſit melius & in ſe, & nobis, an verum, an falſum, an neutrum, ſed indifferens ad utrumlibet? & omnis palma veritati utique dabitur. Hæc ergo noſtra intereſt.

Mox: *quibus* (ſubdit Auguſtinus) *tanquam primis pulchris* (eſt, imitamentis veritatis) *inhiamus, & ab eis recedentes amplexamur noſtra phantaſmata. Nam redeuntibus nobis ad inveſtigandam veritatem, ipſa in itinere occurrunt, & nos tranſire non ſinunt, nullis viribus, ſed magnis inſidiis latrocinantia, non intelligentibus, quam latè pateat, quod dictum eſt, cavete à ſimulachris.*

Phantaſma, & ſimulachrum hic idem ſunt Auguſtino. Jam probabilitatem accipe quantamcunque rei falſæ, v. g. quæ repræſentet contractum re ipſa uſurarium non eſſe uſurarium: ſit apparentia quantacunque, ſicut mons. Phantaſma eſt, & ſimulachrum ex Auguſtino quod ſit manu elaboratum, vel mente fabricatum nihil de ſimulachro, & phantaſmate tollit; nec mente, nec manu fabricari quidquam poteſt contra veritatem niſi phantaſma, & eò ſunt majora, quò apparentiora. Nec enim in phantaſmate, aut ſimulachro, aut fictione eſſe phantaſma, aut eſſe fictione quid phantaſticum, & fictum eſt: talia ſunt reſpectu repræſentati, & ficti. Sic eſt probabilitas rei falſæ; ipſa quidem in ſe quid verum eſt; facit autem apparere quod non eſt. Explicetur ergo quid, & unde à phantaſmatibus illis differat, quæ inſecutus eſt Auguſtinus.

§. V.

Cur nihilominus odio habeatur veritas.

EXperientia ſatis, nimiumque eſt notum, veritatem odio haberi: conſtat res undique, & in proverbium abiit. Videtur ergo, eam nobis commodam haud eſſe: nam commoditates quiſque noſtras facilè proſequimur. Odium ergo noſtrum illius videtur evincere duritiem, moleſtamque naturam. Aliquas proinde hujus peſtilentis odii cauſas proſequi viſum eſt, quæ ipſæ oſtendant veritatem undè amabilem, jucundam, ſuavem pretioſam.

Dicimus ergo univerſaliſſimè, veritatem haud haberi odio quaſi abſolutè, & citra inconſiderationem, vel errorem, vel paſſionem incurrentem, ſed per accidens, & ex ſuppoſitione incidentis erroris, vel paſſionis, ex quibus illi moleſtia accidit: oportere autem etiam pro ipſa noſtra commoditate ſimiles errores, & ignorantias removere; paſſiones præſcindere; quin ex harum etiam ſuppoſitione veritatem noſtra intereſſe, quamquam jam tunc ſit injucunda.

Diſſerat nonnihil primum Auguſtinus *lib. 10. confeſſion. c. 23.* (Nam quæro, *ait*, ab omnibus utrum malint de veritate, quam de falſitate gaudere? tam non dubitant dicere, beatos eſſe ſe velle. Multos expertus ſum, qui vellent fallere: qui autem falli, neminem. Ubi ergo noverunt, hanc vitam beatam, niſi ubi noverunt etiam veritatem? Amant enim & ipſam, quia falli nolunt. *Et mox.* Cur ergo de illa non gaudent? Cur beati non ſunt? Quia fortiùs occupantur in aliis, quæ potiùs eos faciunt miſeros, quam illud beatos, quod tenuiter meminerunt. Cur autem veritas odium parit, & inimicus eis factus eſt homo tuus verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non eſt niſi gaudium de veritate? Niſi quia ſic amatur veritas, ut quicunque aliud amant, hoc, quod amant, velint eſſe veritatem: & quia falli nolunt convinci, quod falſi ſint. Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Sic ſic etiam, ſic animus humanus etiam, ſic cæcus, & languidus, turpis, atque indecens latere vult: ſe autem ut lateat aliquid, non vult. Contra illi redditur, ut ipſe non lateat veritatem ipſum autem lateat veritas.

Sic ſibi contradicis, ſic ſeſe involuit, & implicat humanus animus; falli non vult; & convinci non vult; quia hoc, quod amat, vult eſſe veritatem: amat ſimul, & odit veritatem, neç vult noſſe eam veritatem non eſſe, quam veritatem eſſe vult. Ex ſua ergo paſſione, & ignorantia incidit veritati rem odioſam eſſe.

Rem porrò ad veritatem moralem reſtringendo, illa aliquando non placet; quia non tota auditur, & ſic inaudita condemnatur. Illius nimirùm univerſa inſpecta cauſa videndum eſſet, quid contra nos præſcribat, & quid ſimul pro nobis: placeret autem audita tota; quandoquidem eſt omnibus, & ſingulis commoda, ut fuit commonſtratum.

Rursùs aliquando diſplicet, quia non eſt nobis commoda nunc; aut non eſt commoda hic inſpiciendum eſt, an ſit commoda alibi, an ſit futura commoda poſt: & quia non totum inſpicitur, diſplicet. Ita puero diſplicet labor; at ſua intereſt plurimum laborare, ſiquidem Patres ſui, qui eum impensè diligunt, id ſuper omnia deſiderant: ſic cui diſplicet non nimium bibere, & ægrotabit poſt. Sic nunc fortè commodum eſſet Regi Chriſtianiſſimo, quod devolutiones privatorum locum haberent in Ducatu Brabantiæ: at hæc ipſa juris privatorum cum jure Regnorum confuſio eſſet aliquando fortè pernicioſa aut ſibi, aut Chriſtianiſſimis Regibus poſteris: nec enim in reſolutionibus ſiſti poteſt in particularibus, ſed ad univerſale aliquid eſt deviendum: nam ex puris particularibus nil ſequitur v. g. in hac re aſſumendum eſt, jura communia privatorum uniuſcujuſque Regni locum habent etiam circa Regna. Hoc univerſali nemo Regum amat, ſed amat veritatem univerſalem contrariam, tanquam ſibi commodam, jucundam, & pretioſam. Amare autem univerſale, & odio habere particulare

culare niſi ex ignorantia vel inconſideratione fieri non poteſt. Ergo veritas moralis ſolum ex ignorantia diſplicet tanquam incommoda.

Sic eſt ferè in omnibus reſolutionibus; univerſalia amantur, & particularia ſæpè odio habentur. Quod omnes, & ſinguli præter me ſemper ſecundum veritatem viverent, & debita reſtituerent, injurias reſarcirent, non detraherent, mihi eſſet commodiſſimum, & ſic illi, & illi, & ſingulis univerſale hoc à ſingulis amatum, in quo ego comprehenſus ſum æqualiter; diſplicet in particulari id, quod in ſuma dicimus, *juſticia per ono por mi caſa.* Sed ſi replicetur, vel in nulla, vel etiam in tua. Nemo eſt, qui non magis odio habeat, in nulla eſſe, quam in ſua eſſe. Hoc ergo odium particularium unicuique ſuorum naſcitur ex ignorantia, inconſideratione totius. Nemo enim hos duos affectus ſimul habere poteſt, *malo juſtitiam etiam in domo mea ſervari, quam in nulla ſervari, & nolo juſtitiam abſolutè ſervari in domo mea:* ſunt enim incompoſſibiles amor veritatis in univerſali, & odium in particulari. Et hæc eſt cauſa, & ratio pervetuſtæ illius Ariſtotelis, S. Thomæ, & aliorum doctrinæ requirentis inconſiderationem actualem ad peccandum, de qua aliàs. Quod ego Rex habens pro me quatuor Theologos tutiſſima conſcientia quodlibet bellum movere poſſim, ſic in particulari placet. At univerſale placere nequit, quod quilibet Rex; vel ſubditus quandolibet idem poſſit.

Ex his ergo cernitur, veritatem ſolùm in particulari, & ob ignorantiam, vel inconſiderationem odio haberi tanquam incommodam; in univerſali porrò omnibus eſſe valdè amabilem, jucundam, ſuavem, & pretióſam. Contra hoc proinde odium univerſales veritates vivaciter in mente, & in memoria retinendæ, & radicandæ ſunt, per quas particularis error, vel inconſideratio repellatur; ne id nobis accidat, quod Auguſtinus cauſatur: *Cur non beati ſunt? Quia fortius occupantur in aliis, quæ potiùs eos faciunt miſeros, quam illud beatos, quod tenuiter meminerunt:* immerſi toti in particulari nobis obverſante, univerſales vix meminimus.

Sed accidit etiam prætereà, quod nobis ex paſſione, & prava diſpoſitione veritas moralis diſpliceat, & odio habeatur; & malo nunc propter paſſionis vehementiam advocatum invenire, qui in cauſa etiam peſſima opiniones, & modos mihi reperiat, quibus prolixa lite infenſum mihi hominem involuam, fatigem diu, & perdam. Dicis, hoc non licere. At ego, qui palam peccare nollem, opiniones, & prætextus hinc inde conquiri vellem, quibus lis longiſſime implexeretur. Sed dicis iterùm, rem hanc eſſe mihi etiam ipſi incommodam, expenſas certas, laborem aſſiduum, incertum exitum: addit eodem modo alios me, quod valde noceret, impetere poſſe litibus, quibus abſumar: hanc denique lites movendi, promovendi, irretiendi facilitatem eſſe omnibus, & ſingulis, & Reipublicæ valdè noxiam. At ego quia paſſione vehementi æſtuo, veritates iſtas odio habeo, & omnia perdi malo, quam hac nunc commoditate fraudari.

Cæterùm hoc genus odii haud probat, veritatem nobis, rebusve noſtris præjudicàre; illius contra oſtendit utilitatem, & commoda; quippe quæ niſi ob ignorantiam, & inconſiderationem, ut dictum eſt, vel propter præcipitantem nos paſſionem odio haberi nequit. Hoc odii genere vitam, ſine qua nullum ſupereſt bonum, odio habuere aliqui: ſic ægrotantes ſanitatem allatura medicamenta reſpuunt: febricitans frigidam bibit, qua pereat: ludo abſumit alter patrimonium. Potius ergo habetur, veritatem moralem noſtra intereſſe plurimum, cujus cauſam univerſam omnes amant; quam in particulari ex ignorantia ſolum, vel paſſione, vel ex utraque ſimul conſpirante contra nos ipſos ſententiam dicentes reſpuimus, nolumus.

§. VI.

Adhortatio ad veritatem.

Viſum eſt, quam ea ſit injuſta accuſatio, qua veritatem ut nobis incommodam, duram, præjudicialem obtendentes, aliud quidpiam loco ejus ad mores noſtros formandos reponunt. Ex eo nunc, quantum illa nobis expediat, quisque conjiciet, ſi conſideret, quid de nobis miſeris futurum eſſet, ſi magnus Deus nobis vicem rependere iret; ſic, & per id & ſe gerere erga nos vellet, quod nos erga ipſum, legemque ſanctam ſuam rectè gerere eſſe dicimus, & eo regula remetiretur, & menſurandumque eſſe dicimus, non regula veritatis, ſed regula alia indifferenti ad verum, & falſum, rectificando mox omnia per reflexas.

Deo quidem glorioſo nullæ ſunt opiniones, nihil probabile; patentia omnia, & nuda. Cognoſcit tamen iſtas probabilitates noſtras, regulas iſtas, & menſuras, qua rectas, & rectiſſimas eſſe dicimus; & certè ſi rectæ ſunt, rectas eſſe videt. Adminiſtret ergo mundum, adminiſtret gratiam, gloriam, præmia, pœnas ex hac regula; & nivi non magis competit frigus, quam non frigus, benè datâ gratiâ utentibus non magis augmentum gratiæ, quam non gratiæ; te ipſa juſtis fortè præmia obvenient, fortè pœnæ obvenient. Mundus ſanè ſusque deque turbaretur, & periret cito totus, ſi vicem rependeret Deus magnus, noſtrisque nobis menſuris, quas rectas, & bonas eſſe tuemur, tantiſper remetiretur.

Jam eadem autoritate, eodem ſermone, nihil clarius, nihil obſcurius, dictum, redictum eſt, quam quod ſermones ejus ſervemus, legem cuſtodiamus, faciamus; mandata cuſtodiamus, & quod ipſe incrementa gratiæ concedet, juſtis præmia largietur, malos puniet. Si recta eſt noſtri erga ipſum regula aliud præter veritatem, recta erit regula ipſius erga nos aliud præter veritatem: an ipſe plus nobis tenetur, quam nos tenemur? An dicere non poteris: amice, non facio tibi injuriam: tu ipſe hanc regulam, & menſuram dixiſti rectam, eaque mihi menſus es; eadem tibi remetior.

Deus, inquis, videt veritatem ipſam. Cæterùm hoc ſolum probat nobis non videntibus ſed, ignorantibus poſſe videri eſſe rectam menſuram, quæ recta non erat. At ſi recta eſt, nequit per ſcientiam reddi diſtorta. Vel ergo iſta tua regula per ignonorantiam dicitur recta? & hoc intendo, rectam non eſſe, & te ignorare. Vel non eſt per ignorantiam? & tunc ſemper eſt recta. De quo mox connexa alia.

QUÆSTIO XVII.

Utrum ergo omnium horum determinatio, & totius conſcientiæ diviſio per verum, vel falſum? Ubi nonnihil de Advocatis.

TRanſmitto hic plures de Judicibus, de Advocatis, de bello, & pace, quas paraveram, quæſtiones item quomodo mutare opiniones, & legem eludere non liceat: quomodo ex probabilibus contrariis ſequatur jure nihil. Hæc enim, ut ex probabilitate nihil verum probante, ſeu ex probabilitate non probante ſequuntur omnia, ceſſant cuncta in probabilitate noſtra, quæ rem probabilem facit, quia utique probat: nam ferè ſemper veritatem affert: ubi peccat, & deficit, emendenda, corrigendaque eſt: cum, ſicut notavimus, ſatis quisque conſpiciat, quam ſit abſurdum, leges etiam ipſas, ubi deficiunt, & fallunt, emendandas eſſe per epichejam: opiniones autem noſtras, ſive fallant, ſive non fallant, intemeratas relinquendas eſſe, & tutiſſimas, rectiſſimasque eſſe regulas morum beneficio reflexaram: quaſi verò reflexæ iſtæ deeſſe legibus etiam poſſent.

Ut porrò finem huic libro imponam, dolenter de Advocatis, cæterisque inferioribus litium Adminiſtris dicere prætereo, qui cum ut unusquisque, quod ſuum eſt, habeat, inſtituti ſint; tum Judicum mentem, quantum poſſunt, confundendo; tum præter, & contra opinionem ſuam clienti plus expenſarum, quam comodi inferendo; tum parti contrariæ præjudicando, ſæpè eo operam ſuam locant omnem, ut quod ſuum eſt, habeat nemo, aut habeat ſerò emat expenſis pecuniis.

Advocatis tamen hic obiter bonum legis Dei Doctorem non exhibere non poſſum, Auguſtinum ſcilicet *epiſt.* 54. ad Macedonium. (Dimidium rerum mearum do pauperibus, & ſi cui aliquid abſtuli, quadruplum reddo. Verumtamen ſi juſtitia ſyncerius conſulatur, juſtius dicitur Advocato: redde, quod accepiſti, quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, judicem fefelliſti juſtam cauſam oppreſſiſti, falſitate viciſti: quod vides multos honeſtiſſimos, & diſertiſſimos viros non ſolum impunè, verum etiam glorioſè videri ſibi committere (*quippe mundus ſemper eſt unus*) quam cuiquam in quolibet officio militanti. Redde, quod accepiſti, quando jubente judice cuicunque cauſæ neceſſarium hominem tenuiſti, &c. Sed illud, cur Advocaro non dicatur, in promptu eſt; quia ſcilicet ita non vult homo repetere, quod Patrono, ut malè vinceret, dedit; ſicut non vult reddere, quod ab adverſario, cum malè viciſſet, accepit. Quis tandem Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facilè reperitur, qui ſuſcepto ſuo dicat: recipe, quod mihi, cum malè ad eſſem, dediſti, & redde adverſario, quod me agente iniquè abſtuliſti (Et tamen quem prioris non rectæ vitæ rectiſſimè pœnitet, etiam hoc facere debet, ut ſi ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iſte habere mercedem: niſi fortè reſtituendum eſt alienum, quod per furtum elanculo aufertur, & reſtituendum non eſt alienum, quod in ipſo foro, ubi peccata puniuntur decepto judice, circumventis legibus obtinetur.)

Hic profectò Auguſtini dolor locum non habet, ubi opiniones, vel autores, vel interpretationes, & apparentiæ deſunt: de talibus nuſpiam fuere lites, in talibus nulli decepti judices, nulla victa cauſa. Jam illam defenſionem doloſè cum Deo agentium: *Quam multi hoc faciant: Quis non facit? num omnes perditurus eſt Deus?* ſuperius ex eodem Auguſtino repulimus; oſtendismusque alias, hoc eſſe circulum committere juxta illud *in circuitu ambulant*, dum alii per alios ſeſe viciſſim excuſant.

Hæc nunc de Advocatis, inferioribusque aliis litium adminiſtris ſufficiant, quæ abs re in hac doctrinæ ſerie inducta non ſunt, ubi de commodis, utilitatibusque veritatis modò tractavimus; nunc verò de conſcientiæ totius ad eam reſolutione eſt dicendum: quibus veritatis maximis tam Reipublicæ, quam ſingulorum commodis præjudicant plurimum, qui beneficio opinionum ſive verarum, ſive falſarum, nihil ipſi opinantes vel contrà etiam ſentientes veritatis curſum vel morantur, vel interimunt. Verum ut contra uſurarios rectos uſurpat Hieronymus, Dominus non irridetur.

§. I.

Quomodo omnium horum reſolutio ſit per verum, vel non verum?

ADeò per unam veritatem res omnes terminandæ ſunt, ut ea remota, illiusque prætermiſſo judicio nec hæ ipſæ quidem de probabilibus, & de conſcientia controverſiæ finem habere queant ullum: in tantum enim hoc probabile ſufficere, illud aliud non ſufficere; hoc requiri, hoc non requiri controverti poteſt, affirmari poteſt; in quantum hoc verum eſt, hoc aliud verum non eſt, & per probabile, vel quidlibet quomodolibet aliud citra veritatem diſputare, & controvertere velle eſt diſputationem inſtituere nihil ſignificantem, nec habentem finem unquam ullum, neque terminum. Adeò citra judicium veritatis, cui ſtetur, neque loqui quidem poſſumus.

Omnis porrò intellectus noſtri diſpoſitio ſumitur ex verò, vel non vero, & ſic habemus nos, & comparamur, qualiter habemus, & comparamur circa veritatem. Ad hæc ſolum tria ſtatus noſter omnis reſolvitur, ut verum cognoſcamus, vel neſciamus, vel dubitemur; & præter hæc tria nulla eſt poſſibilis diſpoſitio noſtra. Omnis probabilis, vel improbabilis, & quoquo modo imaginabilis concluſio vel cognoſcitur eſſe vera, vel neſcitur eſſe vera, vel dubitatur eſſe vera: & quæſitus quilibet de qualibet concluſione, de bonitate contractus, de jejunio; de charitate vel tacere, vel dicere debet, ita eſſe, vel non eſſe, vel neſcio vel dubito. Dicendo eſſe probabile, nihil de re ipſa reſpondet: eſt enim reſponſio de modo, non de re ipſa.

Si neſciat, tanquam ignorans, & neſciens ſeſe gerere debet in operando, & conſulendo: ſimiliter tanquam dubitans, ſi dubitet, ut latè *lib. ſeq.* proſequemur: nec per ullas reflexas neſciens effici poteſt ſciens, aut dubitans non dubitans. Si rectè reflectat, hoc invenire debet, quod eſt, ſcilicet ſe neſcire, aut dubitare, nec acumen erit, ſed error erit, ſi inveniat, aut confingat, quod non eſt.

Jam ſi putat, ſe veritatem habere. Si re ipſa eam habet, benè habet: & eſt diſpoſitio intellectus recta. Si fallitur, malè habet: & per regulas conſcientiæ, erroneæ dijudicandus eſt, de quibus ſtatim, & jam etiam ſuperius ſatis.

Eſt

Eſt autem veritatem habere multis modis, ita ut modi quidem ſint diverſi; una tamen veritas modis ſibi poſſibilibus omnibus nota. Eſt enim in intellectu noſtro & quædam quaſi intuitio quo intellectum primorum principiorum donamus; eſt ſcientia; eſt fides divina; eſt cognitio citra ſcientiam omnem, certe tamen; eſt cognitio opinativa, id eſt, cognitio non firma. His modis ad veritatem comparamur, & eam nos noſſe exiſtimamus, & vi harum cognitionum loquimur, & affirmamus, & negamus.

Jam hinc, quod ad finem quæſtionis præcedentis dicebatur, Dei glorioſi, & noſtri diverſiſſimus eſt modus cognoſcendi; una tamen utriſque veritas, ſecundum quam & nos erga ipſum noſmet gerere debeamus, & ipſe viciſſim erga nos. Nos fide credimus; humana fide multa certa habemus; alia vera eſſe opinione noſtra cenſemus: ipſi hæc cuncta ſunt conſpicua: regula intereà ipſi, & nobis perfectiſſimè videt; nos eſſe cenſemus. Si aliud præter illam regula eſſet, ipſi, & nobis regula eſſet, ei quidem viſa; nobis modo noſtro cognita: ut enim veritas, quia rectitudo ipſa eſt, quia perfectius, aut imperfectius cognoſcitur; rectè eſſe non ſinit, ita rectitudo illa alia perfectius, vel imperfectius cognita non deſineret eſſe recta; ſicut neque linea.

§. II.

Conſcientiæ totius diviſio per verum, vel non verum.

Hinc ab initio conſcientia ad æquatè diviſa fuit in conſcientiam rectam, & erroneam: nam dubia, & ſcrupuloſa reductivè, magis, & impropriè dicuntur conſcientiæ, ut mox declarabo. Supponunt communiter omnes, & tenent Henricum, *quod* 1. *quæſt.* 18. conſcientiam, non voluntatis, ſed intellectus eſſe vel actum, ut S. Thomas, & alii communiter tradunt, vel habitum, quò Scotus inclinavit. Cum ergo omnis actus intellectus, quà intellectus, ſit verus, aut falſus, & à ſanctis conſcientia, judicium rationis, lex intellectus, naturale judicatorium compelletur, neceſſe fuit conſcientiam adæquatè dividere per verum, & falſum; & conſcientia veritate conſtans dicitur recta, falſitatem continens, dicitur erronea. Alii vi ethymologiæ conſcientiam eſſe definiunt: S. Thomas ubique definit eſſe applicationem ſcientiæ ad actum particularem, ſcilicet hic, & nunc ſub omnibus circumſtantiis.

Quin toto rigore ſermonis, & definitionis retento, ſola conſcientia recta eſt ſimpliciter conſcientia, non erronea, ſed quaſi pſeudo-conſcientia, & *erronea* eſt additum diminuens, diſtrahens: quemadmodum liquet in conſimilibus diviſionibus: quod tamen intereſt parùm ad ſcopum noſtrum.

Indè, quod jam ſuperius explicuimus, omnes cognitiones veræ ad res conſcientiæ pertinentes, ſive intuitivæ ſint, ſive demonſtrativæ, ſive ſolum moraliter certæ, ſive ſolum opinativæ, ad nullam aliam conſcientiam pertinere poſſunt, quam ad rectam. Et ſicut eſſe opinionem veram, vel fidem, vel intuitionem, vel demonſtrationem modos quidem habendi veritatem dividit, ipſos tamen actus qua veros non dividit, & opinio vera eſt propriiſſimè vera, ſicut demonſtratio vera, nec per verum, & falſum, nec per verum, & minus verum dividi poſſunt, & omnis hoc circa diviſio erit materialis, non formalis; ſic conſcientia recta probabilis eſt recta conſcientia, nec diviſio per certum, evidens eſt diviſio conſcientiæ rectæ, qua rectæ. Exemplo ſit, ut rem capias, lineas rectæ ænea, & linea recta arundinea, vel ſerica.

Omnis homo, quâ homo judicio rationis conſtat: ut fuit etiam *præc. quæſt.* declaratum: hinc deliberare conſulere poſſe, hinc liberum eſſe, hinc humano modo operari ipſi congruit. Tenetur ergo judicio rationis, non ſolum apprehendendo, non dubitando, non neſciendo, ſed judicando operari. Eſt autem, ut *Deut.* 30. & aliàs nobis intimatur, poſita in conſpectu noſtro vita, & bonum: mors, & malum. De iis ergo tenemur formare rationis judicium, & conſcientiam, & dictamen; & citra hoc operari non eſt conſilio, & debita deliberatione, nec humano modo operari; cognoſcendo ſcilicet, quò manum porrigamus, an ad ignem; an ad aquam; an ad vitam, vel mortem; an ad bonum, vel malum, cognoſcendo rurſus, ut ſciamus eligere bonum, & reprobare malum. Qui proindè quæſitus non de probabilitate, ſed de re ipſa, quam agit, vel omittit, an ſit bona, an mala, nihil in corde ſuo judicat, nihil reſpondet, omninò temerè, & ſine conſilio, & non qua homo operatur. Quare ſuperiùs oſtenſum fuit, conſcientiam ſolis reflexis conſtare non poſſe.

Si ut dictum eſt, fallitur homo exiſtimando bonum malum, vel è contra, reſultat conſcientia erronea. De conſcientia recta nihil eſt neceſſe dicere; nam recta ſunt, quæ ex illa conſequuntur. De erronea nihil fermè aliud ab initio traditum fuit, niſi diviſio ejus in vincibilem, & invincibilem: ſeu quod pro eodem fuit traditum, in continentem ignorantiam omninò, id eſt, tam directè, quam indirectè involuntariam: atque de hac omnes unà Theologi veteres, & poſteri repugnante olim Luthero; mox recentius obluctantibus Novatoribus, indubitata concluſione tenuerunt, eam excuſare à peccato in totum, & ex toto; in conſcientiam erroneam continentem ignorantiam vel directè, vel indirectè voluntariam: atque de iſta dixerunt non excuſare; indirectè tamen voluntariam diminuere peccatum. De quibus longior ſermo *lib. ult.*

Jam ſicut omnis cognitio probabile, ſeu opinativa vera ad conſcientiam rectam pertinet, ſic omnis falſa ad erroneam. Nam ſicut opinativa vera, eſt vera, ſicut demonſtratio, id eſt, ſtrictiſſimè vera: ſic omnis opinativa falſa ſive probabilis ſit quoad nos, ſive quidlibet, eſt propriiſſimè falſa: ergo pertinet ad conſcientiam erroneam. Et certè mirabile eſſet, quod quis obſtinatè deceptus exiſtimans Lutherum eſſe virum Apoſtolicum, aut cauſa ſaltem vitandæ mortis licere ſimplicem fornicationem, inquam eſſet mirandum; quod iſte pro certiſſimo habens, quia tamen fallitur, habeat conſcientiam erroneam: & quod ipſe opinans contractum re vera uſurarium non habeat conſcientiam erroneam: & quod minor quoad ipſum bonitatis apparentia faciat ipſius conſcientiam rectam; & quod major non faciat. Itaq; cum evidens ſit, quod probabilitas non faciat, ut cognitio falſa ſit vera, ita nec efficere poteſt, ut ratio non erret: ergo nec quod non erret conſcientia dictando malum eſſe non malum.

Hinc clarè habetur, cur de nullo alio videre-

tur diſputandum ſive ſimus in probabilibus, ſive in improbabilibus, ſive in erroneis, niſi ſolum, an ratio, ac ſubinde conſcientia erret, vel non erret. Si non errat, nil occurrit diſputare. Si errat in quibuslibet, id unicè videretur quærendum, an voluntariò, an involuntariè erraverit. Si omninò involuntarius exritit error, ſive in probabilibus, ſive in improbabilibus, ſive in erroneis, ſive in ipſa etiam hæreſi, excuſatur in totum, & ex toto. Si porrò voluntarius, in nullis excuſat ex toto; qui in nullis facit, neſiit dictum, vel factum, vel concupitum voluntariò contra legem æternam Dei; vel ne ſit violatio voluntaria legis Dei; quæ ſunt definitiones peccati, & culpæ.

De conſcientia ſcrupuloſa, & dubia parum ſupereſt addendum, quod ex dictis non liqueat. Scrupuloſa in primis non eſt conſcientia; plerunque ſolis conſtat apprehenſionibus vehementiſſimis, quæ videntur judicia, & non ſunt. Ideo contra eam operari conſulunt; quia ad nihil ligat, vel obligat, cum ipſa non ſit hominis qua hominis. Si quando autem judicio rationis conſtaret, benè conſulimur eam deponere, non attendendo, ſed contemnendo; quia formatur ex levibus, & contemnendis rationibus quod ſi non deponatur, atque juxta eam operetur, jam ſuperius dixi, quomodo, & quando voluntas ſcrupuloſa illi concordans ſit bona.

Conſcientia dubia ſimiliter non eſt preſſe conſcientia, quia in ea non eſt neque verum: neque falſum, ſed dubitatur. Lex tamen univerſalis eſt, quod in talibus, quandiu dubium ipſum non deponitur, tenearur pars tutior: de quo jam hoc libro ſequenti eſt differendum. Inde cognitio reflexa hujus obligarionis eſt conſcientia recta.

Ex his accipies, quare in vetuſtis Theologis hæ noſtræ de probabilibus controverſiæ deſint. Autumanr aliqui hoc fuiſſe novum inventum, quod eos latuerat. Haud ſanè hæc eſt cauſa, ſed quia in eorum principiis locum habere non potuerant; pro certo enim babuerunt, nullam cognitionem falſam, ſive ſit probabilis, ſive quidlibet formare poſſe, niſi conſcientiam erroneam: idcircò conſcientiam, uti nos modò fecimus, in rectam, & erroneam dividentes, copioſius, quam modò de erronea tractarunt: ut ex eorum adductis locis liqueſcet *lib. ult.*

QUÆSTIO XVIII.

Recapitulatio dictorum circa probabilia, & reductio ad pauca.

NOn eo ordine illa recapitulabo, quo ſcripta ſunt. Profectò ſi res iſtæ inſtar aliarum extitiſſent, in quibus nulla adverſariorum multitudo obſtaret, magna in contrarium conſuetudo, atque hoc genus multa alia non impedirent, ſatis futurum exiſtimamus, ſi hoc, quo nunc dicturi ſumus, ordine breviùs, & perſpicuè doctrinam noſtram traderemus: at dicta illa, coëgerunt ad actuoſam, ac multiplicem oppugnationem doctrinæ contrariæ, cujus viſa falſitate facilior veritati adeſſet aditus. Dabo nihilominùs ſummam totam quantam univerſæ doctrinæ; quod paulò latiùs alio opuſculo, quod iſtius velut compendium ſit, & omnibus intellectu facilius, Deo vitam dante præſtabo.

§. I.

Duæ concluſiones capitales.

PRima ergo noſtra, & omnium capitalis concluſio eſt, legem Dei eſſe primam, & principalem regulam humanorum actuum: quemadmodùm motus ſolis eſt prima regula dierum, & ſic in aliis. De hac concluſione nemo dubitat, nec in eo quiſquam alterare, quin nec Deus ipſe diſpenſare poteſt. Leges etiam humanæ ſunr regula; at pro conſcienria ſalrem Theologicè tali regula ſunr ac vim obligandi in conſcienria habent à lege Dei, quâ ipſe juſſit ſuperioribus obedire. Hæc eſt vera, & communiſſima ſententia: ſi quis tamen eam nolit admittere, licet per nos quoad præſens: tunc enim præſcribemus, legem divinam, vel humanam eſſe regulam humanorum actuum.

Secunda noſtra, & omnium capitalis concluſio eſt, humanam rarionem eſſe regulam ſecundariam humanorum actuum: alii vocant applicationem primæ regulæ. Sunt iſtæ duæ regulæ ad inſtar motus ſolis, & horologii; motus ſolis eſt regula dierum, & horarum; horologium quoque: diverſi modè tamen; nam motus ſolis eſt prima regula; horologium ſecundaria, & primæ ſubordinata. Sic S. Thomas, & aliis notanter monuerunt, humanam rationem eſſe regulam ſubordinaram legi Dei, quæ eſt prima regula. Hoc ſi clarum non eſſet, obvium erat exponere exemplis aliis, ut eſt quoad fidem autoritas, & verbum Dei, & applicatio Eccleſiæ, per quam illud applicatur & intimatur. Eſt etiam illud exemplum S. Auguſtini Theologis tam obvium voluntaris imperaroris, & proconſulis: lex enim Dei eſt ſicut Imperator; tatio bumana ſicut Proconſul; & in tantum iſta obligat, vel de obligat, in quantum illam intimat vel non intimat.

Oportuit aurem, humanam rationem eſſe regulam ſubordinatam legi Dei; nam oportet defectibilia ſubordinari alicui indefectibili. Humana porrò ratio eſt defectibilis circa bonum, & malum, errat; quin qnam ſtupendè (ut ita loquar) ſit defectibilis; demonſtrant palmariter omnes fermè libri Morales humana ratione conſtantes; nam vix eſt ulla quæſtio, in qua non ſit contradictio aliorum cum aliis, & ſic error alterutrorum. Nullum ergo videtur eſſe horologium adeò defectuoſum circa dies, & horas, quam humana ratio in genere ſumpta eſt defectibilis circa bonum, & malum. Oportuit ergo, quin valdè oportuit, eam non eſſe quaſi diſparatam, ſed ſubordinatam, & ſubordinatiſſimam regulam legi Dei quæ eſt indefectibilis, & nunquam errat: quo ex loco S. Thomas, & alii plenè demonſtrant neceſſitatem divinæ legis. Quemadmodum quia horologia deficiunt, & errant; motus autem ſolis nunquam deficit, horologia ſunt regula dierum, & horarum ſubordinata motui ſolis.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Ergo probabile conſuetum non eſt regula humanorum actuum.

VOco probabile conſuetum, quod omnes ferè norunt, & quod multi tenent animitùs,eſſe regulam humanorum actuum;quod utriqne contradictorio, huic concluſioni, & contradictoriæ ſimul convenire tradunt, tranſcenditque omnes opiniones ſive æqualitet, ſive magis ſive etiam minùs probabiles: & quod illud ſit, intelligunt omnes ſine majorl expoſitione.

Intuli ex poſitis ſive principiis ſive concluſionibus omnium:ergo hoc probabile non eſt regula humanorum actuum.Inquam, regula,ſcilicet bona,& recta, quam ſimplex vox regulæ ſignificat; ut ſcitur: malam quippe regulam eſſe, atque obliqoam, & diſtortam palam, & ultrò fatemur.Illatio hæc ſola, ſi recta eſt, convellit ſtirpitùs quidquid molis ſuper probabilia iſta fabricatum eſt.

Eam porrò rectam non eſſe ſic videtur confici. Concluſio,vel opinio,vel humana tatio hac ſolùm probabilitate probabilis in primis non ſubordinatur divinæ legi;nec item eſt ſecundaria reſpectu ejus; nec demùm applicativa illius.Quæ probantur; nam ſubordinatum ſubeſt, ac ſubditur ſuo pr:ncipali: at opinio,vel ratio humana modò dicto probabilis non ſubeſt legiDei;nam lex eſt una,& pro ona ſolùm parte contradictionis;opinio verò, & ratio humana ſic probabilis eſt in utraque & pro utraque parte;& ita pro lege, & contra legem, ut patet.Rursùs ſecundarium reſpectu alterius non egreditur ſphæram ejus, ut cernitur in cauſa prima,& ſecunda; & ſi cauſæ ſecundæ egrederentur ſphæram primæ, jam in quo egrediuntur,non eſſent ſecundæ,ſed primæ,ut eſt manifeſtum.At hæc ratio humana egreditur, quin per ſe, & neceſſariò egreditur ſphæram divinæ legis; nam illa per ſe, & neceſſariò falſis etiam, & utrique parti contradictionis convenit:lex autem per ſe,& neceſſariò ſolùm veris, & uni ſolùm parti contradictionis.Denique hæc humana ratio non eſt applicativa divinæ legis magis quam actio prorsùs indifferens ad trahendum ſecum ignem eſt applicativa ignis.Etenim ratio hæc humana ſe habet indifferenter ad contradictoria: ergo ad legem,& non legem.Non eſt ergo magis tractiva, & applicativa ejus,quam non applicativa.

Exponitur.Hæc ratio humana dividitur in minus probabilem, & in magis probabilem, & in æqualiter probabilem. Nolunt adverſarii eam reſtringere ad magis probabilem, quæ ſanè ſaltem quoad nos habet magis applicare, quam non applicare; ſed ajunt, eam eſſe regulam in communi, & prout præſcindit ab his differentiis magis, vel minùs, vel æqualirer probabilis. Sic autem indifferenter ſe habet prorsùs ad legem, & non legem, & ad verum, & falſum; & ratio æqualiter probabilis, prorsùs æqualiter; ratio minùs probabilis magis ad falſum,& contra legem quoad nos,& nulla nec præſumptio quidem eſt de ejus com legem concordia, quin præſumptio eſt de de diſcordia, & repugnantia, & contrarietate. Hæc ergo humana ratio non eſt ſubordinata divinæ legi, ſecundaria, non applicativa ejus: ergo non eſt regula humanorum actuum.

Quæ omnes intelligant, inſiſtamus eidem exemplo horologiorum, & motus ſolis. Planè horologium; quod non magis haberet concordare, quam diſcordare cum motu ſolis,quin neceſſariò, deſignaret horas juxta, & contra motum ſolis eſſet peſſimum horologium,& peſſima regula horarum; quia ſcilicet rectitudo regulæ ſecundariæ pendet à ſubordinatione, & concordia cum ſua prima regula. Noſtra autem iſta humana ratio ſe habet ad divinam legem, ſicut horologium iſtud ad motum ſolis. Ergo &c.

Hinc conſpicitur, quam nulla ſit illa adverſariorum evaſio, qua ajunt, habita ſua probabilitate, violationem legis,ſi contingat, fore purè materialem,id eſt,involuntariam,ac in imputabilem, non autem,formalem. Habeat quis prædictum horologium, cujus nulla ſit magis concordia, quam diſcordia, & contrarietas cum motu ſolis: & velit nihilominus regulare horas, & dies per iſtud ſuum quod unicè amat, horologium.Profectò errabit paſſim in horis, & error eſt ſibi voluntarius, & imputabilis, præcognitus nimirum, ac liberè volitus. Sic ergo & in iſta tua humana ratione.

Illatio ergo, quam fecimus, videtur recta & legitima. Eam verò probavimus omnibus, & ſingulis quæſtionibus libri ſecundi.Ibi oſtenſum eſt, propter iſtam indifferentiam, & caſualitatem ad concordiam, vel contrarietatem. cum lege Dei partem apprehenſivam intellectus, quæ ad vera, & ad falſa æqualiter ſe habet, non eſſe regulam humanorrum actuum, quod omnes admittunt tanquam evidens: propter quod idem conſcientia dubia,& ſortes, & ludus,ac ſimilia nequeunt eſſe regula juxta omnes,ut l. ſeq.etiam videbitur.

Oſtenſum item fuit, iſtam probabilitatem contradictoriorum convenire etiam,ac inveniri contra certum, ac evidens; non autem ſic probabile conſcientiæ.Oſtenſum fuit,in omni contradictione fundamenta alterutrius partis eſſe neceſſariò purè ſophiſtica ex toto rigore Logicæ,& ſic inſufficientia pro conſcientia,item nullas duas concluſiones contradictorias eſſe ſimul probabiles probabilitate conſcientiæ, quod ibi videtur demonſtratum: item nullas duas contradictorias continere doctrinam tutam, & ſanam propter probabilitatem. Quibus,& aliis ibi fusè tractatis, & conſtitutis videtur ſatis recta noſtra illatio, quod opinio, humana ratio hac ſolùm probabilitate indifferenti, & caſuali probabilis non eſt regula humanorum actuum.

In reflexis porrò, quò eunt, nullum eſt refugium,nam nullæ reflexæ,& acumina de non regula regulam efficere ſufficiunt. Reflexæ dicunt: *Licet ſequi opinionem probabilem.* Hoc autem eſt dicere, *opinio, ſeu ratio humana probabilis eſt regula morum*, id eſt, *licet juxta eam operari*, quia utique apta regula eſt. Sed non eſt apta, ſed ineptiſſima regula,ut eſt oſtenſum.Fruſtrá ergo in reflexis remedium quæritur;& quicunque intelligens videt planè,diſputationem de reflexis pendere à diſputatione de directis,& non contrà; ac everſis directis de ſe cadere omnem reflexarum molitionem. Atque de his dictum eſt latè ſuperiùs,oſtenſaque multifario reflexarum ſufficientia.

Nec magis juvat aliud illud effugium ad poſſeſſionem libertatis,quam, ajunt: in probabilibus prævalere legi. Dictum eſt ſuprà contra hoc, & pleniùs dicetur lib. ſeq. Nunc patet breviter inſufficientia illius; quia regula de poſſeſſione non de probabilibus, ſed de dubiis ad litteram

loquitur; quare, quod nemo facere auder, favor his poſſeſſionis allegandus potius eſſet contra conſcientiam dubiam, & dicendum, iſtam nunquam obligare, quia in dubio prævalet poſſeſſio libertatis. Rurſus in dubiis, vel etiam æqualiter probabilibus (quæ formaliſſimum dubium cauſant) favetur quidem antea pacificè, ac bona fide poſſidenti, vel poſſidenti ſaltem nunc; non autem, quando nulla partium poſſedir, nec poſſider. Hic porrò eſt caſus libertatis, & legis; nam & anteà, & nunc eſt lis, & quæſtio inter utramque, ſcilicet habeamus, vel non libertatem moralem (Phyſica quippe eſt abs re, & nobis relinquitur integra; etiamſi lex obliget.) Ergo ſine fundamento, & ex ſono ſolo verborum privilegia poſſeſſionis hic allegantur.

Poſtremò non juvat illud aliud de non promulgatione: ajunt nimirùm leges de quibus ſunt opiniones iſtæ utrinque probabiles, non eſſe ſatis promulgatas, quaſi nos opinando ſic, vel ſic, efficere valeamus, leges, quas Deus glorioſus pridem promulgavit, reddi impromulgatas. Contra hoc dictum eſt ſuprà hoc lib. 3. Nunc quam hoc effugium videatur inconſideratum, & contra ipſum interiorem ſenſum illud etiam uſurpantium, duo palam commonſtrant. Primum quod ipſi ultro ubique fateantur, actiones peractas contra leges iſtas eſſe materialiter malas: at leges non ſatis promulgatæ ſunt quaſi non eſſent, contra quas proindè nec materialiter quidem peccatur. Aliud adhuc manifeſtius eſt quia ſi jam apud ipſos ſemel conſtat, & convenit, has leges circa quas ſunt ſimiles opiniones, non eſſe ſatis promulgatas, nequid dicam aliud, vanum eſſet, & puerile, eo ſemel conſtituto, quærere in materia earum legum, an hoc eſſet peccatum, an illud &c. vanius porrò aſſerere hoc, vel illud eſſe peccatum, cum ſciant, ſupponantque omnes, leges non ſatis promulgatas nullam vim habere obligandi. At ipſi tomos implent iis quæſtionibus, & aſſertionibus; quin Theologia moralis tota vix aliis conſtat. Hoc ergo de non promulgatione eſt contra ipſum interius dictamen omnium. Alioqui ſemel inita pace hoc unum eſſet promulgandum omnibus, ſcitote, leges has omnes, de quibus ſunt utrinque opiniones probabiles, & quibus libri implentur, non eſſe ſatis promulgatas, & nihil proindè obligare, ſolumque divulgandus eſſet earum catalogus, non autem diſputandum.

Hæc, & ſimilia viæ hujus munimenta ex eo omnia deducta ſunt, quod opinio, ratio humana modo dicto probabilis ſit regula hum anorum actuum: Hæc enim eſt radix harum propaginum: Idcircò ad hoc revocatur univerſum certamen. At hæc humana ratio nec regula eſt, nec quidquam regulæ habet, quin contraria omnia habet, ut latè toto opere, & nunc breviter eſt oſtenſum. Hoc ergo concluſo, ceſſant omnia.

§. III.

Ergo ratio humana, quæ eſt regula humanorum actuum, determinatè ſe habet ad legem Dei in aliquo ſaltem gradu determinationis.

HÆc illatio eſt perſpicua; ſi enim ratio humana, modo dicto probabilis, non eſt regula humanorum actuum, quia indifferenter & purè caſualiter ſe habet ad legem Dei, cujus proindè non magis eſt applicativa, quam non applicativa, nec ei ſubordinatur, nec eſt ſecundaria, requiritur ſanè quod ratio humana, quæ eſt regula, determinatè ſe habeat ad legem Dei in aliquo ſaltem gradu, & quod tollatur illa caſualitas, & indifferentia. Quod totum cum ex dictis ſit dilucidum, nunc ſola explicatione eſt nonnihil amplius declarandum, & confirmandum: atque ſatis intelligitur ſimilitudine horologii, & motus ſolis; Proconſulis, Imperatoris: item aliâ, quâ ex ſanctis ajunt Theologi, rationem noſtram, & conſcientiam eſſe quaſi præconem reſpectu voluntatis Principis, ſic enim illa intimat voluntatem Dei. Quod ſi eſſet præco aliquis delyrus, vel ebrius, qui toties, & æqualiter, ac purè indifferenter, & caſualiter divulgaret juxta, & contra voluntatem Principis, ligarent planè homines, vel riderent eum.

Ratio itaque, & cognitio noſtra juxta multiplicem gradum perfectionis habet multiplicem gradum determinationis majoris, vel minoris ad ſuum objectum. Omnes porrò hi gradus ad tres videntur ex integro revocari.

Primus gradus determinationis, & ſummus eſt, quo tepugnat aliter ſe habere objectum, quam à ratione, & cognitione noſtra enuntiatur. Hunc gradum determinationis habent, cognitiones primorum principiorum: item concluſiones ſcientificæ, & præſtantiùs fides divina; quia licet objectum materiale ſæpè aliter ſe habere potuerit, non tamen ut ſubeſt objecto formali fidei. Huc quoque revocantur cognitiones aliæ intuitivæ, & experimentales, quarum objecta qualiter aliter ſe habere nequeant, quatenùs earum objecta ſunt, facilè eſt, noſtra tamen non intereſt explicare.

Secundus gradus eſt cognitionum moraliter certum quarum objecta ſic ſemper, & in omnibus ſe habent, ut ab illis enuntiantur ſine defectu, & exceptione. Sic cognitio, qua dico, omnem hominem ſine Dei gratia peccaturum mortaliter ſiue privilegio extraordinario, ac ſub gratia ordinaria peccaturum venialiter; ac multæ: hoc genus cognitiones habent hunc ſecundum gradum determinationis ad ſua objecta nunquam, & in nullo fallunt, aut deficiunr, Unde autem hoc genus determinationis, & in quo à primo differat, non huc pertinet.

Tertius, & infimus gradus determinationis, infrà quem nihil determinationis ſuperſit, eſt illa, quâ ſaltem ferè ſemper, & ut in plurimum objectum ita ſe habet, ut à ratione, & cognitione noſtra enuntiatur, licet aliter ſe habere poſſir; licet item aliter ſe habeat aliquando rarò. Hunc gradum determinationis habent cognitiones quibus aſſerimus, Matres diligere ſuos filios: beneficiis conciliari benevolentiam; benè viventes benè mori, malè viventes malè. Lib. 2. oſtenſum eſt; tantillo plus ſe habere ad objectum, nihil ad præſens ſufficere.

Infrà, & præter hos omnes gradus determinationis vellent adverſarii invenire regulam, & ſuum probabile, illudque huc, illuc definiendo vagantur. Sed credant, præter, & infrà hos gradus determinationis ad legem Dei ſolam ſupereſſe, & relinqui indifferentiam, & caſualitatem ad legem, vel contra legem: in talibus porrò tam inveniri non poſſe regulam, quam nequit inveniri in parte apprehenſiva, aut in caſu, aut forte quod ſatis eſt oſtenſum.

Jam

Ja m nemo dubitat; omnem humanam rationem primo genere determinationis,& etiam ſecundò determinatam an legem Dei eſſe regulam humanorum actuum. Eſt enim hæc ratio ſic determinata ad legem applicativa ejus, eſt illi ſubordinata,& ſecundaria; ac fideliter,& ſine ullo defectu nobis applicat,& intimat primam regulam voluntatis Dei, quam facere obligati ſumus, ſicut ad non occidendum, mœchandum, &c.

Nemo, quem ſciam, negavit, humanam rationem tertio etiam genere determinatam ad legem Dei, eſſe regulam humanorum actuum. Multi ſanè eorum, qui ad magis probabile obligant, videntur omnimodam certitudinem, & ſic omnimodam determinationem requiſiviſſe; eorum tamen attenta doctrinæ ſerie non totalem poſtulant certitudinem, ſed certitudinem, vel quaſi certitudinem, & ſic etiam determinationem, & quæ ſalva ſit in tertio quoque gradu determinationis, atque de hac parte doctrinæ noſtræ nunc eſt dicendum.

§. IV.

Satis eſt, ſi humana ratio, quæ eſt regula ferè ſemper determinatè ſe habeat ad legem Dei: & hoc probabile conſcientia.

DIcimus itaque, quod libero hoc 3. oſtenſum eſt, tertium gradum determinationis ad legem Dei, quâ ſcilicet ferè ſemper concordet cum lege Dei, & ratò diſcrepet, ſufficere in humana ratione, ut ſit regula humanorum actuum.

Expoſui lib. 2. ac Ariſtotelicis expreſſis definitionibus conſtitui, hoc ipſum, & nihil aliud eſſe probabile, ſed opinabile, ſeu objectum propriiſſimum opinionis, quod ſcilicet ferè ſemper ita ſe habet, addendo nonnihil aliud, quod ibi declaratum eſt. Hoc porrò ex eo breviter videtur maniſeſtiſſimum quod dempto omni gradu determinationis ad ita eſſe magis, quam ad ita non eſſe, intellectus nequi enuntiare ita eſſe; ſed ſolùm dicere poteſt, *neſcio*, vel *dubito*. Abs re autem eſt, quod intellectus hinc videat rationes pro ita eſſe, ſi ſimul in conſpectu habet, & videt, pares alias pro ita non eſſe, ut in æqualiter probabilibus; vel fortiores, ut in minus probabilibus. Ergo ut enuntiet, objectum eſſe, indiget aliquo gradu determinationis ad ita eſſe. Opinio autem juxta omnes eſt enuntiatio, & aſſertio. Ergo intellectus ut opinetur, eget eo gradu determinationis. At per probabile famoſum, & conſcientiæ etiam per adverſarios non aliud ſignificatum eſt, quam objectum opinabile, inferius quidem ad objectum certum, tamen ſupra dubium, & caſuale. Ergo tertius ille, ac infimus gradus determinationis ad objectum conſtituit opinionem, & rationem humanam probabilem probabilitate conſcientiæ, & objectum ipſum eſt probabile per eamdem determinationem ad ita eſſe. Quæ omnia multipliciter oſtenſa ſunt, ac denuò in appendice conſtabunt,

Hanc probabilitatis explicationem obaudiens, vix non obſtupuit: mox etiam eam etſi adeò pervetuſtam contempſit quidam Magiſter, dixitque, eam eſſe probabilitatem de factis, & de contingentibus; non de jure, atque de neceſſariis. Sed certè, ſi rectè meminiſſet doctrinæ Ariſtotelis, & Logicorum in libris Prior. De differentia ſcientiæ, & opinionis vidiſſet planè, nec dubitare quidem potuiſſet, opinionem utique poſſe eſſe de neceſſariis, at de neceſſariis, & per neceſſaria eſſe non poſſe: eam quia aſſenſus, vel enunciatio eſt, requirere ſanè aliquem gradum determinationis ad ita eſſe in affirmativis; ad ita non eſſe in negativis: eam rurſus quia defectibilis, debilis, & infirma eſt, & cum formidine, requirere contingentiam aliquam in objecto vel materiali, vel formali, vel aliquando in utroque: eam opinionem eſſe non poſſe de undique neceſſariis, atque ſcientia eſſe nequit de rebus ullo modo contingentibus; ac vidiſſe denique, iſtas non eſſe opiniones noſtras; ſed quaſi principia Logicæ.

Jam concluſionem principalem, quod ratio humana hac probabilitate probabilis, ſit regula actuum humanorum, probavimus non privatis aliquibus noſtris cogitationibus, ſed authenticis, ac publicis pronuntiatis. Ipſa moralis ſcientia eſt regula humanorum actuum: ad hoc enim traditur, & diſcitur, ut eos regulet. At ejus objectum ſæpè ſaltem, ut ex ipſius Moralis ſcientiæ, & Ethices prooemio apertè liquet; non eſt prorſus determinatum ad ita eſſe, ſed ſolùm ut plurimum ac fere ſemper; ac ideò ipſa ſcientiæ Moralis non eſt demonſtrativa. Ergo ad rationem regulæ non requiritur totalis determinatio, ſed ſatis eſt determinatio ad ferè ſemper.

Rursùs leges humanæ. Etſi vim obligandi à lege Dei habeant; ſunt tamen regula; ad hoc enim conduntur, ut juxta eas vivamus: & tamen non ſunt indefectibiles, ſed ſufficit, ſi quæ jubent, ut in plurimum, ac ferè ſemper bona ſint; aliquando tamen deficiunt,& peccant;& tunc indigent emendatione, & correctione per æquum, & bonum, ſeu per epicheiam, ut in Ethicis, ac 1. 2. traditur, & negat ibi nemo. Hæc porrò ipſa eſt defectibilitas humanæ rationis modo dicto probabilis. Ergo, &c.

Hæc ratio regulæ in humanis omnibus admittitur. Bonus famulus eſt, bonus Medicus, bonus Dux, bonus Doctor, ſi ferè nunquam, & rarò deficiunt, & peccant in pertinentibus ad ſua munia. Sic etiam eſt in horologio, & ſic in omnibus. Hoc ſecundum modum hominum eſt; nunquam falli, & errare eſt Angelorum. A contrario iniquum ſanè videtur: in humanis omnibus eam rationem regulæ velle: at reſpectu Dei minus requirere. Peſſimi eſſent prædicti omnes qua tales, ſi æqualiter ſe haberent ad errare, vel non errare, ut æqualiter probabilia; ſeu magis ad errare, ut minus probabilia. Nemo tales famulos vellet, non amicos, non Medicos, Duces, Aurigas, & nec coquos quidem, aut horologia. Quidni ergo Deus velit tales amicos, aut famulos, qui regulam ſibi uſurpent, qua non habeant magis juxta, quam contra legem ſanctam ejus vivere.

Addidi tamen, ubi de his tractatum eſt, humanam rationem modo dicto probabile eſſe utique regulam humanorum actuum; eſſe tamen regulam cum onere. Quia hæc regula eſt defectibilis, aliquando deficit, & tenetur quis attendere, & videre, an in hoc caſu particulari deficiat, & erret: quod ſi deprehenſus fuerit error, non licet juxta eam operari. Hoc eſt onus hujus regulæ propter ſuam defectibilitatem.

Nemo juſtè conqueri poteſt, hoc nimium, ac nimis ſtrictum eſſe. Abſurdum quippe ex terminis eſt, plus regulæ: & valoris opinionibus no-

Digitized by Google

ſtria dare velle, quam humanis legibus. Et ratio tiam eſt manifeſta; quia leges condunt pauci viri lecti, & præſtantiſſimi, & diuturna conſideratione, cuduntur autem faciliùs opiniones Doctorum. Si ergo leges illæ propter ſuam defectibilitatem indigent emendatione contra eas operandum eſt, ut quod eſt exemplum S. Thomæ, Domino petenti ſuum depoſitum ad patriæ impugnationem, non eſt concedendum; à fortiori quæcumque opiniones probabiles Doctorum propter idem genus defectibilitatis indigent in aliquo, & aliquo, & aliquandò emendatione, nec juxta eas eſt operandum.

Exemplum hujus oneris eſſe poſſunt iſtæ ipſæ controverſiæ de probabilibus. Profectò regula bona, & probabilis eſt, quod quia vivat, & operetur juxta ſententias omnium ferè Authorum ſuæ ætatia; ut videbatur eſſe ſententia docens, licere operari juxta opinionem æqualiter, vel etiam minus probabilem contra legem. At audit quis in contrarium fortiſſimos clamores aliquorum virorum ſanè Chriſtianorum, qui odiis etiam ac injuriis hac de cauſa ſeſe exponant. Tenetur ſanè benè videre, ac omni depoſita partium affectione ab origine examinare, an regula, quod communiſſimæ ſententiæ raro fallant, deficiat ac peccet in iſta quæ communiſſima ferè omnium videbatur ſententia.

Sic ut quis ſe ritè gerat in pertinentibus ad Matres, & Filios bonam regulam habet cognitionem, quâ putat, Matres diligere ſuos. At de Matre aliqua particulari. Audit murmur magnum in contrarium; invenit non unum, aut duos, ſed plures ſeveriſſimè quin vix non ſub juramento atteſtantes, Matrem illam vehementer odiſſe filiorum ſuorum aliquem. Ut profectò ſe ritè, prudenterque gereret erga Matrem illam, & filium in negotio v. gr. quod maximè filii intereſſet, teneretur tam benè videre, & examinare, nec ſibi ſufficeret regula illa, quod Matres diligant filios.

Hæc cauſa me coëgit ad harum rerum diligentiſſimum examen, ex quibus ſcilicet tum mea, tum communis Chriſtianorum vita, & ſalus pendebat. Tradebam quidem & ego eatenùs, licere ſequi probabilia & æqualiter, & minùs talia. Loquebar, ut loquuntur modò alii; eiſdem utebar formalibus verbis: utebar reflexis; utebar poſſeſſione libertatis, non promulgatione legis, & id his totum plus minus me ſciviſſe arbitror, quod ſciunt modò alii, neque ab eis aliquid tunc me latens audio. Rem ergo per multos integros annos examinavi: non dico, evidens eſſe, eam non eſſe regulam humanorum actuum; hoc ſolùm dico, & teſtor, & Deus ſcit, quod non mentior, nihil mihi unquam viſum eſſe evidentius, quam eam regulam non eſſe.

Ergo non eſt, ſaltem certiùs, dictamen conſcientiæ.

Quam eſt humana ratio, ex qua formatur.

Conſcientia, ut S. Thomas cum aliis definit, eſt applicatio ſcientiæ ad actum particularem: & hæc ſcientia eſt, quod nos rationem humanam vocamus: eſt enim univerſalis. Nihil nunc ad nos, an conſcientia ſit habitus, ut ait Scotus; an ſolùm actus, quæ eſt ſententia S. Thomæ. Convenit, conſcientiæ proprium eſſe applicare ad actum particularem ſcientiam vel cognitionem, vel rationem univerſalem, quæ in mente præeſt. Nunc ergo eſt videndum, quam certus, vel incertus, quam evidens, vel non evidens ſit iſte actus conſcientiæ, qui paſſim dictamen conſcientiæ compellantur.

Mirum ſanè mihi videtur, & forte videatur etiam aliis, quod multi pro regula quidem ponant humanam rationem prædicta illa probabilitate æqualiter, aut minus probabilium probabilem nihil connexionis, nihil determinationis habentem ad legẽ Dei; & mox quod ſciant dictamen non qualecumque, ſed prorsùs certum, & evidens conſcientiæ elicere, quin nec ullam in eo difficultatem inveniant, ſed cuncta ipſis videantur expeditiſſima per reflexas. Quam vellem ſcire, in qua parte Logicæ iſta traduntur, ut diſcerem.

Aiunt conſtare per univerſam Logicam, ex præmiſſis evidentibus ſequi concluſionem evidentem, & certam: hic porrò adeſſe præmiſſas iſtas reflexas evidentes; licet ſequi quamlibet opinionem ſeu humanam rationem probabilem: ſed opinio, vel ratio dicens, hunc actum particularem eſſe honeſtum, eſt probabilis. Ex his præmiſſis certis, & evidentibus, aiunt, ſequitur pro concluſione dictamen, & actus conſcientiæ, quo certò, as evidenter conſtat honeſtas illius actus particularis. Idcircò pro indubitato ferè habent, ad honeſtè operandum requiri evidentiam iſtam, ac certitudinem de honeſtate actus, vel operationis.

In hac quæſtione paulò ante dictum eſt contra iſtas reflexas pleniùs porrò ſuperiùs hoc libro. Nunc taceo, majorem præmiſſam non ſolum nobis non eſſe evidenter veram, ſed evidenter falſam. De non evidentia, ſed potiùs incertitudine minoris dicam mox curſim.

Hoc nunc ſolùm vellem ob oculos ponere, ac perſpicuè dicere. Scilicet major illa propoſitio reflexa aſſumit pro objecto ſuo immediato opinionem probabilem de non lege, quæ quippe ait, non dari legem, ſeu eam non obligare. Hæc opinio aſſumpta pro objecto nulla eſt evidentia non obligationis, quin purè indifferenter, & caſualiter ſe habet ad legem, vel non legem. Ergo major illa à ſuo objecto non habet nec evidentiam, nec certitudinem non legis, vel non obligationis. At actus nequeunt eſſe certi, vel evidentes, ſi objecta illarum incerta ſunt, & evidentia, ut facile oſtenditur & à priori, & ab inductione. Ergo major illa nullam habet evidentiam non legis, vel non obligationis: ſic enim nobis conſtat nos eſſe obligatos, ſicut conſtat adeſſe legem, nec plus, nec minus, ut etiam ſuprà fusè habitum eſt.

Expono. Iſte homo omnes iſtas reflexas fabricans prorsùs neſcit directè, an re ipſa detur, vel non detur lex Dei prohibens illum actum. Ergo cum hoc componere nequit evidentiam concluſionis, & dictaminis, quo certus ſit, eum actum agendo ſe non violare re ipſa legem Dei, ſed prorsùs neſcit. At quis intelligat, te, dum operaris, prorsùs neſcire, an re ipſa agas juxta legem Dei, an eam violes, & ſimul certum eſſe, te non peccare? Recurſus ad malitiam purè materialem apertè rejectus eſt. Nam hæc materialitas locum habet in non præcognitis, & ideò nec volitis: hic autem ſumus in viſis, & liberè volitis: præviſum eſt enim, fortè eſſe legem, & hoc ſufficit. Non plura nunc. Hoc ſanè totum ſimile eſſe videtur,

bere evidentiam rectitudinis ſui horologii, ſive re ipſa concordaret, vel non cum motu ſolis; & faceret ſyllogiſmum, quaſi reflexum: horologia à famoſis Artificibus confecta ſunt recta: hoc meum eſt confectum à famoſo Artifice: eſt ergo rectum. Credo enim, nec vanè me credere arbitror, rectitudinem noſtræ conſcientiæ non minus pendere à concordia cum divina lege, quam pendeat rectitudo horologiorum à concordia cum motu ſolis, ut initio quæſtionis eſt habitum.

De minoris illius magna incertitudine cogitabam aliquid dicere; eſt enim illa multis modis incerta: niſi in reſponſo cujuſlibet Confeſſoris, Conſultoris, & Parochi habeat fidelium quiſque non ſolùm probabile, ſed ſimul ejus evidentiam: his quippe reſponſis conſtant frequentiſſimè minores particulares. Jam ergo non dicant, Authores graves, ſed dicant Confeſſores quoſque, Parochos, & Conſultores, & facere probabile, & evidenter facere. Dicta ſunt ſatis multa, & fortia contra reflexas iſtas.

Nunc ad doctrinæ noſtræ ſeriem. Intulimus itaque, dictamen conſcientiæ ſaltem certius eſſe non poſſe, quam ſit humana ratio, vel ſcientia, ex qua formatur, & quam applicat: quod ex communibus Theologorum etiam contrarium placitis ſic confirmatur, & exponitur; contra quæ planè eſt opinio requirens ad honeſtè operandum dictamen evidens honeſtatis, & ad peccandum dictamen inhoneſtatis.

A principio ergo Theologi habuerunt, quod cum aliis fusè diſputat, ac docet S. Thomas conſcientiam errare poſſe: & ſic erravit conſcientia Judæorum arbitrantium, ſe, ut veritas ait, obſequium præſtare Deo in interficiendis Apoſtolis.

Hinc omnes Theologi antiqui, & Recentiores dividunt conſcientiam in rectam, & erroneam: atque hanc rursùs in vincibilem, & invincibilem: & nemo eſt, nec fuit, qui has conſcientiæ differentias negaverit. Infertur: non ergo omnis conſcientia eſt certa, & evidens: falſo enim, & erronea non ſunt certa, nec evidentia, ut patet. Non ergo omnis actus conſcientiæ eſt certus, & evidens: neque ergo dictamen omne.

Expono. Abſurdum eſſet, & vix non ſtolidum dicere, ſcientia alia eſt vera, & recta; alia falſa, & erronea; quia de ratione ſcientiæ eſt veritas, & rectitudo: atque ita de aliis. At conſcientia non eſt aliud, quam actus ſui; & dictamina. Si ergo hæc ſemper ſaltem, & omnia certa eſſent, & evidentia, abſurdum eſſet, conſcientiam aliam dicere rectam, aliam erroneam. At omnes hoc dicunt, & ponunt: adeò veritas pati poteſt, vinci prorsùs non poteſt. Ergo non ſemper ſaltem, nec omnes actus conſcientiæ ſunt certi, & evidentes: ac proindè neque dictamina.

Hinc obiter contra reflexas patet, conſcientiam non formari ſolùm circa malitiam, vel bonitatem formalem, ſed etiam circa materialem, & circa realem concordiam, vel contrarietatem cum lege. Nam conſcientia erronea invincibilis eſt erronea; non quia errat circa malitiam formalem; quæ nulla eſt. Ergo quia errat circa materialem, & circa ipſam realem concordiam cum lege. Unde vani ſunt conatus volentium per reflexas præſcindere à concordia, vel contrarietate cum lege ipſá, & formare conſcientiam quaſi in aëre circa honeſtatem formalem actus.

Conſcientia itaque errare poteſt, & errat non ſemel. Primò quia conſcientia aliud non eſt, quam applicatio ſcientiæ, ſeu rationis univerſalis præhabitæ ad actum particularem, & quod ſcientia dicit in univerſali, hoc conſcientia dictat in particulari: nec hoc dictum particulare ſuæ veritatis, & certitudinis aliam probationem habet, quam univerſalem illam ſcientiam, & rationem, qua formatur, ac elicitur, & in tantum conſcientia conſtat, hunc particularem contractum non eſſe uſurarium, in quantum præcedens ſcientia univerſaliter dicit, nullum ſimilem contractum eſſe uſurarium. At ipſa univerſalis ratio, & ſcientia eſt defectibilis, & errare poteſt; quia non eſt preſſe ſcientia, ſed moralis, quæ non eſt demonſtrativa, & procedit ex iis, quæ ut in plurimum ita ſe habent. Ergo & ipſa conſcientia eſt defectibilis, & errare poteſt. Confirmatur, quia oſtenſum eſt, rationem humanam jam declarata probabilitate probabilem eſſe regulam morum: apta eſt ergo, ut ex ipſa formetur conſcientia: at hæc ratio humana eſt defectibilis errat aliquando, ergo & conſcientia illi ſubnitens,

Secundò errare poteſt conſcientia non propter defectum, & errorem ſcientiæ præhabitæ, ſed propter malam applicationem ejus ad hunc actum particularem, ut S. Thomas latè declarat, & docet: & nos declaravimus.

Hoc genus defectus committere illi maximè poſſunt, qui Doctores ſe faciunt, cum non ſint. Ponamus quippe, probabile illud conſuetum eſſe rectiſſimam regulam morum. Jam hoc dato, in in hac cognitione univerſali nullus eſt defectus, neque error. Occurrit actus particularis agendus, pro quo eſt opinio alicujus in libro, & judicandum eſt de probabilitate opinionis. Judex adeſt vel juvenis, vel ineptus Theologus, qui quorsùm ſe habeat Theologia, neſcit. Facile eſt ut erret, & non probabile dicat probabile. Et ſic etiam errabit conſcientia propter dictum ejus applicans malè regulam univerſalem ad actum particularem. Sic profundus aliquis Doctor doceat rectè aliquod genus contractus eſſe licitum. Tu illud non ſatis aſſequeris, quia inops es diſcurſus, & paralogizaris, & judicas eum approbare hunc tuum contractum particularem. Erras, & errat ſubindè conſcientia propter malam applicationem.

Ex his porrò perſpicuè cernitur, dictamen conſcientiæ certius eſſe non poſſe, quam ipſam ſcientiam humanam rationem, ex qua formatur, & elicitur. Nam nimirum ratio univerſalis, aut ſcientia eſt principium: actus autem conſcientiæ concluſio: at diſputatur quidem, an concluſio æquet in certitudine præmiſſas? & aiunt, & negant: nemini autem in mentem venit, concluſionem eſſe poſſe certiorem ſuis principiis. Neque in reflexis eſt refugium, ut dictum eſt.

Quin quoniam in ipſa applicatione ſcientiæ, & rationis univerſalis denuò peccari poteſt, conſpicitur palam, conſcientiam nec æquare quidem in certitudine ſcientiam, & humanam rationem, quæ eſt regula. Hæc aliquandò ipſa divina fides eſt, aliquandò demonſtratio: aliquandò cognitio moraliter certa: at tunc etiam errare poteſt conſcientia propter malam applicationem: v. g. certum eſt, ægrotum indigentem non eſſe deferendum propter audiendam miſſam: at ex paſſione, vel amore errari poteſt, quia fortè hic æger non multum indiget, nec multum patietur: ſimiliter

Digitized by Google

militer à contrario ex contemptu, & defectu dilectionis circa hunc ægrotantem, qui ſatis malè habet, & verè multum punietur: tu tamen parvi cuncta facis, & eum deſeris.

Hinc abſolutè aſſerimus, ad honeſtatem actus humani ſatis eſſe dictamen probabile honeſtatis. Inquam probabile eo genere probabilitatis, quo diximus debere eſſe probabilem humanam rationem, quæ eſt regula humanorum actuum. Hæc doctrina concordat tactis principiis Theologorum omnium: inde cernitur, quomodò conſcientia errare poſſit, & quomodò etiam dividi in rectam, & erroneam. Eam præter multos alios antiquiores maximè tradunt etiam Vaſquez, & Sanchez: & loco ſuo declaravimus.

Sed ſcrupulis, inquis, implemur: jam nemo certus erit, an benè, an malè operatus ſit: quam proindè operanda, & præhabenda eſt ſententia concedens dictamina evidentia! Verùm utinam non ſcrupulis, ſed humilitate ac ſancto timore Domini impleremur! nec in noſtra juſtitia vanè confideremus! Profectò quaſi mundus in nimium timorem Dei declinaret, curare videntur aliqui, ne doctrinæ tradantur, undè timeat, ſic cum ſectariis allegari poterit, juſtos omnes, ne ſcrupulis impleantur, & angantur, debere eſſe certiſſimos ſuæ juſtitiæ, & evidentiam habere: nec enim ad quietem noſtram ſatis eſt honeſtatis actuum eſſe certos, ſi omnibus demùm perpenſis de me ipſo certus non ſum.

Itaque iſta, & ſimilia conſideratè proponi nequeunt. Taceo ſcripturas ſanctas. Taceo metum ſanctorum, ac omnium Deo diligenter, & apertis oculis inſervientium. Eorum in ſuia, non in materia probabilium, ſed longè certiori de rectitudine ſuorum operum ſollicitudinem, & examina prætereo. Hoc unum dico: per horam integram paſſionem, & amorem ſalvatoris meditatus: non aliud, quàm illum redamare nixus es. Habéſne totalem certitudinem, & evidentiam, quod redamaſti? Ergo & totalem certitudinem, & evidentiam tuæ juſtitiæ: quod fides condemnat. Abi ergo, & homines totos immerſos in telonio certiſſimos fac honeſtatis ſuorum contractuum. Qui ergo iſta opponunt, ſciunt me melius atque exequuntur, timere, quin ſperes, eſſe Dæmoniorum; ſperare, quin metuas, Phariſaicum: ſpem inter, metumque medios ire eſſe juſtorum, ad ſpem probabilitas facit, ad metum certitudinis defectus. Ais, ad operandum quidem evidentia adeſt: de honeſtate operatorum non adeſt. Benè: ſcrupulis ergo, ut aiebas, implebimur, & nemo certus erit, an benè, an malè operatus ſit.

§. VI.

Ergo ſicut humana ratio, ſic prorſus & ipſa conſcientia ad legem Dei concordanda eſt.

ILlatio iſta eſt manifeſta ex iis, quæ de concordanda humana ratione, ac deinceps dicta ſunt. Ideò enim humana ratio, quæ eſt regula, concordanda, exigendaque eſt ad divinam legem; quia hæc eſt prima regula, hæc principalis, hæc indefectibilis, & nunquam errans: illa contrà ſecundaria, defectibilis, ſubordinata, & applicativa primæ. At omnes hæ rationes pariter probant de conſcientia, ut patet ex nuper oſtenſis, & humana ratio, & conſcientia in eo quoad præſens diſferunt ſolum, quod humana ratio dictat, applicat legem Dei in univerſali; conſcientia verò in particulari ad hunc particularem actum hic, & nunc efficiendum. Ergo ſicut humana ratio, ſic prorſus & conſcientia ipſa concordanda eſt ad legem Dei.

Quinimò à fortiori eſt concordanda. Nec enim ipſa moralis ſcientia & humana ratio concordanda eſt ad legem: ut in ſcientiis ſpeculativis, propter ſpeculationem, atque hujus rectitudinem, & veritatem, ſed propter actum, qui eſt finis moralis doctrinæ, utque actus ipſi particulares concordent primæ regulæ: ad quod neceſſe eſt, ut ipſa primùm conſcientia concordet, quæ eſt ultimò ac proximè directiva, & dictativa actuum particularium, & niſi concordet conſcientia, actus concordare nequeunt. Quarè ſi actus, & conſcientia concordanda non eſſet ad legem Dei, prorſus nec humana ratio, nec ſcientia concordare deberet. Ergo à fortiori concordanda eſt conſcientia, & exigenda ad legem Dei.

Imò ipſius etiam legis, & primæ regulæ finis non ſunt univerſalia, ſed particularia, ſcilicet actus noſtri. Hinc proindè concordanda ſunt omnia uſque ad actus ipſos, primùm quidem ſcientia, & cognitio univerſalis; mox cognitio particularis, ſeu conſcientia, ut ſic demum habeatur concordia actuum noſtrorum cum ſua prima regula, ſcilicet cum lege Dei; quæ non alia de cauſa, nec in alium proximum finem lata eſt, promulgata eſt, niſi ut juxta eam vivamus. Ideò ſancti in ea meditantur die, ac nocte; eam in medio cordis habent: per eam vitam, moreſque ſuos examinant; omneſque juſſi ſumus, nec ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare: addere nihil, nihil detrahere.

Ex his, quæ conſpicua videntur, & à nemine, quem ſciam, ſub his terminis in dubium revocata ſunt, plurima per immediatas conſequentias, niſi fallor, clarè conſequuntur.

Primò, conſcientiam, ſeu actum conſcientiæ, ſicut & ipſam humanam rationem, & ſcientiam, cujus eſt applicatio, eſſe actum directum, directè dictantem, ac intimantem, an actus particularis nunc agendus ſit juxta, an contra legem Dei, an dubitet, ſeu neſciat? Niſi enim hoc dictaret, quin ab hoc poſſet præſcindere, nihil eſſet illa concordanda ad legem Dei, & primam regulam.

Secundò ſequitur, in tantum conſcientiam nobis dictare, nos eſſe obligatos, vel non eſſe obligatos ad hunc particularem actum, in quantum, & ſicut nobis dictat, hunc particularem actum eſſe, vel non eſſe contra legem Dei, vel dubitari, & menſuram cognitionis obligationis, vel non obligationis hic, & nunc eſſe cognitionem legis, vel non legis (ubi prætereo nunc conſcientiam erroneam vincibilem) Ideò latè oſtenſum fuit, in tantum, nec plus, ſaltem quem ſcire poſſe, ſe non peccare, in quantum ſcit, & ſicut ſcit, ſe non agere re ipſa contra legem Dei.

Tertiò ſequitur, vanum prorſus videri, conſcientiam tuam tibi dictare, quin evidenter dictare te honeſtè agere hunc actum particularem, etſi neſciat, an actus re ipſa ſit contra legem Dei. Hoc eſt contra nuper dicta, & illata omnia; & hoc eſt velle habere conſcientiam diſparatam à lege Dei, & quaſi avulſam, independentem, non ſubordinatam, nihilque concordandam. Hoc eſt,

ſicut

ſicut ſupra dixi, velle habere rectum horologium, ſive concordet, ſive diſcordet, à motu ſolis. Conſcientia itaque dictaret: evidens eſt, te honeſtè effecturum hunc actum, ſive ille re ipſa ſit à Deo prohibitus; ſive non; de quo ratio mihi mea intimat utrimque opiniones, & fundamenta, & ego veritatem ignoro. Hæc enim cuncta, quæ ſanè conſcientiæ non videntur, complecteretur conſcientia illa.

Quartò ſequitur, per illas toties memoratas reflexas conſcientiam formari non poſſe: Nam caſus reflexarum eſt hic ipſe, quem in tertia illatione propoſui; cujus planè conſcientiæ illegitimitas ſatis clare viſa videtur. Ommitto Logicam, ex qua apertè conſtat, omnem ſyllogiſmum habentem unam propoſitionem reflexam, & aliam directam; neceſſariò involvere quatuor ut minimum terminos: at major & minor ſyllogiſmi reflexarum ſunt reflexæ; inferendus eſt autem actus conſcientiæ, qui eſt actus directus: de quo ſupra.

Nunc ſatis eſt, quod major illa, *licet ſequi omnem opinionem probabilem*, nihil concordat legibus particularibus, de quibus ſunt opiniones, cum nec ipſæ opiniones concordent, cum indifferenter, & caſualiter ſe habeant, ut declaratum fuit; quin nec concordare omnes poſſint, cum ſibi contradicant. Ergo per illam majorem nequit conſcientia concordari ad particularem legem illius materiæ, in qua eſt actus, circa quem formanda eſt conſcientia.

Quintò ſequitur, præter rationem humanam, & ſcientiam, quæ ſit regula, & conſcientiam formari non poſſe: non enim habet conſcientia, unde ſibi conſtet, adeſſe, vel abeſſe legem, ad quam efformanda eſt, niſi ex univerſali ratione, vel ſcientia, cujus ipſa eſt applicatio ad actum particularem: Minùs multò formari poſſe conſcientiam contra rationem ipſam, quæ eſt regula. Hæc porrò ſunt, de quibus copioſè dictum eſt, nihil opinando, nec judicando circa legem, ſed ſolùm videndo, & aſſumendo opiniones, quæ ſunt in libris, quas tu prorsùs neſcis, an concordent, vel contrarientur primæ tuæ regulæ legis Dei, non licere operari: minùs multò contra opinionem propriam, qua putas, adeſſe legem, eſſeque proindè falſam opinionem contrariam.

Poſtremò, miſſis aliis, ſequitur, quod ſuprà eſt habitum, conſcientiæ vniverſam diviſionem faciendam eſſe per concordiam, vel contrarietatem ad legem Dei re ipſa. Si concordat, conſcientia eſt recta, ſive cognitio ſit certiſſima, ſolùm probabilis modo declarato: tum enim eſt vera opinio vera, atque eſt vera demonſtratio vera: certè utraque eſt vera. Si diſcordat, & contrarietur, conſcientia eſt erronea, & hæc ſubdivitur in invinbilem, quæ excuſat ex toto, & invincibilem, quæ non excuſat à toto, ſed à tanto. Atque hæc fuit plana, expedita, ac apud ipſos indubitata Theologia veterum, in quibus proindè hæ noſtræ de Probabilibus controverſiæ locum habere non potuerunt.

Ad ſcientiam. & rationem humanam rectam niſi in applicanda peccetur, ſequitur conſcientia recta: ad falſam autem ſequitur erronea, & ideò S. Thomas notanter pro eodem habuit propter connexionem quæſtiones de ratione errante, & de conſcientia erronea.

Hinc etiam Morales, Philoſophi, Ariſtotele Duce, pro indubitato habent; rectam rationem eſſe de ratione virtutum; rectam, inquam, id eſt veram; nam rectitudo rationis eſt veritas; & nulla cognitio eſt recta. Hæc porrò ratio recta directiva virtutum, & actuum, earum eſt directam præſcribens naturas, & differentias, & medium uniuſcujuſque, ut conſtat indè.

Hinc demùm nos conſcientiæ totam diviſionem fecimus per verum, & falſum; nam quod eſt in rebus eſſe, hoc eſt intellectu verum; & quod rebus non eſſe, hoc in intellectu falſum, ut ſapientibus eſt proprium. In re noſtra ratio, & cognitio dictans, & enuntians, legem eſſe, eſt vera, ſi lex eſt: eſt falſa, ſi non eſt, & à contrario in negativis, ut patet.

Hinc dicere, ſolam cognitionem veram eſſe regulam morum, & nullam falſam eſſe regulam; idem eſt, vel connexum, atque dicere, legem Dei eſſe regulam, & nihil contra, aut præter legem Dei eſſe regulam. At indubitatum eſt, & nemo negat de lege. Quid ergo negant, nec tolerare quidem volunt de cognitione, vel ratione vera? Atque iſta eſt univerſa fermè doctrina noſtra de Probabilibus.

Sæpè uſus illâ Auguſtini authoritate ſum quæ eam totam complectitur, & extat 24. *quæſt. Non afferamus*, inquit, *ſtateras doloſas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio noſtro dicentes, hoc grave, hoc leve eſt; ſed afferamus divinam ſtateram de ſcripturis ſanctis tamquam de theſauris Dominicis, & in illa, quid ſit gravius, quid levius appendamus; imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* Ad hanc ſtateram legis Dei exigenda ſunt omnia, quæ non fallit, nec dolum habet: ratio humana, & conſcientia ſi concordant, rectæ ſunt: ſi diſcordant, fallunt, & dolum habent. Si involuntarió fallimur, excuſamur; ſin minus non ſaltem à toto.

§. VII.

In quo ergo hæc de Probabilibus doctrina conveniat cum ſententia obligante ad probabilius?

AD hoc animadverſionis cogit me accuſatio cujuſdam Magiſtri, qui neſcio, qualiter alios, aut me legat: certè efficit dicendo, me contra omnes eſſe.

Sententia itaque eſt plurimorum jam ſcita, & nota, non licere uſum æqualiter, aut minùs probilium contra legem, ſed ut quis licitè operetur contra legem requiri: quod habeat pro ſe opinionem probabiliorem. At nos non probabiliorem, ſed ſolùm vera regulam eſſe tuemur. Sumus ergo contra omnes.

Nos certè non negamus, aliquid eſſe allatum, & collatum magis præter, quam contra Authores hujus ſententiæ: contra illos tamen nihil ſaltem momenti tradidimus, & unà cum illis atque in eundem ſcopum expeditiori fortè via itum eſt.

Ipſorum tota intentio, & ſcopus opuſculorum fuit oſtendere opinionem minùs, aut æqualiter probabilem contrà legem non ſufficere pro morum regula. Hoc idem nos ab operis exordio omnibus, ac ſingulis quæſtionibus oſtendere quantavi potuimus, conati ſumus. Apud eos proinde nos gratiam habituros, nihil dubitamus.

ramus. Ipſi magis ut ſententiam contrariam deſtruerint, quam ut aliud docerent, ſcripſerunt. At nos in hac parte prorſus conſenſimus: ſed prætereà principaliter rectam doctrinam, & regulam morum tradendam eſſe exiſtimavimus; undè præter eorum ſcripta conferre etiam alia neceſſe fuit; ex quibus eorum univerſa intentio denuò fulciretur.

Ipſi quidem dicunt, magis probabile ſufficere pro regula, in quo non tam hoc ſufficere, quam hoc ſaltem requiri voluerunt; nec enim datâ operâ probabiliorum ſufficientia collatis in id argumentis laborarunt, ut in opuſculis eorum cernitur. Quoque loquendo de peccatis, non ignoranter, ſed ſcienter, & advertenter commiſſis, quod ſolùm ad doctrinam de probabilibus attinet, fatemur, nullum peccatum ſcienter, & advertenter committi operando juxta opinionem probabiliorem, ſcilicet manifeſtè, & perceptibiliter probabiliorem: nec contra hoc eſt quidquam in doctrina noſtra.

At eſt in proverbio, multa falſa probabiliora veris. Unde contingit humanam rationem quoad nos probabiliorem errare. Jam quæſtio eſt, non ad hanc probabilium cauſam, ſed ad ſecundam partem noſtri operis de peccatis ignorantiæ pertinens, utrum ſequendo tam probabiliorem rationem, falſam tamen, & errantem, quin etiam quoad nos, & apparenter certam incurri poſſit peccatum ignorantiæ? Ego certè legi: quin & in compendium diligenter reduci opuſcula aliquorum obligantium ad probabilius: nullibi tamen tradunt, eam rationem ſic errantem ſequendo peccari ignoranter non poſſe, nec hoc erat è re ipſorum. Parallogizatus eſt ergo Magiſter ille.

Expeditius itaque nobis viſum eſt per verum, & falſum cuncta decernere, atque hac via cauſam univerſam comprehendi. Nam verum neceſſariò eſt verum, & falſum falſum. Verum ſemper concordat cum lege Dei, & prima noſtra regula, à qua eximi planè non poſſumus; falſum diſcordat: univerſæ quippè viæ Domini miſericordia, & veritas: & via noſtra noſter Salvator, via & veritas: hęc nos liberabit; & ſi non delectat veritas, delectet libertas, concludat Auguſtinus, Si erramus à veritate, erramus à via. Tunc tota quæſtio eſt, an voluntariò, an involuntariò erratum ſit. Simus ergo cives Civitatis Dei, cujus lex Charitas, cujus Rex Veritas, hujus modus æternitas eſt, idem Auguſtinus.

LIBER QVARTVS.

De dubitatione, & dubio; déque hujus ſolutione.

OPINIONE, & dubitatione explicatâ, ſequitur, ut de dubitatione dicamus, atque de dubio; & liber præcedentem de novo ſtabiliet, ille iſtam viciſſim confirmabit, & ex utroque ſimul conſtabit demum, quæ res propriè ad probabilia, & ad opinionem pertineant: quæ propriè ad dubia, atque ad ſolam dubitationem; de quibus ſcilicet ſolùm ſit dubitare; non autem quidquam mentaliter dicere affirmando, vel negando.

QUÆSTIO I.

Quid ſit dubitare, & quid dubium?

JAm quæ hoc libro dicturi ſumus, vix aliud, quam corollaria, & conſequentia ſunt libri præcedentis, quæ illis datis neceſſariò conſequantur: utile tamen erit, ſi hæc denuò aliis rationibus, atque obvio, & frequenti Theologorum ſenſu ſeorſim firmemus, ut ita probata de novo conſequentia fidem de novo faciant antecedentium.

Incipimus verò primùm de dubitare, deinceps de dubio ſeu dubitabili quærere; & ſic primùm de actu, mox de objecto: licet enim natura prius, notiuſque objectum actu ſit, ſunt tamen actu noſtri quoad aliquas ſaltem proprietates ſenſu, experientiaque nobis notiores: quamquam ad totalem, perfectamque notitiam, eſſentiamque actuum, ſit demùm deveniendum ex objectis.

Primò itaque quæſivimus, quid ſit dubitare? Definiunt enim paſſim quandò, & ubi dubitare contingat: nos nunc, quid illud ſit, inquirimus.

Compertum ſanè videtur, dubium eſſe aliquem actum noſtrum: nec enim dormientes dubitant: nec item nihil de aliquo cogitantes de eo dicuntur dubitare.

§. I.

Authorum mens.

ACcipiendo itaque dubium pro actu, & pro ipſo dubitare, Sylveſter, Clavaſius, ac Summiſtæ, alii, verbo *dubium*, illud ex Iſidoro definiunt: *Eſt motus indifferens in utramque partem conditionis:* vel ex Philoſopho, ac D. Thoma *in 3. diſt. 17. eſt contrariarum rationum æqualitas*: idem habet *de ver. qu.* 14. 1. hæc porrò definitio dubii non de actu ſed de objecto eſt: nam æqualitas rationum nullus eſt actus, nullus motus intellectus: nos verò tam inter hæc duo diſtinguendum cenſemus, atque diſtinguitur inter actum, & objectum.

Suarez 1. 2. *diſp.* 12. *ſect.* 5. dubium pro actu accipiens, dubium (ait) conſiſtit, in quadam mentis

tis ambiguitate, & voluntaria judicii ſuſpenſione; non ſolum quoad exercitium: hoc enim non eſt ſatis ad dubitandum (ut patet) ſed etiam quoad ſpecificationem, quia nimirũ voluntas non determinat intellectum ad alteram partem, quia non invenit ſufficientem rationem: unde non videtur includere ſolam carentiam actus, ut exiſtimavit Cano, ſed etiam judicium reflexum de inſufficientia medii, ſeu rationis ad aſſentiendum: quod contingere vel propter negationem medii, ut an aſtra ſint paria, vel propter rationes utrimque probabiles cum tanta æquitate, ut intellectus meritò dubitet, & ſuſpendat aſſenſum. Hæc explicatio Suarez.

Quòd ſuſpenſionem vocet voluntariam, uno quidem ſenſu verum; nam qui dubitat, voluntariò dubitat; poteſt enim aliò mentem divertere, & nihil inquirendo deſiſtere à dubitando. At alio ſenſu falſum, quaſi potens alterutram partem veram mentaliter dicere, ut ipſi libebit, voluntariè nolit: hoc enim ſenſu falſum, ut conſtat ex dictis; & ex Ariſtotele mox adducendo; dubitare enim pati potius, quam voluntarium eſt: & ipſæ Suarezii clauſulæ de non *ſufficiente ratione*; *ſuſpendere merito*; atque ſeries tota videtur hunc ſenſum excludere: excludit item alibi expreſsè; de quo poſt.

Vaſquez 1. 2. *diſp. 65. cap. num.* 4. ponit ſimiliter dubium, ſeu dubitationem, quandò quis utramque partem contradictionis apprehens adductis rationibus conatur cognoſcere convenientiam inter extrema in aliqua parte illius, & tamen in neutra illam invenit. Addit autem contingere dupliciter dubium, vel expreſſo judicio affirmando, incertum eſſe, utrum res illa ita ſit, an non? Vel ſine hoc tali judicio. In quo proindè videtur ſentire magis cum cano, quam cum Suarez.

Sanchez *lib. 1. in Decal. c. 9. n. 2.* & ſæpè aliàs dubium pro actu definit, dari quando intellectus pendet in æquilibrio, in neutram partem potius inclinans. Atque hoc fermè modo cæteri communiter vel definiunt, vel explicant dubium, ſeu dubitare: qui videri poſſunt tractantes de conſcientia dubia.

§. II.

Definitio, & eſſentia dubitationis ex D. Thoma.

D. Thomas *in 3. diſt. 7. quæſt. un. ar.* 4. dubium ſumptum pro actu, ſeu dubitationem definit *motus rationis ſuprà utraque parte contradictionis cum formidine determinandi alterum.* Eam verò contingere ſubdit *ex defectu medii ſufficientis ad inveniendam veritatem.* Atque hæc videtur ſatis idonea dubitationis definitio: quam iiſdem ferè verbis tradit Duran. *ibi q. 2.* nec jam allegati Authores multum diſcordant.

Ea tamen ut meliùs percipiatur, aliqua objiciamus. Nam primò, ut nuper aliquibus videbatur, ad proprium dubium, ac diſpoſitionem dubitantis nullus videtur neceſſarius motus rationis, ſufficit ſi per partem apprehenſivam utraque pars contradictionis apprehendatur, ac proponatur, & omnis actus, ac motus rationis ſuſpendatur.

Secundò, quia ex 3. Metaphyſ. dubitatio ligat, dubitantes ſimile quid ligatis patiuntur: at per ligationem potius impeditur motus: non ergo dubitatio eſt motus.

Tertiò, hinc nam dubitando patitur potiùs ratio: non ergo eſt rationem ſe movere; at per omnem rationis motum movet ſe ratio, ut patet: ergo dubitatio non eſt motus rationis.

Quartò, quia dubitare de veritate non eſt quærere veritatem potius enim inquiſitio eſt poſt dubitationem; & ideò de quibus dubitamus, interrogemus; item conſultamus: et ratio ſolum movetur inquirendo, & ut quærat: ac rurſus motus rationis eſt ratiocinari, ac diſcurrere: dubitare autem non ita. Ergo dubitatio non eſt motus.

Quintò, quia non apparet, quis motus rationis ſit motus dubitationis, nec ad quod genus actuum rationis reduci queat: non illationis, vel quid ſimile, ut patet: non rurſus motus in unam præalia partem contradictionis; nam hoc potiùs excluditur per ipſam definitionem: non præterea actus, & judicium reflexum, quod ponit Suarez: quid enim per illud dicatur, non apparet. Si dicas, quod per illud quid dicit: *Ego neſcio rem hanc*, vel quid ſimile. Contra eſt; nam ignorantis magis, quam dubitantis videtur hæc diſpoſitio. Omnis deindè negotiatio, vel paſſio, vel actio dubitantis eſt circa res ipſas, de quibus dubitat: non circa ſuam ipſam diſpoſitionem, ac ignorantiam. Ac denique quia dubitare eſt de rebus propoſitis: judicium reflexum eſt de ignorantia noſtra; & ſolùm ſecundariò, & indirectè de rebus ignoratis. Inexplicabilis eſt ergo motus ille.

Sextò, quia, ut jam omnes loquuntur, dubium, & dubitare contingit dupliciter; nam & eſt dubium negativum, & dubium poſitivum. Dubium negativum datur, quando nulla prorsùs pro alterutra parte occurrit ratio, ut an arenæ maris ſint pares vel impares. In hoc ſaltem dubio nihil videtur moveri ratio; nec enim habet, quò, vel unde moveatur; cum deſit omnis umbra rationis. Deindè ut habetur in 7. Ethic. finis habet in voluntariis, ſicut principium in ſpeculativis: ſed ceſſante omni fine ceſſat omnis motus voluntatis: ergo ceſſante omni principio ceſſat omnis motus intellectus, vel rationis: ceſſat autem in dubio negativo, in quo nullum principium, nec veſtigium quidem apparet principii, per quod ratio moveatur. Ergo ſicut priùs.

Septimò de illa particula *cum formidine*: nam formido videtur pertinere ad partem appetitivam, non autem ad intellectum: ſicut timor juxta illud, & *à verbis tuis formidavit cor meum*: dubitare autem pertinet ex integro ad intellectum, vel rationem. Ergo non eſt definitio per intrinſeca rei. Ubi rurſus; nam qui dubitat, ſicut formidat determinare alterutram partem, ſic deſideret invenire, quænam ſit vera. Ergo ſicut ponitur formido determinandi, ita ponendum videbatur deſiderium inveniendi. Ergo peccatur per defectum.

§. III.

Explicatio, & defenſio data definitionis.

PRimò hic dicet aliquis, nihil intereſſe ſcire, quænam ſit definitio dubitationis: quod videtur confirmare praxis aliquorum, qui luculenter ſcribunt de conſcientia dubia: ac de juribus, & regulis rei dubiæ, quin quidquam meminerint definitionis tradendæ. Sed hos removent præcepta in lib. poſt tradita, quæ planè ſunt irrefragabilia; nam in unaquaque de re aliqua tractatione definitio,

ac eſſentia rei eſt omnium reliquorum principium. Quare qui neſcientes rei eſſentiam ſcribunt, committant, neceſſe eſt confuſiones permultas, & quid pro quo ponant ſæpiùs. Quinimò quò res morales ſunt fallaciis, & capitionibus magis expoſitæ, ut innotuit; & in illis errare periculoſius, eò magis enitendum eſt rerum ſaltem principia, ac definitiones, per quas in proceſſu dirigamur, exactè noviſſe.

Ex quo ſimiliter removentur, ſi qui dicerent, ſatis eſſe plus minuſve principia, ac definitiones noſſe, & allegarent Ariſtotelis illud de pingui Minerva ex Ethices principio. Ubi præterea eis eundem Ariſtotelam opponimus 2. *Elench. c. ult. & 1. de cœlo text. 33.* dicentem omnia principia mole quidem eſſe minima, ut ſeminibus cernitur; virtute autem maxima; quare error quilibet circa illa, initio quidem minimus, diſcedentibus *ſit poſt decies centena millia major.* Quod timare debent quotquot neglectis principiis, aut non intellectis tot poſteà reſolvunt: nam plus minuſva definientes, fortè canem definituri vel lupum, vel leonem definiant; ex quo proceſſus quidem erit de lupo, vel leone: ſarmo verò de cane: vel exemplum ponito in milio, ac tritico.

Nunc itaque ad definitionem, cujus latens parvitas factis, oppoſitionibus innotuit, redeamus. Ad illius porrò intelligentiam conferunt multùm, quæ de dubitantibus ſcribit Ariſtoteles 3. *Metaph. c. 1.*

(Ad illam (*ait*) quæ quæritur, ſcientiam neceſſe eſt in primis nos percurrere de quibus primò dubitandum eſt: hæc autem ſunt, & quæcumqua de eis aliter quidam exiſtimarunt, & ſi quid ultra hæc, prætermiſſum ſit. Eſt autem operæ pretium aliquid facultatis habera volentibus benè dubitare; nam poſterior facultas ſolutio eorum eſt, quæ ante dubitata fuerunt: ſolvere autem non eſt, cum nodus ignoretur: ſed intellactus hæſitatio manifeſtum hoc de re facit: quatenùs enim dubitat, eatenùs ſimile quiddam ligatis patitur: utroque namqna modo impoſſibila ad ulteriora procedere. Quare omnes principio difficultates ſpeculari par eſt, & horum gratia; & proptereà quod illi, qui quærunt, niſi primò dubitent, ſimiles illis ſunt, qui quò nam ire oporteat, ignorant: & ad hæc nec utrum invenerint, quod quæritur, an non, cognoſcere poſſunt: finis etenim his quidem non eſt manifeſtus; illi autem, qui anteà dubitaverit, pateſcit. Item melius ſa habere neceſſe eſt illum ad judicandum, qui tamquam adverſarios omnes utrinque rationes oppoſitas audiat.) Hæc ille, in quibus habes, acutè, & plenè declarat omnis propriè dubitantis diſpoſitionem. Quæ eadem ſatis clarè breviuſque ponuntur *7. Ethic. c. 2.*

Jam ex primis adductis verbis, atque ex contextu habes dubitare non eſſe cujuſcumque, ſed quærentis jam vel ſcientiam; vel veritatem aliquam; ut enim ritè quærendo tandem inveniat, incipit principio dubitare, & omnes utrimque oppoſitas rationes audire, ut dicitur.

Sed inquis, te nihil habere hujuſmodi; nam ſolùm habuimus verba, & authoritatem Philoſophi: nullam intereà te videre cauſam, rationemque dicti. Demus itaque rationem dicti, & verborum. Igitur dubitare contingit; vel quando quis aliquam ſe habere veritatem axiſtimans, difficultate mox occurrente incipit dubitare; vel quando intendens in veritatem, rationes utrinque movens dubitat: atque adeò motus aliquis in veritatem præcedit dubitationem, idcircò dubitans laborat, ac patitur: nihil autem laboraret, nec pateretur niſi in veritatem motum aliquem haberet. Præterea de iis, vel quæ negligamus, vel quorum impoſſibilis eſt cognitio, ut v. g. ſurrexeritne à lecto Turca, an non, nihil dubitamus. Item orationes difficiles, & acutæ *mordent maximè dubitantem*, ut dicitur 2. *Elenchor. cap. 7.* fatigant enim magis, moventque ad inquirendum: hæc autem non contingunt negligentibus, nihilque curantibus veritatem: ergo dubitare eorum eſt, qui in veritatem ſeſa movere cœperunt. Item dubitans cognoſcit nodum, nititurque eum ſolvere: alioquin nodum negligens deſiſteret à dubitando: eſt ergo aliquis præcedens motus, in veritatem, à quo quidem minimè deſtitit dubitans. Item nemo dubitat, ut ſolum dubitet: ergò ut ſolvat veritatis inventione: præeſt ergo aliqua cauſa dubitationis: nequit autem, eſſe alia niſi motus tum voluntatis, tum mentis in veritatem: nam ut ſuprà ex D. Thoma declaratum eſt, voluntas, ac intellectus ſe habent, ut movens, & mobile mutuò, non ſecundum idem, ſed ſecundum diverſa.

Non ergo ſe habet in dubitante tamquam in neſciente nodum: nec impeditio tamquam in nolente; vel nihil curante procedere ad ulteriora: ſed tamquam in ſciente, ac violenter impedito, annitentéque procedere. Eſt ergo in dubitante actus, & motus, ſed impeditus: nec tamen dubitans ceſſat inſiſtere propter impedimentum, ſed ſe habet ad inſtar impediti, & adnitentis removere impedimentum, ut ventus flans in feneſtra clauſa, & hoc genus cætera.

Videtur nimirùm manifeſtum, dubitare non eſſe omninò quieſcere, & ceſſare, magis quam ſuſpicari, quærere: opinari ſint ceſſare: dubitare ergo eſt actus, & motus aliquis: nan autem puræ apprehenſionis, ſed rationis: nam apprehendere ſolùm utramque partem contradictionis non eſt dubitare: in omnibus enim etiam per ſe notis, ut totum eſſa majus parte, utraque pars præapprehenditur; non autem dubitatur. Idcircò, quod omnes docent, qui dubitat de fide, peccat; non autem qui habet apprehenſiones contrarias, ut patet in tentationibus: ex quo etiam conſtat dubitare non eſſa nullum actum; nam non elicere actum fidei non eſt dubitare. Dubitare ergo non eſt partis apprehenſivæ, ut patet: & dicit aliquem ordinem ad verum; dubitatur enim de veritate, vel falſitate, in parte autem apprehenſiva, atque in prima operatio non eſt verum, vel falſum, ut ſuppono ex libris Perihermenias.

Ex his ergo habetur, dubitare eſſe actum, & motum rationis, ut in definitione ponebatur. Et dici poteſt eſſe illum prævium motum in veritatem: qui quidem motus durat ſemper: at ex occurrentibus utrimque rationibus per vim impeditur ultrà procedere: eſt tamen cauſa nitens ſolvere nodum per inventionem veritatis.

Vel aliter dici poteſt, dubitare non prævium illum motum eſſe, ſed alium, ex illo quidem natum, qui tamen immediatè verſetur ſupra utraque parte contradictionis, ut ponit definitio. Prævia enim intentione veritatis mens movebatur in eam: impeditur ab occurrente nodo: & tunc facit alium illum motum hùc illùc verſantem ſupra utraque parte. Ad exponendum ſit ſimile in indice

horologii

horologii delibuto magnete: ex qua impreſſiona habet appetere polum: & quandiu non invenit, húc illúc agitatur. Sic mentis noſtræ eſt ad verum inclinatio, & motus; & occurrente impedimento utrimque utroque movetur. Scit enim omnis dubitans, ſe eſſe ligatum: hoc porrò eſt violentum intellectui; atque ideo eſt patiens, nitens tamen ſolvere ſe, ac vim contrariam removere, ut naturæ cæteræ.

Quæris, quiſnam ſit ille motus verſans ſuper utramque partem; Reſpondeo, enunciationem non eſſe; non eſt enim enuntiare contradictoria: nec item eſſe illationem, nec ſimile quid. Dico ergo eſſe interrogationem, vel quaſi, quia inſpicit, *quænam harum vera? cur hæc, cur illa?* & in unam partem reſpiciens, illa allicit: aliam conſiderans, illa videtur placere, ſive ſucceſſivè, ſed velociſſimè tamen fiant hæ jam in hanc, jam in illam partem inſpectiones, ſive ſimul.

Hinc liquet, quarè dubitare deſerviat, juvetque ad inventionem veritatis: eſt enim dubitare, quoddam examinare, librare, menſurare utramque partem. Si autem dubitare quieaeſſet, & ceſſatio, nihil omninò juvaret, nec conferret.

Liquet ſimiliter, quomodò dubitando verum inveniatur, mens enim huc illuc verſans utramque partem examinans, quærenſque cur hæc ita, cur illa; cur hæc potiùs, & ſimilia, invenit demùm aliquid in una parte, cur potius illa. Si nihil occurrit, libros conſulit, Doctores conſulit: Deum orat: hæc enim omnia faciunt dubitantes: quæ proindè non à ceſſatione, & quiete, ſed à motu aliquo vim patiente naſcuntur.

§. IV.

Ad argumenta.

EX his patet ſolutio ad primum, ad ſecundum, & tertium. Ad quartum, in quo dicitur dubitare non eſſe quærere, diſtinguo ly *quærere*, non eſt quærere procedendo, & ſic nec inferendo &c. concedo: non eſt quærere agendo contra nodum impedientem, & ad ejus remòtionem, nego. Imò verò, ut conſtitit ex Philoſopho, unum ex mediis ad quærendum eſt benè dubitare.

Ad quintum dictum eſt, quis, & qualis actus, ac motus rationis ſit dubitare. Conſtat verò non eſſe reflexum, ſed directum; quod ibi dicta confirmant. Quinimò actus ille reflexus poteſt eſſe finis dubitationis: cum enim quis nullo modo veritatem invenire potuit, nec nodum ſolvere, deſiſtit vel nihil dicens, vel dicens rem eſſe ſibi incertam.

In ſexto objicitur dubium negativum. Et dico, ſi illud propriè dubium eſt, & ſit propriè dubitare circa talia; non vitium, ſed neceſſitatem eſſe non tradere unam utriuſque dubii definitionem: nam quorum non una ratio, non eſt una definitio: poſitivi autem, ac negativi nulla eſt una ratio, ut ſuppono tanquam manifeſtum ex Logica & Metaphyſica. Deinde conſtat ex dictis, circa talia non eſſe propriè dubitare, ſed ſolùm neſcire autem, & dubitare differunt toto cœlo; & ut omiſſam alia, conſtat ex dictis.

Ad ſeptimum concedimus, formidinem propriè pertinere ad partem appetitivam; tamen vocum penuria cogit ſæpè, ut terminos mentis in appetitu, ac viceverſa per quamdam analogiam collocemus: & ſic in Mag. ea d. 33. & in D. Thoma, ac aliis ibi Ambroſius tribuit Chriſto dubitationem, quæ ad intellectum principaliter pertinet: & intelligunt pro formidine affectus. Formido itaque in definitione ſignificat repugnantiam mentis, & fugam ab aſſentiendo incertis. Ad id, quod de deſiderio addebant, reſpondeo, jam illud ſatis declaratum per particulam *motus rationis*: nam motus eſt ex deſiderio.

QUÆSTIO II.

Utrum dubitare ſemper ſit cum ratione, & quali, vel quanta.

QUamquam de hoc virtualiter, ac pro multis ſufficienter dictum ſit quæſt. præc. tamen tum ad illius declarationem majorem, tum ad librorum ſuperiorum robur movemus, & quærimus, utrum dubitare ſit ſemper cum ratione. Inquam cum ratione, vel etiam authoritate, quatenus, ratio & authoritas ſumi communiter ſolent, tamquam loci diſtincti, licet ut ſuprà eſt habitum, omnis demùm authoritas ad rationem reſolvatur, conſiſtatque non fallere, nec falli in aliquo gradu, ut expoſuimus.

§. I.

Argumenta pro parte negativa.

VIdetur ergo, dubitare non ſemper eſſe cum ratione: nam eſt dubitare de dubio, quod vocant negativum, ut quot ſint herbæ camporum, & an pares: in his autem nulla eſt ratio.

Secundò, quia vel ratio eſt ratio; vel non? Si primùm, jam per illam tollitur dubitatio: nam per quod dirimitur quæſtio, tollitur dubitare: ratione autem, quæ ratio eſt, dirimitur quæſtio. Si ſecundum; ergo primo vocibus abutimur, nam ratio, quæ non eſt ratio, non eſt ratio: ergo cum illa dubitare, non eſt cum ratione dubitare. Rursùs, quia jam ſic erit dubitare ſine ratione.

Tertiò, quia impoſſibile videtur dubitare cum ratione; nam, ut nunc dicebatur, ratio dirimit potius quæſtionem: Ergo ſolvit nodum dubitationis. Rursùs ubicumque adeſt ratio conſiderabilis, adeſt probabile, ut multi ponunt: at circa probabile non eſt dubitare, ſed opinari; nec dubitare, & opinari poſſunt eſſe circa idem omninò; magis quam vel ſcire, & opinari; vel quam neſcire, & ſcire. Deinde quis hic alii addunt, ubicumque non adeſt ratio evidenter probans unum, ac evidenter ſolvens rationem contrariam, hoc ipſo contrarium eſſe probabile; non ergo dubium: Ergo quoties ratio evidenter non ſolvitur, facit probabile, & non dubium: quoties item evidenter ſolvitur, non facit dubium, nec manet ratio; numquam eſt ergo dubitare cum ratione.

Quartò, quia vel ratio eſt levis, vel gravis; momenti, vel non momenti? ſi primum? in quibuſdam quidem faciet ſuſpicari, in aliis temerè judicare: in aliis ſcrupulum: in ſapiente verò, & rectè inſtructo, ac diſpoſito nihil facit, ſed contemnitur: nunquam eſt ergo rectè, & benè dubitare propter rationem levem. Sin verò ratio eſt gravis,

Digitized by Google

ac momenti, generat aſſenſum prudentem: non ergo faciet dubitare. Ergo ſicut anteà.

§. II.

Quid videatur tenendum.

VIdetur tenendum, dubitare ſemper eſſe cum ratione; & benè dubitare cum bona, gravi, & conſiderabili ratione, in quo juxta dicta ſubintelligo etiam authoritatem. De hac quæſtione habeo magis praxim Doctorum, quam quæſtionem ſignatè, ac ſub terminis motam. Favet verò praxis naturalis omnium: nam mota aliqua quæſtione, ſubdunt poſteà, rationem dubitandi eſſe hanc, vel illam. Tenemus ergo juxta communem ſenſum omnium. Id videre eſt in omnibus, & in articulis quibuſque S. Thomæ & in Scoto, & cæteris: & quò Doctores meliores, eò rationes dubitandi ſunt graviores; & rationes contemnendæ ponuntur. Favent etiam præcepto dubitandi, & finis, & utilitas, quæ quæſt. præc. poſita ſunt ex 3. Metaph. atque S. Thomas, Scotus, & commentatores ibidem. Ergo dubitare eſt cum ratione, & benè dubitare cum bona, & gravi ratione. Per quod denuò conſtat clariſſimè falſitas viæ probabilium contradictoriorum.

Sed eſt locus alius ejuſdem Philoſophi 2. *elench. c. 7.* ubi exponit faciles, ac difficiles, & acutas orationes: poſt quarum declaratam differentiam, *eſt autem* (ſubdit) *acuta oratio, quæ dubitare maximè facit; mordet enim hæc maximè.* Et rursùs: *quapropter in ſyllogiſticis, quantò acutior oratio eſt, tantò magis inquirentem exercet.* Quinimò non ſolum eſt dubitare propter rationes acutas, ac difficiles, ſed etiam propter acutiſſimas: *Eſt autem ea*, (ait) *quæ colligit quidem, oratio acutiſſima, cum quam maximè probabilius id, quod maximè probabile eſt tollit, confutatque.* Eſt ergo acutas, & acutiſſimas etiam, ac ſic difficillimas orationes, & rationes adeſſe, & tamen dubitare; imò, propter eas maximè dubitare, exercerique quam maximè inquirentem. Ubi eſt ergo illud aliquorum: habeo rationem, quæ evidenter non ſolvitur: ergo habeo non quidem dubitare, ſed prudenter aſſentire, & quieſcere quidquid adverſarius habeat etiam ſimiles alias orationes? Sed Ariſtoteles, inquis, ineptiit talia ponens. Patere nos quoque in hoc ineptire cum eo.

Sed & prætereà ibidem deſpiciendas cenſet omnes illas orationes, quæ faciles ſunt, vel, quia *inopinabilia*, vel *valde falſa* aſſumunt: vel quia non habent de *qua*, *& propter quam*: id eſt, nec rem, de qua dubitemus, nec cauſam, propter quam. Tam ergo in ſyllogizantibus, ac diſcurſu, & ratiocinando veritatem quærentibus: quam in contentionibus, ubi ſcilicet quis ut in ſcholis impugnatur, ejuſmodi orationes contemnendæ potius ſunt. Non eſt ergo dubitare propter leves, ac faciles orationes: ergo propter graves, & conſiderabiles, id eſt, non faciles, nec pingues. Atque in contentionibus quidem hoc in loco habentur hæc omnia. Ergo & in ratiocinantibus in unaquaque facultate idem eſt tenendum: nam ratio, & cauſa non minor eſt, ſed fortè major.

Prætereà ab omni dubitante eſt quærere *cur*, ſicut eſt quærere *de quo*. Nec enim rogatus, de quo dubitet, reſpondet, vel de nullo, vel neſcio *de quo*: ineptientis enim eſſet hoc. ſimiliter autem rogatus, cur & quare de re aliqua dubitet, an ſit, an non: an bona, an mala: non reſpondet vel propter nihil, vel neſcio propter quid. Habet ergo ſicut de quo, ita & cur.

Rursùs quia dubitare eſt rationis, ut habitum eſt *quæſt. præc.* ratio autem non movetur niſi aliquo objecto movente: hoc autem eſt *cur*, ratio, & cauſa dubitandi. Iterùm quia quod de agendis eſt deliberare, ita de inveniendis per rationem eſt dubitare; imò in omni deliberare eſt dubitare; licet non converſè. Sed omnis deliberans habet *cur*, & cauſam, ac rationem deliberandi: nec enim is deliberat, qui oſcitando quieſcit, & nihil examinat: hoc enim torpere potius quoddam eſt, quam deliberare. Ergo &c.

Denique quia, ut eſt declaratum, dubitare facit nodus aliquis, quo impeditur dubitans: nodus autem non eſt pura privatio, vel negatio rationum: hæc enim potius eſt cauſa quieſcendi, & negligendi, vel dormiendi: ergo omne dubitare eſt propter rationem.

Cum porrò dubitare ſit de utraque parte contradictionis, patet, quod dubitare ſemper eſt propter rationes utriuſque partis: de quo mox plura.

§. III.

Illationibus præcedentia magis declarantur.

INfertur itaque. Primò, dubitare ſemper eſſe propter defectum alicujus ſcientiæ; deeſt enim dubitanti tam rei, de qua dubitat, cognitio, quam principii, per quod ea cognitio habetur. Idcircò à Deo glorioſo excluditur dubitare: excluditur etiam à Chriſto, ut ea *diſt.* 27. in Magiſtro, D. Thoma, atque aliis commentatoribus videre eſt.

Infertur ſecundò dubitare non eſſe propter hunc ſolum defectum, ſed ſimùl propter ſcientiam aliquam, ſi ſit benè dubitare; ſin autem malè, propter apparentem aliquam ſcientiam. Appello ſcientiam cognitionem aliquam rectam illius vel ſcientiæ, vel facultatis, vel materiæ, in qua fiunt dubitationes.

Hinc tertiò, liquet dubitare in facultatibus eſſe propriè incipientium, & proficientium: non autem perfectorum in illa. Quare dubitandi cauſa ſemiſcientia quædam, ac ſemi-ignorantia eſt, ſi bona erit dubitatio, & ad rem. Quarè, ut dictum eſt, eam fundatam eſſe oportet.

Quartò cernitur, dubitare naſci poſſe ex præponderante multum ignorantia, ac modica rerum cognitione, & vix ulla: vel vice verſa: ſicut & mirari: nam admirari effectus quidam eſſe ponitur ignorantiæ ab Ariſtotele, ubi ſcilicet abundat maximè ignorantia, at quandoque vice verſa naſcitur à præponderante rerum cognitione. Undè eſt, quod alia quidem mirantur ſapientes alia ignorantes, alia viri, alia pueri. Et ſic etiam eſt in dubitare. Quarè mirari, dubitare, & ſimilia imperfectorum: & hoc ſenſu imperfectiones & ipſæ ſunt, & velut ægritudines quædam: tunc tamen in quadam velut ſanitate ſunt, quandò ignorare, & ſcire, quod utrumque earum affectionum cauſa eſt, debitam proportionem habent. Tunc proindè contingit benè dubitare.

Quintò ſequitur, malè dubitare numquam eſſe propter exceſſum cognitionis, & defectum ignorantiæ: niſi abuſivè accipiatur cognoſcere, & ſcire; nimirùm pro quorumdam, quos ſciolos appellamus, cognitionibus, ac diſcurſibus.

Imò

Imò quo perfectior cognitio, & magia ad perfectionem accidens, eò melior dubitatio. Idcircò ſapientium quidem omnium optimæ, fundatæque ſuut dubitationea. Valde verò ignorantium, valdè leves, ac pueriles: ſicut & interrogationes, quæ ab ignoratione prodeunt, & ſunt in unaquaq; facultate frequentes de quibua Ariſtoteles 1. *poſt. cap. 9.* nam dubitare, & interrogare in ratiociniüa quidem eorumdem eſt: in contentionibus non ita; at in his etiam omnis interrogans perſonam induit dubitantis.

Sextò cernitur hinc, ex perfecta ſcientia, & ex ſumma ignorantia eumdem naſci effectum nihil dubitandi: nam in uno deeſt ignorantia, in altero omnis recta cognitio; quare, cum utrumque ſimul ſit cauſa dubitandi, in utroque ceſſat dubitare. Cum porrò frequentiua ſit ſummè ignorare; perfectè autem ſapere valdè paucorum, hinc plerumque de nullo dubitare ſummæ eujuſdam ignoratiæ effectua eſſe ſolet, & ad omnia interrogata promptè tamquam ex tripode reſpondere: & hic ſunt velut Dii quidam ignorantiæ Deo vero contrapoſiti.

Atque hæc quidem de cauſis dubitandi, ut nunc prætercam dieere cum Ariſtotele loco citato de interrogationibus, ac proindè dubitationibus, quæ quoque ignorantiam maximè cauſam habent, & fiunt, & moventur à non pertinentibus ad artem, vel facultatem, in qua fiunt. *Patet ergo* (ait) *non omnem interrogationem geometricam eſſe; nec ad medendi artem, omnem accommodari; & pari modo de cæteris.* Eſt hoc genua dubitationum, interrogationum, argumentorumque frequentiſſimum: cum tamen (ut ait) ſint *interrogationes quædam ad ſingulas ſcientias attinentes, ex quibus fit cujuſque propria ratiocinatio.* Sed de his alio die.

Jam ergo de effectibus dubitationis, poſtquam ſatis de cauſis ejus dictum eſt. Et in genere quidem, ut in rebus cæteris, ex bonia quidem dubitionibua boni effectus naſcuntur: ex malia, vel ineptia mali: ut ſunt ſcrupuli, perplexitas, irreſolutio: præſtat tamen magis etiam malè dubitare, quam nihil propter ſummam ignorantiam.

Omnis bonæ dubitationia fructus, & effectus ultimus eſt veritatis inventio; hic enim finis, & hujus gratia fuit dubitare.

Proximior deindè effectus eſt, quod exercet benè dubitantem, *mordétque*, ut ponebat Ariſtoteles; mordentia autem irritantia eſſe ſolent, ut in medicamentis cernitur. Idcircò dubitana irritatur, acuiturque ad finem: ſcilicet inventionem veritatis, quæ eſt cauſa finalis.

Hæc cauſa eſt, cur D. Thomas, & plerique primùm ponant rationes dubitandi; & aliquam profectò omnes ponere ſolent: & cur multi eum ſcribendi modum præferant: ut namque poſuimus ex 3. *Metaph.* qui primò non dubitant, ſimiles illis ſunt, qui, quonam ire oporteat, ignorant: & deinde *nec utrum invenerint*, ſciunt; & ut D. Thomas exponit, caſu inveniunt, ac rursùs ſaltem non ita diligenter quærunt: non ita tutò reſolvunt, cum pro utraque parte non audierint: quemadmodum & in judice: nec demùm ita tutò, nec ita fortiter tenere poſſunt: eſt autem ſcientiæ propria fortitudo, ac immobilitas, ut ex Auguſtino ſupra diximus, & traditur etiam 7. *Ethic.* 2. *&* 3. ac 2. *Mag. Moral. cap. 7.* Ex quibus etiam habes, argumentum, vel argumenra, *ſed contra* in D. Thoma, non ad reſolutionem, ſed ad dubitationem pertinere; eſt enim quaſi complementum, & implexio nodi, ac dubitationis, qui eſt motus ſuper utraque parte. Cum verò hæc para poſteà approbatur, inde robur habere poteſt.

§. IV.

De mentali, vocalique dubitatione.

In vocali ſcriptam quoque comprehendo. Videtur enim dubitare non eſſe ſemper veritatis inveniendæ gratia: nam de rebus etiam certiſſimis, & de quarum veritate nihil dubitamus, paſſim quæſtiones movemus, & dubitamus, ut *utrum ſit Deus*, an æternus &c. & utrum ſit motua, &c. Ergo dubitare non ſemper eſt veritatis habendæ gratia. Primò; quia de rebus etiam fidei dubitamus ſimiliter, & quærimus multa. Nec valet nos ore quidem dubitare: nam etiam verbis dubitare in rebus fidei eſt peccatum: & ideò has quæſtiones mordet frater ille Paulus, cum quo alias egi ſatis.

Ut iſta removeantur ſciendum ex 1. *Poſt.* apud D. Thomam. *lect.* 18. quod *demonſtratio non in oratione, quæ eſt extra, ſed in oratione, quæ eſt in mente, conſiſtit: quemadmodùm neque ratiocinatio in illa videtur conſiſtere. Etenim fit, ut ſemper adverſus externam orationem per inficiationem obteſtetur.* Cum itaque omnis exterior demonſtratio ſit in alium, & ſimiliter veritatis inventio, idcircò de veritatibus etiam mihi evidentibua, ac manifeſtis eſt ad extra ſicut demonſtrare, ſic & quærere, & dubitare: non quia uterque dubitet, ſed alter, qui de veritate ſic manifeſta vel dubitat, vel eam etiam negat principio; & hic primùm cogitur dubitare; per quod in veritatia cognitionem ducitur; & ſic ſemper finia eſt veritatis cognitio illius, qui dubitat.

Loquendo verò de orationibus mentalibus eſt habere cognitionem veritatis alicujus ſecundum aliquid, & dubitare de eadem ſecundum aliud: eſt enim ſcire, quia res eſt, & dubitare propter quid. Eſt ſimiliter credere, quia eſt; & ſcientiam non habere, nec quia eſt, nec propter quid eſt. Sic ergo de re fidei poſſunt eſſe dubitationes, & inquiſitiones etiam mentales; nec tum dubitatur, an rea eſt; quod credimus per teſtimonium Dei; ſed dubitamua de *quia*, vel *propter quid.*

§. V.

Ad argumenta initio propoſita.

Ad primum dictum eſt *quæſt. præced.* non eſſe dubitare de dubio negarivo; deeſt enim medium, ac principium ad motum, & actum dubitandi: & ſic nihil de ſimilibus interrogamus, nec conſulimua; nec circa talia laboramus, vel exercemus, nec paſſio ulla eſt dubitantium. Contingere quidem poteſt, nobis quidem deeſſe omne medium, & ſpem per nos ipſos inveniendi; eſſe tamen perſuaſos, inveniri id poſſe per alios: & tunc dubitamus, & Doctos interrogamus & conſulimus. Dubium itaque negativum, quod neſcientia potius quędam eſt, largè appellamua dubium; nam circa proprie dubia eſt dubitare; ſicut opinari circa probabilia, & credere circa credibilia. At non eſt dubitare circa dubia negativa: eſſet enim actus natura ſua otioſua: ac ſi vitioſua; & deinde quia nemo movetur ad impoſſibile, ut eſt principium.

Ad ſecundum reſpondetur in dubitante adeſſe rationem ; neſciti tamen ab ipſo, ſeu potiùs dubitari, an vera ſit, an ſophiſtica, & appatens ; & ideò dubitat. Ad tertium conſtitit jam, propter rationes, quæ apparent, quidem conſiderabiles, & graves, & momenti. ſapientes maximè moveri ad dubitandum, ut declatum eſt. Liquet autem tum ex hac ipſa quæſtione, tum ex toto *præc.* libro non eſſe opinari circa talia. Differunt autem opinans, ac dubitans circa rationes ; nam dubitans neutras approbat : opinans jam approbat rationes ejus partis, quam opinatur: an autem cuique liberum ſit eiſdem, occurrentibus rationibus vel dubitare, vel opinati, ut placet, quamvis id ex dictis clarum ſit, tractabitur ſtatim in appendice : ad hæc enim pauca principia omnes omninò de conſcientia controverſiæ revocantur. Atque ex his etiam quartum argumentum removentur.

Ad calcem quæres, quod jam ſupra tactum eſt, an ad dubitandum neceſſe ſit, tationes habere ex uttaque parte? Ponit quippe celebris in probabilibus Author, omne probabile eſſe mutuum, & quoties adeſt tatio probabilis pro ita, adeſſe quoque pro non ita. Quod videtur etiam confirmati ex natura dubitationis : eſt enim motus ſuper utraq; parte: adeſt ergo movens ex utraque.

Reſpondeo, nullam eſſe repugnantiam : imò aliquandò coutingere, quod dubitans unam ſolam habeat rationem, quæ v. g. ſit pro ita. At neceſſe eſt, ſiquidem dubitat, ut pto bonitate, & non bonitate rationis illius habeat aliquid, propter quod dubitat, an recta ſit ratio, an non: vel quia aliquam exceptionem videtur habere, vel levitatem, vel defectum robotis: & ſic ſemper eſt aliquid utrimque movens ſaltem circa rationem; quod utrimque movens faciat etiam ex conſequenti moveri circa rem ipſam propoſitam: tunc autem dubitatio principaliter eſt de ratione. Quoties itaque eſt immediate, & directè dubitare de re, adeſt utrinque poſitiva ratio movens : quoties ſolùm directè, ac immediate dubitatur de ratione, adeſt aliquid ſimile pro, & coutra tationem : non autem, pto, & contra rem.

QUÆSTIO III.

Vtrum ergo ſimiliter ſolvere dubitationem ſit etiam cum ratione? & quali? Vbi an dubitare ſit in nobis?

Sicut itaque quæſitum fuit, an dubitare ſemper ſit cum ratione, ita nunc inquirimus, an ſolvere dubitationem ſit ſemper cum ratione? non quidem cum illa, & per illam, propter quam dubitatum fuit, ſed per novam aliam tationem, vel ipſius etiam rationis dubitandi novam vel intelligentiam, vel explicationem, vel confirmationem. Ad quod omninò declarandum, ſicut in appendice, an opinari ſit in nobis? id eſt nobis liberum ; ſic hic quærimus, an dubitare ſit in nobis? id eſt, an habens quis rationes, quæ dubitare, ſi placet ; vel non dubitare? atque poſtquam dubitare cœpit, nihil omninò inveniens de novo, alterutram partem, ut placet, determinare, ac ſine nova prorsùs ratione dubitationem ſolvere, quia vult? Quarè duo hæc quæſita revocautur in idem.

§. I.

Quid Doctoribus viſum?

Vix alia hic ratio dubitandi occurrit, quam Theologorum : paucorum authoritas : qui ſub aliis quidem terminis ad propoſitas quæſtiones videntur communiter reſpondere affirmativè; tenent enim illi, opinari eſſe in nobis, liberumque vel hanc, vel contradictorium iiſdem ſtantibus cauſis atque tationibus opinari : & ſimiliter videntur reſponſuri de dubitare, nam dubitare deſinimus, cum opinamur : opinari : autem aiunt eſſe in nobis. Similiter etiam in caſibus parium, imparium inæqualiumque rationum, utramque contradictionis partem dicunt probabilem, circa utramlibet poſſe nos, opinari : at caſus omnes æqualium rationum ſunt caſus dubitandi, poteſtque tunc quiſque dubitare; imò ſolum tunc eſt proptiè dubitare, ut ipſi etiam Theologi communiter tradunt : ergo juxta illos in eodem caſu tationum eſt vel dubitare, vel opinari, ut placet: conſequenter etiam, ſi à principio potuit quis non dubitare, ſed opinari ; ſic poſtquam cœpit dubitate, poterit ſimiliter, ſi placet, opinari : ergo & dubitationem ſolvere ; nam jam opinans non eſt dubitans, ut patet.

Nihilominus ſub terminis hujus libri de dubio, & tetminis præſentis quæſtionis ad utramque propoſitam quæſtionem communiter vel rem præter euht, vel exptеſſè negativè reſpondent Theologi ferè omnes. Tractant enim, ad ponendam conſcientiam dubiam, formandumque dictamen conſcientiæ de non peccato neceſſaria ſit aliqua ſpecialis ratio, & poſſit quis ultrò : & quia vult conſcientiam talem deponere? & communiter reſpondent, eſſe neceſſatiam rationem ſpecialem ad deponeudum dubium, & ſic ſolvendam dubitatiouem : ſiu minùs peccaturum eum, qui ſic temerè vellet dubium deponere.

Tractant ſimilitet aliud cum connexum, an ſcilicet dubitans ſpeculativè poſſit practicè non dubitare, ſi non habet rationem peculiatem deponendi dubium? Et reſpondent, eum teneri ſimiliter ptacticè dubitare, ſin minus peccare : ac proindè requirunt rationem ſolventem, ac dirimentem dubium ; inquam, rationem novam, & ſpecialem.

Hanc partem tradunt communiter ſummiſtæ ſcholaſtici, vetbo *dubium*, ponentes dubium in æqualitate rationum, vel fere : & ſic ſolutionem in inæqualitate ſine *ferè*, ſed notabili. Idem tradit Corduba *lib. de conſcient.* latiſſimè. Thomas Sanchez ſæpiſſimè *lib. 1. in Decal. c. 9. n. 3. & c. 10. n. 7. & n. 9. & lib. 2. de matr. diſp. 42. n. 5. & 8. &* 10. Granado t. 2. *tract. 12. diſp. 6. num. 3.* Amicus *ibidem diſp. ſec. 3. num. 39. & 43. &* 45. Breſſerus *de conſcient. lib. 4. c. 2. n. 17.* Idipſum cum Joanne de Medina contra Cajetanum tenet, urgetque Vaſquez *diſp. 6. c. 1. & 2.* & alii

Suarez *tom. 5. in par. ſect. 3. à num. 12.* obligat talem dubitantem ad quætendam rei veritatem; quod ſi facta diligentia nou invenit, ſe eſſe obligatum, putat, hanc fore ſufficientem rationem ad deponendum dubium ; quia jam cenſebitur legem non eſſe ei ſatis ptopoſitam. Eumſequuntur Tannerus *to. 2. diſp. 2. quæſt. 6. dub. 4. n. 44.* Salas *tit. 8.*

ſect.

ſect. 18. & quoad primam dicti partem nemo non. Etenim in omni dubio ſive juris, ſive facti, ut infrà conſtabit de poſſidente, & incipiente dubitare de jure ſuo, de dubitante, de valore matrimonii, ac multis ſimilibus caſibus nemo eſt, qui non obliget ad faciendam diligentiam; diligentia porrò eſt ad comperiendam rei veritatem; ac proinde ad ſolvendum ea via dubium. Non eſt ergo propter aliquas rationes dubitare; & propter eaſdem modo manentes dubitationem ſolvere; nam hoc poſito, nulla eſſet neceſſaria diligentia; ſed velle non dubitare ſufficeret.

Quinimò neminem invenio, qui hoc in puncto contradicat, præter ſolum Cajetanum, qui 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. docet, poſſe ſolvi, deponique dubium ſine nova ratione per velle ſolùm. Conſequenter verò. *quæſt.* 65. *art.* 4. idem tenet in dubio negativo, ut an aſtra ſint paria? putat enim? ex ſolo arbitrio voluntatis ſine ulla ratione poſſe quem aſſentiri parti cuilibet, ut voluerit. Et ſic profectò & anunriare, quæ ventura ſunt, poſſemus, & nihil non dicere, & opinari de prædeſtinatis, ut quis, & quot &c. ſed de his ſuprà ſatis.

Nunc dico, hoc ſecundum eſſe conſequens ad primum, & de ſolvere ut libet, dubium poſitivum, in quo propter contrarias rationes dubitatur, ſequi idem in dubio negativo, io quo & pro quo nulla adeſt ratio, niſi quod in hoc eſt manifeſtior falſitas. Etenim, ut ſatis in appendice declaratum eſt, caſus æqualium rationum, vel autoritatum eſt quoad aſſenſum intellectus, ſicut caſus nullius rationis, vel autoritatis: cujus rei, ut omittam cætera fundamenta ſolum illud inſinuo, defectum omnis rationis id ſolum mali habere pro præſtando aſſenſu, ut objectum æqualiter ſe habeat, & æqualiter proponatur ad verum, & falſum; ad eſſe, & non eſſe: talia autem nullo voluntatis imperio affirmare, vel negare poteſt intellectus. At idem omninò adeſt in caſu æqualium rationum; nec objectum tunc proponitur magis verum, quam falſum, ſed omninò ad utrumlibet. Ergo ſi ſine nova ratione eſſet ſolvere dubium poſitivum, quia volumus; eſſet ſimiliter ſolvere dubium negativum. Hoc porrò abhorret ab omnium Philoſophia, & Theologia, id qood alibi latè declaratum fuit. Ergo.

Jam verò ut Doctorum mens innoteſcat magis, movent, quid quando intellectus habens utrinque rationes ferè pares, propter aliqualem tamen exceſſum alteri parti aſſentitur? Corduba *lib.* 3. *quæſt.* 5. Vaſquez *diſp.* 67. *cap.* 2. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 10. *n.* 4. conſentientibus revera Amico *ubi ſuprà num.* 50. Breſſero *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 14. docent, quando aſſenſus eſt ita tenuis ob rationes ferè pares actionem illicitam eſſe perſuadentes, vix illum percipi poſſe, &, ut addit Sanchez, eum ſolam ſuſpicionem fore; & ſic tunc operari eſſe peccatum. Secùs eſſet, ut ſubdunt, ſi quis rectè eum tenuem aſſenſum perciperet. Quomodò autem cum his cohæreant eorundem documenta de probabilibus, non aſſequor. Certè ista placita de dubiis vera, naturalia, & omnium ſunt. Illa ergo de probabilibus ſunt minus conſideratè dicta, nec benè diſcuſſa.

Hi ergo requirunt ad ſolutionem dubii exceſſum rationis rectè perceptibilem, ut ita aſſenſus poſſit eſſe rectè perceptibilis: & tenuem exceſſum non credunt ita plerunque perceptibilem, &, ut Amicus, ac Breſſerus ajunt, pro praxi, & ad praxim ſufficere. Atque hæc nunc ſatis de autorum ſenſu.

§. II.

Quid tenendum?

PHiloſophus 7. *Ethic. cap.* 2. & aliàs, ut proverbium commune ponit, dobitationis ſolutionem eſſe inventionem veritatis; quod conſtat etiam ex 3. *Metaph.* 1. & D. Thoma *ibi lect.* 1. idque hos arbitramur tenendum; ſcilicet non aliter dubitationem ſolvi, quam vel per veram, vel exiſtimatam ſaltem veritatis inventionem; ex quibus prima quidem ſolutio bona; ſecunda mala; ſed apparenter ſolum bona eſt ſolventi. Ideò ad veritatis inventionem primò benè dubitandum aſſerebat Philoſophus; ac D. Thomas obſervat; *quod conſuetudo Ariſtotelis fuit ferè in omnibus libris ſuis, ut inquiſitioni veritatis præmitteret dubitationes.*

Videtur, hoc conſtare ex naturali omnium ſenſu, & conſenſu ex ipſo naturæ ductu. Ex quo enim in mundo cœptum fuit dubitare in libris, in ſcholis, in foro rationibus, vel autoritatibus poſitis hinc, & indè innodantibus, facientibusque dubitare, ratio aliqua, vel autoritas affertur pro ſolutione: nec per quæ rectè dubitatum fuit, per eadem eodem modo cenſetur remota dubitatio, & altera pars rectè jam deciſa, vel determinata. Si quandò verò aliquis rationes utrinque propoſuit, & nihil amplius enuntiavit, cenſetur vel nihil reſolviſſe; vel ut quidam interpretantur, præhabuiſſe rationes ultimò allegatas.

Secundò; probatur ex regulis juris in re dubia; de quarum aliquibus poſt pauca tractabimus; nam illæ regulæ ſunt ſolutiones dubiorum; ſemper autem ſunt cum ratione particulari pro ea parte, cui favent, & pro qua ſolvunt; non autem ex libito; alioqui regulæ contradictoriæ eſſent æqualiter rationabiles, & cum partium jura ſunt obſcura, reo favendum pronuntiatur, & ſimiliter pro poſſidente &c, æqualiter, & æquè rationabiliter ſtatui potuit, in dubiis deterior eſt conditio poſſidentis; in dubiis favendum actori: in dubiis determinandum contra pupillum; contra Eccleſiam, & ſic de cæteris regulis: quoties hinc ſunt rationes pares, jura æqualia, &c. Nam ad paris cauſæ dubitationes nulla ſpecialis ratio requireretur ad bonam ſolutionem, & determinationem; ſed ſolum arbitrium voluntatis: hoc autem falſum eſt evidenter, & contra omnes.

Quinimò, ut infrà conſtabit, quoties Theologi in aliqua earum regularum nullam rationem particularem inveniunt pro parte per illam determinata, volunt, eam regulam eſſe legem particularem. Ergo ubi non eſt autoritas legem condendi, ut non eſt in re noſtra, (non enim agimus de ſolutione dubii per novam legem) ſupponitur; ad ſolvendum dubium non id ſufficere, quod ſufficit ad dobitandum, ſed peculiare aliquid requiri, quarè rationabilius hæc pars determinetur, qoam contraria.

Tertiò; id totum conſtat ex appendice nam conſtat, objecto æqualiter ſe habente ad verum, & falſum, non eſſe quidquam enuntiare mentaliter; & attulimus pro hac ſententia plures autores. At omnis dubitans propter rationes, vel autoritates hinc, & hinc, habet objectum indifferens ad

verum, & falſum, & ſic ex D. Thoma, & aliis definita eſt ſuprà natura dubitationis *motus ſuper utraque parte contradictionis*: dubitat enim propter rationes contrarias, quænam vera, quæ non falſa ſit?

Quartò; quia ſi quod ſufficit ad dubitandum, ſufficeret ad ſolvendum, & ſic ad affirmandum unam partem, non ad plus obligaretur enuntians, quam dubitans. At dubitans non obligatur has rationes bonas facere; contrarias ſolvere, &c. Ergo nec enuntians obligaretur. Hoc autem contra leges ſcholarum, fori, librorum, & omnium contentionum, & controverſiarum eſt. Ergo, & illud. Atque hæc ſufficiunt per deductionem ad inconveniens, & plura hoc genus videri poſſunt *lib. ſup.*

Nunc per rationem oſtenſivam. Nimirùm, ut ex Philoſopho poſuimus, dubitationis ſolutio inventio veritatis eſt: nam omnis ſolutio eſt per affirmationem, vel negationem: & omnis negatio unius partis eſt ſaltem virtualis affirmatio oppoſitæ, & è contra.

Eſt autem invenire intellectualiter veritatem (ut prætereamus, quæ ex ſenſu, vel experientia conſtant) vel per intellectum principiorum, vel per ſcientiam; vel per fidem divinam, vel humanam, vel per opinionem, vel etiam per ſuſpicionem; & omnis affirmatio, vel negatio ad aliquid horum revocatur, ut deducitur ex 6. *Ethic. cap.* 3. licet enim ibi omnia, quibus anima verum affirmando vel negando dicit, ad pauciora revocet, ibi ſermo eſt de his ſolum affirmationibus, & negationibus, quæ ex virtute intellectuali ſunt, vel virtutem faciunt: nos verò de omni genere aſſertionum loquimur.

Patet jam omnem ſolutionem dubii per intellectum principiorum, per ſcientiam, per fidem divinam non eſſe per rationem, vel cauſam dubitandi, Similiter ſi per opinionem, vel fidem humanam fiat, jam ea pars opinanti, vel credenti videtur vera; & oppoſita falſa: quod ſi per ſuſpicionem ſolvatur, quod vix eſt ſolvere, ſuſpicatur eam veram, & contrariam falſam.

Hinc ergo. Omnis dubitans nec intelligit, nec ſcit, nec credit, hanc partem veram, hanc falſam; nec ei hæc falſa videtur; imò dubitat, quænam vera, quænam falſa; & ideò dubitat. At omnis ſolvens dubium jam affirmat, vel negat: omnis autem affirmans, vel negans intelligit, vel credit hoc verum, hoc falſum; vel ſaltem ei ita videtur. Ergo dubitans, & ſolvens non habet eaſdem rationes; & de cœteris quæ clara ſunt, nihil loquar, & de opinione, ſolum dicam, implicat omninò, eiſdem omninò ſtantibus rationibus, & eodem modo ſe habentibus, nunc quidem hanc partem mihi non videri nec veram, nec falſam, & ideò me dubitare; & mox jam eam videri veram, & ſic deſinere dubitare.

Sicut itaque *quæſt. præc.* dictum eſt, in omni dubitare eſſe *cur*, in omni ſolvere eſt ſimiliter *cur*: ponere, & ſolvere, perinde eſſe videtur, atque dicere, nodum per idem implicare, & expediri: idem eſſe ligare, & ſolvere. Atque omnia illa, quæ Philoſophus in his proximis quæſtionibus pro dubio tradit, ceſſant, niſi quæ diximus vera ſint. Tenetur ergo omnis ſolvens dubium, rationem habere, cur pro hac parte ſolvat; & non pro contraria: in rationibus autem dubitandi hoc non habet.

Noto tamen ad bonam, vel malam ſolutionem dubii ſufficere rationem bonam, vel malam; at in mentali ſolutione ſemper ea bona videtur ſolventi. Et ſic pertinaces per fictam ſcientiam deſinunt dubitare; hæretici, Pagani per fictas revelationes; & ſimiliter malè opinantes, & malè credentes.

§. III.

Qualiter ergo dubitare ſit, vel non ſit in nobis.

DEducitur, nec dubitare, nec dubitationem ſolvere eſſe in nobis liberum immediatè. At mediatè eſt in nobis utrumque. Nam primò divertere aliò poſſumus mentem, vel antequam dubitet, vel poſtquam dubitat. Secundò, & applicare illam ad quærendum rationes, & autoritates tum ad dubitandum, tum ad quærendum ſolutionem, ac veritatem. Tertiò: univerſaliſſimè vel ſic amore, vel odio nos diſponendo, ac vitiis, vel virtutibus noſmet afficiendo: ex quibus infinitè pendent intellectualia omnia.

Quartò; prætereà dictum eſt, opinari eſſe in nobis, non ſolum quoad uſum, ſicut ſcire; ſed etiam quoad aſſenſum, ut rectè tradit Layman, *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 2. quemadmodum de fide divina cum D. Thoma expoſuimus.

Scilicet intellectus, poſtquam dubitavit, inveniens probabilem ſolutionem pro una parte, inquam probabilem poſitivè, & modo ſuprà declarato, quia hæc inventio veritatis imperfecta, eſt, naturaliter conatur ultrà procedere ad perfectiorem inventionem; & cohiberi à voluntate poteſt ab hoc progreſſu.

At id aliquandò quidem otioſum; prudens aliquando eſt, & ſi in moribus ſumus, etiam honeſtum. Vitioſum ſcilicet, quoties ſumus in ſcibilibus: item quoties in revelatis; vel quoties in deducibilibus ex illis; quoties in examinatis per ſanctos Patres, vel famoſos theologos: atque in ſimilibus in materia præſertim morum, cohibere proceſſum examinativum turpe eſt, atque imprudens propter errandi periculum; & propter præjudicium intellectus impediti à perfectione ſua. Quandò ſcitur, nihil eſſe hujuſmodi, potiùs prudentia erit per opinionem ſolvere dubitationem juxta vulgare præceptum, 1. *Ethic.* 3.

Verùm in hac ipſa motione voluntatis, illius rectitudo, vel vitium ſumitur demùm tanquam à primo movente ab intellectu: nam intellectus ſcit, quid, & ubi, & quando oporteat dubitare, vel dubitando ultrà procedere, vel quieſcere.

QUÆSTIO IV.

Utrum ergo omnis æqualitas rationum, & autoritatum ad dubia propriè talia revocetur revocataque communiter fuerit?

HOc ex loco principalis confuſio rerum harum omnium nata eſt; quia idem ipſum alii quidem dubium vocarunt, ac eſſe cenſuerunt; alii verò probabile; imò iidem ipſi idem ipſum jam dubium poſitivum, jam probabile nuncu-

nuncuparunt. Ex quo deindè natum eſt, ut, cum ex ipſis terminis differant; imò ſic differant dubium, & probabile, uti differunt dubitare, & opinari, in omnibus rebus dubiis eæ regulæ; eæ reſolutiones à multis factæ ſint; ac traditæ; quæ in probabilibus verè talibus, ac opinabilibus legitimè tradi poſſe viderentur; & dubiis, in omnibus ſimilibus decretum eſt.

Hinc factum denuò, ut tandem in Dom. Fagnano, & in Dom. Caramuel utrinque pugnantibus videre eſt, quod unaquaque partium viam ſuam tam certã habeat, ut contrariam hæreſis, vel ferè hæreſis condemnet: alia aliam de jugo importabili, ac impoſſibili accuſet; alia aliam relaxationis totius Chriſtianiſmi, & condemnationis plurimorum ream dicat, Quod profectò, ut cætera deeſſent omnia, ſatis eſſe videretur, ut quicunque vitam ſuam gerit, teritve in ſtudio librorum, rem iſtam ab ovo ſcire niteretur. Et certè neceſſe eſt, ſive dubia pro probabilibus verè talibus habeatur, ſive probabilia in numero ponantur dubiorum, vel ſummam in moribus relaxationem ſequi, vel jugum imponi hominibus planè intolerabile: quod utrumque & de ſe peſſimum eſt, & ſummopere diſpliceat, neceſſe eſt, Deo glorioſo, cujus vel miſericordia, vel juſtitia; imò utrinque juſtitia læditur.

§. I.

Quis in tanta re Autorum ſenſus.

PLurimi ſunt, qui æqualitatem rationum, & quod idem eſt, autoritatum ad dubia propriè talia revocarunt, vel ſub ipſis formalibus terminis, vel ſub manifeſte æquivalentibus.

Primò excludendo talia omnia à probabilibus, & plus aliquid ad probabilitatem requirendo; requirunt enim plerunque eſſe, & plerunque contingens; plerunque verum: imo & aliquid plus. Hæc fuit perpetua doctrina Ariſtotelis in ethicis, in logicis, in topicis; & rethoricis, ut ex ejus dictis, ac formalibus definitionibus probabilium, quas ſuperius exhibuimus, manifeſte conſtat: imo ab eo ſupponitur, à cæteris etiam Philoſophis requiſitum ad probabilitatem, plerunque contingere, & ſic plerunque verum. Hæc fuit ſimiliter cum reliquis commentatoribus ſententia D. Thomæ, cujus multa loca allegavimus. Hæc inter alios ſantentia Eminentiſſimi Pallavicini: & docti Viri Antonii Poſſevini in *Bibliothec. ſect. lib.* 12. *cap.* 10. Habentia autem utrinque æquales rationes, vel autoritates in quantum talia, non habent contingere magis, quam non contingere, ſed ſe habent æqualiter ad eſſe, ad verum, & falſum; ad contigere vel non contingere.

Secundò omnia talia excludunt à probabilibus ſub aliis terminis manifeſte convertibilibus, ii omnes qui docent non eſſe opinari circa æqualiter probabilia, nec circa minus; nam probabile, & opinabile ſunt termini manifeſtè æquivalentes, vel convertibiles, & probabilitas non ponens opinabile nihil ponit ſuprà dubium, vel ſuſpicabile; nam infrà opinabile ſolum ſunt ſuſpicabile, & dubium. Qui autem id docent, ſunt in primis iidem Ariſtoteles, & D. Thomas, &, ut exteros omittam, quos lib. præc. allegavi, ex Societate Jeſu eam ſententiam tenent idem Eminentiſſimus Pallavicinus, Suarez, Leſſius, P. Andreas Blancus; Comitolus, Layman, Breſſerus, quos citavi *lib. ſup.* Item Conimbric, in *lib. Poſt cap.* 26. *art.* 3. Tellez *diſp.* 19. *Logicæ ſect.* 1. & jam boni aliquot Magiſtri in manuſcr. idem docere incipiunt; nec dubito, quin in dies, res examinabitur, augendus ſit numerus; nam ut prætercam cætera alibi data, ex ſic æqualibus neutrum eſſe opinari, tam videtur clarum, quam eſt clarum; quod Theologi omnes 1. *pag quæſt.* 14. non tam diſputant, quam ut manifeſtum ſupponunt, in voluntate indifferenti æqualiter ad bonum, & malum, quia utrinque æqualiter allicitur; neutrum extremum cognoſci poſſe determinatè, ſaltem à non ſuper comprehendente.

Quod autem intereà æqualiter probabilia, & minus probabilia vocent probabilia, quin in terminis videantur implicare, dum ea probabilia ſupponunt, & inopinabilia ſimul ponunt, non aſſequor, & falſitas ex datis probabilitatis diſtinctionibus; ac variis acceptionibus ſatis conſtat. Imò verò id nunc ex hoc ipſo liquet, quod hi autores æqualiter & minus probabilia appellant probabilia. Eſt ergo probabile non opinabile. Ad præſens autem ſolum pertinet probabile; nam duntaxat per hoc ut minimum tolli poteſt dubium: & non per ea, quæ infrà opinabilia ſunt; nam infrà ſunt dubitare; ſoſpicari, vel ſimilia; quæ dubium non tollunt quoad conſcientiam, & quoad non peccandum, ut eſt certum.

Sed quid, inquis, hi Autores reſolvent, quandò eſt quæſtio de peccato, vel non peccato, & ſunt utrinque rationes æquales, & ſunt inſuper opiniones utrinque, Reſpondeo: ſemper dicturi videntur, nec tunc eſſe opinabile ab eo, qui hanc æqualitatem cognoſcit, eſſe peccatum, vel non eſſe: nam per opiniones, utrinque poſitas non tollitur æqualitas, cum utrinque tantumdem ponatur, & addatur, ſcilicet opinio, & opinio. Jam verò non eſſemus in caſu, ſi poneretur inæqualitas, quia ex una parte ponerentur Doctores famoſi, vel quid æquivalens, & ex alia parum, vel nihil. Itaque opiniones in objecto ponunt, illud eſſe utrinque opinatum: hi autem Autores in primis dicunt, id malè factum; nam juxta ipſos ſimilia non ſunt opinanda: deindè dicunt, id non eſſe factum mentaliter, nam docent eſſe impoſſibile circa talia mentaliter opinari; vel eſſe factum per errorem. Concludamus itaque ex horum ſenſu, nos ſemper eſſe in dubiis, quoties ſumus in æqualitate rationum.

Jam tertiò in terminis formalibus dubium objectivum conſiſtere in æqualitate rationum; ac proinde tali objecto ſolum correſpondere dubium formale ſeu dubitare, eſt vetuſta, & communis ſententia.

Eſt ergo hæc ſententia ex Ariſtotelis principiis deſumpta, expreſſiſſima S. Thomæ, tum aliis; tum *quæſt.* 14. *de verit. art.* 1. *Intellectus noſter* (ait) *reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimodè: quandoque enim non magis inclinatur in unam, quam in aliam, vel propter defectum moventium, ſicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem earum, quæ movent ad utramque partem, & iſta eſt diſpoſitio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Quamobrem, ut viſum eſt, in 3. *diſt.* 37. definit dubitationem motum rationis ſuper utraque parte, & cum eo Durandus, & alii.

Summiſtæ tanquam Philoſophi, & S. Thomæ

hanc

hanc ſententiam tradiderunt, Sylveſter *ver. dubium*, ait, *ſecundum Philoſophum, & S. Thomam eſt contrariarum rationum æqualitas*: conteſtantur Angelus, Cajetanus, Tabiena, Armilla, Corduba, *lib. 3. de conſcient. quæſt. 2. §. dubium*: Henrique *quodl. 4. q.* 33. Conradus *tract. 7. de contract. quæſt.* 100. Sotus *de juſt. & jur. quæſt. 6. art. 5.* Eminentiſſ. Pallavicinus *tom. de act. hum. diſp. 9. quæſt. 4. art. 3. num. 1.* Leſſius *de juſt. & jure lib. 2. cap. 20. dubit. 6. num. 45.* Breſſerus *lib. 4. cap. 1. num. 1. uſque ad 3. incluſivè*; Filliucius *tract. 21. cap. 4. num.* 156. & ſequentibus Suarez 1. 2. *diſp. 12. ſect. 5. num. 1.* dicens, *vel propter rationes utrinque probabiles cum tanta æquitate, ut intellectus meritò dubitet, & ſuſpendat aſſenſum.*

Imò quando parùm, & vix rationes unius partis excedunt, ſolum reddi ſuſpicabile objectum, & nihil amplius, ſententia eſt, ut vidimus, Patris Vaſquez, Sanchez, Amici, Breſſeri, Layman, quos citavimus, & quos ſequitur Filliucius ſupra *num.* 156. tuncque conſcientiam propriè dubiam docet eo, quod *rationes probantes, eam rem illicitam eſſe, ferè pares ſunt.* Eſt ergo hæc ſententia communis, & recepta ab antiquis, & Recentioribus Theologis, præſertim cum in terminis nulli contradicant.

§. II.

De Autorum ſenſu ulterior indagatio.

VT ex hoc exordiar, Joannes Sanchez *diſp.* 43. fortè quia facto parentiora ſunt, magiſque ſenſum movent, quam jus, videtur in factis ſaltem aliquatenus veritatem præſenſiſſe, opinionem ibi ſingularem, falſamque proferens: ait enim dubium ſolùm eſſe circa factum, opinionem verò circa jus; circa factum verò nullas eſſe opiniones.

Quod poſtremum probat, Primò; quia aliquo dicente rem ab alio occupatam, meam eſſe, non poſſum eam occultè accipere: ergo (inquit) non eſt opinio. Secundò: quia tribus teſtibus deponentibus diſpenſatum eſſe in matrimonio, ac tribus aliis negantibus, non poſſum contrahere matrimonium: poſſem verò, ſi de jure eſſent opiniones trium, & trium. Tertiò: quia ut ipſe alibi oſtendit, poteſt Judex ſententiam dicere ſecundum opinionem minus probabilem juris; non autem facti, ut cum Garzia, & Villalobos ſupponit: ergo circa factum non eſt opinio propriè, ſed dubium.

Hanc opinionem falſam meritò habent cæteri Recentiores; nam eſt opinari circa facta, ut conſtat ex jactis principiis. Negant ergo opinionem Joannis Sanchez; & tenent eſſe opiniones tam circa facta, quam circa jura: utraſque verò licere communiter ſequi: neutras aliquando.

Ad argumenta reſpondent, ut tandem videre eſt in Verricelli, *tract. 2. ſing. opin. quæſt. 2. num. 8.* ad primum quidem, in eo caſu non licere rem occultè repetere, quia certa poſſeſſio alterius prævalet, & præponderat. Ad ſecundum, quando teſtes ſunt paris fidei, aliorum depoſitiones elidi per contradictorias.

Nunc ad rem noſtram. Ecce quoties circa factum eſt paritas, & æqualitas, non putant aliter, quam in puris dubiis operandum; ſive opinionem eſſe, vel non eſſe loquantur. At ſine ulla umbra effugii, eſt identitas rationis circa jus, & eadem eliſio aliorum autorum per contradicentes paris fidei: & utrobique adeſt voluntas, quò unicè refugere ſolent: utrobique æqualiter impoſſibile alterutris credere: ſcitur enim utrobique, alterutros falli, & prorsùs neſcitur, qui præ aliis, quoties eſt æqualitas autoritatis, æqualitas probabilitatis, & opinionis.

Quamobrem Theologi etiam Recentiores communiter in plurimis caſibus, ut infrà videbimus, in quibus circa factum ſunt contrariæ rationes pares, reſolvunt tanquam in rebus dubiis, quod nos *lib. ſuper juribus, & doctrinis communibus, de teſtibus, & probationibus ſtabilivimus.* Sic qui habens æqualia fundamenta pro, & contra proximum, contra eum judicaret, à judicio temerario non excuſaretur. Sic rem poſſidens, ſi poſtea ei occurrant rationes pro ſe, & contra ſe, an res ſit ſua, obligatur ab omnibus communiter ad examen; ſi nihil inveniat, alii ad rem dividendam obligant, alii titulo poſſeſſionis liberant; utrique tamen requirunt, quod cœperit poſſidere bona fide: quod ſi habens à principio illas utrinque rationes cœpiſſet poſſidere, cenſetur poſſeſſio incepta mala fide, ut conſtat ex multis allegatis, & ex communi Doctorum ſenſu apud Caſtro Pallao *1. part. diſp. 3. punct. 2. & ſequent.* Hæc autem mala fides non in alio conſiſtit, quam in eo, quod habens rationes pares dubitabat, an res eſſet ſua, vel non. Si enim prudenter credere potuiſſet, rem eſſe ſuam, haud mala fide cœpiſſet poſſidere; nec poſtea teneretur ad examen.

Similiter caſus Salomonis 3. *Reg* 3. ad dubia communiter revocatur; quia utraque illa mulier æqualia pro ſe allegabat, licet poſteà à ſapientiſſimo Rege egregia inventa ſit dubii ſolutio. Voluntate autem hæc dubia ſolvere perinde eſt, atque gladio dividere infantem vel indiviſum cuilibet tradere; quod profectò in dubiis Salomon quidem ut ſupremus Princeps efficere poterat, ſi nulla occurriſſet via comperiendi veritatem: ſecùs autem non poſſumus.

Quam in rem eſt inter alios textus clarus *in leg. ſi ita fuerit legatum ff. de rebus dubiis.* Si legatum Sempronio amico relictum fuerit, & duo ſint Sempronii amici, pares amicitiæ rationes habentes, cui debetur? Reſponſum fuit, rem eſſe dubiam, & præ omnimoda ambiguitate, & incertitudine legatum vitiari, & neutri *deberi.* Quod ſi in paritate rationum voluntas prudenter alterutrum imperat, jam per hoc & ambiguitas tolleretur, & alterutri prudenter aſſignatum fuiſſet legatum, inaniſque foret tota ratio decidendi.

Hanc proindè doctrinam de dubiis tenent communiter utriuſque juris Doctores. Eam ſupponunt omnes regulæ juris de rebus dubiis: illæ enim non traduntur pro caſibus nullius rationis dubitandi, & ſic pro dubiis, quæ vocant negativa, ſed pro caſibus, in quibus hinc, & hinc erant rationes, quæ rem dubiam redderent ut patet *ex cap. ad audientiam*; & *cap. ſignificaſti* de homicidio, & aliis. Nec enim reo favendum in dubio præſcribitur, quando nulla ratio dubitandi pro delicto, nam talis nec eſt, nec habetur, nec dicitur reus: & ſic in cæteris regulis. Ergo in jure caſus æqualium rationum habentur pro dubiis, & ſic dubia poſitiva ſunt in jure dubia.

§. III.

§. III.

Veræ ſententiæ declaratio, & confirmatio.

POnimus ergo, omnem æqualitatem rationum, vel autoritatum tam circa factum, quam circa jus propriiſſimè facere rem dubiam.

In primis juris, & facti ipſiſſimam eſſe rationem, nemo videtur negare poſſe; ſi advertat in naturam dubii; dubium enim dicitur connotare ad veritatem; dubitare quippe ſemper eſt de veritate; an hæc pars contradictionis, an alia ſit vera: & de hoc uno eſt dubitare ſive circa jus, ſive circa factum, ut patet. Ac in paritate rationis circa jus ſimiliter latet veritas, ſicut in paritate circa factum: & utrobique habetur objectum nec falſum, ſed indifferens ad utrumque, in quantum non plus nobis ſuadetur verum eſſe, quam non eſſe. Ergo nihil refert, æqualitatem eſſe vel circa factum, vel circa jus.

Ex quo, ut dictum eſt, habetur, quodcunque addatur non ponens inæqualitatem circa veritatem, nihil omninò facere ad tollendum dubium: Quarè ſive in utraque parte contradictionis ponas, & addas probabile, & probabile; ſive opiniones, & opiniones; ſive quodcunque aliud quoquo modo appellatum, & magnificatum; nihil omninò facis; ſed objectum manet, ſicut prius, & omninò indifferens ad verum, & falſum.

Jam deindè idem eſt in additione autoritatum, & Autorum: ſi vel æqualia utrinque addas, ſive tu omninò ignores inæqualitatem; nam ſi æqualibus æqualia addas, quæ reſultant, æqualia ſunt; quæ eſt regula indefectibilis. Unde perinde eſt, vel rationes æquales à principio habere; ſive rationes æquales addere; ſive autores æquales addere; ſiue probabilitates, ſive opiniones: nam ſemper ſumus in æqualitate: ſicut in principio.

Univerſaliſſimè ergo in appendice multipliciter oſtenſum eſt, circa talia non eſſe quidquam mentaliter dicere, nec affirmare, vel negare: ergo ſolum erit vel ignorare, vel dubitare. Non ergo dubitationem ſolvere.

Rursùs hoc *ib.* ex natura dubitationis id ipſum innotuit. Prætereà in aliquibus ſaltem caſibus maximè circa factum, id ab omnibus conceditur: at omnium caſuum eadem omninò eſt ratio, ut nunc fuit oſtenſum; ſive ſint de facto, ſive de jure; ſive autorum, & autoritatum; nam totum momentum reducitur ad æqualitatem pro vero, & falſo: & omne ſolvere dubitationem eſt per ſufficientem inventionem veritatis: infima porro inventio, & infrà quam nulla, eſt inventio opinativa, & qua opinando dicimus, hoc quidem ita, contradictorium autem non ita. Nemo autem tantumdem habens pro non ita, quam pro ita, mentaliter dicit, hoc quidem ita; verum, hoc falſum; ut abundantiſſimè commonſtrabitur.

§. IV.

Ergo decem autores contra decem, vel centum contra centum rem propriiſſimè dubiam faciunt: nullatenus autem opinabilem, vel credibilem.

HÆc illatio, quæ de æqualibus in ſe, vel quoad nos Autoribus intelligitur, evidenter videtur non tam ſequi, quam involvi in nuper oſtenſis. Quarè videri poterit, quam tutò caſus conſcientiæ reſolvantur dicendo adeſſe Autores vel tot, vel etiam pauciores: Videtur porrò per ſe notum, eos Autores ubi, & quando non faciunt autoritate ſua nec opinabilem, nec credibilem non legem, nequaquam excuſare à lege. Rursùs in propriiſſimo dubio ſolùm poſſumus dubitare, & nihil plus: ſed juxta omnes Autores peccat, qui dubitans operatur contra legem: peccat ergo in caſu illationis.

§. V.

Acuta dictorum confirmatio Auguſtini, vel quicunque illius operis fuerit Autor.

AUguſtinus itaque *lib. de principiis Rhetorices* videtur totam intentionem noſtram, & doctrinam demonſtraſſe ſolito acumine. Exponit *cap.* 8. modos controverſiarum; & dicit, eſſe controverſias quaſdam, quæ ſtatum non habent, quæ Græcè plegmata vocantur, ſeu ut ipſe vertit, irrationabilia, id eſt, Aloga; quas nec dici quidem velit controverſias. Ratio Auguſtini eſt: (Nam cum eadem utrinque dicuntur, & nulla re nec parva quidem diſcernuntur, tamen hujusmodi plegma propter æqualitatem utriusque partis ſtatum implicat.)

Exemplo mox rem declarat acutiſſimè, & veriſſimè: (Ut vicini adoleſcentuli, qui ſpecioſas uxores habebant, noctu alter alterum obvium habuerunt, accuſat invicem adulterii: nam quidquid altera pars dixerit, hoc altera dicat, neceſſe eſt. Veriſimile eſt, te adulterium voluiſſe committere, quia adoleſcens es. Te quoque veriſimile eſt voluiſſe, quia adoleſcens es. Veriſimile eſt, quia ſpecioſam uxorem habeo. Te quoque veriſimile eſt, quia & ego ſpecioſam uxorem habeo. Facultatem tibi vicinitas præbuit: & tibi eadem viciniras præbuit facultatem. Cur nocte in me? Cur tu autem in me incidiſti? Nihil eſt, quod diſtinguatur: & idcircò uter eorum, ſive accuſat alterum, ſe criminatur, ſive ſe purgat, defendit eum, quem criminari videtur.) Pateant, precor, quod antea, & nunc, & ſemper ſuper cœlos efferam Auguſtini ingenium.

Hic autem idem eſt caſus noſter de decem Autoribus contra decem, vel de centum contra centum, & univerſim de omni æqualitate Autoritatis, & rationis. Habeo itaque pro te decem Autores vel graves, vel graviſſimos, ut placet, qui aſſerunt legem non eſſe, vel non obligare contra totidem alios æquales quoad te, qui affirmant obligationem. Ecce quidquid pro te allegas, contra te ſimul afferas neceſſe eſt, & dum te defendis, te accuſas. Dicis: decem ſatis multi ſunt: & hoc æqualiter eſt contra te; ſunt enim decem ex adverſo, ſapientiſſimi ſunt, ais, & graviſſimi; &

hoc

hoc quoque tui accuſatio eſt æqualiter: ſunt enim ſimiles tot contra te. Veriſimile, inquis, eſt, tot Doctores non errare: veriſimile eſt, eos, ut in rebus aliis, in hac etiam rectè opinari. Sed ecce: hæc ipſa contra te, & pro Autoribus contradicentibus urgent; & dicuntur eodem modo; ut patet. Prudens eſt, ais, his credere graviſſimis quippè & pluribus. Te hoc quoque accuſet: prudens ſcilicet erit credere aſſerentibus obligationem, graviſſimis quippè, & pluribus. Idem clariùs adhuc cernitur, cum caſus eſt inter duos v. g. caſus reſtitutionis. Concludat ergo Auguſtinus; nihil ſtatui poſſe propter æqualitatem utriusque partis; nam nihil eſt, quod diſtinguatur, & idcircò quisque ſe purgando, ſe accuſat; contra partem contrariam allegando contra ſuam dicit ſimul, & allegat: reſultatque propriiſſimum, & irreſolubile, & injudicabile dubium, quandiu inæqualitas non adinvenietur.

Hoc eodem genere argumentationes dixi pridem Lutherum, & Calvinum, & alios ſub idem tempus exortos ſectarios eſſe alterum alterius impugnationem, & deſtructionem, adeò, ut Luthero ſit Calvinus ſolutio, & deſtructio, & viciſſim; nec alia ſit neceſſaria impugnatio. Quæ enim Lutherus contra ſanctam Eccleſiam allegat, faciunt æqualiter pro Calvino: ſimiliter etiam, quæ allegat pro ſe, nec dabitur unquam, alteri præ altero ſit ſtandum: ſimul autem utrique ſtari nequit, cum contradicant: nihil eſt ergo, quod diſtinguatur, *& uter eorum, ſive accuſat alterum, ſe criminatur, ſive ſe purgat, defendit eum, quem criminare videtur.*

§. VI.

Ergo diviſio dubii in poſitivum, & negativum eſt impropria.

TRita eſt diviſio dubii in poſitivum & negativum: videntur autem utrumque membrum ſub dubio propriè tali ponere; imò magis principaliter ponere dubium negativum; nam poſitivum transferunt ad probabilia, in quibus omnia ſua dicunt.

Sed à contrario res ſe habet, & dubium negativum non eſt propriè dubium, & ſolum dubium poſitivum eſt propriè tale. Hoc clarè accipitur ex dictis, & ſenſu ſapientium, qui his de rebus exactius tractarunt; & ex tot rationibus & declarationibus; ut in his quæſtionibus viſum eſt. Caſus itaque Salomonis: Caſus item nunc ab Auguſtino propoſitus ſunt propriè caſus dubii, & omninò inaffirmabiles, & injudicabiles niſi per novam inventionem.

Præter dicta autem adeſt ratio manifeſta ex actibus, per quos, utpote ſæpè magis notos quoad nos, innoteſcunt objecta. Nimirùm differunt ignorare, & dubitare:

Quid nunc Turca faciat, ego ignoro; non autem dubito, utpotè omni fundamento deſtitutus ad dubitandum: & patet ex definitione dubitationis: rogatus ergo, quid faciat, reſpondeo; neſcio, ignoro: rogatus, quando erit judicii dies, quando mors mea, reſpondeo, neſcio, ignoro. Ergo in dubio purè negativo non eſt dubitare, ſed ſolum neſcire; & ignorare, ut quot ſint herbæ, an plures, an pauciores hoc annò, quam futuro. Ergo ſolum eſt dubitare in dubio poſitivo, quando hinc, & hinc autoribus, vel rationibus ligatur ratio, ut exponebat Ariſtoteles: & ſic etiam Recentiores ipſi naturæ ductu loquuntur, dicendo in qualibet quæſtione, ratio dubitandi eſt hæc, vel illa; autoritas Auguſtini, vel alia: rideretur autem, qui poneret, ratio dubitandi eſt, & nihil allegaret.

§. VII.

Reſolutio caſuum de peccatis dubiis.

NE ſeriem doctrinæ interrumpam, ac multis interpoſitis obſcuriorem, in efficacioremque reddam, non vacat immorari in his caſibus dicendis. Controvertunt operosè, an teneamur confiteri peccata dubia, & in dubio juris, & in dubio facti? Et quod miror, ſunt qui in dubio negativo plus obligent; imò in poſitivo, ad nihil obligent.

Sed ex dictis accipitur liquido in nullo dubio purè negativo ſive juris, ſive facti eſſe ullam obligationem: eſſe autem ſemper in dubio poſitivo; quia hoc eſt propriè tale; illud autem non niſi abuſivè, & impropriè dubium eſt, & pertinet ad peccata ignorantiæ: ad horum proindè obligationem pertinent peccata negativè dubia.

In his, ut dixi, immorari non vacat: ſolùm nunc ad conſcientiam cordati cujusque appello. Nulla prorsùs ratio, aut fundamentum tibi occurrit, ut dubites, hoc, quod feciſti, eſſe prohibitum: vel hoc aliud, quod ſcis prohibitum, à te fuiſſe commiſſum, v. g. nihil occurrit, ut dubites, te concupiviſſe uxorem alienam. Hic eſt caſus dubii negativi. Jam occurrunt magna fundamenta, ut dubites, à te concupitam uxorem alienam: magna item ut dubites, vel credas, non fuiſſe concupitam: ſimiliter dubitans de jejunio, habuiſti decem Autores, rationes ſuadentes, te non eſſe obligatum: ſed decem ſimiliter ſuadentes, te eſſe obligatum, & non jejunaſti. Hic eſt caſus dubii poſitivi. Ajunt aliqui, te in hoc caſu non eſſe obligatum, primo eſſe obligatum. Sed tu, nunc vide, an in ſecundo caſu non ſit major futura ſolicitudo tua, major etiam metus? in primo nullis remorſibus conſcientiæ videtur eſſe locus: ſecùs in ſecundo. Aſſerimus ergo, te in primo caſu ad nihil teneri; at teneri in ſecundo. Poteſt autem primus caſus tranſire in ſecundum, ſi v. g. ſcias te peccaſſe, & nullum fundamentum habes, te confeſſum fuiſſe: jam tunc teneris; nom per ſe loquendo ſi confeſſus fuiſſes, aliqua memoria remanſiſſet.

Opponunt contra aſſertam obligationem; quia ex Tridentino ſolùm tenemur confiteri peccata, quæ in conſcientia noſtra ſunt: dubia autem non ſunt; non enim magis ſunt, quam non ſunt, & propriè loquendo nec ſunt, nec non ſunt, ſed ſe habent ad utrumlibet, & ad eſſe, & non eſſe propter æqualitatem fundamentorum.

Reſpondeo, à concilio acceptam eſſe conſcientiam juxta communem ſcholarum, & omnium acceptionem: Ex hac autem conſcientia alia eſt certa, & alia dubia: quarè quæ dicto modo ſunt in conſcientia, ſunt propriè in conſcientia dubia pro modo ipſius conſcientiæ, cujus eſſe eſt ad utrumlibet eſſe.

QUÆSTIO V.

Ergo nullum dubium conſcientia ſolvitur per æque aut minus probabile.

QUia omnia fermè ſolvunt adverſarii per hoc probabile, illudque, ubique inculcant, nos quoque toties illud cogimur oppugnare, & nulla fermè quæſtio noſtra eſt ſub ipſo operis exordio, quâ ſalvâ ſalvum eſſe queat iſtud probabile, cujus ſanè memoriam, ſi poſſemus, à toto etiam mundo deleremus. Nunc illativè ex dictis illius inſufficientia oſtendenda eſt ad ſolvenda dubia conſcientiæ:

§. I.

Primò quia hoc probabile nulla eſt inventio veritatis.

PAtet ergo ex dictis, per æquè, & minùs probabile nullum dubium conſcientiæ ſolvi. Nam dubium ſolùm ſolvitur per inventionem veritatis. Sed æquè, & minùs probabile nulla ſunt inventio veritatis. Ergo dubium non ſolvitur per æquè, & minùs probabile. Sed dubium conſcientiæ eſt dubium, ut ſupponimus. Ergo non ſolvitur per æquè, & minùs probabile,

Major ſyllogiſmi patet ex dictis de ſolutione dubiorum, & nemo eam negare poteſt intelligendo, quod dicit; inquam, intelligendo; ſunt enim, qui ſolùm voces, & nomina quibus loquantur, nihil autem res ipſas concipiant. Etenim dubitatio ſolvitur vel affirmando, vel negando eam rem, de qua eſt dubitatum: quod conſtat facto omnium hominum ex libris, & quinternionibus omnibus. Si ergo dubium ſolviſti, jam affirmas, vel negas: tibi rursùs verum videtur, quod affirmas, vel negas: ſin minùs es fatuus, vel mendax; vel quod neſcis; vel quod tibi falſum videtur, enuntiando. Major itaque propoſitio eſt manifeſta, & innegabilis intelligendo.

Minor patet ex dictis, quod omnis æqualitas rationum, vel autoritatum rem conſtituat propriiſſimè dubiam: ergo æquè probabile nulla eſt inventio veritatis: ergo minùs multò minùs probabile Quoties itaque æqualis probabilitas occurrit pro ita, & pro non ita, nequit tibi conſtare, rem magis ita eſſe, quam non ita: & nemo ſui compos videtur dicere poſſe, rem ita eſſe, & ſimul fateri, ſe tamen nihil ſpeciale habere, undè magis ſibi conſtet, ita potiùs eſſe, quam non ita: quod etiam conſtabit in appendice, & fatentur communiter etiam contrarii. Jam verò, quod etiam *lib.* 3. fuit commonſtratum, ridiculum dictu foret, ſi aſſereres, occurrente hinc probabilitate ut quatuor, & indè in contrarium alia probabilitate ut quatuor, intellectum quaſi oculos claudere ad probabilitatem unius partis, & alteram arripere, ut eam partem opinetur, ac mentaliter enuntiet. Quæ omnia ſatis in proximis quæſtionibus conſtituta ſunt.

Ponamus ergo, meam conſcientiam dubitare, an teneat jejunare, an non? an Deus præcipiat, vel non? Affertur conſcientiæ meæ probabilitas ut quatuor pro non: & alia probabilitas ut quatuor pro ſic. Nulla ipſi affertur inventio veritatis: nulla ergo ſolutio dubii. Affertur, inquis, probabile. Fateor; ſed probabile æquale, probabile indifferens, & caſuale ad verum, & falſum. Non ergo probabile ſolvens dubium. Affers Suarezium affirmantem, Vaſquium negantem: & ſuppone eos pares. Quid ſibi mea conſcientia dicit: alteruter ſanè fallitur: quis autem eorum, neſcio. Ergo quis verum dicat, neſcio: ergo quod ſit verum, neſcio. Ergo dubii ſolutionem non habeo. Pone caſum eundem in Judice, in teſtibus, in hiſtoria, in univerſo convictu hominum. Omnes ſciunt, per æqualia non ſolvi dubitationem, ſed dubitant, ſicut priùs Ergo etiam conſcientia:

§. II.

Item quia probabile aderat etiam in dubitante.

OStenſum eſt *quæſt.* 3. per eas rationes, vel autoritatea, per quas eſt dubitatum non ſolvi dubitationem. Afferri quidem inter dubitandum poteſt aliquod, quod poſteà Autor ad decidendum uſurpet, & promoveat; At evidens eſt per eas ſive autoritates, ſive rationes, propter quas eſt dubitare, non eſſe dubitationem ſolvere, & propter quæ dubitatur, non reſolvi. Hoc inquam tam eſt evidens, quàm eſt evidens; non eſſe idem dubitare de veritate, & veritatem cognoſcere. Nequeunt ergo eadem eſſe & principia & fundamenta dubitandi de veritate & cognoſcendi, enuntiandi veritatem.

Sed probabile facit dubitare & principium dubiorum de conſcientia, & de peccato vel non peccato. Quod patet quia hoc probabile v.g. ab extrinſeco conſiſtit, vel fundatur in autoritate Doctorum utriusque partis. Sed hoc pertinet ad fundamenta dubitandi. Quod conſtat ex Philoſopho 3. *Metaph. cap* 1. ubi docens de quibus ſit dubitandum; *hæc autem ſunt* (ait) *& quæcunque de eis aliter quidam exiſtimarunt* &c. Philoſophorum ſententiæ; & Theologis Theologorum ſunt inter alia cauſæ; & fundamenta dubitandi.

Conſtat ex praxi naturali omnium, qui opiniones, Autores utrinque ad ſuas quæſtiones, reſolutionesque ſolent præmittere: quod in ſcholâ, & in foro, & ubique in more eſt. Neque verò mentem ulli hominum venire poteſt, per iſtam allegationem eſſe jam determinatam, & ſolutam quæſtionem. Nam alioqui utraque ſimul pars foret determinata, & quæſtio deciſa pro utraque parte: & ſanè omnes ſine ulla inſtitutione ſcimus, & intelligimus, eum, qui utrimque Autores, & autoritates allegat, & utrumque etiam probabile dicit, nondum per hoc quæſtionem determinaſſe, & reſolviſſe, nec ſuam mentem, aperuiſſe, nec quam partem veram habeat, pronuntiaſſe: & ſtultus haberetur, qui ita proponentem, & propriè partes dubitantis ſuſtinentem aggrederetur impugnandum, quaſi aliquid dixiſſet, & determinaſſet.

Poteſt quidem quis exterius perſonam gerere dubitantis, & poſteà unam partem eligere, & dicere, ſe eam aſſerere propter fundamenta, quæ pro illa inter dubitandum adduxit. At nunc magis quoad alios illa poſuit tanquam fundamenta dubitandi; non autem abſolutè, nec quoad ſe. Mens porrò; & intellectus nequeunt interiùs has quaſi ſcenas, & diverſas perſonas in-

T

duere, & per ea invariata, & nihil addendo jam an hoc ita ſit dubitare; jam ita eſſe affirmare, ut præmiſi.

Indubitatum eſt ex tactis modò, autoritatem Doctorum; atque in ea fundamentum probabile ſolere intrare inter fundamenta dubitandi. Idcircò diligenter attenditur, quot, & quales Doctores habeat unaquæque pars, quæ plures, quæ nullos. Ergo æquè probabile intrabat inter fundamenta dubitandi. Ergo nequit per illud invariatum, ac nihil addendo, vel tollendo dubium ſolvi.

Itaque vel intellectus, & conſcientia, ubi ſciunt, adeſſe æquè probabile, vel minùs probabile, nunquam dubitant, an aliquid liceat, vel non liceat, an ſit, vel non ſit peccatum, vel aliquando ſaltem dubitant? Si nunquam prorsùs dubitant, jam ergo in talibus, ut aliàs argumentatus ſum, nullum ſupereſt dubium, an liceat, aut non liceat? an ſit, vel non ſit peccatum. At talia ſunt, quibus libri implentur. Quid ergo alii affirmant, & alii negant. Quorsùm libri implentur? Quid non omnes uno verbo conveniunt. Contrivimus porrò ſuperius ſolutiones ad hoc dabiles.

Patet ergo, quod intellectus: & conſcientia aliquandò ſaltem, ubi ſciunt, adeſſe æquè, vel minùs probabile. Ergo non obſtante hac probabilitate dubitarunt; ergo nequeunt tunc per hoc ipſum dubitationem ſolvere. Ergo nunquam poſſunt; quia ideò ſemper valet æquè, & minùs probabile ad dubii cujusque ſolutionem. Si omnia ſoluit jam omnes concordent: ſi omnia non ſolvit nihil ſolvit.

Itaque ex dictis de propria eſſentia dubitationis liquet, æquè probabile, id eſt, æquales rationes, vel autoritates facere propriiſſimè dubitare. At quæ faciunt dubitare nihil addendo, & detrahendo non faciunt veritatem cognoſcere. Ergo neque dubitationem ſolvere.

§. III.

Solutio ergo per hoc probabile nata videtur ex inconſideratione, naturæ dubitationis.

HOc videtur oſtendi ex dictis *quæſt.* 2. ſcilicet Adverſarii hoc toto nomine hujus probabilis aliud non intelligunt, neque ſignificant, quam rem, pro qua ſunt autoritates, vel rationes non leves, ſed graves: non item ſuperficiales, ſed magnas. Sed per hoc non habetur, aliud probabile quàm propriiſſimæ & ſtrictiſſimæ dubitationis, ut *quæſt.* 2. fuit oſtenſum. Ergo nihil habetur, quod ad operandum ſufficiat.

Itaque qui per hoc probabile dubitationem ſolvunt, exiſtimare videntur, magnas quasque auctoritates, & rationes atque graves plus quam ad dubitandum ſufficere, nec eſſe poſſe, quod illas habens quarè dubitet indeq; dubium propriè tale arbitrati ſunt ſolùm eſſe dubium negativum. Sed oſtenſum fuit contrarium, & dubitationes bonas, & ſapientium fundari in bonis, gravibusque fundamentis: neutiquam verò in levibus & ſuperficialibus aliquando etiam eſſe rationes acutas ac mordentes, & irritantes ad quærendum veritatem. Ergo ea exiſtimatio, quod habitis magnis, gravibusque fundamentis, jam habeamus plusquam dubitare, nata eſt ex inconſideratione, vel ignorantia naturæ dubitationis: cum certum ſit, nec purum dubitare ſufficere ad operandum, nec ea, quæ ad dubitandum ſufficiunt, ſufficere ad expediendum dubitationem.

Scilicet explicatum fuit ex Philoſopho, quod omnium dubitantium experimentis conſtat dubitationem, & dubium innodare, ligareque dubitantem. Viros porrò vel ſapientes, vel ingenio robuſtos levibus, contemnendisque rationibus innodatos, ligatosque exiſtimare, perindè eſt, atque ſi Samſonem filis ſericis implicatum, ligatumque fuiſſe ſomniares. Contemnunt ergo levia viri robuſti. Ergo ſolùm iis illigantur, atque impediuntur, quæ tu gravia, & probabilia vocas. Ergo propter quæ ſapientes dubitant, tu vis dubitationem ſolvere, & pronunciare. Ergo quandoquidem eos ſapientes eſſe ſupponimus, ſequitur, te ignorantem eſſe.

Hinc quæro abs te, vel aliquadò dubitas, vel nunqam? Si nunquam, ſanè ſumnè ignoras. Ergo dubitas vel dubitaſti aliquando. Quæro mox, an propter fundamenta levia, & contemnenda: an propter gravia, & conſiderabilia? Si propter levia & contemnenda, te iterum oſtendis ignorantem, & levem, & contemptibilem, qui nodis levibus irretiris, nec contemnenda contemnis. Si propter gravia, & non contemnenda! Ecce ergo in terminis tuum probabile. Ergo propter iſtud tuum probabile dubitaſti tu ipſe aliquando. At illud nunquam plus valet, ſed ſemper idem. Ergo velle per illud dubitationes ſolvere natum eſt, quod conſiderata non fuerit natura dubitationis, quæ eſt propter rationes utrinque graves, quoties ipſa non levis, ſed gravis, bonaque eſt. Voco autem graves ad faciendum dubitare; nam pro oſtendenda concluſione alterutras non graves, ſed ſolùm ſophiſticas eſſe, oſtenſum fuit *lib.* 2.

Indubitatum eſt itaque, viros etiam ſapientiſſimos de aliquibus dubitaſſe; dubitavit utique S. Thomas: ecquis dicat, eum levibus rationibus implicatum, involutumque fuiſſe? Dubitavit de aliis, dubitavit de origine animæ ſæpè Auguſtinus: anne propter leves, contemnendasque rationes, & difficultates? Leviſſimus ſane tu es, ſi ita exiſtimes. Non valet ergo: habeo utrinque non leves, ſed graves, & non contemnendas rationes. Ergo jam non ſumus in dubio, & dubitatione, ſed ſoluta eſt dubitatio, expeditus nodus, & rupta vincula. Cernitur propterea manifeſtè, hoc genus ſolutionum, & reſolutionum natum eſſe ex inconſideratione naturæ dubitationis.

QUÆSTIO VI.

Utrum per ipſum non invenire veritatem, ſatis ſolvantur dubia conſcientiæ?

§. I.

Quid viſum Autoribus? Ubi de diligentia.

SUpponunt omnes, dubia conſcientiæ non benè, ſed temerè ſolvi, & deponi ab eo, qui nullam diligentiam fecit pro invenienda veritate. De eo autem, qui ſufficientem diligentiam fecit, Suarez loco *cit. q.* 4. quem Salas, & alii communiter ſequuntur, docet, illum per non inventionem veritatis ſatis ſolvere dubitationem, eſſeque ab obli-

obligatione liberum, & ignorantiam tùnc ſi qua incidat, fore involuntariam, & inculpatam. Probant; quia lex poſt ſufficientem diligentiam non inventa, vel non eſt abſolutè, vel non eſt ſatis propoſita & promulgata.

Repugnat Arriaga *tract. de actib. hum. diſp. 25. ſect. 3. num. 36. & 37.* & opponit, eum, qui dubitat, an recitaverit, & per diligentiam non invenit, ſe recitaſſe, tenetur recitare: & ſimiliter contrahentes matrimonium mala fide à principio, & dubitando de morte prioris conjugis, non ſe liberant per neſcire, etiam facta diligentia.

§. II.

Quid dicendum?

ASſerimus, quoties non inventio veritatis fundat inventionem, ipſum non invenire rectè ſolvi dubia conſcientiæ: ſin minùs non rectè ſolvi, ſed temerè deponi. Etenim ut eſt oſtenſum omnis, & una recta ſolutio dubii eſt inventio, & agnitio veritatis dubitatæ.

Hinc ſequitur quoties in ſua non inventione poteſt quis rectè dicere & exiſtimare, *ſi fuiſſet, ſanè inveniſſem*, per non invenire, inveniri veritatem, nam dicitur; fuiſſet, ſi inveniſſem: non inveni; ergo non eſt. Quoties contrà quis id rectè dicere nequit, nihil invenitur. Hinc ergo patet ſecundò quarè indiligentes per ſuum non invenire, nullum dubium rectè ſolvant.

Sequitur tertiò eos, qui ſufficientem diligentiam fecerunt, rectè ſolvere. Nam ut *part. 2.* vel oſtendetur, proponetur, omnis lex naturæ, & Dei, id eſt, Dei, & Dei eſt invenibilis per ſufficientem diligentiam, ſive ejus ignorantia ſit ſemper, vel non ſemper ſit culpabilis, de quo ibi. Ergo in eo, qui ſufficientem diligentiam fecit, valet. *ſi fuiſſet, inveniſſem.* Ergo non inventio fundat inventionem. Illud porrò de lege non ſatis promulgata exploſum eſt *lib. 3.* & de lege naturæ, & divina explodetur latè *part. 2.*

Verùm hoc opus, hic labor eſt, quod quis coram Deo ſibi perſuadeat, ſe ſatis extitiſſe diligentem, ſe legem Dei dilexiſſe; nam qui non diligit, non ſatis quærit; ſe mandata Dei ſui quæſiviſſe, & ſic etiam ſuper docentes ſe, & ſenes intellexiſſe. Certè ipſi etiam maximi ſancti Dei timuerunt peccata ignorantiæ, & ex ignorantia; de quo *part. 2.* Unde facilè, & quibuslibet datum non eſt dicere, ſi fuiſſet, inveniſſem, quia ſatis diligens extiti: ex ſuppoſitione tamen ſufficientis diligentiæ per non inventionem rectè dubium ſolvitur.

Sequitur quartò etiam circa facta contingentia, ad quæ argmenta Arriagæ pertinent, ſolvi dubitationem per non inventionem, quoties rectè dici poſt, ſi fuiſſet, inveniſſem, & ſciviſſem. Unde qui poteſt diligentiam etiam non invenit, ſe recitaſſe, nec non recitaſſe, videre debet, quod ſua natura, & rebus conſideratis non difficulter examinetur, an ſi non recitaviſſet, recordatus fuiſſet, vel etiam ſi recitaviſſet? ſi nihil concludere poteſt, tenetur ad legem dubiorum, de qua *quæſt. ſeqq.* ſi ſibi videtur, ſe memorem futurum fuiſſe, ſi recitaviſſet, tenetur recitare. Si ſibi videtur, ſe memorem futurum fuiſſe, ſi non recitaviſſet, non tenetur; quia tunc non memoria probat recitatum fuiſſe. Si judicia ſunt recta, & vera, benè ſe habent omnia, & conſcientia eſt recta: ſi in judicando errat, reſultat conſcientia erronea vel vincibilis, vel invincibilis juxta dicta *lib. 1.*

De matrimonio, & de morte conjugis, & ſimilibus omnibus caſibus eodem modo eſt philoſopbandum; vel ex non inventione, & non cognitione concluditur inventio, & cognitio, vel non? ſi primum, ſoluitur dubium, ſin minus, non ſolvitur.

Is poteſt eſſe conjux, & abeſſe in tali Provincia, vel loco; vel talis eſſe profeſſionis: aut genii, ut magnam diligentiam feciſſe, & nihil ſciviſſe; nihil prorsùs probet, eum eſſe mortuum: quod ſanè ſæpè accidit. Aliquandò tamen is poteſt eſſe conjux, ut illius non inventio probet eum obiiſſe.

Univerſum porrò aliter de jure, aliter de factis contingentibus eſt philoſopbandum. Jus enim, & leges ſunt uniuerſales: ſunt perpetuæ, vel diuturnæ, conſtantes, & fixæ. Contrà verò facta contingentia ſunt particularia contingentia, varia. Quarè in his ſufficiens, & magna diligentia, & non inventio ſæpè non fundant inventionem; ideoque ignorantiam facti excuſare omnes concorditer admittunt. De jure propter naturam illius contrariam, quia univerſalia ſunt magis nota, & magis univerſalia magis nota ex 1. *Phyſicor.* 1. & propter ſuam conſtantiam, & firmitatem, & quia à prudenti Legiſlatore in eum finem conſtitutum eſt, & promulgatum; ut ſciatur, contrariè eſt philoſophandum, & ex ſufficienti diligentia ſemper concluditur non obligatio, quoties non invenitur.

Hinc, quod in ſequentibus clarè conſtabit, perſpicitur, in his caſibus, in quibus ceſſat obligatio, non ceſſare illam, ut quidam loquuntur, quia ſumus in dubio, & in dubio poſſidet libertas; quia ſi hoc valeret, nunquam conſcientia dubia obligaret: quod eſt falſum, & contrà omnes. Ceſſat ergo obligatio, quia tunc ex facta diligentia, & non inventione rectè concludimus vel legem non eſſe, vel ſi humana eſt, non fuiſſe ſatis promulgatam. Tu autem vide, & conſidera, non judicandi ſumus, quanto fundamento ſtatuas: ergo ſufficientem diligentiam feci: tantum quærere debui: tantum quæſivi. Pauci hoc tutò probabilitate etiam poſitiva, & non certitudinaliter dicere poſſunt.

Sequitur verò ex hac duplici quæſtione, dubia conſcientiæ non tutò ſemper ſolvi per hoc: *Theologum, vel Confeſſorem conſuli*, nec iſtam ſemper eſſe ſufficientem diligentiam. Etenim per hoc non ſemper habetur nec probabile quidem; nam nemo dicit, quemlibet Theologum, vel Confeſſorem facere probabile. Sed per probabile non ſatis, nec benè ſolvuntur. Ergo minus ſemper, & neceſſariò per dictum Theologi, vel Confeſſoris. Semper, inquam, & neceſſariò; nam poteſt quilibet Theologus, vel Confeſſor ſive in paucis, ſive in multis dare doctrinam bonam. Quinimò *lib. 1. quæſt. 7.* & aliàs oſtenſum eſt abſurdum potiùs eſſe, ullum privatum Doctorem conſtituere certam regulam rectitudinis morum, & non culpæ.

Ais, quid ergo pauperes in pagis agent, qui niſi Parochum non habent, ſi ejus dicto tuti non ſunt? Benè: vis ergo cujuslibet Parochi dictum ſufficere: nil ergo eſt, cur Epiſcopi teneantur bonos providere; nam cujuslibet dictum ſufficiet. Rurſùs ergo minùs quam probabile ſufficiet; nam nō omnis Parochus facit probabile. Iterùm; ergo

quilibet Paroolius eſt regula indefectibilis rectitudinis morum, & non culpæ: cujus rei abſurdas conſequentias vide *ea queſt. 7.* Jam itaque *part. 2.* tractabimus, quomodò omnes veritatem moralem invenire poſſint, item de quantitate diligentiæ. Nunc ſanè ego urbinm miſereor magis, quam oppidorum, in qnibus & pauciora ſunt pericula errandi, & ſi minus habent doctrinæ veræ, minùs etiam habent falſæ.

QUÆSTIO VII.

Utrum dubia conſcientiæ rectè ſolvantur per intellectum practicum, & per praxim, atque experientiam?

§. I.

Quid aliqui exiſtimare videantur?

INquam: quid aliqui exiſtimare, & ſibi perſoadere videantur maximè in praxi? ſcilicet quod Autores, & Doctores hoc circa docuerunt, veriſſimum eſt, quod etiam ſæpè memoravimus, & hic iterùm libabimus, ut ſciatur, quam nullius ſit Doctoris praxis contraria, ſed ultrò, & ſine fundamento uſurpata.

Sunt ergo, qui exiſtimare videntur; dubia conſcientiæ rectè ſolvi per intellectum practicum, intelligendo per hoc intellectum rationis particularis, & practicæ expertem, & dictamen quoddam, quod prudentiale appellant.

Ad hoc porrò plurimùm conferre exiſtimant praxim, & experientiam, qua ſæpè & ad conſultationes reſpondere, & confeſſiones audire, & abſolvere conſueverunt. Hinc, ut *lib. 1. queſt. 1.* notatum fuit, Doctores, qui parùm praxi ſtuduerunt, non ita idoneos habent, nimis ſcholaſticos vocant, atque aliis valdè inferioribus aliquando contra praxim, & uſum eorum quidquam contingat dicere, mox victorum ad inſtar objiciunt, ità loquentes non ſicut ipſos, praxi vacare. Magis ergo practicos peritiores etiam exiſtimant, quin credunt, adverſantes ejuſdem cum ipſis ſenſus, & opinionis futuros, ſi loco librorum, & ſpeculationum praxi incumberent.

Hoc ita ut crederent; cauſa fuit aliarum artium exemplum: Videmus quippe paſſim, in aliis artibus fermè totum momentum experientiam exiſtere, & nihil expertos ferè deſpici; atque uno verbo experientiam earum matrem extitiſſe, & genitricem. Hinc nata diſtinctio Theoricorum, & Practicorum. Hinc nullius praxis, & experientiæ Medico nemo ſe fidit, non chirurgo, non duci, non naotæ, non aurigæ, coquo, &c. quia experientia pars ſaltem maxima eſt. Hinc ergo eis nata eadem perſuaſio eſt artis directionis animarum, & morum: & credunt, eos meliùs deciſuros caſus conſcientiæ, tutiùs etiam adminiſtraturos ſacramentum pœnitentiæ, qui praxim plurimam habent: cæteros porrò vix non ineptos arbitrantur; & ſi quid exactè dicunt, tædet eos certitudinis, ut ex *queſt. 1.* ex Philoſopho, & D. Thoma declaratum fuit.

§. II.

Quid Doctores tradiderint, & quid ſit tenendum?

PRopoſui ſuperiùs Doctorum concordem, & unanimem ſententiam docentium, intellectum practicum ſemper debere concordare cum intellectu ſpeculativo, ſi ratio aliqua, vel circumſtantia particularis, (quæ ad praxim pertinet,) non occurrat variandi, & diſcordandi à judicio ſpeculativo; ſin minùs diſcordari temerè, & ſine cauſa, nec à peccato excuſare. Multorum etiam formalia verba ſuperiùs exhibui.

Dicendum eſt ergo, nullum dubium conſcientiæ rectè ſolvi per intellectum practicum omnis particularis rationis practicæ, vel circumſtantiæ expertem. Ratio ex dictis eſt manifeſta; quia dubium unicè ſolvitur inventione veritatis. Sed veritas priùs latens, & de qua dubitabatur, non invenitur, niſi occurrat ratio, vel circumſtantia particularis eam pro hoc caſu manifeſtans, & detegens. Ergo neque ſolvitur dubium, ſed latet veritas, ſicut priùs.

Sciendum eſt ergo, non ita rem habere, ut intellectus ſpecolativus ſit duntaxat intellectus; non autem intellectus practicus, ſed potentia aliqua cæca, & temeraria, quæ rebus quibuslibet aſſenſum præbeat. Intellectus itaque practicus eſt etiam intellectus; ergo eſt ad verum: nam hoc eſt de ratione intellectus omnis, ut eſt principiom, & negat nemo ſub his terminis. Ergo ſi veniat ad ipſum res dubia, & nibil particulare occurrit magis pro ita, quam non ita, ipſe etiam dubitabit.

Expono ex dictis. Intellectus practicus dubium ſolvit affirmando, vel negando; nam infrà affirmare, & negare ſolùm eſt dubitare, vel neſcire. Si affirmat, id ſibi verum videtur, ſi neget, id quod negat, falſum eſſe, & verè ſe negare, ſibi videtur. Ergo intellectui practico ſolventi dubium videtur, ſe veritatem inveniſſe. Mox quæſitos *cur*, non reſpondebit, *neſcio.* Non item reſpondebit, *per inſtinctum quemdam* & ſine *cur*, quod multipliciter oſtendi poteſt. Habet ergo ſemper cauſam particularem, quam reddat: alioqoi ore quidem reſolvemus, & ita aſſuetis fortè etiam videbitur, intellectum practicum affirmare, vel negare ipſe verò nec affirmat nec negat; ſed dubitat.

Confirmatur; quia intellectus practicus, & ſpeculativus unius non ſunt duo intellectus, & duæ potentiæ qoaſi diſparatæ, quarum una huc, & alia illuc reſpiciat velut aquilæ imperii, ſed ſunt una potentia diverſè conſiderata, relataque ad diverſa objecta ſecundum aliquid. Hinc patet, qnod nequit huic potentiæ ona, eademque res eodem modo occurrere, & intellectum ſpeculativum dubitare, & practicum non dubitare, ſed enuntiare, & affirmare.

Intellectus itaque ſpeculativus dici ſolet eſſe de re ſecundum ſe: practicus de re, ut ſubeſt circumſtantiis hic, & nonc ad particularem actum occurrentibus. Videntes aliqui, quod intellectus etiam ſpeculativus de multis etiam circumſtantiis judicat, nam in morali ipſa ſcientia tractatur de illis, *quis*, *quid ubi*, &c. ut liquet ex 3. *Ethicor.* noluerunt admittere hanc diſtinctionem de practico, & ſpeculativo, & quod intellectu ſpeculativo dubitante, vel aliud opinante, poſſit intelle-

tellectus practicus vol non dubitare, vel contrariè etiam opinari, at communiter aſſeritur.

Cæterùm rectè intelligendo utrorumque intentio eſt legitima. In comperto eſt, intellectum ſpeculativum eſſe univerſalium, & de univerſalibus; & hujus intellectus ſunt opiniones ſcholarum, & librorum: quæ etiam ipſæ, & ſcientiæ practicæ ſunt, & propter agere; tamen quia remotius ſe habent, & operari eſt in particulari, idcircò comparativè ad magis practicum ſpeculativæ, ut ipſe quoque intellectus appellantur. Has rationes univerſales comitantur etiam ſuæ circunſtantiæ, quæ plerumque, vel ſemper rei inſunt. Et has utique circumſtantias conſiderat, & perpendit intellectus ſpeculativus, & etiam ſcientia, ut patet ex ipſa.

Sunt porrò aliæ circumſtantiæ, quæ nec ſemper, nec plerunque rei inſunt: & iſtæ præter ſcientiam, & ſpeculationem, & ſic etiam præter intellectum ſpeculativum accidunt, Quandò autem in particulari operaturi ſumus, tenemur videre, an adſit hujusmodi aliqua circumſtantia, & id videmus per ipſum intellectum, qui ſpeculatus eſt; ſed is ipſe, quatenùs ad iſta ſingularia videnda tranſit, appellatur practicus: & ſic quoque intelligi poteſt axioma dicens, intellectum extenſione fieri practicum.

Hinc non alius intellectus dubitat, & alius eo dubitante determinat, ſed idem ipſe ſine aliqua incidenti, & accidenti circumſtantia dubitat; & ſub illa determinat: & ſic diverſimodè ſumptus practicus, vel ſpeculativus vocatur. Dubito ego, an iter facientes teneātur jejunare, vel etiam affirmo: iter facio mox cum aliquo, quem video extraordinariè pati; & propter hoc particulare eum ab obligatione libero; & ita in aliis, quæ ſunt obvia.

Patet autem ex omnibus, prorsùs eſſe impoſſibile, quod intellectus practicus ſine ulla particulari cauſa, & ratione ſolvat ullum dubium conſcientiæ; & ore quidem fiet ſolutio, non corde; nam cor vel neſcit, vel dubitat, vel ſi jam affirmat, id verum habet.

§. III.

Ergo neque per praxim, & experientiam ſolvi poſſunt dubia conſcientiæ.

LOquor de dubiis conſcientiæ de peccato, vel non peccato; vel de majori, aut minori peccato. Et infero dubia iſta non ſolvi per puram praxim, vel experientiam. Ratio ſemper eſt eadem & ut opinor invicta: quia ſcilicet dubium unicè ſolvitur per inventionem veritatis: praxis, & experientia nulla eſt inventio veritatis in re noſtra, neque eam fundat. Ergo, &c,

Minor oſtenditur, quod & *lib.* 1. breviter tetigi. Nam praxis multa, & experientia reſolvendi caſus conſcientiæ, vel adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ operationis quidem factæ eſt experientia; rectè autem, vel non rectè factæ nulla eſt experientia: nec praxis. Quarè praxis, & experientia quoad præſens ſunt potiùs de ſubjecto non ſupponente.

Etenim non dubitamus, an in caſu reſtitutionis poſſit caſus reſolvi affirmativè, vel negativè; & an ſic diſpoſitus, aut ſine reſtituendi, vel non ablata occaſione poſſit pœnitens abſolvi? ſcimus omnes, & eum abſolvi poſſe, & caſum utrolibet decidi. Dubitatio ergo non de hoc eſt, ſed de rectè facto, vel faciendo. Sed de hoc nulla eſt praxis, & neque experientia. Ergo quoad præſens praxis & experientia ſunt potiùs de ſubjecto non ſupponente, & hæ experientiæ in futurum, ſervantur.

Tu itaque multos hujusmodi caſus negativè reſolviſti; plurimos in hac occaſione, & ſine hac reſtitutione abſolviſti, & multa eſt tibi praxis, & experientia. Habeo. Quid verò indè? Proba quæſo rectè factum. Fortè dicas: quidquid ego facio, rectè factum eſt: ſed hoc ego ita ſæpè feci: ergo, &c; Et ego dico: hæc non magna humilitas eſt. Hæc ergo relinquenda ſunt, & de rectè facto, vel non facto per ipſam doctrinam, & ſcientiam judicandum. Non ergo dubia ſolvenvenda per praxim, & experientiam.

Hinc porrò patet, quam ſit alia ratio reliquarum artium; in quibus videlicet ſub experientiam cadit rectitudo, vel error ipſarum, aut profeſſorum. Adhibet medicamenta Medicus; ægrum ſic, vel aliter curat: experitur effectus, an æger meliùs habuerit, an obierit; ideò multis experientiis elicitur ars. Idem videas in nauta, in duce, in chirurgo, & cæteris.

Non ita eſt in arte conſcientiæ quoad præſens; nam quoad alia etiam confert experientia. Inquam, quoad præſens de peccato, vel non peccato, & de tànto, vel quanto; nam rectitudo, vel error operationis latet ſenſus. De obligas à reſtitutione, cum deberet reſtitui; contingere poteſt & te peccare, & ipſum etiam debitorem deceptum; jam quippe conſtitutum fuit, & latius *part.* 2. dicetur, nullum privatum Doctorem eſſe regulam certam, & infallibilem rectitudinis morum. Contingere ergo poteſt, ut dixi, & te, & debitorem te ſequendo peccare. Error ſanè accidit, & peccatum, quod tamen experti non eſtis. In abſolutione ſacramentali idem cernitur; contingit, eam dari nulliter: jam gratia, vel non gratia ſub experientiam non cadit: neque proinde valor, vel non valor ſacramenti. Ergo per inconſiderationem, quod in artibus aliis cernitur, adductum, translatumque eſt ad præſens.

Quinimò quod ex Ariſtotele 1. *Rhetor.* aliàs fuſiùs aſſero, praxis eſt multò periculoſior, & incertior ſpeculatione, per quam proindè praxis dirigenda eſt, & non vice verſa. Docet ille, quantum fieri poteſt, per leges eſſe determinandum, & quam minimùm relinquendum judicibus. Probat; quia qui leges condunt, pauci ſunt: qui autem judicant, plurimi: faciliùs eſt paucos, quam multos invenire prudentes, & ſapientes. Rursùs quia leges ſunt de univerſalibus, & ita de abſentibus etiam, & futuris: & ſic locum non habent amor, & odium, & timor, & aliæ affectiones: contra verò judicia fiunt in particulari, ubi amor, & odium, & timor, & verecundia, & aliæ affectiones locum habent, quæ judicium rationis, & veritatis valdè perturbant: & fallimur prorsùs ultrò, ſi ab his humanis paſſionibus nos liberos, & integerrimos arbitramur, & quantum nos ubique fallat amor, ignoramus.

Jam hæ duæ rationes Philoſophi à fortiori probant de praxi reſolutionis caſuum, & adminiſtrationis ſacramentorum. O quàm ſanè eſt difficile dicere *non*, contriſtari amicum, potenti reſiſtere, abſolutionem negare.

Nec difficultatem nobis etiam ſilentibus facta

Digitized by Google

ipſa loquuntur. Raro primùm videas abſolutionem negari. Omnes, inquis, veniunt rectè diſpoſiti. Velit utinam Deus. Quod ad caſus attinet, ſæpè ſi pars hæc conſilium petat, pro ea reſolvitur; ſi veniſſet contraria, eidem obſecutum fuiſſet, & rari non inveniunt, quod volunt, & quærunt. Hæc ſanè, & alia monſtrant, quam ſit res iſta difficilis magis multò, quam in judiciis: nam & familiariùs, & breviùs, & occultiùs expediuntur conſilia, quam judicia; & propter cauſas alias,

---

QUÆSTIO VIII.

Vtrum ergo in dubiis tutior pars ſit eligenda.

§. I.

Senſus quæſtionis, & argumenta pro parte negativa.

POſitum eſt, dubium propriè conſiſtere inæqualitate rationum, vel autoritatum. Dubium porrò quoad præſens eſſe poteſt de peccato; vel de peccato majori, vel minori. Tutiorem partem eam cum communi ſententia vocamus, eam, inquam, contradictionis partem, in qua nullum eſſe poteſt peccatum; vel in qua ſolum minus, ut ſi dubitares, vel dubium eſſet, an tenearis ad reſtituendum? planè certum eſt, te reſtituendo non peccare. Similiter dubium eſt an tenearis die feſto adeſſe ægroto, an audire ſacrum? Minus peccatum eſt ſecundum ſe violare præceptum Eccleſiæ de audiendo ſacro, quam præceptum charitatis: ideò pars tutior eſt, adeſſe ægroto.

Aliqui Autores diſtinguunt, ac diverſo modo reſolvere videntur in dubio facti, & in dubio juris, in quos acriter agit Vaſquez 1. 2. *diſp.* 65. Nobis verò viſum eſt ab his differentiis præſcindendo eam in hac quæſtione viam tenere, in qua cum omnibus videamur convenire.

Videtur ergo, nullam eſſe obligationem eligendi partem tutiorem; nam ſi hæc obligatio proveniret ex jure Canonico, ſive ex jure naturæ, ſive divino, ſunt alia jura, ac aliæ regulæ, per quas eliditur: eſt enim regula de favendo in dubiis poſſeſſori, reo, & aliæ: hæ autem regulæ de poſſeſſore, reo, & de ſtringendis odiis in omni fermè dubio locum habere videntur; in omni ſcilicet caſu eſt pro una parte poſſeſſio, vel ratio aliqua rei, & in alia odium. Ergo in nullo dubio, vel ferè nullo ſumus extra has omnes regulas: ergo nunquam, vel ferè nunquam in obligatione eligendi partem tutiorem. Ea verò quæ nunquam, vel ferè nunquam contingunt, parum pertinent, & vix interſunt ad conſiderationem ſcientiæ Moralis.

Secundò, quia in dubio ſaltem juris, ſemper, vel ferè ſemper ſunt opiniones: at inter opiniones, & opinata licet ſequi quamlibet partem, nec tenemur ad tutiorem: ergo. Tertiò, quia vel frequenter occurrunt hæc dubia, vel rarò, vel nunquam? ſi nunquam? quæſtio eſt de ſubjecto non ſupponente. Si rarò? quæſtio eſt nullius momenti, & quæ rarò contingunt, præter ſcientiam, ac diſciplinam ſunt. Si frequenter? ergo frequenter durior pars venit eligenda: hoc autem eſſet nimium onus; non verò ſuave jugum Chriſti.

Quartò allegari poſſunt caſus particulares: dubitans de emiſſione voti non tenetur ad votum: & tamen hæc erat pars tutior: ſimiliter non tenetur recitare, qui habens tenue beneficium dubitat, an teneatur: & ſic in aliis: omnium porrò eadem videtur ratio, ut decurſu conſtabit: ergò in nullo dubio tenemur ad partem tutiorem.

Quintò, quia non eſt, unde proveniat hæc obligatio; maximè enim illam quidam fundant in jure Canonico, ut *in cap. ad audientiam*; *in cap. ſignificaſti* 2. *& cap. petitio tua* de homicidio; & in Clement. *exivi* de verb. ſignif. ac ſimilibus. Ad hæc porrò jura reſponſio facilis ea videtur aliquorum dicentium, ea intelligi de conſilio, & ad melius eſſe; non autem de præcepto: & item ea intelligi, ac valere ſolùm pro caſibus contentis in ipſis: item intelligi ſolùm in dubio facti; non autem juris. Nulla ergo origo certa eſt obligationis univerſalis, ſemper in dubio eligendi partem tutiorem.

Omitto porrò paucos quoſdam, quos ſatis ſuprà rejecimus, qui contra omnes objiciunt, hanc quæſtionem eſſe de ſubjecto non ſupponente: nulla enim eſt pars tutior; quia in nulla eſt periculum peccandi. Imò pars benignior videtur ſemper tutior; nam pars obligans v. g. ad attentionem in recitando officio, multorum peccatorum ſaltem venialium periculum magnum ponit: pars oppoſita liberat ab omnibus. Ergo regula juris, in dubiis tutior pars eſt eligenda, potiùs hæc erit, in dubiis eſt eligenda pars benignior, pars liberans, & abſolvens.

Hoc inquam, quod jocus videtur, in præſentia omittimus.

§. II.

Quid tenendum?

TUm ut procedamus utiliùs, tum ut Autorum ſenſum certiùs habeamus, viſum eſt non accipere dubium quaſi in ſe, ſed quoad nos, & in ordine ad operantem, & conſulentem: eſt enim omne objectivum dubium ſic accipere, omnique illi correſpondet dubium formale, ſeu dubium in intellectu.

Jam ergo communis Autorum omnium, & vera ſententia eſt, in dubio practico, ſeu quoties quis practicè dubitat, tutiorem partem eſſe eligendam: ſi ſecùs fiat, peccari in eadem ſpecie peccati, in qua ſi obligatio illa certò conſtaret, peccaretur. Quoties verò dubium eſt ſpeculativum, diſtingunt, vel adeſt cauſa rationabilis diſcordandi in judicio practico, vel non adeſt? ſi adeſt, jam objectum deſinit eſſe dubium; non ſumus in caſu, Vel nulla talis cauſa adeſt? Et tunc dicunt, teneri nos ad concordandum in judicio practico cum judicio ſpeculativo. Et ſic, quoties ſolùm ſumus in dubiis, tenemur ad partem tutiorem. Atque hæc ſententia ſub his terminis eſt communiſſimè recepta, licet in aliis facilè convertibilibus, vel connexis ſint plurimæ contradictiones.

Autores extant apud Salas *trium.* 8. *diſp. un. ſect.* 16. *num.* 143. apud Vaſq. 1. 2. *diſp.* 65. *&* 66. Imò Vaſq. *diſp.* 66. *cap.* 3. in dubio tam facti, quàm ſimiliter juris tam certum putat, eligendam partem

tem tutiorem, ut abſque controverſia id ita eſſe debere exiſtimet, & tam commune, ut nullum eatenùs ex ſcriptoribus ſcholaſticis ſe inveniſſe, conteſtetur, qui oppoſitum aſſerat. Authores hac in re ſunt obvii tractantes de conſcientia dubia.

Probant verò hanc ſententiam. Primò ex Apoſt. *ad Rom. 14. omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Omittimus hîc expoſitionem frequentem Auguſtini de fide propriè tali ſatis ipſi Apoſtolo conformem ingeminanti toties, juſtum ex fide vivere, agentique de fide, qua Deo creditur. Iam alii eo in loco per fidem intelligunt conſcientiam: at operari ex conſcientia dubia non eſt operari ex conſcientia, quod actio non ſit peccaminoſa? nam conſcientia dubia æqualiter eſt de peccato, & non peccato; non autem eſt conſcientia de non peccato. Confirmant, quia qui ſic dubius operatur, videtur præceptum devorare. Rursùs quia videtur illud parvi pendere.

Secundò probant ex 3. *Eccl. qui amat periculum, peribit in illo*: amat autem periculum, qui abſque ulla nec certa, nec probabili quidem ratione, temere, ac voluntariè ſe exponit periculo vel peccandi, vel violandi legem.

Tertiò, quia actus, ut ſit bonus, debet tendere in bonitatem aliquam objectivam; & ſic conformari alicui regulæ bonitatis: conſcientia porrò dubia non magis eſt de bono: quam malo; nec bonitatis n[illegible] malitia: Confirmantur; quia nullum tunc præcederet dictamen prudentiæ.

Quartò afferunt legem amicitiæ, quæ poſtulat, ut abſtineas, non ſolùm ab iis quibus certò ſcis, amicum offendendum; ſed quibus dubitas an ſit offendendus. Ergo à fortiori id poſtulabit lex amicitiæ cum Deo,

Atque hæc ferè omnes allegant, etiam ii, qui uſum quarumlibet opinionum probabilium licitum dicunt. Nam alii addunt alia multa, tum ea jura, quæ in argumentis propoſita ſunt, tum alia.

§. III.

Reflexio ad opiniones æqualiter, & minùs probabiles.

HÆc certè omnia veriſſima ſunt. Verùm ſi in æqualitate opinionum, ac probabilitatum tutiorem partem non tenemur ſequi, quin etiam in earum inæqualitate licet ſequi minus probabile, & minus tutum, videntur omninò nulla eſſe.

Ecce enim dicit quis, vel nullum unquam eſſe dubium practicum, quia illud per ſe ipſum abſque omni alia diligentia deponitur; vel ſi quod eſt, nullum unquam eſſe peccatum eligere partem minus tutam, ſeu non tutam.

Quærit ſcilicet, an quidquam interſit, legem re ipſa, ac materialiter, ut vocant, violare; vel non? An item exponere ſe aliquem periculo talis violationis, ſit amare periculum, an non? Si negativè reſpondeatur: dicet: ergo rationes nuper adductæ nihil probant; ac proindè operans ſic cum conſcientia dubia non peccat, nec ulli ſe exponit periculo, quod interſit: & ſi re ipſa legem violaverit, erit violatio ſolùm materialis. Sin autem affirmativè reſpondebitur: inſtabit, in æqualitate opinionum, & probabilitatum, idem omninò adeſſe periculum; nam per æqualitatem opinionum, ac probabilitatum non magis habetur, legem re ipſa non adeſſe, quam per conſcientiam practicè dubiam; imò per minus probabile habetur minus, quam per conſcientiam ſic dubiam, ut patet. At in æqualitate opinionum nullum eſt periculum non certè illud, quod qui amat, peribit in illo: non item ulla ratio offenſionis ac læſionis amicitiæ divinæ; non item ulla temeritas: nulla item devoratio præcepti formalis; nullus contemptus. Ergo nec in conſcientia dubia.

Præterea per æqualitatem opinionum, ac probabilitatum ſolùm habetur regula operandi, quæ ex ſe non habeat magis conformari, quam difformari legi v. gr. in materia jejunii re ipſa exiſtenti, ut conſtat: & in minus probabili habet magis potiùs diſcordare. Et tamen hæc regula ſic indifferens dicitur ſufficere ad honeſtatem. Ergo regula ſic indifferens ſufficit ad honeſtatem. At conſcientia practicè dubia eſt ita indifferens, nec aliud mali habet, quam iſtam indifferentiam. Ergo ſufficit, ſicut in conſcientia dubia caſuale omnc omninò erit conformari legi re ipſa exiſtenti, & fortè operans conformabitur, & fortè non conformabitur: ita prorsùs eſt in æqualitate opinionum, & probabilitatum, ut *ſuprà* magis fuit declaratum.

Aſſumet verò in ſuffragium & ſuavitatem jugi Chriſti; & magnam Dei miſericordiam; reſtrictionem odiorum, atque hoc genus cetera. Negabit autem ſe teneri ad ullam diligentiam, contra quam omnes obligant: negabit ullam aliam, dubii deponendi cauſam eſſe neceſſariam præter ipſum dubitare. Nam ita, inquit, vos diciris, quoties æqualitas opinionum, ac probabilitatum habetur: imò & quandò habetur minus. At in conſcientia dubia non plus eſt periculi, ſi de violatione materiali ſit ſermo: ſi de formali inſtetur: dicit de hoc eſſe quæſtionem: & ipſe eam negat, quoties ſumus in dubiis: nam in dubiis habetur æqualitas pro lege, & non lege, & lex propriè loquendo nec eſt, nec non eſt in conſcientia: in eodem porrò eſt ſtatu in æqualitate opinionum. Utrobique ergo par ratio, par prudentia; par temeritas, vel non temeritas.

§. IV.

In omni ergo æqualitate pars tutior eligenda.

VNdecumque ergo æqualitas proveniat, videtur, nos ſemper obligatos eſſe ad tutiorem partem in omni caſu æqualitatis: intelligo autem ipſo extante, & ut dici ſolet, in ſenſu compoſito. Ideò in terminis etiam de æqualitate opinionum tenent hanc doctrinam multi apud Tannerum *diſp. 2. qu. 4. dub. 3.* ſcilicet Henricus, Adrianus, Conradus, Cajetanus, Sylveſter, Sotus, Corduba, Armilla, & ut addit, multi ſummiſtæ. Eamdem tradunt Comitulus, Blanius, Julius Mercorus, Fagnanus: nec conſideratis omnibus ſimul regulis abeſſe videtur Em. Pallavicinus, maximè verò, quia ut viſum eſt, non probabilitatem convenire poſſe utrique ſimul extremo contradictorio.

In aliis verò terminis de dubio eſt, ut vidimus, ſententia receptiſſima. Probatur primò, niſi fallor, ad verbum iis rationibus, quas omnes ponunt, ac breviter in quæſtione propoſuimus, quibus probant, qui eum practicè dubitat, teneri ad par-

rem tutiorem; nam illæ æqualiter probant in æqualitate opinionum; nec æqualitas, nec proindè dubium niſi per inæqualitatem tollitur, & nihil refert, ſi æqualibus libram vel auri, vel ferri addas.

Secundò, quia nemo eſt, qui in multis ſaltem caſibus æqualitatis, ut ſi Titius, ac Sempronius æqualia jura, & rationes pro fundo habent, ac neuter poſſidet, non obliget ad partem tutiorem. Sed omnium æqualitatum eadem eſt ratio in ſenſu compoſito, licet aliæ aliis facilius inæqualizentur, ut ex præcedentibus quæſtionibus liquet. Quod rursùs conſtat ex toto opere: quia in nulla æqualitate eſt vel credere, vel opinari, vel ullo modo affirmare, vel negare alterum extremum determinatè: ergo ſolum eſt dubitare, vel aliquid hujuſmodi. Sed in omni dubitatione in ſenſu compoſito dubitationis eligenda eſt pars tutior juxta omnes; nam peccatur, niſi deponatur dubium.

Tertiò, quia omnes regulæ, & doctrinæ juris de dubiis permittentes partem minus tutam ſupponunt hanc doctrinam; nam omnes illæ vel ſupponunt aliquid, vel ponunt, & inducunt aliquid, per quod tollatur æqualitas, ut *quæſt. ſequentibus* innoteſcet.

Quartò, quia aliqua æqualitas pro, & contra legem obligat ad partem tutiorem. Ergo omnis. Probatur conſecutio; quia aliqua æqualitas, pro & contra legem ideò obligat, quia eſt æqualitas pro vero, & falſo, nec habetur magis legem non eſſe, quam eſſe. Sed in omni æqualitate eſt ita.

Quintò, quia ſi ergo habens æquales cauſas affirmandi, in hac quæſtione, *an re ipſa hic, & nunc detur lex, & voluntas Dei, qua velit, me rem iſtam non facere*, rem illam facio, virtualiter ſaltem dico, ſive velit Deus, ſive nolit, volo eam facere. Hoc autem eſt peccatum, ut patet.

Declaratur: nam omnis deliberatè, ac honeſtè operans habet juſtam defenſionem ſuæ operationis. Qui autem in propoſito caſu operatur, nullam habet. Quæſitus enim, cur operatus ſit, cum neſciret intereà, an operatio eſſet contra legem, vel non eſſet reſpondeat, neceſſe eſt, vel ſe, id parum curaſſe, an eſſet, vel non eſſet lex prohibens: quod planè eſt nefas: vel ſiquidem ipſe neſciebat, hoc ipſo eam legem non eſſe: hoc autem eſt inſufficiens: nam ſupponit hanc plerumque falſam propoſitionem univerſalem: *ego ſcio univerſam legem*: & deinde jam hoc pacto ceſſat æqualitas, & tollitur dubium, nec ſumus in caſu. Vel denique reſpondebit, legem hoc ipſo, quod non conſtet, ſed in ea æqualitate, non obligare. Verùm hoc in primis eſt contra omnes: nam hac via omnis conſcientia practicè dubia deponi poſſet per ipſum dubitare. Et deindè, vel is, qui ſic reſponderet, fecit ſufficientem diligentiam, ut ſciret legem, vel non fecit? Si non fecit, inſufficiens, ac inepta defenſio juxta omnes. Si fecit, jam non ſumus in caſu, nec in æqualitate: qui enim facta ſufficienti diligentia legem non invenit per hoc ipſum habet vel convincens, vel magnum fundamentum de ejus non exiſtentia: & ſic tollitur æqualitas. Ergo extante æqualitate, ac in ejus ſenſu compoſito nulla eſt juxta defenſio in ſic operante. non ergo honeſtè operatur, damnabitúrque in extremo judicio.

Quoad ſufficientiam porrò diligentiæ, ut ſupra quoque dictum eſt, quiſque timere debet, ſe non feciſſe ſatis. Tum quia plerumque in ſtudio æternorum deficitur: tum quia veraciter ſcriptum eſt, *delicta quis intelligit*: item; *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum: ab occultis meis munda me*; ac multa alia, de quibus inferiùs.

Eſſet verò minùs apta defenſio, ſi per alios ita facientes ſeſe quis vellet juſtificare, & defendere. Ut enim omittam alia; hoc eſſet dolosè quærentium veritatem ex Auguſtino *in Pſal.* 35. (Nunc autem (*ait*) multi dulosè agunt, ut inveniant iniquitatem ſuam; id eſt, non ex animo agunt invenire, & odiſſe. Sed quia in ipſa inquiſitione dolus eſt, in inventione defenſio iniquitatis erit. Cum enim invenerit iniquitatem, ecce jam manifeſtum eſt illi, quia iniquitas eſt. Et ille, qui dolosè agebat, ut inveniret, jam invenit, & non odit. Quid enim dicit; Quam multi hoc faciunt? & quis hoc non facit? Et numquid omnes perditurus eſt Deus?)

Idem verò eſt, ſi in ea æqualitate conſtitutus, quærere negligas, quia alii vel pauci, vel multi ita faciunt; & dicas; quam multi non quærunt? & quis hoc non facit? *Dolosè ergo agebas, cum quæreres* (ſubdit Auguſtinus) *Verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere, ut benè ageret. Videtis, quia voluntati illud tribuit; quia ſunt homines, qui volunt intelligere, & non poſſunt: ſunt autem homines, qui noluut intelligere: ideo non intelligunt.*

Dicere autem, quoties eſt æqualitas, vel etiam minoritas opinionum; ac probabilitatum contradictoriarum, jam veritatem eſſe ininvenibilem, ac ſic dari ignorantiam invincibilem; eſt profectò multùm dicere; ac patet falſum eſſe ex dictis; ac in terminis oſtendetur *infrà*.

§. IV.

Ad argumenta.

EX his facilè removentur argumenta contraria. Ad primum breviter nunc dicitur regulam tutiori parte non elidi per illas alias regulas: hæ namque non ſunt de dubiis in ſenſu compoſito dubii, & æqualitatis, ſed in ſenſu diviſo, & auferendo æqualitatem, magis poſt pauca declarabitur ex communi ſenſu Theologorum: conſtabit ſimiliter caſus dubios eſſe ſatis frequentes ſaltem ex noſtro vitio.

Ad ſecundum jam dictum eſt, nihil intereſſe, ſive æqualitas ſit in opinionibus, & probabilitatibus; ſive in aliis rationibus, ac præter opinata. Ad tertium conſtat ex reſponſione ad primum. Quod autem de ſuavitate jugi Chriſti adducitur, primò removetur; quia ſimiliter ſcriptum eſt, *intrate per Anguſtam portam*: *propter verba labiorum tuorum cuſtodivi vias duras*; ac multa ſimilia: & hoc copiosè ſupra rejectum eſt, tractabitur infra de horum concordia, ac declarabitur, quibus, & undè ſit ſuave.

Ad quartum reſpondetur universè, omnes dubitantes teneri ad partem tutam; nam conſcientia dubia, rationabile dubium niſi per cauſam rationabilem nequit deponi. Qui ergo dubitat de emiſſione voti, vel rerum ſimilium aut obliviſci ſolet? & tunc tenetur ad votum, ſi cauſam rationabilem habuit dubitandi: vel obliviſci non ſolet? & tunc non tenetur; quia tunc non memoria eſt cauſa probabilis, ac rationabilis dubii ſolvendi: ac ſimiles circunſtantiæ examinandæ ſunt, ſemper in æqualitate tenetur. Ac eodem modo reſpondetur de habente tenue beneficium: videndum

dum enim, quid in ſimili materia fieri communiter ſoleat; & quandoquidem in lege poſitiva ſumus, tunc conſuetudo vim habet: at conſiderandum erat, an adſint omnes conditiones neceſſariæ ad faciendam conſuetudinem, quod huc non pertinet. Quod ſi dubitatio per authoritatem ſolvenda erit, dictum eſt, quæ quantaque authoritas ſequatur, nec ſufficit cujuſlibet dictum.

Ad quintum reſpondetur, obligationem ſequendi partem tutiorem in omni dubio naſci ex ipſo jure naturæ, ac etiam ex divino: quæ obligatio in jure canonico ſupponitur magis, quam inducitur: idcircò, ut mox magis conſtabit, dici non poteſt: vel eam ſolum eſſe de conſilio; vel ſin omni caſu non obligare, magis quam id dici poſſit de conſcientia practicè dubia.

QUÆSTIO IX.

Vnde ergo, & cur teneamur ad partem tutiorem in omni dubio?

§. I.

Ratio, cur teneamur

INdè, & ideò planè tenemur, undè & quarè in caſu conſcientiæ practicè dubiæ tenemur juxta omnes. Tenemur itaque primum ex ipſis rerum naturis; & ſic jure naturæ.

Scilicet ex ipſa rerum natura ſic comparati ſumus, ut lex Dei in ſe exiſtens, ac in ſe ſumpta ſit regula actuum noſtrorum; noſque ſimus quid regulandum, ac regulabile per illam. Atque idem de cæteris legibus eſt habendum, quæ vim in conſcientia obligandi, & ſub peccato propriè tali habent à divina lege dicente Domino, *qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*; id quod de omni genere ſuperiorum expreſſum extat in ſanctis libris, ut ſcitur.

Eſt itaq; lex Dei in ſe exiſtens regula humanorum actuum, licet applicatio, ac velut intimatio ejus fiat per rationem noſtram, quæ proinde etiam ipſa regula dicitur. Hinc legem illam in ſe quærere, & ſcire aliquo demùm modo tenemur juxta omnes. Hinc ſimiliter conſcientia eſt, ac dicitur vel ignorans, vel errans, in quantum hoc, vel illo modo ab illa diſcordat: & ſi ignorantia invincibilis non fuerit, à peccato non excuſat, ut ponunt omnes. Ex quibus, atque aliis obviis conſtat, legem Dei in ſe eſſe regulam, per quam eſt regulandus homo, ut etiam ponunt omnes.

Ex hoc certo principio infero nunc: ergo tenetur homo non ita ſe gerere in operando, ut æqualiter ſe habeat ad operandum juxta, & contra iſtam regulam. Hæc conſequentia conſtat univerſali inductione omnium artium, ac diſciplinarum: peccatur enim contra artem, quoties quis ita ſe gerit in operando, ut non habeat operari magis juxta, quam contra regulas, & præcepta artis, & omninò caſuale ſit conformari, vel diſcordare. Ideò in tali operante nulla eſt providentia, nec prudentia, nec conſilium; quia hæc locum non habent in caſualibus, & fortuitis, ut habetur in Ethicis. Hinc ſi fortè contingat, eum operari juxta artem, non meretur laudem ullam: nec item excuſationem, ſi contingat errare; & error eſt voluntarius, ac imputabilis: exponit item ſe periculo violationis: & per hoc ipſum peccat contra regulam. Tu intereà vide an conſultum ſit, ſolam hic regulam divinæ legis excipere, ac rerum naturas eo pretexta invertere; quoniam Dominus miſericors eſt.

Hoc ipſum cernitur in ipſa etiam ratione noſtra, quæ regula eſt; tamen minus principaliter, & ſolùm quia applicatio eſt divinæ voluntatis, ſeu legis. Quiſquis enim ſic ad eam ſe habet, ut non magis juxta eam, quam contra operetur, hoc ipſo contra eam operetur: ergo à fortiori ita erit in divina lege à qua habet illa vim obligandi, & regulandi. Similiter qui nihil curat ſcire legem, & ut ſibi occurrit: operatur, peccat in ipſam legem: nec excuſatur, licet caſu aliquando juxta eam operetur. Ergo tenetur homo non ita ſe gerere operando, ut æqualiter ſe habeat ad operandum juxta, & contra regulam divinæ legis. At ita ſe ſe habet in omni caſu æqualitatis rationum, vel opinionum, vel probabilitatum, ſi eligat partem minus tutam: & ſi pars hæc ſit minus probabilis, magis ſe habet ad operandum contra, ut ſatis conſtat ex dictis. Ergo.

§. II.

Gravis difficultas contra obligationem ſequendi tutius.

EX his ipſis, quæ nunc dicta ſunt, gravis profectò difficultas emergit contra iſtam obligationem ſequendi partem tutiorem: quæ tamen difficultas eamdem ſimiliter vim habet adverſus ſententiam ab ea obligatione liberantem.

Etenim utraque pars videtur vel relaxare, vel ſtringere divinam legem, contra, quam à Domino juſſum eſt Deuter. 4. *non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis*: & addentes, ac auferentes ſcribæ, & Phariſæi a Chriſto reprobati ſunt.

Nimirùm ex principio philoſophico de rebus caſualibus, & contingentibus, ea, quæ æqualiter, & contingenter ſe habent ad eſſe, & non eſſe, ferè neceſſe eſt, aliquoties eſſe, & aliquoties non eſſe, ut patet in ludis, & in purè contingentibus omnibus; ac ſimiliter, quæ indifferenter ſe habent ad duo, aliquoties juxta unum contingunt; & aliquoties juxta aliud. At omnes caſus dubii, & æqualitatis pro, & contra legem, æqualiter, & omninò contingenter ſe habent ad legem, & non legem. Ergo ferè neceſſe eſt: certè probabile opinabile eſt, partem tutiorem aliquoties juxta legem fore; aliquoties ſine lege, & citra legem fore: ac ſimiliter partem contrariam propter eamdem rationem. Et an toties, an pluries unaquæque pars juxta vel contra legem ſit omninò, neſcimus; ſicut in jactu talorum. Ergo utraque temerè: nam in caſibus omnibus indifferenter ſe habentibus ad legem, & non legem altera ſemper ponit legem, & obligationem: & altera ſemper tollit: quod tam temerè poſitum videtur, atque ſi quis in ludo puerorum ultrò ponat, ſemper projicienda caſtella; & alter ponat, ſemper projiciendos leones. Utraque præterea ſeſe exponit neceſſitati errandi. Utraque demùm aſſertio eſt neceſſariò falſa, vel ſemper ponens, vel ſemper tollens

lens obligationem; quæ re ipſa nec ſemper datur: & omnia hæc demùm regula ſunt per divinam legem in ſe re ipſa exiſtentem, vel non exiſtentem: illa enim eſt, cui prohibemur vel addere, vel detrahere.

Declaratur: nam utrsque hæc conſequentia eſt temeraria, & inepta: ego neſcio, & dubito, an Deus re ipſa velit, me hoc facere, vel non facere: ergo vult: & similiter: ergo non vult. Et ſimiliter ſi ſimus in opinionibus: ſunt opiniones, quarum altera dicit, Deum hoc velle; & altera negat: & neutrius veritatem ego ſcio: ergo vult: vel ſimiliter: ergo non vult. Sunt conſequentiæ vanæ, & ſine probatione, & accepta tota collectione caſuum utralibet earum eſt neceſſariò vel ſaltem probabiliter, & opinabiliter aliquoties vera, & aliquoties falſa: & utraque univerſaliter ſumpta falſa.

Hinc haud mirandum eſt, ſi alterutra pars alteram additionis, vel ablationis, & ſic relaxationis, vel incomportabilis jugi tantoperè ream dicat: videtur enim utraque accuſatio juſta.

Difficultas porrò etiam ad caſus conſcientiæ practicè dubiæ eodem modo accomodatur, in quibus tamen omnes obligant ad partem tutiorem. Rei autem gravitas ex eo palam conſtare videtur, quod quicumque ſciens vel unam ſolam legem Dei, aut adderet aut tolleret, committeret procul dubio graviſſimum nefas, & peccaret graviùs, quam ſi furtum, vel aliquod aliud ſimile peccatum committeret: incurrit enim crimen uſurpatæ juriſdictionis. Scitur verò in re noſtra, ferè neceſſariò ſequi additionem, vel ablationem, quæcumque ſententia eligatur. Unde conſtat, quam verè à D. Thoma dictum ſit, omnem de peccato mortali quæſtionem periculosè decidi, niſi expreſſè veritas habeatur. Quam item verè à Jacobo Apoſtolo præſcriptum ſit: *nolite plures fieri Magiſtri, fratres mei; ſcientes, quoniam majus judicium ſumitis.* Quid enim vel in hoc ſolo puncto dici poteſt ſine periculo additionis, vel ablationis, atque adeò peccandi? Legibus quippè, ac regulis, quas Deus glorioſus noſtræ imbecillitatis; noſtræ nec non neceſſitatis, atque adjutorii ſuì ſatis conſcius tamquam ſapientiſſimus Medicus infinito conſilio re ipſa dedit, atque præſcripſit, quidquam nos addere, vel detrahere, eſt profectò impudentius multò, ac ſceleſtius, quam ſi aliquo conſtituto in extremo mortis periculo inſignis caſu medicus adveniſſet, qui magnam vitæ ſpem daret, atque eam totam eo reponente in quodam remedio; imperitus, aliquis illud vel additione, vel ablatione variaret.

§. III.

Reſpondetur ad difficultatem.

Fateor, me hac in parte deſtitutum eſſe regula infallibili vel ſcientifica, vel revelata, qua ſine metu, & periculo difficultatem clarè removeam: quæ tamen occurrunt, ſapientium judicio proponemus.

Videtur ergo in primis ea non obſtante, tenendam eſſe firmiter datam doctrinam de eligenda parte tutiori in omni caſu dubii in ſenſu compoſito: id eſt, quoties cauſa rationabilis non additur, per quam ſolvatur dubitatio; per inventionem veritatis: cum hæc ſit communis ſententia ac factis ſationibus videatur eſſe manifeſta; maximè verò cum hæc inſurgens difficultas vim ſuam æqualiter habeat in conſcientia practicè dubia, quæ tamen evidenter obligat ad tutius.

Reſpondeo itaque primùm ſolutione probabili ſumpta ex iis, quæ ut in plurimùm, & ſemper contingunt. Nimirùm nos ut in plurimum, ac ferè ſemper diſcordamus à principiis naturalibus, ac revelatis Moralis Doctrinæ, non quidem per exceſſum, ſed per defectum: ad tria enim univerſa Chriſtiana diſciplina revocatur, ſcilicet ad modum, quo quis ſe gerit erga Deum; & erga ſe: & erga proximum: & omnes omninò caſus conſcientiæ ac dubitationes ad hæc tria revocantur. Pro his habemus Chriſtiani principium univerſale de dilectione Dei, & proximi; ac in dilectione Dei clauditur etiam modus, quo quis erga ſe gerere debet; ut ex Auguſtino dicetur infrà. Habemus etiam ſaltem pro proximis illud univerſale principium; quod tibi non vis, alteri ne feceris: quod caſus omnes de bello, pace; de Rege, & ſubdito: contractus omnes, ac humana ferè omnia complectitur. Habemus ſimiliter Chriſtiani alia univerſaliſſima principia convertibilia cum primo de imitatione Chriſti, de tollenda cruce, de abnegatione, de quærendo primùm regno Dei, & alia de quibus dicetur *part.* 2.

Nos ut plurimùm, ac ferè ſemper ab iis principiis deficere, videtur certum: quod certè haud eſt probatu difficile: & ex defectu in principiis naſcitur neceſſario defectus in concluſionibus. Ergo periculum eſt probabile, ne deficiamus laxando, & auferendo: non autem ſtringendo, & addendo. Dicamus clariùs: periculum probabile eſt, ne vel in judicando, vel in gubernando, vel in contrahendo, in vendendo, & ſic in aliis, in dilectione proximi deficiamus: non autem ne excedamus: & ut in plurimùm deficitur. Ergo in omni dubio ad partem tutam obligando nullum fundatum periculum videmur incurrere additionis: imò additionem facimus regulam probabilem tenendo ſumptam ex iis, quæ plerumque contingunt: in contrario autem eſt periculum probabile auferendi.

In hoc reſpondendi modo non videmur periclitari: nam ſequimur ubi aliud certius principium deeſt, regulam Moralis Philoſophiæ dicendi ex communiter contingentibus: item alias illas regulas, quibus Philoſophus *lib.* 2. *c.* 9. uſus eſt in magna illa difficultate inveniendi medium virtutum, quod inter extrema ferè latet: *Iraſci quidem, & dare argentum, ſumptuſve facere, cujuslibet* (inquit) *eſt, & facile: ſed cui, quantum, & quomodo, & cujus gratia oportet, eſt perrarum, & laudabile, & perpulchrum.* Docet ergo, primùm quidem *à magis contrario diſcedere*: extremorum enim altero magis, altero minus delinquitur. *Cum igitur conſequi medium ſummè ſit difficile, ſecunda, ut inquiunt, navigatione minima malorum ſunt capienda.* Præterea conſiderare oportet, *ad quæ ſumus natura propenſiores: atque nos ipſos in contrarium oportet retrahere.* Tertiò demùm præſcribit: *in univerſis autem cavendum eſt maximè à voluptate.*

Videntur omnes hæ tres regulæ datam à nobis doctrinam ſtabilire: nam in re noſtra à medio plerumque diſceditur per ablationem: ſumus deindè natura inclinati ad contraria iis, quæ Chriſtus præſcripſit: ſunt denique contraria magis ſecundum voluptatem, qualia ſunt voluptas

ipſa

ipſa, divitiæ, honor, ac humana cuncta. Cum ergn in omni dubio de lege nec lex nobis conſtet, necnon lex, debemus in partem legis declinare.

Id quod etiam ea confirmant, quæ contra hæreſes alias protulimus: illæ enim plerumque laxiores ſunt, quam religio orthodoxa: cum autem tam arcta illa via ſit, quam Chriſtus inſtituit, periculum eſt ab ea diſcedendi per defectum: quare hæreſes potius, quæ omnia ferè, quæ oneris ſunt, adimunt, præſumendum eſt à vero Chriſti inſtituto deficere.

Nec noſtrum eſt, ſed ipſius Dei legislatoris conſiderare imbecillitarem, neceſſitatem, vireſque noſtras, nec hoc eſt aptum principium opinandi: ipſe novit figmentum noſtrum, & ad nos ſolum attinet, ejus ſanctam legem diligenrer quærere; ac in dubio ad ipſam inclinare. Nihil enim ſumus, nihilque poſſumus ſine ipſo: at omnia poſſum, inquit Paulus, in eo, qui me confirmat: atque nos cum Deo nihil non poſſe, ac velut alios Deos eſſe, ſanctè, ſapienterque tradit vir ille magnus Avila. Quæ omnia firmat, & metum nobis adimit, quod ex *fel. rec. Alex. VII.* propoſuimus *lib. 1. q.* 1. Item metum adimit ſanctorum Patrum Doctrina, qui plerumque ſeveri ſunt, & ſtricti. Denique Prophetæ à Deo miſſi confirmant eodem modo, qui duri, id eſt, non hilares, extiterunt, neque placuerunt.

§. IV.

Alia via reſpondendi.

HActenus reſponſum eſt ſupponendo, vel tranſmittendo, caſus dubios eſſe in vita Chriſtiana frequentes; & de facto quidem ita videtur eſſe; cum frequens videatur opiniones utrinque contrarias, ac fermè æquales invenire: & prætereà ex indiligentia etiam id naſcitur noſtra in cognoſcenda lege: item ex tepore in ſtudio virtutum; tiam virtutes illuminant valdè, ac faciunt ea videre, quæ ſecundum ipſas ſunt, ut ex principiis tam Ethicis quam Chriſtianis conſtat; & ita habemus id honeſtum eſſe, quod viro probo videtur; id juſtum, id ſecundum caſtitatem, quod caſto, quod juſto videtur; & ſic in aliis. Ac denique habitus ipſi noſtri pravi in cauſa ſunt plurimarum dubitationum, & opinionum.

Quapropter dicendum videtur, per accidens eſſe, ac nobis voluntariam frequentiam dubitationum: per ſe verò loquendo, nullam eſſe circa jus naturæ, & divinum in obligatoriis: raram autem circa jus humanum. Quod dictum pendet ex tradendis infra; nam dicturi ſumus, legem naturalem, ac divinam ſemper eſſe invenibilem: ſive ejus ignorantia ſemper ſit culpabilis, ſive non; de quo ibi: humanam etiam eſſe invenibilem ſaltem plerumque: ergo quod ignorentur, vel de eis dubitetur, defectus noſter eſt. Quoties ergo dubitamus, directè obligamur ad quærendam rei veritatem, & ſolum indirectè ad tutiorem partem, ſcilicet ſi quærere nolimus; abſurdum autem eſt, ſi dubitans quærere nolit, & per hoc ipſum à lege liberetur: conſultum verò, quod ita indiligentes, ac negligentes onus hoc habeant partis tutioris eligendæ, ut ſic ad finem ipſius dubitationis, quæ à natura ipſa ad inveniendam veritatem injecta eſt, excitemur, cogamurque.

At ſi quis ſibi videtur ſatis quæſiviſſe, & tamen nihil certi invenit; dictum eſt ſupra, nos in eo plerumque deficere: ſi quis autem ita beatus erit, qui de omiſſione timere jure non debeat, is per ipſam non inventionem poterit dubitationem ſolvere.

Juvant prætereà in multis regulæ juris de rebus dubiis, quæ ſapienter conſtitutæ ſunt. Juvat demùm quorumdam illuſtriſſimorum Doctorum authoritas, eorum ſcilicet, qui plerumque veri inventi ſunt, nec in caſu particulari, de quo dubitatur, exceptionem particularem habent; quoties enim ab aliquo hujuſmodi, qui veri pauci ſunt, aliquid tractatum, aſſertumque invenitur, nec exceptionem habet vel novæ legis, vel realiſſimæ rationis de novo inventæ, aut excitatæ, nihil fermè amplius timere, vel dubitare licet, quàm videntes matrem aliquam timeamus, vel dubitemus, eam diligere filium niſi exceptionem aliquam realem habeamus juxta dicta de natura probabilium.

§. V.

Confirmatio totius datæ doctrinæ.

OMnis itaque de lege dubitans hunc expreſſè, vel ſaltem virtualiter actum habet, *fortè eſt lex hanc operationem prohibens*, ut ex dictis de natura dubitationis accipitur. Ut ergo ludentibus imputabilis eſt jactura, nec quandò in ludendo, ac perdendo peccant, excuſare ſe poſſunt dicendo, ſe neſciſſe, an eſſent perdituri; quia ſe exponere caſui, ac ſorti perdendi ſatis facit imputabilem jactutam, ſatiſque voluntariam. Sic in re noſtra nullus dubitans perſuaſus eſt legem non eſſe: nam ſic jam non dubitaret: ergo contra legem operans ſciens, ac volens caſualem facit violationem. Ergo ſi re ipſa violet, erit violatio imputabilis, ac voluntaria. Deinde ipſa illa temeritas operandi eſt peccatum: ac, ut dictum eſt, in omni ita operante adeſt expreſſè, vel virtualiter hæc voluntas: *ſive re ipſa violem legem, vel non violem, volo hoc facere.*

Præter hæc, quæ à jure ipſo naturæ dicta ſunt, obligatio ſequendi partem tutiorem tradita eſt etiam à jure divino: quod tamen dumtaxat delibabo. Etenim juſſi ſumus benè ſcire legem Dei, ac præcepta: item cuſtodire: item ubi dubitamus, quærere, orare ſcripturas ſcrutari: ac alia multa. Hæc autem, & ſimilia intelliguntur de lege, de præceptis, ac mandatis verè ſuis, & quæ re ipſa dedit, quæ re ipſa exiſtunt. Non vult ergo Deus, non caſualiter haberi in operando ad ſua mandata, legeſque re ipſa exiſtentes. Sic autem ſe habet omnis dubitans, ut oſtenſum. Alioqui nec ſcire, nec quærere tenemur, ſed ſufficeret fortè fortuna. Sed de his plura *lib. vult.*

Ex jure verò Canonico innumera congeſta ſunt à Merenda, Fagano ac aliis pro parte tutiori ſequenda. Allegantur inter alia textus ex *cap. juvenis de ſponſalibus. & ex Clement. exivi de verbor. ſignificat.* Sed hos ſaltem duos textus abs re adductos clarè, credo, demonſtratur ab Em. Pallavicino *diſp. 9. q. 4. n. 10. & 11.*

Aptiùs adducuntur alii ex *capt. ad audientiam*, ex *cap. ſignificaſti 2.* & ex *cap. petitio tua* de homicidio: qui, & alii textus non tam obligationem inducunt, de eligenda parte tuta, quam eam ex jure ipſo naturæ, ac divino jam inductam ſupponunt; aſſumitur

aſſumitur enim regula de parte tutiori: regulæ autem ſunt ex jure, non jus ex regulis: ut communiter, & rectè Canoniſtæ, ac Juriſtæ tenent. Quapropter hic omittam horum textuum vim declarare, id facturus *quæſt. ſequ.* in qua celebres aliquas doctrinæ de tutiori parte eligenda altercationes diſcutiam, & removebo.

QUÆSTIO X.

Utrum doctrina de tutiori parte teneat ſolùm de conſilio? vel ſolùm de dubio practico? vel ſolùm aliquandò, & non ſemper?

MIrum eſt profectò, quot, & quantæ reſtrictiones huic de tutiori parte eligenda doctrinæ factæ ſint, quot additæ limitationes. Nunc porrò de ipſa quaſi ſubſtantia doctrinæ confirmanda, deque reſtrictionibus eam ferè perimentibus dicendum duxi: atque poſt pauca de aliis limitationibus diſputabitur.

§. I.

Status quæſtionis.

AUthores itaque doctrinam de tuta parte eligenda tenentes, eam maximè conati ſunt ſtatuere ex jure Canonico, & ex *tit.* de homicidio voluntario, vel caſuali afferunt caput *ad audientiam*, caput *ſignificaſti* 2. & caput *petitio*, ut omittamus illa duo, alia ex *cap. Iuvenis* *de ſponſal.* & *ex Clement. exivi de verb. ſignif.* de quibus quid mihi videretur, dixi *quæſt. præc.*

Ergo *in cap. ad Audientiam* proponitur, quod cum Presbyter quidam vellet cingulo, quo cingi ſolebat, unum de familia corrigere, ac verberare, *contigit, quod cultellus, de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapſus eum in dorſo aliquantulum vulneraret.* Vixit is aliquandiù, & convaluit à vulnere; tamen alia (ut dicitur) graviori infirmitate percuſſus obijt. *Quia verò* (ſubdit Pontifex) *utrum occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium habetur, veſtræ diſcretioni duximus reſpondendum, quod cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in ſacris ordinibus non miniſtret.* Si verò ille ex alia infirmitate obierit, poterit.

Similis eſt caſus in *cap. ſignificaſti* 2. ubi quidam maleficus ornamenta Eccleſiæ rapiens dicitur à quodam presbytero percuſſus: mox Parochiani ſupervenientes gladiis, & fuſtibus eumdem peremerunt. Diſtinguit Pontifex: vel conſtat percuſſionem, illatam à Presbytero non fuiſſe lethalem? & tunc poterit miniſtrare, vel non conſtat, (nec diſcerni poteſt, ex cujus ictu percuſſus interiit? in hoc dubio tamquam homicida, haberi debet ſacerdos, & ſi fortè homicida non ſit à ſacerdotali officio abſtinere debet; cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temerè celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.)

In *cap. petitio* proponitur, quoſdam inimicos crucis Dominicæ invaſiſſe caſtrum quoddam: egreſſos habitatores & laïcos, & clericos ad defenſionem; atque in conflictu occiſos hinc inde quamplurimos: cuidam ergo metuenti, an irregularitatem incurriſſet, reſpondet Pontifex: *Mandamus, quatenùs ſi de interfectione cujuſquam tua conſcientia te remordet, à miniſterio altaris abſtineas reverenter, cum ſit conſultius, in hujuſmodi dubio abſtinere, quam temerè celebrare.* Dubium autem eſſe poterat, vel an quemquam occidiſſet? vel an etiam modum defenſionis exceſſiſſet? ut & ad finem capitis ad *Audientiam* ſimile dubium proponitur de exceſſu modi defenſionis.

§. II.

Quæſita ſolutiones ad iſta jura.

PRimò itaque reſpondant largiſſimè, has, & alias deciſiones intelligendas de dubio practico, ac de dubitante practicè, qui juxta omnes tenetur ad partem tutiorem.

Secundò reſpondent, has deciſiones intelligendas de his ſolùm caſibus, qui in eis continentur; non autem extendendaa ad alios, nec ad omnes.

Tertiò, quod ſecundæ reſponſionis fundamentum eſſe poteſt, aiunt, obligationem, in genere eligendæ partis tutioris eſſe tantum de conſilio: fundari quippe eam in quadam æquitare rationia naturalis; mox Gregorium huic naturali ęquitati, rationabilitatique innixum in caſibus propoſitis induxiſſe obligationem gravem; quæ proindè obligatio nec ad omnes, nec ad alios caſus eſt deducenda. Unde tenent, nec in aliis quidem caſibus irregularitatis niſi cauſa homicidii cenſendum quem, nec habendum irregularem in dubio ſaltem juris.

Fundamenta verò ſic hæc jura interpretandi, ac reſtringendi exhibet Sanchez *lib.* 1. *in Dec. c.* 10. *n.* 48. Primum eſt, quod omnia jura clamant, in dubio reum eſſe abſolvendum, & eſt *reg.* 11. *de reg. jur. in* 6. favendum reo, cum partium jura ſunt obſcura: ergo in dubio juris de irregularitate abſolvendus eſt reus: non autem in caſibus ſuprà propoſitis, in quibus novo jure contrarium ſancitum eſt. Et confirmatur: in foro exteriori, actore non probante, is, qui convenitur, etiam ſi nihil præſtiterit, debet abſolvi, ut dicitur *cap. unic. verbo cum enim ut Eccleſ. benef.* & aliàs: & hæc eſt conſuetudo Tribunalium: at utrumque forum convenit, quoties exteriùs ex falſa præſumptione non procedit; nec falſa præſumptio ulla eſt *in præſent.* Ergo ſimiliter in dubio tã juria; quam facti non eſt quia habendus irregularis in conſcientia. Ergo præmiſſæ illæ deciſiones de irregularitate nec ad alios quidem caſus irregularitatis ſunt protrahendæ: multò ergo minùs ad omne dubium in genere.

Præthereà ex *cap. is qui de ſentent. excommun. in* 6. ubi decernitur; irregularitatem non incurri ob caſus ſimiles, *cum id non ſit expreſſum in jure*: at in ſimilitudine caſuum habetur dubium juria: ergo in dubio juris non eſt quis irregularis.

Rurſùs ex Sanchez ſupra *n.* 42. quia textus adducti ſunt de dubio facti: non ſunt ergo extendendi ad dubium juris. Item quia non eſt ſimile de dubio juris, & facti; quia cauſa propriè efficiens, ac ponens irregularitatem non eſt factum, ſed jus propter factum: quare in dubio facti habemus cauſam certam, ex qua ponatur, ſcilicet jus; non autem in dubio juris, cum de jure ipſo dubitetur. Item, quia in pœnis ipſo jure inflictis, ut eſt irregularitas, in foro conſcientiæ reus ipſe eſt Judex; non ergo tenetur exequi pœnam in ſe ipſo, præſertim quia ſi alius eſſet Judex, ut in foro exteriori, utique

que ab eo abſolveretur, ut paulò ante dicebatur. In cujus rei confirmationem adde demùm, mitius, ſuaviúſque eſſe forum conſcientiæ, quam forum fori, & Tribunalium. Item jus dubium non eſſe ſatis promulgatum.

§. III.

Quid dicendum ad quæſtionem?

DIcendum eſt, in materia gravi, id eſt, ubi de præcepto, vel non præcepto dubitatur; vel ubi lex gravis eſt certa, & de facto dubitatur, nos de præcepto teneri, & ſemper teneri ad partem tutiorem, etiam in dubio ſpeculativo in ſenſu compoſito dubii. Eſt hæc ſententia communis, & Authores indicavimus in proximis quæſtionibus. Vaſquez autem 65. *cap.* 3. ego verò (ait) non ſolum exiſtimo abſque controverſia eſſe debere, quoties dubitatur, an ſit lex aliqua, an non, & ſolum agitur de periculo peccandi, eligendam eſſe partem tutiorem, in qua peccatum eſſe non poteſt, ſed etiam quando dubium eſt an votum fuerit emiſſum; ſanè in priori caſu nullum hactenus ex ſcriptoribus ſcholaſticis inveni, qui oppoſitum aſſerat. Hæc Vaſquez: videatur rem probans egregiè, & dubium juris, & facti æquiparans.

Dixi in dubio ſpeculativo in ſenſu compoſito; nam ſi dubium ſolutum eſt per inventionem veritatis, vel ad caſum, de quo agitur, dubium ſpeculativum non ſe extendi eo, quod caſus ob circunſtantiam aliquam, & exceptionem ſub dubio illo non comprehendatur, ad nihil obligare poteſt dubium illud, vel quia per ſolutionem ſublatum eſt quia ad rem non eſt, hic, & nunc; quia ſumus extra illud.

Concluſio poſita quoad utramque partem, ſcilicet de obligatione gravi, & de ſemper, clarè videtur deduci ex dictis quæſtionibus ſuperioribus. Videtur enim ea ad verbum probari iis rationibus quas, omnes ponunt de dubio practico, ac de dubitante practicè, ſi operetur, ſequatur partem inturam, quod ſcilicet exponat ſe quis periculo, ac proindè periturus ſit; quòd opereur temerè: item contra bonam legem amicitiæ; item non ex conſcientia, ac bona fide, & ſimilia, quæ vel nihil, vel grave peccatum in omni gravi materia, & quidem de ſemper concludunt: ſemper enim adſunt eædem formaliſſimæ rationes, ut eſt ſupra declaratum; ac oſtenſum prætereà, in omni eligente in dubio partem minus tutam; idemmet mali, ac periculi ſemper eſſe, atque in conſcientia practicè dubia: at hæc ſemper, & de gravi obligat ad partem tutiorem in omni materia gravi. Ergo.

Et certè quid ſibi velint adverſarii, vix apparet; nam ipſi ſignanter, & expreſsè conteſtatum, probatúmque habent, dubii ſpeculativi, & practici eamdem eſſe rationem, quoties non adeſt cauſa rationabilis cogens variare in judicio practico. Nimirum ſi cauſa adeſt ſolvens dubium ſpeculativum, non ſumus in caſu, nam non ſumus in dubio. Si item cauſa adeſt oſtendena, caſum particularem, de quo agitur, non eſſe comprehenſum ſub dubio ſpeculativo propter exceptionem aliquam, non ſumus ſimiliter in caſu; non enim in caſu dubii. Ergo ſi ſumus in caſu dubii ſpeculativi, nec hoc eſt ſublatum per inventionem veritaris: tenemur graviter, & ſemper ad partem tutiorem. Patet hoc ad hominem; nam tunc tenemur practicè ſimili modo dubitare. At dubitans practicè tenetur de gravi, & ſemper in omni gravi materia; nec eſt aliud dubium præter ſpeculativum, & practicum. Ergo in omni caſu dubio, id eſt, in omni caſu comprehenſo ſub dubio, in omni materia gravi tenemur de gravi & ſemper, ſive juris illud ſit, ſive facti.

§. IV.

Allata jura idem oſtendunt,

VIdetur planè in allatia *ſuprà* juribus ex *c. ad Audientiam* & *ex cap. ſignificari.* 2. & *ex cap. Petitio* de homicidio, ſupponi tanquam veram univerſalem doctrinam de eligenda parte tutiori in omni dubio, ac hujua rei gravem obligationem: violentáque videtur eorum textuum reſtrictio vel ad ſolos caſus ibi contentoa, vel ad ſolos caſus de dubio ſolùm facti, vel ad ſolos de irregularitate cauſa homicidii.

Et quidem ſuppono, quod adverſarii non negant, quoad caſus ſaltem contentos ibi tradi obligationem gravem: quod proindè opua non eſt, oſtendamus.

Jam argumentor ſic. Primò, quia ſi in propoſitis capitibus novum jus, novàve lex graviter obligans ſtatuitur, ad nullos alios caſus nec in dubio quidem facti, nec quoad irregularitatem cauſa homicidii eſſet extendenda hæc obligatio; quod conſtat, ex ipſis objectinnibus adverſariorum ex *cap. is qui* &c. non enim licet extendere ad caſus non expreſſos in jure: alii autem caſua irregularitatis, nec cauſa quidem homicidii, in illis capititibus exprimuntur: ergo non eſt extendenda obligatio. At extenditur ab ipſis etiam adverſariis. Nullum ergo novum jus, novàve lex ſtatuitur.

Secundò; quia in toto contextu eorum capitum nullùm eſt veſtigium novæ legis quod conſtat tum ex lectione ipſa; tum quia ipſi adverſarii nullam umbram novæ legis in illis invenerunt, nullam adduxerunt, ſed aliundè moti ſunt ad vim inferendam: cum tamen hoc nunquam liceat; potiùs enim cum jurium concordia neſcitur, fatendum eſt, neſciri, quam vis inferenda alterutris; quia ſi hæc ego torquen, quia alia videntur repugnare, eodem jure alter vice verſa illa alia alterabit, hæc intacta teneat. Declaro: clamant omnia jura reum in dubio eſſe abſolvendum: clamant ſimiliter, in dubio partem tutiorem eligendam. Ne priora illa violentur, tu quidem dicis, & interpretaris, poſteriora eſſe de coſilio, vel ſolùm in caſibus expreſſis: ergo eodem jure, ne poſteriora torqueantur, interpretor; priora ſolùm eſſe de conſilio, vel ſolùm in caſibus expreſſis in jure. Neutrum itaque licet, & quærenda eſt concordia vel concedenda neſcientia.

Tertiò, quia pars adverſa ipſo ſuo proceſſu oſtendit ſuam hujus concordiæ neſcientiam, ac ſic ſuorum fundamentorum inſufficientiam: nam illa adhuc tenet inconcordabilia, & cogitur aliam nobiſcum quærere concordandi viam. Tenet enim, doctrinam de tutiori parte etiam univerſaliter eſſe de conſilio, & huic univerſali rationabilitati innixum Gregorium in prædictis capitibus induxiſſe novam gravem obligationem quoad caſus illos dubios, vel etiã quoad omnes de irregularitate cauſa homicidii. Sed ecce iidem afferũt, nec proferunt doctrinam aliam univerſalem, quam rationi

valde conſentaneam dicunt, & benè dicunt, in dubio eſſe favendum reo, ut præſcribit regula juris: item abſolvendum actore non probante. At in propoſitis illis caſibus rei planè erant ij, quos damnat Pontifex.

Jam hinc habes, viam contrariam Pontificem ſe geſſiſſe juxta, & contra rationem: juxta quidem, quia innititur doctrinæ de tutiori parte; contra verò, quia contra aliam univerſalem doctrinam rationabilem damnat reum in dubio. Imò juxta adverſarios potius ſe geſſit contra rationem perpenſis omnibus; quia ipſi abſolutè præferunt in aliis caſibus doctrinam de abſolvendo reo. Habes ſimiliter, jam juxta adverſarios nec de conſilio quidem eſſe doctrinam de tutiori parte. Tum quia contradicit illi alteri, quam præferunt; tum quia forum exterius, ex quo ad interius arguunt, nec de conſilio tenatur condemnare in dubio.

Hinc denuò; quia Judices peccarent damnando reum in dubio; item proximus proximum condemnando: ac eamdem eſſe volunt rationem fori conſcientiæ imò hos dicunt mitius. Peccabimus ergo tutiorem partem eligendo.

Hæc ergo cum abſurda ſint, nec ita eſſe poſſint, liquet, eſſe proculdubiò aliam harum regularum concordiam: item haud ritè ex foro exteriori, & ex doctrina de reo, & pro reo moros adverſarios ad vim inferendam juribus præallegatis pro tutiori parte.

Itaque in ipſis ſincerè conſideratis conſpicitur, nullum in illis eſſe veſtigium novæ legis: conſpicitur, Pontificem in ius ſe geſſiſſe tamquam Doctorem: non ergo de nova condendâ lege tractavit: quin abſurdè videretur factum, in iis caſibus, in quorum uno cauſa acta erat defendendi ornamenta Eccleſiæ à raptore; in altero contra hoſtes crucis, & aggredientibus quidem conflictum, inquam abſurdè, ac irrationabiliter videretur factum, propter eos caſus, & ad eos, qui omni indulgentia digni erant, novam gravem legem irregularitatis inducere.

Conſpicitur, cauſam totam, qua motus fuit Pontifex fuiſſe doctrinam de tutiore, parte eligenda in dubio. Conſpicitur, quid de hac doctrina viſum ſit Pontifici; nam in *cap. ſignificaſti*, & *in cap. petitio* bis dicit, contra agere eſſe, *temere celebrare*, *temerè celebrare*; ac temerè celebrare peccatum eſt grave. Item in celebrando cum dubio *magnum periculum* ait, timori: at magnum periculum non eſſet, ſi ſolum eſſet periculum peccati parvi; item ipſo ceſſante à condenda nova lege ceſſabat periculum. Deindè ij, de quibus facta conſultatio, non contraxiſſent irregularitatem, nec dubium cum lex tunc non eſſet: at contraxerunt, vel erat dubium, ut patet. Deniique quia doctrinam univerſalem de tutiori parte ponit ſub terminis per ſe loquendo, & regulariter ſignificantibus obligationem gravem, ſcilicet, *debet*, & *debeamus*; quoties ſcilicet exceptio non conſtat ut ſumitur ex *Clement. attendentes de ſtatu Monach. & fatentur communiter authores*. Itaq; cum Pontifex tutiorem partem ponat ſub *debet*, contrarium ſub *temere*, ſub *magnum periculum*, niſi profectò placeat temerè opinari, conſtat, hanc in rebus quibuſque gravibus partem tutam eligendi obligationem gravem habitam à Gregorio. Quæ proindè eſt communiſſima Canoniſtarum: ſuntque alia jura ſuffragantia; ſed his ſatis, credo, confecta res eſt.

V.

Ad Argumenta.

AD primum ex nuper dictis conſtat, abs re, & contra omnes hîc adduci regulas, & doctrinas faventes reo uſumque Tribunalium. Quæ autem re ipſa ſit harum regularum concordia, declarabitur *ſeq. quæſt.*

Ad 4. quod pœna irregularitatis, vel excommunicationis non ſit extendenda ad caſus ſimiles in jure non expreſſos. Reſpondemus id primò æqualiter eſſe contra adverſarios. Deinde, non eſſe contra nos; nam non de caſibus ſimilibus tractamus, in quibus certum potiùs eſt, eam pœnam non incurri, ſed de dubiis. Ad ultimum dicimus, caſus eorum capitum eſſe quidem de dubio facti; at doctrinam eligendæ partis tutæ univerſalem, & de omni dubio, quod adducit, in dubio facti eſſe cauſam certam, ſcilicet jus; non autem in dubio juris. Habet primò inſtantiam manifeſtam in conſcientia practicè dubia de jure: Secundò jam ſublata cauſa non maneret obligatio, nec quidem concilii. Reſpondemus itaque jus dubium eſſe cauſam certam peccati tum ſe ſolo, tum quia adeſt illi præceptum certum univerſale de tutiori parte. Forum quidem conſcientiæ mitius eſt quoad pœnas; at exactius ſimul. Addebant, jus dubium non eſſe ſatis promulgatum. Sed de hujus rei falſitate dictum eſt ſuprà, & dicetur magis: & eliditur in conſcientia practicè dubia.

QUÆSTIO XI.

Utrum ſit, & qualis concordia regularum de tutiori; & de reo; item de interpretando dubia in meliorem partem?

§. I.

Videntur diſcordare.

HÆ, & aliæ rationis naturalis, ac juris regulæ, quæ ſeſe elidere videntur, plurimarum diviſionum, & confuſionum, ut partim viſum eſt, & deinceps etiam videbitur, origo fuere. Cum porrò hæ omnes regulæ ſe ipſis rationi conſentaneæ, ac veritate fundatæ videantur; veritas autem ſit inſignis planè res, & invicta, nec unquam ſecum pugnans, nulla ſanè earum eſt violanda, nec torquenda cedendo difficultatibus, ſed laborandum, ut ſingulæ intactæ, ac in loco ſuo ſerventur.

Videtur autem, regulam de tutiori parte, & regulam de favendo reo pugnare inter ſe tum propter illa, quæ *ſup. quæſt.* objecta ſunt; tum ad literam, quia in foro quocumque una partium ſemper eſt reus; & in foro quidem conſcientiæ homo eſt ſemper hæc pars, quam lex vult ad aliquid obligare, & obſtringere. At regula univerſalis eſt, quod in omni dubio favendum eſt reo: Per hoc ergo ſolvitur omne dubium. Nunquam ergo locum habet doctrina de tutiori parte.

Hic ſi occurrant peccata dubia, non tenebor confiteri; quia reus ſum: mea ergo me conſcientia liberare debet tamquam recta judicatrix: liberaretur enim in ſimili in foro à rectis judicibus: rectum

ctum autem, & rectum non pugnant. Et ſic erit in omni dobio jejunandi, recitandi, &c. Vides hic, quanta pendeant ex harum rerum bona intelligentia: & quanto fortè majori ingenio ſit opus, quam in ſpeculativis.

Jam aliam habemus ex Evangelio, & ex ratione regulam interpretandi dubia in meliorem partem, quæ majorem adhuc facere difficultatem videtur. Summiſtæ quidem veteres, ut Angelus, Sylveſter &c. illam ſuam univerſalem diſtinctionem facientes rerum, quæ de ſe bonæ ſunt ut recitare; vel malæ, ut mentiri; vel indifferentes, ut ambulare dicenteſque primas, & poſtremas ſemper in bonam; medias ſemper in malam partem interpretandas, nec rem, nec difficultatem mea ſanè ſententia attigerunt.

Non rem; quia ſi de jure agatur, nunquam eſt dubium juris de earum rerum bonitate, indifferentia, & malitia; imò ſi quod occurreret, indifferentes non eſſent interpretandæ in bonas, ſed habendæ ſemper, & dicendæ indifferentes. Vel occurrit dubium facti, an quis eas actiones fecerit, vel facere ſoleat? Et tunc ſummiſtæ non docent, quare bonas potius factas, quas malas interpretari debeam: ſolum docent de actionibus bonis, & indifferentibus arbitrandum ſemper eas benè fieri. Sed, in indifferentibus, ut ſi quem video ambulare non eſt, cur teneat ad interpretationes faciendas, & ſi actus eſſent in individuo indifferentes, ex quo hæ regulæ non pendent, poſſem ſanctè dicere, eum facere actum quemdam indifferentem.

Ergo doctrina, & regula eſt de perſonis, in quantum prohibemur in dubio malè judicare de proximo; item de dubio facti, de actionibus malis, an quis hoc, vel illud malum fecerit? & tunc jubemur non condemnare, ſed abſolvere potiùs proximum. Dubium verò in actionibus bonis, vel indifferentibus; an malo fine factæ ſint, pendet ex priori judicio de perſona: alioqui rarum eſſet, & peſſimorum eas actiones interpretari in malum.

Difficultas autem eſt tum de veritate & bonitate regulæ tum de ejuſdem cum aliis concordia. Circa primum latè, & acutè diſſerit Cajetanus 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. Nimirùm illa videtur nos obligare ad falſum, & ad impoſſibile. Ad falſum, quia jubet judicare contra ea, quæ plerumque, & ut in pluribus contingunt; nam plerumque & ut in pluribus contingit homines eſſe malos: ergo in dubio eos judicare, & habere bonos eſt plerumque falli: ergo obligamur ad plerumque, & ad falſum. Item ad impoſſibile: quia de veritatibus, ſeu objectis neutris nihil poteſt judicare intellectus; nequit enim divinare: quod totum conſtat ex *lib. præc.* Ergo iniqua eſt regula. Ac in dubio facti eſt idem; quia in dubiis frequentius eſt deliquiſſe homines, quam non deliquiſſe.

Similiter concordia eſt difficilis; quia ſi ſemel ſecundum rationem eſt dubia interpretari in meliorem partem, etiam in conſcientia ſecundum rationem erit: ergo in omni dubio facti debet conſcientia mea interpretari res meas in bonam partem. Item quia obligatio ita interpretandi facta proximi vel oritur ex charitate? Et hanc magis mihimet debeo: vel ex juſtitia? Et hanc ſimiliter ſervare mecum debeo. Ac uno verbo ſive mecum, ſive cum aliis debeo judicare, ac me in omnibus gerere ſecundum rectam rationem: hæc autem idem dicit in eodem dubio & de me, & de proximo.

§. II.

concordia regularum.

TAm longè abeſt, ut illę regulę pro tutiore parte, & pro reo ſibi viciſſim repugnent, quòd potius ſecunda à prima ſtabiliatur, & vim habeat.

Favendum itaque reo præſcribitur, quod propriè locum habet in foro ſolùm judiciario. Scilicet Judex tenetur de juſtitia & Reipublicæ, & actori, & reo, ſingulis quippe ſervare, quod ſuum eſt. In omni autem dubio eſt in periculo, quod deſit, neuterque ſuum alterutris, quia ignorat. Tunc ergo ex doctrina univerſali tenetur tutiorem partem eligere: eſt verò tutius adeſſe, & favere reo.

Etenim ſi in civilibus ſumus, pars tutior ſemper eſt rei propter poſſeſſionem, præſcriptionem, & alia, de quibus poſt pauca tractabitur: in criminalibus autem eſt adhuc magis tutior pars rei propter multa tum comparatione Reipublicæ, tum comparatione partium.

Primò quia ut *ff. de pæn. abſentem.* & aliàs in utroque jure traditur, ſanctius, convenientiuſque eſt nocentem abſolvere, quam innocentem condemnare. Quin tantum hæc duo diſtant, ut Principes, ac Deus nocentes abſolvere ſoleant; condemnare verò innocentem nec Principes poſſunt, nec Deus.

Quare ſecundò damnare innocentem eſt de ſe intrinſecè malum; liberare nocentem non ita. Cum ergo in dubio tutior pars ſit eligenda; & in caſu noſtro incurrant, ut dubiæ hinc res intrinſecè mala, indè alia non intrinſecè mala ſaltem reſpectu Principis, ac Reipublicæ, liquet propter doctrinam de tutiori eligendam eſſe ſententiam pro reo.

Tertiò quia ex *Geneſ.* 18. liquet abundè, quanti faciendum ſit periculum condemnandi innocentem in unoquoque recto judicio: *Et appropinquans ait* (ſcilicet Abrahamus Deo) *numquid perdes juſtum cum impio? ſi fuerint quinquaginta juſti in civitate, peribunt ſimul? & non parces loco illi propter quinquaginta juſtos, ſi fuerint in eo? Abſit a te, ut rem hanc facias, ut occidas juſtum cum impio, fiatque juſtus, ſicut impius: non eſt hoc tuum, qui judicas omnem terram: nequaquam facias judicium hoc.* Ecce quanti fiat in recto judicio periculum condemnandi innocentem: quo omnes jure perterriti, ac inſtructi voluerunt, in periculo errandi liberari reum tamquam rem tutiſſimam. In idem fermè dirigitur parabola Zizaniorum: cavit enim Paterfamilias, ne unà triticum eradicarent, ac maluit ſuſtineri malos propter periculum.

Hoc porrò ita fieri, & Reipublicæ, & ſingulis eſt expediens: unuſquiſque enim *inſcius* ſuorum futurorum caſuum vellet, hanc ſervari legem cum omnibus. Siquis deinde innocens abſolvitur, committitur malum reparabile; cum quia rei veritas tempore, & decurſu ſciri poterit; tum quia relinquitur judicandus alteri judici, ſcilicet Deo; in quo nulla ſit ignorantia, dubium nullum. At malum damnationis eſt ſaltem de lege ordinaria irreparabile.

Tandem ut alia omittamus, plus requirit, ac plus portio in eſſe ſententia condemnatoria, quam liberatoria; nam condemnatoria affirmat delictum, ſcilicet damnari reum propter hoc, & hoc: quæ affirmatio in re dubia eſt mendax in re gravi: nam mentiri eſt ea etiam dicere, quæ præter mentem ſunt. At ſententia liberans non affirmat, reum.

eſſe innocentem, ſed eum eſſe liberandum; quia nihil contra eum conſtitit; quod veriſſimum eſt: nulla enim affirmatio, nec negatio delicti.

Hinc patet, quare in quibuſdam ſaltem criminibus labem omnem non detergat ſententia liberatoria; quia hæc non eſt ſignum certum innocentiæ, ſed vel certæ, vel probabilis, vel dubiæ: ac proindè renentur judices in rebus ſaltem ſimilibus ſignum certum dare innocentiæ, quoties hæc certò conſtitit: ſin minus reum non liberanr, ſed ſemi-liberant, ac ſemi-damnatum relinquunt contra jura.

Ex quo denuó patet ratio alia favendi reo, nam hæc patitur per hoc ipſum, quod reus ſiſtatur, & conſtituatur. Per hoc ergo inæqualitas fuit jam poſita inter actorem, & reum: ergo in dubio reus habet hanc inæqualitatem manifeſtam: cum ergo juſtitiæ ſit æquare, debet reo potiùs adeſſe.

Atque ex his multi caſus reſolvi poſſunt de judicibus illis, qui faciles ſunt ad accuſatores accipiendas, ac nulla accuſato, & jam per hoc ipſum reo data ſatisfactione res ſolent relinquere dubias, ac plenas ſuſpicionibus, ac præſumptionibus. Quoties enim res graves ſunt, peccanr graviter.

Item ex quo accuſationes accipiunt, vel debent eas contemnere, & contemptus certiores reddere omnes ſcientes accuſationem: vel jam non manent liberi, ſed tenentur veritatem indagare: jam enim ex eo momento incipit pati reus: quod ſi is poſt cauſam diſcuſſam liberandus eſt in dubio, & ſi innocentia certò conſtitit, innocens declarandus aliquo demùm modo; à fortiori per ſolam accuſationem, & nihil diſcuſſa cauſa non debet jacturam facere opinionis, & famæ: eſſet enim hoc pejus, quam condemnare reum in dubio.

§. III.

De interpretando dubia in bonam partem.

Hujus quoque documenti concordia deſumitur ex eadem doctrina de tutiori parte. Quoties quippe ſumus in dubio, an proximus ſit malus, vel an hoc, vel illud crimen commiſerit, ſumus in periculo vel erroris, vel injuſtitiæ; & erroris quidem in non pertinentibus ad perfectionem eſſentialem, nec principalem intellectus, ſcilicet in ſingularibus contingentibus, ut traditur à D. Thoma 2. 2. *qu.* 60. *art.* 4. rursùs in periculo vel habendi nocentem pro innocenti, vel è contra. In hoc ergo periculo minus malum, ac tutior pars eſt falli, & nocentem fortè habere pro innoxio. Adde ex eodem D. Thoma, quod etiam reſpectu ipſius intellectus minus malum eſt falli in eo, quam judicare proximum; quia cognitio contingentium ſingularium pertinet ad intellectum practicum: imò in re noſtra nihil illa ad nos pertinent; & ſic ſumus in impertinentibus: bonum autem intellectus practici, ejúſq; veritas conſiſtit magis in conformitate cum appetitu recto, ut conſtat ex 7. *Ethic.* appetitus autem rectus in præſentia eſt affectus juſtitię, nec non dilectionis erga proximum. Ex quibus per regulam de tutiori tenemur dubia interpretari in meliorem partem mod ſtatim declarando.

Eſt rursùs alia ratio ad id cogens: quod ſcilicet ad nos nihil pertineat; imò centies prohibitum ſit judicare: *nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini*, &c. Hoc porrò in manu noſtra eſt non ſolum in dubiis, ſed etiam in opinabilibus, quia opinari eſt nobis liberum, non ſolum quoad uſum, ſed etiam quoad aſſenſum, ut declaratum eſt appendice: imò in ipſis etiam rebus certis uſus eſt liber, cum nemo demonſtret nolens, ac diverti plerumque ſaltem poſſimus ad alia. In ore ſimiliter, imò magis eſt liberum non judicare, in quo multi peccamus multùm. At non judicare, nec condemnare eſt ſaltem negativè mala in bonum interpretari. Ad hoc ergo tenemur; nec in hoc ex hac parte ullum imminet periculum nec errandi quidem: ex alia autem magnum.

Sed enim objectum fuit, dubia interpretari in bonam partem eſſe malum; quia plerùmq; falſum: item impoſſibile. Nec eſt refugium in appetitu recto, de quo nuper dicebatur: nam appetitus rectus fundatur in ratione recta: at ratio recta non eſt, quæ plerumque fallit. An ergo cedemus, & quod reſolvere Cajetanus videtur, dicemus, nos ſolùm teneri dubia interpretari in meliorem partem negativè: id eſt, non judicare, & condemnare poſitivè? quippe ut ex dictis conſtat, objecta dubia ſunt neutra: ad objecta autem neuter, debet eſſe intellectus, ut Cajetanus verè ponit.

Fateor ergo, nos non poſſe immediatè rebus dubiis aſſenſum dare, ac ſic poſitivo aſſenſu dubia interpretari in bonum: rebus quippe dubiis correſpondet dubitare; ſicut probabilibus opinari, ſcibilibus ſcire; & ſicut non eſt probabilia ſcire, ita nec eſt opinari dubia, & neutra. Nihilominús eſt id nobis frequentiſſimè liberum mediatè, & in cauſa. Quia ut de ſuſpicari ſupra habitum fuit ex ſcriptura; ac D. Thoma, nimiùm eſt frequens, nos dubitare de bonitate proximi, quia ipſi erga nos, & in nobis malè affecti ſumus: & ſimiliter erga proximum. In his ergo cauſis eſt nobis ſæpiſſimè voluntarium, & culpabile dubitare. Tenemur ergo has cauſas tollere; item in eas reflectendo rationes dubitandi diminuere: item alias pro proximo rationes quærere. Quorum loco ſi nos multa murmuratione fovemus dubia. & locutione ipſa vim addimus (additur enim vis ex paſſione, qua quiſque dicta ſua fundata eſſe deſiderat) hęc inquam, ſi facimus, timenda planè erit menſura; qua judicabimur: nam ea eſt, qua menſi fuimus.

Declaratæ regulæ haud aptè ad conſcientiam adducuntur.

Ex iis, quæ de foro exteriori declarata ſunt, clarè patet; jus favendi in dubiis reo, ceſſare omninò, quin propter cauſas contrarias contrarium potiùs probare de foro conſcientiæ, cum oſtenſum ſit, quod ideò ſit favendum, reo etiam in judiciis, quia tutior pars ſit tenenda, eligendúmque minùs malum, in periculo majoris. Quod ſimiliter in conſcientia admittitur, ac traditur, quoties utrinque imminet peccati periculum: ergo aliàs tenemur ad tutius.

Eſt & alia realis diſparitas quoad hoc in utroque foro; nam in exteriori reus non comparet ut dubius, ſed ut negans: negat enim delictum: negare autem delictum cuilibet conceditur quin cogatur probare, id ita poſtulante bono Reipublicæ, ac bona humanæ ſocietatis conſtitutione multis de cauſis: at actor comparet ut affirmans: teneturque probare: quo non facto habetur pro non dicta affirmatio: in dubiis autem nihil eſt probatum.

Sed in foro conſcientiæ reus comparet non negans, ſed dubitans, & ut dubius: fatetur enim, ſe dubitare vel de lege, vel de delicto; undè contra ipſum, qui minimè negat, non opus eſt probatione, & tenet tùnc de plano regula de tutiori propter dicta toties.

Quapropter

Quapropter in ipſo etiam exteriori foro ſi reus ſe ſiſtat tamquam dubium, obligabitur ad tutiorem partem, & dicetur contra ipſum, ſi ex alia parte majus malum non immineat. Et ſic factum fuit à Gregorio in citatis capitibus: ac propter doctrinam univerſalem ibi probatam ſic eſt ſemper faciendum. Atque ex hac data diſparitate aliæ, que velut proprietates ſunt, elici poterunt.

Jam ineptiens eſſet illud aliud de interpretandis dubiis in bonum ad conſcientiam applicare, cum quoad hæc contraria omnia juſſi ſimus facere erga nos, & erga proximum: verebatur ſanctus Job omnia opera ſua: jubetur unuſquiſque ſe probare; laudatur juſtus, qui accuſator eſt ſui; in quibus adeò notis non eſt immotandum.

§. IV.

Ad Argumenta.

OBjiciebant regularum harum pro reo, atque pro parte tutiori repugnantiam. Sed ſatis declarata fuit omnium concordia. Objectum item fuit, utrumque forum convenire debere, ex quo etiam *præc. quæſt.* argumentabatur. Verùm oſtenſum eſt, cæteris, ut aiunt, paribus utrumque ad idem teneri: at cum reus in foro exteriori ad hominem quaſi reum in foro conſcientiæ comparatur, ſunt multa imparia, ut monſtratum eſt; maximè quod in foro exteriori ſequi tutius, & favere, reo, coincidunt: in interiori ſeſe deſtruerent. Comparatio itaque recta ſolùm inſtituitur à foro exteriori ad forum interius ipſorum judicum, ac cæterorum quoquo modo cooperantium ad ſententiam. Atque ex dictis conſtant alia diſcrimina.

Liquet ergo, modum illum reſolvendi caſus, qui principio quæſtionis proponebatur, eſſe illegitimum: reus ſum: ergo de peccatis dubiis confiteri non teneor; ac ſimilia. Nam ut utiliter notatum eſt, ſi privilegium: vel jus rei uſurpare licet, inferre pariter poterunt: ergo teneor ſaltem de conſilio, quin & de præcepto in materia gravi me liberum dare. Et idem eſt de recitando, jejunando, &c. Quæ ſunt abſurda.

QUÆSTIO XII.

Utrum tamen in dubio melior ſit conditio poſſidentis ſaltem in materia juſtitiæ

§. I.

Argumenta pro parte negativa.

VIdetur non eſſe. Primò quia, quæ hactenùs de tutiori parte eligenda dicta ſunt, eodem modo videntur urgere etiam in materia juſtitiæ, & quando alter poſſidet; nam quis exponitur periculo habendi non ſuum: caſualibus prætereà habebit ſe ad regulam, & præceptum. Confirmatur; nam plerumque excedunt homines in habendo non ſuum, ſed alienum. Ergo juxta dicta ſuperiùs, imminet probabile periculum violandi legem, reddendi unicuique, quod ſuum eſt.

Secundò, quia obſtare videntur jura in *cap. Dominus de ſecundis nupt.* & *in cap. inquiſitione de ſententia excommunicat.* Quorum tamen capitum difficultatem haud ſanè levem viſum eſt ſeparatim tractare poſt pauca.

Tertiò, quia ſæpè contingit adeſſe in ſimilibus dubiis opiniones contrarias probabiles pro, & contra poſſidentem, toties autem nullum eſt privilegium poſſeſſionis ſaltem in foro interno: nam licebit uti opinione probabili contra poſſeſſorem. Licet enim, qui hanc viam ſequuntur materiam juſtitiæ communiter excipere ſoleant in multis ſaltem caſibus: at, ut in ſuperioribus circa Judices eſt tractatum, nequit eſſe fundata exceptio: & quæcumque pro uſu opinionum contradicentium allegantur vel de Dei miſericordia, vel de noſtra imbecillitate, vel de difficultate inveniendæ veritatis, in hac ſimiliter materia urgent.

A foro autem interno ad externum itur: tum quia utrumque forum per ſe loquendo convenit, ac ſolum diſcrepant, quandò externum in præſumptione aliqua fundatur, ſcitur autem re ipſa eam eſſe falſam; ut eſt communis, & vera ſententia Theologorum: tum quia rationes pro foro interno adduci ſolitæ eamdem vim habent pro externo: ac propter alia dicta ſupra. Adde, nullum ferè dubium eſſe, vel nullum omninò, in quo deſint opiniones, & advocati, & allegationes, & textus: quemadmodùm pro foro interno adſunt Confeſſarii, Conſultores, & probabilitates: imò cauſa quælibet, quæ ut ſupra Auguſtinus dicebat, in foro externo, & coram ſapientiſſimis Judicibus ſatis, ac ſine riſu utrinque defenditur, per hoc ipſum videtur cenſenda utrinque probabilia: quemadmodùm quæ in ſcholis, libriſque defenduntur, jam hoc ipſo videntur cenſeri probabilia. Nulla porrò cauſa dubia juſtitiæ prædictis munimentis eſt deſtituta, ut experientia, ſatis ſuperque docet. Ergo nulla, in qua poſſeſſio ſaltem de neceſſitare prævalere debeat.

Confirmatur; quia ita praxis confirmat in materia belli, quæ eſt juſtitiæ, & omnium graviſſima; nam paſſim Principes exiſtentibus utrinque juribus, ac ſine certitudine juris ſui poſſidentem invadunt. Nihil ergo refert poſſeſſio; & certè ſi in Regnorum poſſeſſione nullum eſt ſuffragium præſcriptionis, nec aliud, ac tot, & tanta mala Reipublicæ, & univerſo Chriſtianiſmo inferre licet, nihil impediente, at juvante poſſeſſione, quot, & quanta vel ex hoc uno bello videmus inducta, profectò facilè non erit oſtendere, cur privatis ſua cuique poſſeſſio prodeſſe debeat. Jam ergo pro omnibus uno verbo concludatur, quoties in materia juſtitiæ, cauſa aliqua non omninò levis, & puerorum, ſed momenti alicujus occurrit dubitandi, quidlibet cuilibet licere contra poſſeſſorem perindè, atque ſi nulla eſſet poſſeſſio.

Quartò tandem, quia ſi in materia juſtitiæ melior eſt conditio poſſidentis, idem omninò tenendum erit in aliis quibuſque materiis ſine exceptione, ut multi Theologi contendunt contra multos alios. Etenim poſſeſſio in omni materia locum habet: ratio autem nulla ſupereſt, cur ea in materia juſtitiæ vincat; in aliis rebus non vincat. At rursùs idem periculum eſt violandi re ipſa legem in materia juſtitiæ, quod eſt in rebus aliis; nam dubium haud eſſe deſinit dubium in materia juſtitiæ: at ubi eſt dubium, eſt ex terminis indifferentia ad verum, & falſum: eſt ergo contingentia, ac proindè periculum re ipſa, & materialiter violandi legem, nec hoc diverſificari poteſt à diverſitate materiæ: ergo eadem eſt ratio, & obli-

gatio in omni materia. At omni dubio juſtitiæ poſſeſſio vinci : ergo & in rebus cæteris.

§. II.

Quid tenendum?

EST regula 65. de regulis juris in 6. quæ tradit, *In pari delicto; vel cauſa melior eſt conditio poſſidentis.* Eſt autem par cauſa omnis cauſa dubia ; nam paritas rationum ; vel jurium , vel authorum rem facit propriè dubiam, ut conſtat ex dictis ; & ideò pro eadem communiter dicitur , in dubio meliorem eſſe conditionem poſſidentis. Sermo autem eſt de poſſidente bona fide quæ ſemper ſecum habit titulum ; nam ſi à principio dubitaſti , nihil juvat poſſeſſio , nec eſt locus remedii juris præſcriptionis, & uſurpationis : quinimò multi Canoniſtæ , ut ad regulam ſecundam diſputatur, requirunt bonam fidem toto corpore præſcriptionis vel longi , vel longiſſimi temporis.

Sotus , ac alii obligant ad rem pro quantitate dubii dividendam etiam ſi poſt legitimam talem poſſeſſionem incipiat dubitare. Communis tamen ſententia Theologorum liberat poſſidentem ab omni diviſione , & tenet rem ex integro eſſe poſſeſſoris. Authores extant apud Caſtro Pallao *to.1. diſp. 3. punc. 2.* apud Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 10. & lib. 2. c. 23.* & apud alios paſſim. Requirunt autem : ut in omni alio dubio , quòd diligentia ſufficiens pro ſcienda rei veritate præmiſſa fuerit.

Probant hanc ſententiam ; quia tunc poſſeſſor eſt reus : at cum partium jura ſunt obſcura , ut in omni cauſæ paritate contingit, reo potiùs eſt favendum, ut traditur *reg. 11.* ac ideò in criminalibus quatuor teſtibus contra reum deponentibus, ſi alii quatuor eodem modo fide digni in re etiam illa pro reo dicant , abſolvendus eſt reus , nec ad partem pœnæ damnandus. Dixi *eodem modo fide digni in re etiam* ; nam contingit ſæpè teſtes dicentes pro reo eſſe aliàs pares , & æquales dicentibus contra reum ; & tamen hic , & nunc , & in ea re non eſſe pares ; quia faciliùs viri ſaltem graves pro reo dicunt ; poſſuntque inde exceptionem habere. Si tamen ſemper ſervetur paritas, & æqualitas , liberandus eſt rèus. Ergo ſimiliter in cauſa civili , & in omni materia juſtitiæ ; quia regula juris æqualiter de omnibus videtur pronuntiare.

Secundò , quia poſſeſſor bonæ fidei removeri non debet ſine plebe probatione , ut habetur ex jure civ. id , quod in foro externo videtur communiter obſervari. Hoc ergo ſecundum rectam rationem eſt , ſin minùs fieri non deberet , at una eſt recta ratio , nec ratio cum ratione pugnat magis , quam verum cum vero : ergo ita eſt etiam tenendum in foro conſcientiæ , maximè cum hìc forum externum ex nulla præſumptione procedat , quæ re ipſa falſa ſit , vel falſam eſſe conſtet in foro conſcientiæ : conveniat ergo , neceſſe eſt , utrumque forum.

Ratio autem ab his Theologis adducta eſt, quia in dubio , & paritate prævalet poſſeſſio , ac præponderat ; atque his, vel æquivalentibus terminis rem iſtam probant omnes : cum ergo non conſiderata poſſeſſione jus utriuſque eſſe par & æquale adjuncta alteri poſſeſſione jus hujus ſuperat , ac præponderat , cum poſſeſſio aliquid addat. Atque hæc communis ſententia, ut poſt declarabitur, nobis videtur tenenda. Prius tamen iterùm , atque iterùm reflectendum duxi in uſum opinionum contradicentium æqualiter probabilium, cum ſcopus totius operis præcipuus ſit eum uſum ſic generaliter traditum omni diligentia removere.

§. III.

Reflexio in uſum opinionum probabilium.

VIdetur , ſanè , hanc , & alias otioſas eſſe regulas ſuperfluas tot his in rebus Theologorum quæſtiones , ac labores , ſi propoſitus uſus liceat , & valeat : videntur enim primum cuncta eſſe de ſubjecto non ſupponente : nam in pari , æqualique cauſa ceſſat dubitare. Tenent enim , opinari eſſe in nobis, ac in noſtra libertate poſitum, ut ex parem cauſam habentibus , vel ex habentibus imparem , ac inæqualem , quod volumus , opinemur. Ergo parem cauſam , vel pro poſſeſſore, vel contra poſſeſſorem poſſumus inæqualem reddere ſolùm volendo ; nam ſolum volendo poſſumus , & ut aiunt , prudenter opinari , quod placet : at per opinionem ponitur inæqualitas , ac ſolvitur dubium , & tollitur dubitare. Jam ergo ceſſat regula; quia ea nequit intelligi de opinante; tum quia , ut dictum eſt , jam tunc ceſſat paritas ; tū quia nulla regula eſt operandi contra propriam opinionem, & ſenſum in ſenſu compoſito , ac non deponendo opinionem , & contra quam operandi videtur. Nec item regula eſt de dubitante ; nam in pari cauſa in manu ſua quiſque habet opinari prudenter , ac dubium deponere.

Rursùs nihil juvat poſſeſſio ; nam in pari cauſa poteſt quis ante omnem poſſeſſionem incipere poſſidere bona fide ; ſicut poteſt poſt poſſeſſionem retinere : in manu quippe ſua habet bonam fidem, ſcilicet fundatum ; ac prudentem aſſenſum in omni paritate cauſæ.

Nihil rursùs juvat poſſeſſio ; quia licet poſſeſſio aliquam inæqualitatem ponat , haud tamen rem ſemper facit certam : ergo cauſa reddetur inæqualis à poſſeſſione : at ex inæqualibus poteſt quis opinari minus , ſive Judex , ſive privatus : jam autem per hoc ceſſabit regula, quæ non eſt de opinante , ac prudenter , rem eſſe ſuam. Præterea paritas opinionum facit licitam quamlibet partem : ergo & omnis paritas.

Denuò ſimiliter in poſito caſu de quatuor teſtibus contra , & quatuor prò reo dicentibus , poteris prudenter opinari , & judicare , eum eſſe reum : ergo etiam condemnare. Antecedens conſtat ex omninò ſimili ; nam poſitis in materia doctrinæ quatuor Doctoribus hinc , & quatuor indè , potes credere quibuslibet , & ſequi , quos voles , idque prudenter : at id valent , nec plus poſſunt Doctores in Doctrina , quod teſtes in facto ; & utrobique totus valor pendet à veritate : quinimò largior eſſe deberet Theologia circa facta ; nam hæc ſunt purè contingentia : lex autem ſtabilis : facta irregularia : non doctrina , ideòque jura admittunt ignorantiam invincibilem facti , non juris. Ergo cognitio ſufficiens de veritate juris , ſufficiet circa veritatem facti : at cognitio habita ex quatuor Doctoribus contra quatuor, quin ex duobus contra quatuor ſufficit : ergo etiam in teſtibus. Non eſt ergo , quare faveatur reo , vel poſſeſſori , ſed arbitrio erunt omnia relinquenda.

Nec

Nec valet dicere, quod regulæ id prohibent. Nam illæ non mutant naturam intellectus, & objectorum: ergo poſſum opinari interiùs, ac mentaliter; ſicut in rebus aliis. Id autem, contra quam dicunt, ſufficiet, ut privatus uſurpet rem, quam prudenter exiſtimat eſſe ſuam: item ſufficiet Judici: nam nequit ulla regula prohibere, ut quis ore judicet, ut ſibi in animo videtur; videtur autem rem non eſſe poſſeſſoris.

Deinde ut ad has regulas prænotatur ex *lib.* 1. *ff. eo.* jus non ſumitur ex regulis, ſed regulæ ex jure: quod ut modo noſtro explicetur, regulæ iſtæ ab ipſa ratione naturali derivantur, nec ſunt ultrò diſpoſitæ, quaſi dictum ſit, melior eſt conditio poſſidentis, & potuerit ſimiliter dici, diſponique oppoſitum.

§. IV.

Communis doctrinæ defenſio, & declaratio.

ERgo in materia juſtitiæ in pari alioqui cauſa ſemper eſt melior conditio poſſidentis, ſi non poſſidenti non adſit titulus alius prævalens poſſeſſioni. Et ratio unica eſt, quia tunc poſſeſſio ponit imparitatem inæqualitatemque perceptibilem, ac manifeſtam: cum ergo omnis paritas, & æqualitas rem propriè reddat dubiam, ut ex tota ſerie doctrinæ noſtræ conſpicitur; ſententia autem in utroque foro danda ſit per ſolutionem dubii, idcircò in pari alioqui cauſa, quæ per poſſeſſionem redditur impar, dicendum eſt ſemper pro poſſidente.

Declaratur; nam ut fuit oſtenſum, omne dubium ſolvitur per affirmationem, vel negationem; ac per inventionem veritatis. Inventio autem veritatis, quæ ſemper eſt neceſſaria ad affirmationem (& ſimiliter falſitatis ad negationem) habet plurimos gradus, ſcilicet ſcientiæ divinæ fidei, ac alios; infimus autem eſt opinionis, quæ in probabilitate poſitiva fundatur: hæc autem nunquam utrique extremo convenit, ſed ſolùm uni: in paritate, & æqualitate cauſæ nulli: in imparitate, ac inæqualitate ſolùm extremo, & parti perceptibiliter vincenti, ac prævalenti. Cum ergò in pari cauſa poſſeſſio ſic prævalentem partem ſuam efficiat, reddit eam affirmabilem ſaltem per opinionem: hoc autem ſufficit ad operandum, ut *ſuprà* habitum eſt, quoties veritas certò inveniri nequit.

Sed quæris, quid poſſeſſio ponat in eſſe, & undè inæqualitatem afferat; nam ſola illa inæqualitas ad rem hic facit, quæ eſt pro veritate: at poſſeſſio nullam cum rei veritate connexionem habet; non enim certam; alioqui nemo poſſideret non ſuum; non item probabilem ex iis, quæ ut in plurimum contingunt; nam ſatis frequens eſt, homines habere, ac facto poſſidere non ſuum. Ergo ponere, ac addere poſſeſſionem uni parti nihil eſt addere ad rem; nam nihil pro veritate facit, magis quam ſi in pari cauſa alter controvertentium niger ſit albus alter.

Autores communiter ſuos illos terminos ponendo, quod poſſeſſio prævaleat, præponderet, ſuperet &c. eorum cauſam nullam aut quærunt, aut reddunt. At Eminentiſſimus Pallavicinus *diſp.* 6. *quæſt.* 4. *art.* 3. *à num.* præſertim 3. rei totius originem, ac rationem ſcrutatus laborem nobis univerſum præripuit.

Ait enim ſapienter, expedire Reipublicæ, ut res maneant eo modo, quo manent; nam omnis mutatio affert aliquid turbationis, & periculi: uti etiam attigerat Breſſetus *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 22. nec unquam in illa mutatio fit, niſi in aliquid, quod exiſtimatur melius. Hac de cauſa inductæ ſunt præſcriptiones, & uſucapiones in materia juſtitiæ; & ſimiliter conſuetudine præſcribitur contra ipſas etiam leges. Intereſt autem omnium id ita eſſe, ut ibi exponit: nihil alioqui tutò emi, vendi, vel transferri poſſet: nec quiſquam fidere rebus ſuis, nec contractibus, donationibus &c. ſi ſuffragium temporis nihil juvaret, ſed eſſemus in perpetua ſuſpenſione, ac metu. Ergo ex convenientia, nec non voluntate tam Reipublicæ, quam ſingulorum poſſeſſio aliquid ponit conferens ad ſuitatem rei poſſeſſæ: at in præſenti veritas in ipſa ſuitate conſiſtit; dubitabatur enim, cujus eſſet res: ergo ponit aliquid conferens ad veritatem. Quemadmodum ergo, ut vulgò dicitur, turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes, ita inconſultum eſt, poſſidenti, habentique idem jus rem auferre, ut alteri tribuas nihil plus juris habenti; plus enim requiritur ad auferendum, quam ad non dandum: hæc deindè mutatio non fieret in melius: ac ſic conſuetudines, amicitiæ, & ſimilia mutari poſſent: ac denique hæc mutatio non haberet cur, nec cauſam finalem.

Poſſeſſio itaque multipliciter confert ad veritatem. Primò quia per ſe ipſam aliquid ponit, ut nunc eſt dictum; & ſic acutè uſucapio definitur *adjectio dominii*, &c. licet ab aliis definiatur *adeptio*; nam diuturna poſſeſſio adjectionem quandam facit præcedenti quaſi quaſi dominio, qua facta adjectione efficitur dominium perfectum. Secundò arguitivè: nam ut ait Sanchez, affert præſumptionem; nam præſumitur, aliquam rationem adfuiſſe, cum quis bona fide, & pacificè, ac nullo repugnante cœpit poſſidere. Tertiò, quia aliquandò conjungitur cum præſcriptione; quia longum tempus elapſum eſt, vel longiſſimum pro diverſitate materiæ; ac ſic ſemper in pari cauſa reddit partem ſuam vel certam, vel ſaltem poſitivè probabilem, & inopinabilem atque contrariam non talem: niſi adſit ex alia parte titulus alius. Ubi prætereo alia.

Ex his autem patet ſolutio ad argumenta. Ad primum data eſt ratio, quare quæ de tutiori parte eligenda dicta erant, in poſſidente locum non habeant; quia poſſeſſio ſolvit dubium & regula de tutiori parte eſt in ſenſu compoſito dubii: regula de poſſeſſione in ſenſu diviſo. Ad ſecundum, ut in eo notabatur, dicetur infrà. Tertium in principiis noſtris locum non habet; & idem tenemus in paritate opinionum, & probabilitatum, quod in omni alia paritate. An autem in aliis materiis poſſeſſio prævaleat, quod poſtremo loco opponebant, tractabitur mox. Quod autem aliquoties tactum eſt, homines ſæpè poſſidere non ſua; negatur in poſſeſſionibus pacificè, ac bona fide inceptis.

Digitized by Google

QUÆSTIO XIII.

Vtrum ergo regula data de poſſeſſione teneat in poſſeſſione nihil probante? Vbi an in aliis materiis præter juſtitiam?

VAldè neceſſaria, & percelebris eſt quæſtio, an regula de poſſeſſione teneat in aliis etiam materiis; multorum enim caſuum reſolutio hoc ex puncto pendet. Nos porrò ſub terminis de poſſeſſione probante, vel non probante quæſtionem propoſuimus: nam ex nuper dictis clarè ſumitur, omnium poſſeſſionum probantium parem, & unam eſſe rationem; non probantium nullam eſſe; nihil quippe ad veritatem non facit: in materia verò juſtitiæ ad rem facit, quia facit ad veritatem, ut nunc fuit commõſtrantum. Videndum ergo, an in aliis materiis poſſeſſio quidquam probet? nam ſi nihil probat, ad rem non erit.

§. I.

Quid viſum Theologis?

DOctores extremè diviſi ſunt hac in re. Prima ſententia negat, privilegium poſſeſſionis, & datam regulam extendi ad materiam aliarum virtutum præterquam juſtitiæ; & idcircò tenent, in dubio ſemper eſſe eligendam partem tutiorem in omni alia materia. Hæc eſt Canoniſtarum, & plurimorum Theologorum cum Vaſquez, & Azor: qui referuntur ab ipſo Vaſquez *diſp.* 65. & 66. à Sanchez *lib.* 1. *in Dec. cap.* 10. *num.* 10. Breſſero *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 40. Argumenta autem hujus partis ritè proponuntur à Vaſquez, & Sanchez: & congeſſit multa alia nuper Fagnanus.

Contraria ſententia affirmat, quam tenent Sanchez *num.* 11. Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 5. & multi Recentiores. Hujus partis argumenta videri poſſunt apud eundem Sanchez, & Suarez: quæ optimè promovet Breſſerus à *num.* 42.

§. II.

Quid dicendum?

EAm profectò rerum, & caſuum multitudinem Autores hic congerunt, ut ſeriem doctrinæ reddat perobſcuram, ac difficilem. Quapropter conandum eſt eam hic viam capeſſere, quæ expedita ſit, nec præſens punctum cum aliis confundat. Haud enim hic tractatur, nec tractandum eſt, an exiſtente dubio, & accedente præſumptione fundata veritatis pro parte non tuta, ſit eligenda pars tuta? tunc enim ceſſat obligatio partis tutioris, nec ſumus in caſu regulæ, quæ eſt in dubio, & quandò nulla rationabilis cauſa, vel præſumptio accedit, quæ dubium dirimat. Sicut ergo in materia dubia juſtitiæ accedente, & adjuncta uni parti poſſeſſione, dubium removetur: ſic in omni alia materia dubium ſolvitur, nec pars tutior obligat, ſi ſimilis alia ratio adjungatur.

Quarè Autores affirmantes videntur haud directè reſpondiſſe ad quæſtionem; nam queſtio non eſt, an addita uni parti præſumptione obliget pars tuta, ſed an hanc præſumptionem, & cauſæ paris, & æqualis imparitatem, & inæqualitatem poſſeſſio aliqua ponat, & afferat in materia aliarum virtutum, ſicut in materia juſtitiæ? Quarè Sanchez *num.* 13. quærens, quæ pars dicenda ſit poſſidere: ac reſpondens, eam cenſeri poſſidere, pro qua eſt præſumptio in foro exteriori, ſine lex illa ſit, ſive libertas, nihil videtur contradicere primæ, & communi ſententiæ.

Dicendum ergo videtur, in omni quidem materia adeſſe poſſe præſumptiones, ac ſolutiones bonas dubiorum: tamen nullam eſſe poſſeſſionem in aliis materiis præter juſtitiam, quæ per ſe loquendo, ac ſolo titulo poſſeſſionis liberet ab obligatione eligendæ partis tutioris. Quæ eſt ſententia Vaſquez, & aliorum.

§. III.

Probatio doctrina.

SI qua eſſet poſſeſſio in aliis materiis, maximè poſſeſſio libertatis: hanc enim aſſignare ſolent; huc adducere regulam de reſtringendis odiis; huc adjicere alia. Sed hæc poſſeſſio nihil probat, nec facit meliorem conditionem eam habentis titulo ſui, & per ſe loquendo. Quod probo; nam ſi aliquando probaret, ſemper probaret in omni cauſa dubia, & pari: ſicut in materia juſtitiæ; quia ſemper additio ejus eſſet additio alicujus facientis ad rem, veritatem. At non ſemper probat, nec ſemper cauſam parem, & dubiam reddit inæqualem, & ſolutam: alioquin omne dubium ſolveret; nam in omni adeſt poſſeſſio libertatis: nunquam proindè locum haberet regula de tutiori parte. Negant autem hęc adverſarii, nec ſemper faciunt meliorem conditionem libertatis. Nunquam ergo poſſeſſio libertatis titulo poſſeſſionis & per ſe loquendo vel probat, vel conditionem eam habentis reddit meliorem.

Secundò, quia, ut ſæpè notavimus, notatque benè Breſſerus *cap.* 6. *num.* 49. juxta omnes, qui dubitat ſpeculativè, debet practicè dubitare, niſi ſpecialis aliqua ratio faciat, cogatque variare judicium practicum à ſpeculativo, ut ipſi maximè Suarez, & Sanchez tenent: ſi autem pro ſpeciali ratione habeatur poſſeſſio libertatis, hæc in omni dubio datur; & ſic ſemper hoc ſolo titulo variare licebit judicium practicum. Confirmatur; quia ſimiliter tenent, nos teneri aliquandò de pręcepto ad partem tutiorem, quandò ſcilicet non datur cauſa rationabilis excuſans: hęc verò cauſa non eſt poſſeſſio libertatis; nam hęc nunquam deeſt.

Et certè non videtur in his immorandum. Nam ſi poſſeſſio libertatis ritè ſolvit dubium aliquod, & parem aliquam cauſam ſe ſola reddit inęqualem, ceſſarent quęcumque de parte tutiori eligenda vel ſemper, vel aliquando tractant, traduntque omnes; regulę item eſſent ineptę: nam potiùs erat dicendum, quoties dubitatur, utrumque licet; nam toties adeſt poſſeſſio libertatis ſolvens dubium: quemadmodum in materia juſtitię, quoniam poſſeſſio confert, quoties illá adeſt, pro illa dicitur, & ſi omninò in cęteris par ſit cauſa, nunquam poſſidens tenetur ad ſpoliandum ſe. Ex quo obiter conſtat malè à poſſeſſione juſtitię ad has alias poſſeſſiones vel liberta-

tis, vel ſimiles fieri conſecutiones, ut nunc magis declaro.

§. IV.

Poſſeſſionis juſtitia, & aliarum diverſitás.

IMmeritò ſanè poſſeſſionis nomen ad alias materias extendendo tot hic caſuum, ac reſolutionum facta videtur confuſio; quos tamen caſus ex aliis conjecturis, & præſumptionibus multoties reſolvunt ii etiam ipſi, qui extenſionem fecerunt; non autem ſolo, ac puro titulo poſſeſſionis. Nunc autem explicandum eſt, quam ultrò, & ſine alio præter nomen fundamento à poſſeſſione juſtitiæ ventum ſit ad aliàs poſſeſſiones.

Primò enim omnes coguntur diſparitatem dare; nam in materia juſtitiæ in omni pari aliundè omninò cauſa tenetur ſemper pro poſſeſſione; non ita ſaltem ſemper pro libertate; nec pro aliis poſſeſſionibus vel dierum, vel ſimilibus. Secundò, quia fateri ſolent, in dubio aliarum virtutum nos teneri ſaltem de conſilio ad partem tutiorem: at in materia juſtitiæ nec de conſilio quidem tenetur poſſeſſor.

Tertiò, in materia juſtitiæ poſſeſſor nequit teneri ſaltem ad totam rem ſine manifeſto abſurdo; ſequeretur enim motus ſine quiete, & fine; & ſic proceſſus in infinitum: nam ſi poſſidens in pari cauſa obligetur ad rem dandam, det ergo: jam tunc qui accipit, tenebitur eadem de cauſa rem reddere primò poſſeſſori: & hic iterum dare; & ſic ſine fine. Nihil porrò ſimile ſubeſt in aliis poſſeſſionibus. Paret ergo dari re ipſa in materia juſtitiæ reale fundamentum aliis materiis in applicabile, quod cogat illi favere.

Quartò, quia convenientia, ac voluntas Reipublicæ, & ſingulorum facit ad veritatem in materia juſtitiæ; nam facit ad ſuitatem: ſuitas autem eſt veritas, ſeu quod eſt ſuitas in re, hoc eſt in intellectu veritas circa ipſam: & ſic ſunt leges vel ſupponentes, vel inducentes ſuitatem, & ſic veritatem: eſtque materia juſtitiæ, & dominium, ac diviſio rerum ſubjecta voluntati Reipublicæ. At nihil eſt hujuſmodi in aliis materiis, ubi controvertitur, an ſit lex aliqua Dei obligans me ad aliquid: nec in hoc diſponere, vel alterare homines poſſunt; & ſic nulla eſt de hoc lex favens alicui poſſeſſioni; imò ſemper in jure, ut ſuprà viſum eſt, pro parte tutiori dicitur.

Quintò quia in materia juſtitiæ ſemper eſt lis inter æquales; nam lis ipſa æquales reddit ipſas etiam perſonas alioqui inæquales, ſive Principes ſint, ſive Reges: niſi partium aliqua privilegium ex ipſo jure habeat: Deus autem utrique parti adeſt æqualiter jubens, quod unaquęque habeat, quod ſuum eſt. At in aliis materiis lis eſt inter legem, & hominem; inter ſuperiorem, & ſubditum: inter Deum, & hominem. Sicut ergo in pari cauſa, & dubio melior eſt conditio Eccleſiæ, cauſæ piæ, dotis, matrimonii; ſic ſi has regulas ultrò hic illuc transferre liceret, jam ex hoc ſolo melior eſſet conditio legis, & ſuperioris: certè conſtat diverſitas materiæ juſtitię ab aliis: nam in juſtitia utrinque eſt ęqualiter Deus; in aliis lis, & dubium eſt inter hominem, Deum. Dicendum ergo pro Deo. Ubi prętereo alia.

Sed ne hoc omninò omittam, ſi à juſtitia ad alias virtutes; rectè arguitur; poterunt ſimiliter inducere pręſcriptiones, uſucapiones; ac ſimilia in poſſeſſione libertatis adverſus legem, etiam Dei; ac naturalem.

Ratio autem oſtenſiva, cur à regula de poſſeſſione ad poſſeſſionem libertatis, ac ſimiles ineptę ſint conſecutiones, & extenſiones, ea videtur eſſe, quidem manifeſta. Nam regula eſt, quandò cæteroqui cauſa eſt par, & æqualis: adeſt autem uni partium certa poſſeſſio; ſaltem an quis poſſideat, non dubitatur: quod in materia juſtitiæ locum quidem habet. At in aliis materiis vel eſt loqui de libertate phyſica, atque de hujus poſſeſſione; & hæc per obligationem præcepti nec tollitur, nec læditur, ſed ſicut priùs; poteſt homo rem facere, vel non facere. Vel ſermo eſt de libertate morali, qua quis poteſt & licitè quidem rem eam facere, vel non facere? Et hujus libertatis nulla eſt poſſeſſio; quinimò de hoc ipſo eſt lis, & dubium. Diſpar ergo eſt ratio. Quin ſequitur contrarium; nam ſi in ipſa etiam materia juſtitiæ lis, ac dubium non ſolùm eſſet, cujus eſſet res, ſed etiam qui poſſideret, ac de ipſa poſſeſſione dubitaretur, nequaquam locus eſſet regulæ, & doctrinis præferentibus poſſeſſionem, eſſetque neceſſariò dividenda res. Sed in aliis materiis una poſſeſſio per poſitionem obligationis non tollitur: alia autem non adeſt; imò de ea eſt quęſtio: nec locus eſt diviſioni. Ergo ſicut priùs.

Dices, idem ſaltem fore in novis legibus, quandò dubitatur, an latæ ſint; quia immediatè antè erat homo in poſſeſſione libertatis etiam moralis: potior ergo erit in dubio conditio hominis. Sed reſpondeo, nec tunc quidem eſſe meliorem conditionem hominis per titulum poſſeſſionis: nam poſſeſſio faciens in dubio meliorem unam partem eſt poſſeſſio, quæ ſimul adeſt cum dubio: non autem poſſeſſio, quæ non adeſt, & de qua eſt dubium. Sed in caſu poſito novarum etiam legum jam de ipſa poſſeſſione moralis libertatis eſt mota cauſa, & dubitatur. Ea ergo non facit ſuam partem meliorem. Nimirùm univerſaliter de natura dubitationis oſtenſum eſt, per ea, quę dubitationem ipſam intrant, nunquam eam ſolvi.

Et certè in ipſa etiam materia juſtitię poſſeſſio faciens partem ſuam potiorem ea eſt quę concurrerat, ac ſimul extiterat cum jure favente adverſario; non verò quando poſt illam aliquod jus novum obtigit adverſario. Quapropter quęrunt Doctores, quomodò cum jure naturę cohęreat, quod res, quę re ipſa aliena erat, mea fiat uſucapione, vel pręſcriptione? ſiquidem ex jura naturę requiritur ſemper voluntas domini ad transferendum dominium: nulla verò dari videtur voluntas transferens in uſucapione, & pręſcriptione. Et reſpondent, dari voluntatem quaſi derelictionis, & abjectionis; ſiquidem tanto tempore rem ſuam nihil curavit, & neglexit. Adde, dari etiam voluntatem univerſalem & Reipublicę, & ſingulorum, qua volunt eo tempore, ac poſſeſſione transferri dominia; quia id valdè omnibus intereſt: & ita legibus quoque diſpoſitum fuit.

At hęc ceſſant, quando poſt aliquam poſſeſſionem Titii contingeret de novo jus aliquod Cajo; ſi ſaltem ipſo litis tempore neuter poſſideat; nam Cajus pro tempore pręcedentis poſſeſſionis nullam haberet omninò voluntatem, nec habere poſſet vel translationis, vel abjectionis; vel aliam circa rem, quę eo tempore nihil ad ipſum perti-

pertinebat: nec item Reſpublica ullam habet, ſi eo litis tempore jam Titius non poſſidet. Ergo poſſeſſio reddens partem ſuam potiorem eſt poſſeſſio concurrens & ſimul exiſtens cum jore quali quali adverſarii. Sed in re noſtra allegatur poſſeſſio præcedens ad jus legis, dubitatur enim, an denovo facta ſit lex. Ea ergo non eſt ad rem.

Nec valet, quod obtendunt, in hoc caſu legem non eſſe ſatis promulgatam. Nam hoc in primis non eſt ad rem; nam hic tractamus de exceptione, & exemptione fundata in poſſeſſione, non autem de fundata in non promulgatione. Deindè legem dubiam per hoc ſolùm non eſſe ſatis promulgatam, eſt contra omnes; alioqui nunquam lex in dubio obligaret; quod nemo concedit: & eſt contra omne jus, ut fuit oſtenſum.

§. V.

Illationes ad aliquot caſus.

EX his accipitur, ſine fundamento ab aliqoibus paſſim reſolvi caſus multos conſcientiæ iſto poſſeſſionis prætextu.

Primò generaliter haud bona eſt illa reſolutio: dubitatur de lege; dubitatur de voto, de obligatione jejunandi: ſed poſſidet libertas: ergo hujus cauſa eſt potior: ergo non teneor. Videtur enim ex dictis in his nihil fundamenti ſubeſſe præter vocabula, & præter aliquam nominum analogiam, ne dicam æquivocationem.

Secundò dicunt ſic: ſumus in die Veneris ſub mediam noctem: & quia horologium ſonuit, vel propter cauſas alias dubitatur, an ſit media nox: contingat autem me teneri ad jejunandum: diſtinguunt itaque: vel teneor ipſo die Veneris? & tunc jam non licet ampliùs manducare, quia poſſidet præceptum: vel teneor jejunare die ſequenti? & tunc toto tempore dubio poſſum manducare; quia poſſidet libertas; quia die veneris non tenebar eodem modo ſub mediam noctem die Jovis licet veſci carne; non Sabbato.

Tertiò ſimiliter reſolvunt: dubito, an annum vigeſimum primum habeam: & tunc ſtatutis diebus jejunare non teneor, quia ſum in poſſeſſione libertatis; accipere autem ordines ſacros non poſſum; quia in nulla ad hoc poſſeſſione eram: & ſic ſtandum eſt pro lege.

Omitto multa ſimilia, quorum malam eſſe deductionem ſatis liquet ex dictis. Nulla enim in his eſt in primis poſſeſſio nec lex, nec dies, nec añi poſſident niſi abuſivè Deinde nulla eſt poſſeſſio probans, & faciens ad rei veritatem. An enim, quia ego vel die Veneris teneor; vel quia die ſequenti, tempus illud dubium conſtituit diem magis Veneris, quam Sabbati, aut vice verſa? Quis de hoc dubitet?

Dices; hæ poſſeſſiones ad res quidem ipſas non faciunt; at faciunt ad obligationem, vel non obligationem. Verùm hic, credo, videbis, quam male à juſtitia ad has poſſeſſiones ventum ſit. Ideò enim in juſtitia poſſeſſio ad obligationem, facit, quia ad res ipſas facit; nam facit ad ſuitatem, & dominiom, & ſi ad hęc non faceret, nec ad obligationem, vel non obligationem faceret magis, quam faciat, alterum litigantium eſſe Grammaticum, & alterum Logicum. At in propoſitis, ac ſimilibus caſibus poſſeſſiones allegatæ nihil ad rem faciunt, nec de rebus quidquam probant, ut eſt evidens, & æqualiter ſum ego in anno vigeſimo primo, vel non ſum eodem tempore ſive ad non jejunandum, ſive ad recipiendum ſacros ordines.

Ex dictis itaque ſuprà de naturâ dubitationis, & ſolutionis, nec non ex dictis de eligenda parte tutiori: ex additis denique modò de poſſeſſione, ſatis videtur commonſtratum, in nulla materia præterquam juſtitiæ valere ſolutionem dubii ex poſſeſſione.

QUÆSTIO XIV.

Utrum doctrina de tutiori parte teneat in rebus etiam difficilibus, & incommodis?

§. I.

Rei difficultas.

EST planè res hæc difficillima, ſi quid certo documento ſtatuendum eſt, nec ultrò, & arbitrio ſolo dicendum.

Etenim rerum præceptatum difficultas, ſive in certis ſimus, ſive in dubiis, nihil, & multum videtur facere, & intereſſe, quod profectò univerſim tractare ad mareriam magis de legibus videbatur pertinere, niſi ad limitandam datam in dubiis doctrinam de tutieri parte limitationem adhibuiſſent, ubi magnum incommodum non excuſat, hanc exiſtimando regulam magiſtralem, ut Medina *quæſt.* 10. *art.* 6. *dub.* 4. *concl.* 3. atque alii innumeri.

Videtur ergo in primis, nihili feciſſe legiſlatores difficultarem, ac incomoditatem rerum. Nimiròm orbis totius experientia ſatis conſtat caſtitatis ſervandæ difficultas, & incommodum, & pericula: & tamen juſſam illam voluit glorioſus Deus, cujus ſapientiæ non eſt numerus. Quam ſit deindè ardua dilectio inimicorum, nota res eſt, rara avis in terris, quæ non ceſſerit: & tamen hoe novum mandatum dedit, ac ſeverè commendavit unus Magiſter noſter Chriſtus.

Quod ſi dicas in rebus, quas intrinſecè malas vocant, nihil attendendam difficultatem, nihil incommodum, & pericula: hujuſmodi autem eſſe, quæ his præceptis prohibentur. Scitur ſanè quantæ ſint de eo circa præcepta ſecundæ tabulæ inter Thomiſtas, atque Scotiſtas diſcordiæ: ſcitur item, quantum in eo genere permiſerit, olim Deus in multitudine uxorum: odium deinde inimicorum eſſe intrinſecè malum non ita conſtat: ac rursùs non ſolum odium prohibetur, ſed ad dilectionem etiam obligamur: quod tamen haud videbatur bonum de ſe ſimpliciter, ac omninò neceſſarium ad finem noſtrum. Et tamen à Deo, qui juſtus eſt, juſſa eſt res tam ardua. Univerſa demùm lex Chriſtiana difficilis eſt, & ſenſui, & carni valdè incommoda, & repugnans, ut Paulus ingemiſcit, & ingemiſcunt, qui primitias ſpiritus acceperunt.

Prætereà ut res omninò ſeorſim à præcepto indifferentes proferamus, talis fuit comeſtio illa prohibita primis Parentibus; & quamvis præceptum de ſe videbatur ſervatu facilè, poſtquàm tamen ineſcata Eva fuit, avidę uxori, quam multùm adamabat, reſiſtere, non ita facilè; ſed ar-

dum, valdeque incommodum fortè fuiſſet Adamo. Et tamen tot, ac tanta mala ipſi primùm, ac nos deinceps incurrimus propter illam comeſtionem. Quis hanc tanti feciſſet, niſi quæ vidimus, vidiſſet, & quæ credimus, credidiſſet etiam reluctante diſcurſu ? Quæ omnia timere valdè faciunt, idque in animo firmum habere cogunt, quod ex Chryſoſtomo infrà tractabimus, Doctores quantoſcumque non aliud, quam ſervos eſſe legis.

Jam ex alia parte difficultas, & incommodum videntur multùm conſideranda. Nam ſi jejunare ſit valdè incommodum ſanitati, nocetque multùm, excuſatur quis à jejunando; & ſimiliter à recitando, à peregrinando &c. Et ne ſolas humanas, vel Eccleſiaſticas leges proferamus, in materia juſtitiæ, quæ jure naturali, ac divino præcepta eſt, quis in mutuo accipiens aliquid ultra ſortem propter damnum emergens excuſatur ex D. Thoma, Scoto, & veritate conſentientibus jam omnibus. Ecce incommodum, & damnum excipit cum à lege naturali, & divina non accipiendi aliquid ultra ſortem. Et vitæ periculum non excipit in materia caſtitatis.

Deindè ad eas opiniones veniendo, quæ probabiles, & totæ ab aliis judicantur, in gravi difficultate vel honoris, vel ſe, & familiam ſuſtentandi, non tenetur quis ſolvere, non tenetur reſtituere. Ex quo ferè unico principio univerſaliſſimè Principes aliqui nulli debita ſolvendo in magnas anguſtias redigunt plurimos.

In eiſdem aliquorum opinionibus non teneris removere occaſionem proximam, ſi periculum imminet jacturæ honoris; item ſi grave incommodum inſit, vel quia famulo utiliſſima eſt rei familiari ſervandæ, vel cibis etiam coquendis, in cujus defectu patereris plurimùm ? vel quia ſi famulus es ac domum ad tollendam occaſionem reliqueris, aliam haud invenies, ubi aut artem tuam diſcas, aut vivere poſſis. Alii temperarunt, vel reſtrinxerunt iſta ſemper obligando ad tollendam occaſionem illam ſaltem moraliter vitando colloquia, inſtando orationibus &c. Verùm iſta nec ſic reſtricta probarem; nam occaſio illa vix unquam moraliter removetur, niſi phyſicè auferatur. Et Evangelium clamat, abſcindendum pedem, eruendum oculum, ſi ſcandalizaverint. Sed nunc ad nos.

§. II.

Saltem in per ſe difficilibus tenemur ad tutius.

EX conſtitutis de natura dubitationis accipitur, quod & in ſequentibus agendo de poſſeſſione magis declaratum eſt, nec difficultatem, nec aliud ſive cœlum, ſive terram univerſam intereſſe quidquam ad ſolvendum, tollendumve dubium, quod ad veritatem rei, de qua dubitatur, nec facit, nec confert. In tantùm ergo difficultas, vel incommodum, & hoc genus cætera à tutiori parte deobligare aliquandò poterunt, in quantum per illa certum, vel credibile fiet, aut legem, de qua dubitatur, abſolutè non dari, aut pro hoc caſu, aut pro hac perſona non dari. Sin minùs ita arguere; *res eſt hæc difficilis valde, vel ardua: ergo non teneor;* perinde planè eſt, atque ſi argueres: *Turca dormit: ergo ego ſalto.*

Liquet vero ex inſinuatis initio quæſtionis, quod indubitatum principium eſt in Chriſtianiſmo, ex genere, ac univerſaliter difficultatem quantamque, & incommodum non eſſe ullum indicium non legis, ex quo in dubio arguere liceat pro non lege. Accipiunt enim ſancti Patres, quos & Theologi ſuo loco imitantur, velut principium ad probandam veritatem Chriſtianam ſummam legis noſtræ difficultatem, quia continet ad credendum obſcuriſſima, ad ſperandum valdè ardua, ad operandum difficillima, univerſæ carni, & mundo repugnantia. Adeò mirandum, eſt & dolendum ex principio contrario multas inductas eſſe opiniones operandi.

Concluditur ergo, res etiam difficillimas nobis juſſas eſſe: quoties ergo in rebus ſumus natura ſua difficilibus, vel difficillimis & incommodis dubitatio per difficultatem non ſolvitur; quemadmodum, ſi certò de lege conſtat difficultas in talibus nulla eſt exceptio uti ergo nulla eſt exceptio, caſtitas, aut dilectio inimicorum, aut non affectus divitiarum eſt mihi res difficillima; ergo non teneor. Ita in dubiis nulla eſt probatio: ergo nulla dubii ſolutio. At non ſoluto, ac depoſito dubio operari eſt peccatum juxta omnes.

Ratio autem manifeſta ea videtur, quod idem principium aſſumendum ſit ad ſolvendum dubium, atque ad probandam, & opponendam exceptionem legi certæ. Eſt enim, ut ex *libro præc.* conſtat, omnis utilis probatio, & ratiocinatio reducibilis ad probantem ſyllogiſmum; in præſenti verò ſive dubium ſolvere velis, ſive exceptionem probare, neceſſe eſt aſſumere hoc principium: *res difficiles, vel difficillimæ non præcipiuntur.* At hoc principium nec certum eſt, nec probabile opinabile, ut conſtat. Imò eſt per ſe falſum evidenter in Chriſtianiſmo; ut initio operis oſtenſum fuit, oſtendeturque denuò ad finem. Ideò in lege certa nullam exceptionem probat. Ergo nec in dubio probat non legem. Quarè non niſi temerè, & ultrò dubium deponetur.

Sed dices: ergo Deus, & natura, id eſt, Deus, & Deus, ac Legiſlatores cæteri volunt perire homines præcipiendo res difficiles, & difficillimas, quas ſcitur, non obſervandas plerumque. Sed videant hoc illud ferè idem eſſe, ex quo multi murmurant, Deum nolle, omnes ſalvos fieri; ſiquidem ea ſolùm iis auxilia impertitur, quæ ſcit, & ſcimus nos homines ignorantes, plerumque non habitura effectum nec in vitandis peccatis, nec in conſecutione ſalutis. Retuſus fuit ſtupor hic hominum aliàs: & quæ ibi de Deo adjutore, eadem hic de Deo Legiſlatore dicta ſunto. Ergo hic, ſi placet, cum ipſo diſputent, qui talia præcepit.

Dices: ſaltem difficultas probabit in legibus Eccleſiæ, quæ Mater eſt, & benigna. Sed tu vide, an Deus Pater non ſit, viſcera miſericordiæ habens? Itaque nec de lege Eccleſiaſtica valet, nec probat, quoties ſaltem dubium eſt in rebus per ſe difficilibus, & incommodis parum, vel multùm.

In primis enim in genere, & univerſaliter etiam Mater Eccleſia præcipit res arduas, difficiles. Talis eſt cælibatus in iis, qui ſacris ordinibus ſunt inſtituti: non parùm incommodum eſt jejunium quadrageſimale, ſi fortè purè Eccleſiaſticum eſt; difficiles valdè multæ caſuum reſervationes;

Digitized by Google

ti ones:onerоſum plurimis officium diurnum,&c. Hoc ergo probandi principium ſaltem eſſe nequit: *res eſt difficilis, & incommoda : ergo ab Eccleſia Matre non præcipitur*; nam Eccleſia Mater regitur à Deo Patte.

In ſpecie deindè irregularitas pœna eſt certè incommoda ſatis, & duta: & tamen in dubio ttaditur ſuſcipienda in citatis capitibus. Deindè inter cohabitantes conjuges ſatis eſt difficile ſimul conuivere, ac reddere etiam poſſe; petere verò non poſſe. Et tamen in dubio dè impedimento ita fieri decernitur *in cap. Inquiſitioni de ſentent. excommun.* & in dubio de vita ptioris mariti *in cap. Dominus de ſecund. nupt.* tum tamen diſpenſare ſaltem univerſaliter Pontifex & Eccleſia poſſet pro omnibus caſibus ita difficilibus, quoties ſaltem dubium oritur ex impedimento. Similiter *in cap. Illud de cler. excomm.* &c. traditur, Hildeſemenſem Epiſcopum in dubio de lata in eum ſenrentia prohibente debuiſſe non celebrare, quia *in dubiis tutior pars eſt eligenda*; & ſunt ibi alia in eandem rem. Ergo difficultas, quæ tunc honoris, & aliarum rerum conſiderabilis aderat, non ſatis dubium ſolvit, nec de obligat à parte tutiori nec in lege Eccleſiæ. Sed mox alia.

§. LII.

Quid in rebus per ſe non difficilibus?

EAs res, ac materiam legum per ſe difficilem voco, cui neceſſariò, vel ſaltem ut in plurimum ineſt difficultas, vel incommodum, vel dolor. Eam non per ſe difficilem, cui omninò accidit, nec ut in pluribus ineſt, ſed adeſt, & abeſt more accidentium difficultas.

De illa verò difficultate ſermo eſt, quæ ad ſolvendum dubium aſſumitur; poteſt enim materiæ alicui per ſe ineſſe difficultas etiam magna: & de iſta jam dictum eſt; & poteſt alia nova difficultas eidem accidete, & non per ſe, ſed pet accidens convenire. Quarè hic comprehendimus marerias etiam pet ſe difficiles, quatenùs quoad aliam difficultatem, quæ illis accidit, non ſunt per ſe difficiles.

Ex hac explicatione expeditum fortè cuiquam videantur propoſitæ quæſtionis reſolurio dicendo, in rebus per ſe difficilibus haud ſolvi, deponique ritè dubium per difficultatem, & incommodum, ut dictum eſt: ſolvi tamen, deponique ritè in non pet ſe, ſed per accidens difficilibus.

Rationem autem eam eſſe, quod ut ex materia de legibus accipitur, Legislarores reſpiciunt id, quod ſemper, vel ſaltem ut in plurimum accidit: quarè cum poſſint res etiam difficiles præcipere, quoties in matetia ſumus per ſe difficili, id eſt, vel ſempet, ut plurimum difficili, eadem eſt dubitatio de ipſa difficultate, arque de materia, an ſit ptæcepta; dubitarur enim de ea materia, cui talis difficultas ineſt per ſe, idcòque de illa ue etiam ſubeſt difficultati, quæ prætetiri non potuit. Intrant ergo in ipſum dubium difficultas. Oſtendimus autem univetſalitet pet ea, quæ ipſum dubium intrant, dubium non ſolvi.

Cum verò difficnltas accidit materia illa ut affecta ea difficultate, & incommodo, cum nunquam à lege reſpiciatur id, quod per ſe. Materia autem ea difficultare affecta, ſi ea ſit notabilis, videtur eſſe moraliter alia. Ergo hæc ptæter mentem Legislatoris fuit: etgo præter legem. Ergo difficulras, & incommodum per accidens conveniens ſolvit dubium; atque deobligat à parte tutiori, non quidem in ſenſu compoſito dubii, ſed tollendo illud, atque ſolvendo.

Sic materiæ jejunii accidit, me eſſe ægrotum, & difficulras,& incommodum pet accidens conveniens ſolvit dubium; atque deobligat à parte tutiori, non quidem in ſenſu compoſito dubii,ſed tollendo illud, atque ſolvendo.

Sic materiæ jejunii accidit, me eſſe ægrotum, & difficultas, & incommodum accedens jejunio ex ægritudine: ſimiliter materiæ recitationis horarum; audirionis miſſæ, &c. Quarè in dubio, an teneamur, ritè ſolvetur, dubium per difficultatem, & incommodum. E contra materiæ caſtitatis, dilectionis inimicorum, ac ſimilibus per ſe ineſt difficultas. & incommodum magnum: non ergo ſolvetur dubium per illa.

Nihilominùs hunc reſolvendi modum approbare non poſſumus; nam is in lege certa pro exceptione non valet: ergo nec in lege dubia pro non lege; oſtenſum eſt quippe, idem ad utrumque aſſumendum eſſe principium probandi. Antecedens porrò conſtat ex caſu Adæ; cui non comeſtio erat de ſe materia facilis; & illi omninò accidit difficultas magna reſiſtendi uxori avidæ. Similirer materiæ caſtitatis, etſi magna quædam difficultas per ſe inſit, accidit tamen alia maxima periculi vitæ, ut in ſancto Caſimiro; & tamen lex obligat: idem eſt in ſigillo confeſſionis, in mendacio, &c. cum motis periculum imminet.

Sed dices, valiturum modum propoſitum reſolvendi ſaltem, cum dubiratur de humanis legibus: nam in his valet pro exceptione, ut conſtat ex attactis de jejunio, de recitatione, ac ſimilibus. Etgo & pro ſolutione dubii.

Cæterùm nec ſic quidem audeo univerſaliter approbare modum iſtum. Nam multa incommoda videntur ſequi poſſe in multis materiis, ut in delationibus in rebus fidei faciendis, in caſibus reſervatis, &c.

Et quidem primò certum eſt, aut eſſe videtur, ſi difficultas accidens materiæ legis in augmento conſiſtat difficultatis, quæ per ſe eidem materiæ inerat, nihil nec ad exceptionem, nec ad ſolutionem facere. V. g. omnes communiter appetunt comedere, ex quo materia jejunii eſt aliqualiter difficilis: redditur autem difficilior, ac dura valdè vel ex magno gulæ vitio, vel ex magna fame, qua quis ex complexione, vel ex aliquo accidenti laborat: tenetur: nam ſi hæ pœnes magis, & minus variariones valeant, nihil erit in tuto.

Deindè differentia tealis mihi quoad nos occurrit inrer divinas, & humanas leges. Nec obſtare videntur exempla de ægroto non obligato ad jejunandum, & ſimilia. In his enim dicerur conſtare nobis poſitivè de mente Legislatoris, & Eccleſiæ nolentis eos tales ſub lege comprehendere. Quando verò nihil tale conſtar, ſtandum doctrinæ de ruriori parte; neſcimus enim, ac decipi facilè poſſumus.

Univerſum denique *quæſt. ſeq.* oſtendetur, quam ſit periculoſum dubia ſolvete per difficultarem, & incommoda. Quamobrem ut dictum eſt, minimè audeo prædictum modum approbare.

Id ſine metu dico, quoties difficultas, vel incommodum ſufficit pro exceptione in lege certa, vel ſufficeret, toties illud ſufficere pro deponendo dubio. Et certè hoc ſolum videtur ad præſentem materiam de dubiis pertinere, cui hanc tractationem intruſerunt: videre autem, quod, & quando incommodum exceptionem in lege certa, & quali probet, pertinet ad tractatum de legibus. Tamen utile fore exiſtimavi rei hujus pericula *ſeq. quæſt.* ſignificare.

QUÆSTIO XV.

Utrum ergo valde ſit periculoſum dubia conſcientiæ ſolvere per difficultates, & incommoda?

REmoveo nunc ab hac quæſtione epichejam, ſeu æquitatem, per quam ſæpè haud aptè intellectam ſolent multos caſus reſolvere; de ea quippè poſteà ſeorſim tractandum eſt; hic verò ſolùm de ſolutione dubiorum, ac depoſitione conſcientiæ dubiæ per difficile, & incommodum hoc ſolo titulo agimus, quod ad interpretationem quandam legis ſpectat; non ad epichejam.

Reſumo autem ex ſæpè dictis, dubium ſolvi ſolùm per inventionem veritatis; atque ſic per affirmationem, vel negationem rei illius, de qua dubitatur. Inventio porrò, ut eſt etiam commonſtratum, omnium infima, & citra quam nulla eſt inventio, affirmatio, vel negatio, eſt illa, quæ habetur per probabile poſitivè tale, ſeu credibile; ſumiturque ex iis, quæ ut in plurimum, ſervatis cæteris circunſtantiis ſeu conditionibus ſuprà explicatis.

Hinc ergo cum dubium omne de jure ſit. vel an ſit lex, vel an hanc perſonam comprehendat, vel an nunc, vel an hic, vel in hoc caſu ſub omnibus circunſtantiis ſuis? accipitur liquidò, in tantum per difficile, & incommodum ſolvi poſſe dubium, quantum difficultas, & incommodum miniſtraverit medium aliquod ad probandum ut minimùm probabiliter poſitivè, vel legem, de qua dubitatur, non dari; vel eam non comprehendere caſum præſentem. Jam enim ſatis toties oſtenſum eſt, illud probabile, quod nihil de non lege probat, nihil ſolvere; nihil invenit circa legem; at proindè nec circa non peccatum.

§. I.

Primum periculum ſolvendi dubia per difficile.

IN hoc ſanè proceſſu ſolutionis dubiorum, maximè verò in caſibus particularibus primum periculum ex eo imminet, quod ſic ſolvens, & reſolvens induit perſonam ipſam legislatoris, ipſiuſq; tum munus tum mentem, judicando, quid in hac re abſolutè, vel ſub his circunſtantiis, & quoad hanc perſonam viſum ſit Legislatori: quid rursùs viſum ei fuerit, ex eo deducit, accipiendo quid ei videri debuerit: probat enim ſic, vel ſic viſum, vel judicatum; quia ſic videri ei debuit, & oportuit hac occurrente difficultate, vel incommodo. Ecce de primo ad ultimum quamdam legum ferendarum ſufficientiam ſibi uſurpat ſic ſolvens, reſolvensque quilibet.

At quam ſit hoc periculoſum, quam item paucorum, & præſtantiſſimorum eam ſufficientiam habere, ut cætera omittamus, ſatis liquet ex iis, quæ Ariſtoteles 10. *Ethic.* 9. *&* 1. *Rhetor.* 1. & in tota ſua Politica ſcripſit: nec enim ſola ſcientia videtur ſufficere, nec experientia; requiritur etiam, quod *maximum eſt rectè etiam judicare.* Et certè quilibet quantuſcumque reflectere facilè poteſt, & timere, an ipſe tantus ſit, cui legis ferendæ ſufficientiam Reſpublica tribueret? Quod ſi hanc ſufficientiam non habet, nec judicare tutò poteſt, ſic, vel ſic videri debuiſſe Legislatori. Sanctè hanc in rem Auguſt. *lib. de ver. rel. cap.* 31. (Æternam igitur legem mundis animis fas eſt cognoſcere; judicare non fas eſt. Hoc autem intereſt, quod ad cognoſcendum ſatis eſt, ut videamus, ita eſſe aliquid, vel non ita: ad judicandum verò addimus aliquid, quo ſignificemus, poſſe eſſe aliter, & aliter; velut cum dicimus, ita eſſe debet, aut ita eſſe debuit, aut ita eſſe debebit, ut in ſuis operibus artifices faciunt.)

Accedunt in caſibus particularibus magna illa errandi pericula amor, & odium; ſpes, & metus. Ut verò hæc omnia clariùs inſpicias, viſum eſt ex multis aliis hæc pauca ex Ariſtotele dare 1. *Rh.* 1.

(Maximè igitur convenit, ut quæ rectè poſitæ ſunt leges, cuncta ipſæ explicent, quæ explicari queant, & quam minima judicibus relinquant. Primùm quia unum, aut paucos prudentes, qui leges ferre, aut judicare poſſint, facilius eſt invenire, quam multos. Deindè quoniam longi temporis conſideratione leges feruntur: judicia breviſſimè conficiuntur, difficile eſt, ut benè à judicibus juſtum & conducibile diſtribuatur. Illud autem omnium maximum eſt, quod Legislatoris judicium, non de ſingulis, nec de præſentibus, ſed de univerſalibus, & de futuris eſt: Senator verò, & judex de præſentibus jam, determinatiſque judicant. Undè ſit, ut cum ament, & oderint, ſua quoque utilitas connexa ſit, non ſatis queant veritatem perſpicere, ſed propria vel voluptas, vel dolor judicia obumbret. Quarè minimam cæterarum rerum partem judici tribuendam dicimus;) ſed ſolum factum, vel non factum, &c.

Hæc, quæ veriſſima ſunt, à fortiori comprehendere videntur Doctores, caſuumque Reſolutores omnes, cum abſurdum ſit, plus poteſtatis Doctoribus convenire, quam judicibus. Urgent verò rationes propoſitæ, cum ubique facilius ſit, paucos prudentes, qui leges ferre queant invenire, quam multos: cum item reſolutiones caſuum breviſſimè, ſicut judicia, imò brevius multò conficiantur. Cum denique amor & odium, ac cæteræ ex his reſultantes paſſiones: præſentia necnon perſonarum, & objectorum obumbret judicium, nec veritatem perſpicere ſinat. Accedit, bonum ſpirituale, ad quod leges conſcientiæ diriguntur, eſſe nobis cognitu difficilius multis de cauſis, quam bonum temporale civitatis, vel Reipublicæ, quod præcipuè ab humanis legibus reſpicitur: ſumus ergo minus ſufficientes de eo judicare, quid cui, & quando conveniat. Periculoſum eſt ergo judicare; hoc Legislator voluit; quia hoc velle debuit, quia hoc eſt bonum, hoc juſtum &c.

De legibus verò præcipuè naturali, ac divina agendo, quis ille tantus, qui tutò dicere queat, hoc, vel hoc Deus voluit, quia velle debuit: ſic, vel ſic ei viſum, quia ſic, vel ſic videri

debuit? Ubi certè metum injicere debet factum Saulis (1. *Reg.* 13.) Nam *neceſſitate compulſus* (ait) *obtuli holocauſtum*: & videbantur ſanè cauſæ urgere graviſſimæ. Et tamen Samuel reſpondit: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui.* Si namque pueris, & ſapientiſſimis vix non contraria omnia placent, ac videntur, quid de nobis exiſtimandum erit comparatione Dei? Et certè à principio mondi; maximè aotem in adventu ſuo contraria fermè omnia nos nobis relicti exiſtimaremus forte facienda. Quod,ut harum nunc rerum diſcuſſionem prætercam, illud ſatis videtur demonſtrare, quod ea, poſtquam etiam facta ſcimus, & credidimus, non ita facilè intelligamus, nec ſine labore à calumniantibus defendamus. Ex quibus generalibus, ſed veris,credo, principiis deducitur, laudandos in hoc valdè Juriſtas, & Canoniſtas, qui legibus ſuis ſunt multum addicti, atque erubeſcunt ſine lege loqui: eſt enim periculoſum de legibus, vel præter leges quidquam ſine certa aliqua dirigente lege judicare.

Undè obiter periculum eorum videas, qoi in materia paopertatis ad licentias interpretativas confugiunt. Nam ſuperioris tutò ſcire, & ſic interpterari volontatem eſt difficile, ob eas fermè, qoas ex Philoſopho delibavimus, rationes;maximè verò propter tertiam. Et etiam quia ſuperior bonum commune præcipuè reſpicit, ſcitque ſemper multa, quæ latent ſubditum: propter quę alia ſæpè utriſque videntur. Adde, quod id etiam ipſum, quod ſuperior conceſſurus eſſet petita licentia, jure non vult fieri ea non petita. Quarè ſciendum eſt, non ſolùm quid ſuperior velit, ſed quid etiam non petita licentia.

§. II.

Aliud periculum ex defectu menſuræ certæ.

IN ſolutione dubiorum per difficile, & incommodum imminet hoc aliud grave errandi periculum; nam difficile, & incommodum non conſiſtunt in indiviſibili, ſed habent parvum, magnum, maximum, plos, & minus. Idem deindè incommodum eſt magnum reſpectu unius, parvum reſpectu alterius. Item idem incommodum, quod in ſe magnom videtur, comparatum ad aliud majus videtur parvum: item quod non magnum in ſe videtur, cumparatum ad minus videtur magnum.

1. Jam verò certa menſura deſtituti ſumus ad magnum, & parvum diſtinguendum. Si qua deindè eſſet, neſcimus, an incommodum quaſi abſolutè menſurandum, ſit, an comparativè tum ad perſonas, tum ad incommoda alia magna, & parva.

Item videmur neſcire, an menſurandum ſit in ordine ad finem, ad quem comparata omnia ſunt parva, & momentaneum, & leve tribulationis noſtræ appellatur ab Apoſtolo: modicum etiam à Chriſto ipſo: ſic autem comparativè ad finem menſurare omnia vitæ hujus incommoda videmur edoceri à prudentibus, a ſanctis ſcilicet viris.

Itaque propter dictas cauſas tam in phyſicis, quàm in moralibus arduum eſt, & perdifficile magni, & parvi menſuram certam aſſignare, ut ex libro de inſectilibus lineis ex diſceptatione Ariſtotelis cum Zenone ſatis etiam conſtat.

Eſt prætereà periculum aliud; nam ubi eſt magnum, & parvum, eſt etiam medium nobis ignotum, & materia quaſi dubia: nam ipſum etiam parvum eſt majus, & minus; & ipſum magnum parvum; atque inter parvum magnum, & magnum parvum non diſcernimus, eſtque nobis per ſe ignotus, & ſic neuter, & dubius tranſitus à parvo in magnum: & ideò, ut Auguſtinus acutè obſervat, ſi quis de puero ſemper interrogaretur, quando fiat adoleſcens, aut vir, nunquam dicere poſſet, *nunc*: ex quo infrà de parvitatibus materiæ, in quibus infinita quædam variatio facta eſt, tractabatur: ſed nunc omittimus.

Hanc itaque rem undique reddit obſcuram, & periculoſam defectus certæ menſuræ de magno, & parvo. Hinc tanta illa Theologorum difficultas ad 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. in invenienda certa regula ad tutò dignoſcendum, quæ leges graviter, & ſub mortali; quæ leviter, ac ſub veniali ſolùm obligent: licet enim quandò graves præſcriptæ ſunt pœnæ, ex hoc arguatur gravis obligatio; de ipſa tamen pœnarum gravitate oritur mox quæſtio, & eædem pœnæ, ut ſuſpenſio, & interdictum, aliis quidem graves, aliis leves eſſe videntur. Aliquandò deindè de pœnis non conſtat. In lege denique Chriſtiana ſæpè ſæpius nos ipſi gravitatem primùm legis menſuramus;atque hinc deinceps pœnam,& his,vel aliis rebus Purgatorium vel infernum noſtra nos ipſi menſura taxamus.

An ergo, quod plerique faciunt, arbitrio prudentis relinquenda hęc omnia:tum legum gravitas, vel non gravitas,tum incommodum, de quo diſputamus? Nimirum S. Iſidorus *l.* 5. *Etymol. c.* 21. legem tradit debere eſſe poſſibilem; quod S. Thomas *quæſt. allegata art.* 3. exponit, ſcilicet obſervata naturæ poſſibilitate; *non enim*, ait *eadem imponenda ſunt pueris quæ imponuntur viris perfectis.*

At ex poſitis in hac quæſtione ſatis conſtat, quanta inde immineat rerum omnium pertubatio; quot item errandi pericula, ſi hæc omnia ſic generaliter arbitrio eorum, quos prudentes vocamus,citra omnem regulam dijudicanda relinquãtur: idem enim incommodum diversè comparatum magnum,& parvum videbitur infinita deinde ſequetur opinionum multitudo,& confuſio; cum enim plus fortè,interiori diſpoſitione differamus, quam in facie, vix unum idem duobus videbitur. Incidimus rursùs in ęquiterem cerèbrinam, quam valdę pernicioſam meritò arbitrari Juriſtę videntur. Quę tandem omnia magis conſtabant, ubi agebatur de parvitate materię.

Urget denique, quod tam eſt difficile prudentes, & non prudentes, & qui ſolùm eſſe videntur, ſed non ſunt; atque magnum, & parvum, grave, & leve dignoſcere:

Habemus quidem in quibuſdam legibus ab ipſo Legislatore admiſſas menſuras de incommodo: & ſi ad legem jejunii non obligantur neque pueri, neque ſenes. Aliquando etiam magnitudo mali eſt manifeſta, & omnibus indubitata, ut febris, quę a jejunio & officio, atque ab aliis exceptionem facit.

At quando non ſumus in rebus ita manifeſtis, videmur teneri ad tutiorem partem, quia ſumus in dubio. Quod pręter dicta probat etiam, quod tum in aliis Religionibus,tum in Societate Jeſu in ſimilibus ſuperiores privilegium habent commutandi officium: at privilegium probat obligationē in non privilegiatis. Ideò etiam S. Thomas *in* 3. *diſt.*

diſt. 37. quæſt. 1. art. 4. tradit, neceſſariam eſſe diſpenſationem, etiam quandò ceſſat intentio, & ratio legis. Ergo à fortiori in dubio.

Ex his non video, cui certæ regulæ innitantur opiniones liberantes à jejunio, vel à miſſa iter facientes, & alios; ac multas hoc genus reſolutiones. Infrà tamen, ubi de parvitate materiæ, videbimus, an regulæ aliquæ inveniri queant, citra quas omnia ſint dubia.

§. III.

Aliud periculum ex menſura claudicante.

IN rebus juſtitiæ, quæ proximum reſpiciunt, imminet periculum aliud ex claudicatione menſuræ: omnis enim menſura recta in materia juſtitiæ reſpicit medium rei inter partes. Accidit autem perſæpè, ut quis magnum incommodum paſſurus ſit, ſi ſolvat; & ſic dicitur non eſſe ſolvendo; at hæc menſura prætterit incommodum creditoris, ſi non accipiat: ceſſat autem in hoc caſu privilegium poſſeſſionis, ut ex dictis ſuprà accipitur: claudicat ergo menſura.

Eſt deindè hoc circa conſiderandum, quod incommodum, ex quo adſolutionem, alioſque actus juſtitiæ quidam dicuntur non teneri, conſiſtat in neceſſitate quadam: in hac autem menſuranda deficitur; quia ſæpè illa eſt voluntaria: ſæpè eſt neceſſitas non ad neceſſaria, ſed ad ſuperflua; & ſic non eſt neceſſitas: ſæpè homo ignobilis propter negotiationes, & uſu alienæ pecuniæ in factum evadit nobiliſſimorum. Qua, precor, certa menſura juſtitiæ hic à ſolvendo deobligari poteſt, ne ab eo gradu cogatur deciſcere? & interim creditores incommoda multa patiuntur.

Quoad Principes demùm, etſi ſciatur, bonum commune præferendum bono privaro, non tamen quodlibet cuilibet, v. g. parvum commune, vel habens evitabile malum, vel non ita neceſſarium privato magno, & in valdè neceſſariis. Menſurare porrò hæc omnia, & ſingula tum abſolutè in ſe, tum comparativè comprehenſa habere quiſque videt, quam ſit difficile, & quanta ſint excedendi, deficiendique pericula.

Ea hic regula tradi poſſe videtur, quod quilibet in conſcientia teneatur ad ſolutionem ac cæteros actus juſtitiæ in iis omnibus caſibus, in quibus re ad forum exterius deducta illiuſque quoad factum ſcita veritate, ut ſciri ſupponitur in foro conſcientiæ, jure obligaretur à Judicibus: nec enim quoad pro hoc conſcientia adſunt aliæ regulæ, quam juſtitiæ, quod unuſquiſque habeat, quod ſuum eſt. Raro autem accidit, ut quis propter incommodum in judicio liberetur à ſolvendo, nec in eo videtur attendi difficile, ſed impoſſibile, & quod quis revera non ſit ſolvendo, id eſt, non habeat, undè: ſin minùs domos, & cætera cogunt vendere. Proferatur enim ubi vel privilegium extet pro conſcientia.

Ex his dici poteſt ad multas opiniones, quæ ſunt de his rebus, liberantque à ſolvendo, aliiſque obligationibus propter incommodum, & difficile. Adit Petrus Conſultorem: proponit anguſtias rerum ſuarum: neceſſe eſſet, ut Paulus creditor ſimul vocaretur, audireturque: fortè enim audito utroque non id æquum Conſulrori videretur, quod audito uno viſum fuit. Certè ut tuta eſſe poſſet reſolutio, neceſſe foret utriuſque incommodum æqualiter habere notum, dato etiam, quod per incommodum quis aliquandò liberetur. Sed de his alias multa.

QUÆSTIO XVI.

Utrum Epicheja, ſeu æquum, & bonum in dubiis locum habeat?

AD præcedentium munimentum hîc de epicheja tractare neceſſe fuit, per quam ſcilicet in rebus incommodis explicare legem aliqui ſolent; nos contra videmur epichejæ omnique æquitati aditum interclusiſſe In præcedentibus ad tutiorem ſemper partem obligando. Quod eò videtur durius, quò omnes ſemper non ſolùm epichejam admiſerunt, ſed etiam inter virtutes numerarunt. Adeò per eam aliquandò legem lenire, atque interpretari non tutum modò, ſed etiam virtus eſt. Scribimus verò epichejam modo vulgari uſitatiorique facilitatis cauſa.

Omiſſis ergo aliis circa epichejam tractandis, ſolùm è re noſtra eſt videre, an ea locum habeat in dubio? Et primum quæri poteſt, an quoties ex emergente incommodo lex videtur non obligare, ut in præcedentibus quæſtionibus aliquibus Autoribus videbatur, ſit tunc locus epichejæ? Nimirùm æquitas, ſeu epicheja ad plurima paſſim adducitur, ut rectè obſervavit Caetanus infrà citandus. Et ita in iis omnibus caſibus ſe ut epicheja vel putabunt, vel dicent.

Magis tamen materiam reſtringendo multi diſtinguunt: vel in dubio conſuli poteſt ſuperior? Et tunc non eſt locus epichejæ; nam ejuſdem eſt condere, & interpretari legem ex *lib. placuit C. de judic. & ex aliis.* Vel conſuli non poteſt, vel propter loci diſtantiam, vel quia res urget? Et tunc dicuntur locum eſſe epichejæ, Breſſerus *lib. 4. cap.* 17. & alii ab eo relati. Et probant; quia mandata Dei gravia non ſunt 1. *Joan.* 5. onus ejus leve *Matth.* 11. &c. Verùm hæc videntur eſſe abs re; quia ex communi & vera ſententia epicheja locum non habet in lege naturali, & divina, & initio operis oſtenſum eſt, quam abſurdè hanc mandatorum ſuavitatem obtrudant. Secundò, probent, quia, ut generaliter oſtenderunt, leges maxime verò humanæ non obligant cum gravi incommodo. Sed de hujus doctrinæ inſufficientia dictum eſt ſatis. Deindè ea etiam conceſſa, nulla eſſe epicheja. Denique Vaſquez *diſp. 76. cap.* 3 efficaciter rejicit utriuſque concloſionis incohærentiam.

Ipſe verò Vaſquez *num.* 15. admittit epichejam, quandò occurrit dubium de lege humana, an ea in re, vel caſu potuerit ea obligare: tunc enim non agitur & interpretatione legis, quæ ad ipſum Legiſlatorem pertineat: ſed de poteſtate ferendi legem pro eo caſu; quod ex regulis ſcientiarum Doctores conficere poſſunt. Cæterùm ſi de poteſtate conſtat, & de ſenſu legis dubitatur, nullam æquitatem concedit, ſed obligat ad tutiorem partem. Sed ex dicendis conſtabit de hac Vaſquii, atque de aliis aliorum opinandi modis.

§. I.

De epicheja, ſeu de æquo, & bono quid ſint?

ACutè notatum fuit ab Ariſtotele 5. *Ethicor.* 10. æquum, & bonum non ſolùm non probari, ſed interdum abſurdum etiam videri rationem ſequentibus, ſi illud quidpiam præter juſtum ſit. Ut enim ipſe ait 2. *Metaph. c.* 3. unuſquiſq; conſuevit, ita putat judicari debere, & exactè dicere aſſueti, quales ſunt, qui rationam ſequuntur, nonniſi exactè dicta probant: ſicut è contra quidam, qui ad id non valent, eò ait deveniunt, ut etiam tædeat eos certitudinis. Æquum autem, & bonum omninò videtur eſſe ſine ratione; ea enim, in quibus ratione deſtituimur, æquo, & bono determinanda relinqui ſolent: ſicque per univerſam moralem Theologiam infinita determinantur. Quod animadvertens Cajetanus 2. *quaſt.* 120. *art.* 1. utiliter monuit, & hoc benè notent ſapientes in oculis ſuis, qui etiam, quæ juris ſunt divini interpretari præſumunt, in caſu non eſſe intelligenda: & dicunt, ſe uti epicheja, ſeu æquo, & bono.

Epichejam itaque pro æquitate latini uſurpant, vertuntque. Tractavit autem Ariſtoteles de hac æquitate, ſeu dè æquo, & bono 9. *Ethic.* 10. & 1. *Rhet. c.* 13. & utrobique idem tradit, exactiùs verò in Ethicis.

Ponit porrò rationes quaſi dubitandi utrimque. Nam æquum, & bonum ad juſtum pertinere, videtur inde conſtare, quod laudamus æquum, & bonum virumque talem. Aliundè verò, ut nuper dicebatur, rationem ſectantibus abſurdum videtur æquum, & bonum eſſe laudabile; quia ipſum juſtum ſtudioſum, id eſt, in ratione, ac veritate fundatum eſt: quarè vel æquum, & bonum nihil eſt præter juſtum ipſum, vel nequit eſſe laudabile.

Reſpondet, reſoluitque, ritè hæc omnia cohærere; & quod juſtum ſtudioſum ſit; item æquum, & bonum; ſit tamen hoc aliquid præter juſtum aliquod, & præſtabilius ipſo, & maximè laudabile, & virtus. Rationem dat; quia æquum & bonum juſtum quidem eſt, non autem lege, ſed emendatio legitimi juſti, ſeu juſti per legem conſtituti, & præſcripti.

Cauſa autem eſt, ait, quia lex quidem omnis univerſalis eſt: fieri verò non poteſt, ut de quibusdam rectè univerſaliter dicatur. (In quibus igitur univerſaliter quidem dicere, neceſſe eſt; fieri autem non poteſt, ut rectè dicatur, in iis lex id accipit, quod fit plerumque, non ignorans peccatum. Et eſt nihilominùs recta; peccatum enim non eſt in lege, neque in Legiſlatore, ſed in ipſa rei natura. Continuò namque rerum earum, quæ ſub actionem cadunt, materia talia eſt. Cum igitur lex univerſaliter quidem loquitur: in his autem præter univerſale quidpiam accidit, tunc rectè ſeſe habet, ut ea parte, qua Legiſlator omiſit atque peccavit abſolutè locutus, emendetur defectus. Quod ſi ipſe Legiſlaror adeſſet, hoc modo dixiſſet; & ſi ſciviſſet, jubenrem legem tuliſſet. Quapropter juſtum quidem eſt, & præſtabilius aliquo juſtò, ſed eo, quod peccat, propterea quod ſimpliciter dictum eſt. Atque hęc eſt natura ipſius æqui, & boni emendatio legis ex ea parte, qua deficit ob univerſale.) Hæc ille.

Exemplis rem exponit S. Thomas *dicta quaſt.* 120. *art.* 1. nam lex eſt reddendi de poſitum: contingit tamen id eſſe notiuum, ut ſi furioſus depoſuit gladium, & eum repoſcat in furia: vel ſi aliquis repoſcat depoſitum ad Patriæ impugnationem, &c. Et ad hoc ait, ordinatur epicheja.

§. II.

Ulterior rei explicatio.

ET primùm quidem ex dictis accipitur, epichejam non habere locum in lege naturali; quia licet naturæ particulares deficiant, & peccent, ut in generationibus monſtrorum, & aliis, & in ipſis etiam rebus naturalibus ſit probabile, ut ſenes caneſcere, de quotum natura ubique eſt plerumque quidem contingere; in aliquibus tamen deficere: nullus tamen defectus, vel peccatum ullius legis accidit, cujus emendatio vel contra, vel præter legem naturalem univerſam ſit; imò ipſa emendatio à lege ipſa naturali dictatur, & præſcribitur, ut in exemplis ex D. Thoma adductis conſpicitur, & videtur in aqua, quæ à natura deorsùm fertur: ſed aliquandò fertur ſurſum ad replendum vacuum; ſed hoc ipſum eſt à natura. Imò explicuimus *libro præc.* de probabilibus nullam eſſe in monte aſſertionem de illis univerſalem non reſtrictam niſi ex ignorantia: natura autem non eſt ignorans. Et ſic lex naturalis in probabilibua non eſt omninò univerſaliter dicta; & ſic nec peccat. Deindè ea, quæ de lege naturali eſſe cenſentur, in nullo ſingulari vel deficiunt, vel peccant. Addemua mox alia.

Ex quo denuò liquet, quod Cajetanus jure urget, ad epichejam, ſeu æquum, & bonum non ſufficere, quod in aliquo particulari ratio legis non urgeat. Alioquin ſimplex fornicatio liceret in aliquibus; ſimiliter pollutio in nunquam generaturis: cum rationes harum legum in iis non urgeant, quin multò minus, quam in conjugatis aliquibus. Et ſic ſequeretur legem naturalem emendari poſſe; cum æquum, & bonum ſit legis emendatio: velle autem emendare naturam, ac legem naturalem, cujus Deus Autor eſt, eſſet plenum ſtultitia. Ratio itaque legis non eſt ut in hoc, vel ut in illo, ſed ut per ſe, & ut in plurimum: ſimiliter finis: Quarè quærere, an ceſſante ratione, vel ſine legis in aliquo ceſſet in eo lex, eſt implicantia quærere, nam finis legis non eſt particularis.

Similiter non eſt epicheja ceſſare legem ceſſante ratione, & fine legis, ſcilicet univerſaliter, ut lex de abſtinendo ab immolatis, & ſuffocatis, quæ initio Eccleſiæ obligabat, ceſſavit ea de cauſa. Eſt enim, ut Doctores loquuntur, ratio legis mens legis, & anima legis, & 1. *quaſt.* 1. *Marcion.* dicitur non in foliis; ſed in ſenſu conſiſtere Evangelium. Quare ſicut per ſeparationem animę homo moritur, ſic ceſſat, & perit lex ceſſante ratione illius.

Sequitur eodem modo, nullam eſſe epichejam in lege divina; nam ad illam, ut viſum elt, non ſufficit, rationem legis non urgere in aliquo; ſed requiritur, quod lex poſitivè peccet, & in malum ducat, niſi emendetur, ut liquet ex doctrina poſita, & ratione Philoſophi: eſt enim juſtum quid, & virtus & laudatur, & eſt neceſſaria: ea autem non facere, quę mala non eſſent, nec juſtum

juſtum quid eſt, nec virtus particularis, nec neceſſarium. In lege autem Dai nihil eſt hujusmodi.

Sed dices: eota honeſtas, & neceſſitas epichajæ orta eſt ex ao, quod leges ſint univerſales: verſantur autem circa actiones humanas; da quarum natura eſt, quod in aliquibus deficiant atiam contrariè, & obliquè: ergo in omni lege locum ea habet; nam omnis materia eſt ejusmodi. Nimirùm de lega Dei eſt ſolvere debitum: & tamen non teneor, ſi ſcio, credirorem mox, ſi ſolvam, impugnaturum Patriam: item uxorem eſſe ſub poteſtate viri: non tamen tenetur, ſi is furioſus; imò in utroque caſu, & ſic in aliis juſtum eſt contrarium, & virtus.

Reſponſio communis, apichejam, & emendationem legis tunc propriè dici, & eſſa, cum defectus legis particularis, ejusque proindè directio ſunt præter mentem, ac voluntatem ipſius Legislatoris; adda, nec ipſo Legislarore, Autore; & idcircò nec in humanis legibus apicheja eſt legem univerſalem per particularem itidem aliam legem in aliquo particulari caſu dirigere; nam hoc totum eſt ipſius legis, & Legislatoris; non autem æqui, & boni. Nulla porrò directio ullius legis particularis Dei contingare poteſt præter mentem, & voluntatem ipſius; imò ipſo non autore, & dirigenta vel per legem aliam ſcriptam, vel ſaltem pat interiorem. Idcircò nefas dictu eſſet, nos aliquam Dei legem emendare. At Legislatores homines, licet & ipſi prævideant futuros dafectus in generali, neſciunt tamen, ubi, & quando, & in particulari; nec particularium directionum legis ſunt Autores, & directores; quare per æquum & bonum ſuppletur eorùm defectus, quod & emendatio legis, & epicheja dicitur.

Ex his verò liquet, falsò Cordubam *lib. 3. de conſcient. quaſt. 3. §. pro quo nota*, & alios admittere æquitatem, ſeu epichejam etiam in jure divino. Quod autem ad hoc aſſarunt, omnia mandata tua æqoitas; item: mandata tua facta in varitate, & æquitate, potius probat contrarium; imò quia in omni æquitate facta haud indigent æquitatibus, & æquilizationibus noſtris; quia juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.

§. III.

Ex his ad quæſtionem.

EX his ad quæſtionam patet primò, in nullo legis dubio, in quo pars tuta eſt, eſſe locum æquo, & bono ad liberandum ab ea parte. Nam æquum, & bonum ſeu epicheja eſt virtus particularis, cujus natura eſt emendare legem, quando peccat; at quando pars lagis eſt tuta, lex non peccat: nec emendatione indigat, quandoquidem ſine peccato impleri poteſt. Ergo.

Quapropter poterit ſanè quisque aliquam novam epichejam vltrò ſibi confingere præter, & contra naturam epichejæ pridem inventæ, & definitæ, & explicatæ, & ſpecioſo vocabulo illudendo deobligare à parta tutiori, in qua nullum eſt peccatum. Tamen id nec aptum erit, nec tutum.

Patet ergo ſecundò ſolùm eſſe locum epichajæ, & æquo, & bono, quando eſt concurſus contradicentium legem; nam apicheja eſt ad evitandum peccatum legis; imminet ergo peccatum; ſi juxta legem fiae: aſt ergo ex alia etiam parte lex aliqua, & obligatio; cum ſina lege, & obligatione non ſit locus peccato.

Jam ergo quæritur, utrùm non ſolùm ubi certò conſtat peccatum legis, ſed etiam quando eſt dubium, ſit locus epichejæ? ſcilicet ſcitur certò, legem univerſalem quidem adeſſe, ſed in caſu aliquo particulari dubitatur: an illa deficiat puta in in exemplis S. Thomæ, & ſimilibus? nam certa quidem eſt lex reddendi depoſitum; ſed dubitatur, an dominus gladii ſit in mania, & ſit aliquem occiſutus; vel an dominus pecuniæ ſit impugnaturus patriam; vel an ſi domo egrediaris ad ſacrum in die præcepti, ſis occidendus ab hoſtibus.

Dicendum eſt, in propoſitis, ac ſimilibus caſibus non eſſe dubium de lega, ſed de materia legis; nam certa lex eſt impediendi impugnationem Patriæ; & vitam propriam tuendi, & ſolùm dubiratur, an ſit ſecutura impugnatio, vel occiſio. Et primùm quidem propter legem da parte tutiori tenemur in prædictis caſibus etiam dubiis ad malum gravius vitandum, ſcilicet occiſionem, & impugnationam Patriæ; nam prævalent res magnæ etiam dubiæ aliis minoribus etiam certis. Hæc tamen directio legis, in quantum pertinet ad lagem humanam de reddendis depoſitis epicheja eſt: in quantum legem naturalem juſtitiæ, non eſt epicheja: in caſu autem de audiendo ſacro, ac ſimilibus humanæ lagis eſt ſemper epicheja, & emendatio legis, ut ex dictis accipitur: & ſemper regula de tutiori & epicheja ſeſe communiunt; tam longè hæc abeſt ab illa infrigenda.

Deducitur contra poſitam à Vaſquez diſtinctionem, nihil quod epichejam differre, an ſit caſus, in quo de poteſtate Legislatoris dubitetur, an caſus, in quo, cum poteſtas ſit certa, da ſenſu legis dubitatur? Nam utrobique, ſi lex peccat, eſt locus epichejæ: ſi non peccat, nullibi; ut tenemur ad partem legis per doctrinam univerſalem de parte tutiori. Nec, ut toties eſt notatum, valent opiniones facientes æqualitatem; nam hæ non tollunt dubium.

Similiter contra alios nulla eſt epicheja, ubi de ſenſu legis dubitatur, nec patet aditus ad Legislatorem pro ſciendo varo ſenſu, niſi ex alia parte immineat peccatum, & defectus.

Eodem modo ad epichejam non pertinent licentiæ interpretativæ, quæ rarò legitimæ ſunt, & ſolùm licant dum quadam reſtrictione, ſi cui religioſo v.g: occurrat in via neceſſitas aliqualis emendi aliquid, ad quod poſteà deerit occaſio, nac ſuperior adeſt: poteſt quidem voluntatem ſuperioris interpretati; quem tamen debebit poſteà certiorem facere, & paratus eſſe ad reſcindendum factum, ſi reſcindi poteſt: hæc tamen non eſt epicheja. Et ſic patet ad alios caſus.

Deducitur etiam, epichejam rem eſſe in unaquaque lege rarò contingentem; nam leges rarò peccant, & hæc eſt natura probabilium, ut rarò deficiant, ut ex toto *præc. lib.* conſtat. Quarè ſi caſus eſt in materia aliqua legis ſatis frequens, non eſt locus epichejæ: ſi ſecus hat, ſignum eſt, quod non defectum particularem legis; ſed legem ipſam quis vult emendare; qood nefas eſt. Hoc idem obſervandum eſt in interpretationibus, ut bonas, & malas diſcernas. Quæ tamen, & alia ulteriùs exponere prætereo.

APPENDIX
DE
NATVRA OPINIONIS:

Vbi oſtenditur circa quæ intellectus opinari poſſit, & denuo tota Doctrina Operis commonſtratur.

VT queſtione prima prolocutus ſum, rerum tractandarum ordo, & perſpicuitas coëgit ad iſtas de natura opinionis magis ſcholaſticas quæſtiones non commiſcendas reliquo Operi, ne rerum moralium, quas expedivimus, diſputatio ſatis ſanè implexa, inde denuò redderetur implexior. Ad earum porrò ſcientificam, & abſolutiſſimam cognitionem adeò & neceſſarium naturam opinionis exactè noſſe; ſcire item, circa quæ intellectus opinari poſſit, & circa quæ non poſſit,) quas certè res ſupponunt magis multi, quam vel examinant, vel ſciunt) ut prorſus exiſtimaverim abſurdum iſtam partem appendicis ſaltem loco non exhibere. Hic, opinor, videbit Lector, quam multa falſa ſupponant multi ad ſuas morales reſolutiones attexendas. Hic rursùs inveniet, quam ſint vera, quamque naturæ ipſis rerum, intellectus ſcilicet noſtri, & opinionis conformia quæcumque ſuperiùs & de probabilibus, & de dubiis conſtituta ſunt. Hic demùm conſpiciet, minus probabilia, & æqualiter probabilia ex ipſa opinionis natura regulam conſcientiæ eſſe minimè poſſe.

QUÆSTIO I.

Vtrum abſurdum videatur, poſſe opinari æqualiter probabilia, & minus probabilia.

NOn quærimus, utrum poſſimus opinari talia, ſed ſolùm, utrum poſſe opinari talia, videatur abſurdum. Etenim quæſtione ſequenti tractabitur, an poſſumus opinari ſimilia ibique Auctores dabimus negantes, id eſſe poſſibile. Nunc porrò abſurda aliqua proponemus proſequemurque, quę ſequi videntur ex eo quod opinari poſſumus æqualiter probabilia, & minus probabilia.

§. I.

Reſponſio affirmans.

MUlti docuerunt non poſſe prædicta illa opinari, dixeruntque cum æqualia fundamenta habemus affirmando, vel negando opinandi, manere nos neceſſariò immotos, & in ſuſpenſo: Quemadmodum bilances, & agentia cætera naturalia manent in ſuſpenſo, & immota, quoties utrinque, vel utroque impelluntur æqualiter.

Ad hoc tamen ipſorum adverſarii reſponderunt, tunc intellectum determinari ad alterutrum ex imperio voluntatis: Quemadmodum bilances æquilibres faciles manu inclinari, ducique poſſunt ad unam partem præ alia. Quarè niſi removeatur recurſus ad voluntatem, videtur nihil omninò profici. Nunc ergo per imminentia abſurda removendus eſt hic recurſus.

Primò quidem, ſi hic recurſus ad voluntatem rectus, & prudens eſt, ſequi videtur, nos poſſe ſingulis momentis mutare opiniones ſine vitio. Sed quia adverſarii in opinionibus moralibus aliquas ad hoc ſolutiones adduxerunt nos nunc ad quæſtiones merè ſpeculativas recurremus, in quibus præcepta, leges impedire non poſſunt. Etenim extantibus æqualibus ad affirmandum, & negandum, ego prudenter affirmo, & non nego, quia volo. Sed in ſequenti momento idem fundamentum habeo in objecto ad affirmandum, nec mea mihi libertas ablata eſt. Ergo ſicut initio, potui negare, & non affirmare, & determinatio facta fuit per voluntatem, ſic poſteà negabo, & non affirmabo; determinatio quę fiet per voluntatem.

In hoc in primis nullum fit præjudicium legibus & præceptis, nam ſumus in ſpeculativis. Deindè ſi prudenter opiniones commutare poſſum præjudicabo legibus, & præceptis juxta aſſenſus meos prudentes operando, ut ipſi maximè adverſarii inculcant. Nec denuò dici poteſt, per primam determinationem fuiſſe mihi libertatem ablatam; quia nullum eſt objectum neceſſitans, nec cauſa alia, potius quam ut occurrentibus mihi nunc duobus æqualiter indigentibus alteri nunc largiar eleemoſynam, poſt horam autem, vel ſemi horam iiſdem occurrentibus, vel eidem,

dem, vel alteri, ut placet, eleemoſynam tribuam.

In hunc modum occurrunt mihi initio fundamenta æqualia ad affirmandum, & negandum; v. g. auctoritas Auguſtini, & auctoritas Hieronymi quos ponamus in aliquo ſibi contradicere: & ego initio affirmavi & prudenter quidem ut dicunt, propter auctoritatem Auguſtini ex voluntatis imperio. Jam per meam affirmationem nihil auctoritatis demptum fuit Hieronymo; ſed tanta illa remanſit, quanta erat ante affirmationem meam. Ergo ſicut principio potui illam ex determinatione voluntatis accipere, & negare: ſic potero etiam, poſtquam, affirmavi, affirmationem relinquere, & negare: imo ita faciendo prudentius agere videor, neutrum omninò deſpiciendo, ſed æqualem honorem æqualiter dignis deferendo, & propter unum ſemel affirmando, & propter alium ſimiliter ſemel negando.

Hoc autem idem contingit etiam, quandò occurrunt mihi æqualia fundamenta rationis ad affirmandum, & negandum: nam æqualia fundamenta ſunt æqualiter digna: & quandoquidem utriſque ſimul ſatisfacere non poſſum; quia affirmare, ſimul, & negare non poſſum; prudenter tamen non geram ſi ſaltem ſucceſſivè, ſatisfaciam, & erga æqualiter digna me gero æqualiter: ut cernitur in illis duobus æqualiter indigentibus: & cernitur in duobus æquè dignis ad aliquod officium.

Hæc autem à fortiori locum habent, ſi principio aſſenſum dedi fundamentis minoribus: & propter illa affirmavi relinquendo meliora, & fortiora. Potero & honeſtiſſimè quidem, negare poſteà propter fundamenta meliora: & rogatus, cur id fecerim, dignè reſpondebo, quia ad negandum adſunt fundamenta meliora, & digniora: nam omnis mutatio ſaltem in melius in omni judicio approbatur, & laudatur.

§. II.

Ulterior comprobatio.

EX his porrò ſenſibilius illud abſurdum ſequitur, quod hoc conceſſo poterit quilibet in ſcholis affirmationem aliquam proponere: poſt autem, cum diſputatio fervet, opinionem mutare, & negare, quod ſanè faciens ridiculus haberetur; & tamen hoc conſequi videtur ex eo, quod occurrentibus æqualibus, vel inæqualibus fundamentis poſſimus alterutrum opinari ex ſola determinatione voluntatis, ut declaratum eſt. Si enim initio rectè negare potuit, & non affirmare, ſimiliter poſteà, cum habeat æquale fundamentum negandi, imò melius, & dignius.

Secundò ſequeretur, dari poſſe, & frequentiſſimè quidem dari, ſcilicet in opinabilibus omnibus diſputationes, contentiones, & lites ex utraque parte juſtas, & rectas, ſeu bellum rationis utrinque juſtum, idque per ſe, & citra errorem, & ignorantiam omnem; quod nec de bello quidem armorum admittitur. Ratio eſt; quia occurrentibus æqualibus, vel inæqualibus probabilibus fundamentis, alter rectè, prudenterque affirmat: & alter rectè, prudentéque negat: hæc enim eſt ſententia, & poſitio ipſa adverſariorum.

Sequela autem videtur eſſe contra lumen rationis. Nam videtur naturæ lumine notum, rectè, prudenterque dicenti, non rectè contradici: omni autem affirmanti contradicitur à negante; & vice verſa. Ergo alter illorum non rectè contradicit ſed qui non rectè contradicit, non rectè dicit, & qui rectè dicit: rectè contradicit. Ergo alter ſaltem illorum non rectè dicit: Ergo alter ſaltem illorum non rectè opinatur: nam qui rectè aliquid opinatur, rectè illud idem dicit; opinando enim, ut declarabitur, aliquid dicimus; nam affirmamus, vel negamus.

Præterea ſequelæ abſurditas ex eo conſtat, quod omnes naturæ lumine videamur ſupponere, nunquam dari bellum rationis juſtum, & rectum ex utraque parte: & ſic quoties incidimus in duos contendentes, ſupponimus, alterum ſolum, & non ſimul utrumque rectè dicere, & pro altero ſolum ſententiam damus, dicimúſque eum rationem habere. Ubi à fortiori, ſi alter contendentium, & contradicentium meliorem rationem habet, pro eo ſentantiam damus.

Tertiò, quia omnis aliquid dicens quaſi lumine naturæ coactus, nunquam concedit, fundamenta ſibi contradicentis eſſe meliora, digniora, & vix fatuus non haberetur, qui in publico de aliquo diſputaret, & contenderet, ut in ſcholis contingit, & fateretur ſimul adverſarii, fundamenta eſſe meliora digniora; ſed potius ſicut partem ſuam, & concluſionem præferunt contrariæ, ita etiam præferunt fundamenta ſua; & cauſam ſuam ducunt ſaltem meliorem, & prælatio concluſionis ſecum affert prælationem probationis. Hoc autem eſt, quia irrationabile, imprudenſque videtur contradicere meliorem cauſam habenti & fateri, ſua fundamenta eſſe minora. Quod ſi in mente, & in corde prudens eſſet contrarium, ita etiam eſſet in ore, & in publico, & in conſpectu hominum. Sed in publico abſurdum eſt, & nemo concedit, ſe ita facere; ergo & in mente & in corde? nam quod rectè in corde dicitur, rectè etiam ore dicitur, ſi eſt ex rebus dicendis, ut in præſenti.

Quartò ſequitur, omnes adverſarios in probabilibus, non rectè contra ſeſe viciſſim diſputare, & contendere tanto uſu argumentorum, ac reſponſionum, ſive in ſcholis, ſive in libris. Unuſquiſque enim debet tenere, adverſarium ſuum rectè dicere; nam habet fundamenta probabilia vel æqualia, vel majora, vel ſaltem minora: ſic autem dicere eſt rectè dicere ſecundum ipſos. Ergo pax univerſalis ineunda eſſet inter ipſos circa probabilia omnia; & ceſſandum ab omni diſputatione.

Sed dicis, te argumento tuo velle oſtendere, adverſarium dixiſſe, falſum. Cæterum in primis adverſarius tuus non ſciendo, ſed opinando locutus eſt; ſumus enim in probabilibus, & tractamus non de ſcientia, ſed de opinione; ut autem opinando rectè dixerit, & in nullo defecerit, neceſſe non fuerat, quod verum diceret; ſatis fuerat, quod habuiſſet motiva probabilia vel æqualia, vel etiam minora: nam propter illa ex determinatione voluntatis pronuncians, & non affirmans, ſicut tu, ſed negás contra te, ut tu ipſe fateris, prudentiſſimè pronunciavit. Tu autem intendis, eum malè dixiſſe.

Ponamus deindè, te opinatum eſſe ſolum propter motiva æqualia, vel etiam minora. Sanè ſine vitio nequis in vi illorum velle oſtendere, adverſarium tuum falsò dixiſſe: nam motiva tua ad id non ſufficiunt.

Hinc rurſus; ergo umniaritè impugnans putat, ſe oſtendere poſſe adverſarium ſuum, non verè dixiſſe, melius eſſe, cum ipſo ſentire, & dicere. Ergo putat, ſe habere fundamenta ad id oſtendendum. Ergo putat, ſe habere fundamenta, vel concludentia, vel ſaltem meliora. Ergo non minora, nec æqualia. Ergo nnllus rite impugnana putat, ſe habere fundamenta ſolum æqualia, vel minora. Sed omnis opinans aliquid, impugnat ſuum adverſarium, quoties occurrit occaſio. Ergo nullus opinans aliquid putat ſe habere ſolum æqnalia, vel minora. Quod ſi ita judicaretur, deberet pax univerſalis fieri ab omnibus, & ideò non fit, quia unuſquiſqne credit, ſe vel verè dicere, vel ſaltem fundatiùs dicere; hincque jus totum & naturale deſiderinm naſcitur impugnandi contradicentes, & partem, qnam quiſque tuetur, aliis perſuadendi.

Omitto nunc dicere, in via contraria ceſſandum fore ab uſu paritatum, & à labore reddendæ diſparitatis; ceſſandum item ab opponendis inſtantiis, & ab argumentis, quæ vocant ad hominem; nam hæc locum non habent, ſi reſolutio ultima aſſertionum eſt ad velle ſine diſparitate, ne rationabili canſa in objecto aſſerendi magia, qusm negandi, ſed cuncta dignè ſolventur dicendu, *quia volo* &c.

QUÆSTIO II.

Vtrum ergo impoſſibile ſit opinari æqualiter probabilia, & minus probabilia?

§. I.

Sententia negans, & fundamenta.

PLurimi ſunt, qui in Philoſophia, & Theologia magis ſupponendo quam diſcutiendo, diſputando tradunt poſſibile eſſe opinari circa æqualiter probabilia, & circa minus probabilia, minus probabilibus aſſenſum dando, & probabiliora diffitendo, & negando. Putant enim per probabilia intellectum ad nullam contradictionis partem determinari, & neceſſitari: tunc autem poſſe vuluntatem determinare intellectum ad quamlibet partem contradictionis, ut libebit.

Hæc ſententia magnum in primis fundamentum videtur habere in aurea epiſtola de obedientia S. P. Ignatii.

Secundò, videtur etiam magnum habere fundamentum in D. Thoma 2. 2. 1. *art.* 4. ubi dicit: *Alio modo intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quam in aliam. Et ſi quidem hæc ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio.* In quibus verbis manifeſtè comprubata videtur ſententia propoſita.

Tertiò, quia aliqui proculdubio meliùs, alii non ita benè opinantur; nec enim omnes rectiſſimè opinantur: Ergo aliqui opinantur minus probabilia: non enim probabiliora; nam qui probabiliora opinantur, rectiſſimè opinantur, nec meliùs poſſunt. Ergo opinamnr etiam minus probabilia: ergo poſſumus: Ergo à fortiori æqualiter probabilia.

Quartò, quia omnia probabila ſunt opinabilia; nam probabilia appellamus objecta digna aſſenſu opinativo: ſed æqualiter probabilia, & minùs probabilia ſunt probabilia: Sicut æqualiter ſancti, & minus ſancti ſunt tamen ſancti; ergo æqualiter probabilia: & minùs probabilia ſunt opinabilia. At poſſibile eſt imò prudens upinari opinabilia; ſicut poſſibile eſt, & prudens ſcire ſcibilia, & credere credibilia. Ergo poſſibile eſt opinari æqnaliter probabilia, & etiam minus probabilia. Quæ ſillogizatio videtur demonſtrativa.

Quintò tandem; quia poſſibile eſt ſuſpicari; item poſſibile eſt temerè judicare ut 2. 2. *q.* 69. *art.* 3. tractatur, & ſupponunt omnes, nos & ſuſpicando, & temerè judicando peccare poſſe. Ergo à fortiori poſſibile erit opinari æqualiter probabilia, & minùs probabilia: & ſolùm controverti poterit de prudentia; non de potentia. Patet conſequentia; qnia ſuſpicio, & judicium temerarium habentur ſolùm ex leuibus judiciis: Ergo poſſibile eſt aſſenſum dare propter judicia levia. Ergo poſſibile à fortiori erit aſſenſum dare propter fundamenta gravia; ſed æqualiter probabilia, & minus probabilia babent fundamenta gravia; nam adverſarii ſolùm talia vocant probabilia. Ergo poſſibile eſt aſſenſum dare æqualiter probabilibus, etiam minùs probabilibus.

§. II.

Sententia affirmans.

NIhilominus videtur tenendum, intellectum non poſſe opinari, nec æqualiter probabilia, nec minus probabilia, ſed illum vel nihil tunc omninò opinari: vel ſolum cum upinatur, opinari probabiliora.

Ex auctoribus, qui de hac re dubitarunt, nec ſnpponendo, ſed diſcutiendo proceſſerunt, nullum inveni, qui hanc negantem ſententiam non tenuerit. Illa eſt communiſſima antiquorum Joannis Major. *in* 4. *q. prolog.* Richardi de Mediavilla *id* 2. *diſt.* 36. *ar.* 2. *q.* 4. *ad* 1. Sylveſt. *ver. dubium*, & *ver. opinio.* Henrici de Gandano, Conradi & aliorum.

Ex poſteris auctoribus eam tradit Em. Card. Pallavicinus *tom de act hum. diſp.* 8. *qu.* 6. *art.* 4. *lib.* 3. *de fide cap.* 6. *nu.* 112. Andræas Blancus, ſeu Candidus Philaletus *lib. de praxi opinionum.* Paulus Comitolus *lib.* 5. *reſp. moral. q.* 16. Leſſius *in tomo poſth. de act. hum. quæſt.* 17. *art.* 16. Layman. *tractat.* 1. *de conſcientia cap.* 5. §. 2. *num.* 2. Breſſerus *de conſcientia lib.* 3. *cap.* 2. Vaſquez 1. 2. *d.* 42. *cap.* 2. . 8. *n* Præivit autem omnibus *p.* 2. *tract. de actibus hum. diſp.* 10. *ſect.* 1. Suarez dicens. (Nunc autem dico, voluntatem non poſſe movere intellectum niſi ſub ratione veri, &c. Quando autem (ait) eſt tale medium, quod non infert neceſſitatem? tunc poteſt movere voluntas ad aſſenſum, & mihi probabile eſt, non poſſe movere niſi in illud, quod veriſimilius, & probabilius apparet: quamvis ipſa affectio voluntatis plurimum conferre poſſit, ut ipſum objectum probabilius, & verius appareat.) Hæc ille. Atque huic ſententiæ poſtquam data opera examinari cæpit ſubſcribunt in Hiſpania, & in Italia præclariſſimi multi recentiores in manu-ſcriptis.

Quin imò *lib. præc.* dedimus verba formalia Vaſquii, & Sanchez, & aliorum communiter dicentium, & conteſtantium, quoties occurrunt utrinque

by Goog

utrinque rationes æquales, & motiva æqualia, tunc nullum eſſe poſſibilem aſſenſum; vel illum ita tenuem eſſe, ut percipi non poſſit, & fore uc ſummum ſuſpicionem. Quare non licere operati ex illo. Hæc eſt expreſſiſſima, & formaliſſima ſentencia horum doorum magnorum virorum; qui tamen feruntur eſſe præcipni approbatores uſus quarumlibet opinionum probabilium: Examinanda potrò fuerac doctrina, & ſeries univerſa illorum, & aliorum. Quo facto, ut ſuprà declaravi, pauci ſane ſaltem ex claſſicis inveniuntur, qui apptobent eum uſum, qui in praxi, & conſuetudine eſſe videtur.

Intereſt porrò plurimùm, quòd bic Doctorum communiſſimus ſenſus diligentet noteeur, & retineatut: nam ex boc quaſi capitali puncto pendent reſolutiones, & conſequentiæ de uſu, vel non oſu opinionum probabilium, & æqualiter, & minùs probabilium.

§. III.

Probatio concluſionis.

PRimò authoritate S. Thomæ *qu.* 14: *de veritate articul.* 1. ubi caſum æqualium rationum revocat ad dubia proptiiſſimè talia: quæ eſt etiam ſententia communiſſima, ut oſtenſum *lib præc.* Aliaa autem authoritates Doctoris Angelici dabimus decurſu. probatur etiam authoritate Philoſophi, ſecundò de anima *text.* 153. ubi docet, imaginari quidem eſſe in poteſtate noſtra, & nobis liberum: mox de opinione ſubdic: *Opinari non eſt eſt in nobis; verum enim, aut falſum dicere neceſſe.* At ſi ex libertatate voluntatis inter probabilia omnia poſſumus opinari, quod volumus certè opinati eſſet in nobis, nobiſque liberum. Deindè ratio Ariſtotelis, ut mox declatabitur, probac, eam nobis libertatem minimè competete. Atque eo loci commentatores Ariſtotelicæ docttinæ conſentiunt.

Secundò probat Eminentiſſimus Cardinalis Pallavicinus à poſterioti; quaſi (in quo experientia ſaltem mea conſentit) nemo unquam experitur in ſe bunc actum: *Ego credo boc, ſed video contrarium eſſe probabilius, vel aquè probabile.* Quam expetientiæ veritatem mox magis declarabimus, Confirmatum; nam nemo poteſt ſine peculiari ratione impetare ſibi aſſenſum de paritate ſyderum, quia cum ſingulis numetia paribus poſſibilibus reſpondeanc ſinguli numeri impares, nemo habet ullum fundamentum exiſtimandi, pleraſque collectiones creataa univerſim, aut convenientes cum collectione ſiderum in aliquo prædicato eſſe collectiones numeri paris: ex quo oriretur aliquod fundamentum talia exiſtimationis. Sed hoc fundamentum ſimiliter deficit, quoties deficit exceſſus probabilitatis pro altera parte. Ergo tunc imperari nequic talia aſſenſus.

Dicunt, de patitate, vel imparitate ſiderum nullas baberi rationes nec æquales, nec inæquales; & ideò neutri parti aſſenſum dari, ſed reſponderi, *neſcimus*: at inæqualitet & minùs probabilibus adeſſe rationes, qnibus moveri poſſit intellectus; ideòque his aſſenſum eſſe dabilem.

Cæterùm hæc ſolutio, quæ unica eſſe poſſe videtur, & nulla: nam in primia facile eſt pro paritate, & diſparitate ſyderum, & pro ſimilibus omnibus rationes adinvenire, & ſyllogizare, ut infrà faciemus. Sed nunc magis è re; quia rationes in tantum valent ad movendum incellectum ad aſſenſum, in quantum illi oſtendunt rei aſſerendæ veritatem. Et idcircò per ſe non reqniruntur rationes, & probationes ad dandum aſſenſum, ut non requiruntur; quoties rei veritas per ſe ipſam ſine rationibus, & probationibus eſt nota, & manifeſta, ut patet in aſſenſu primorum ptincipiorum. Et à contrario etiam juxta adverſarios rationes aliquæ ſcilicet leviſſimæ, & imptobabiles non ſufficiunt ad movendum intellectum, quia per eas non innoteſcit rem aſſerendam eſſe veram. Ergo verum eſt, quo aſſumpſimus, ſcilicet rationes in tantum valere ad movendum intellectum ad aſſenſum in quantum per ipſas manifeſtatur, oſtenditur & innoteſcic rei aſſerendæ veritas. Sed quoties utrinque, & pro veto, & falſo adſunt æquales rationes, non magis innoteſcic rem eſſe veram, quam in caſu adducto paritacis, & imparitatis ſyderum; nam in utroque caſu proponitur objectum non magis verum, quam falſum, ſed omninò indifferens ad verum, & falſum. Ergò nulla eſt diſparitas de rationibus, vel non rationibus; nam in utroqoe caſu æqualiter ignota, & incerta nobis eſt veritas rei propoſitæ, & aſſerendæ.

Hinc de novo arguitur tertiò pro concluſione. Æqualis ratio eſt ſicut nulla ratio, quoad movendum intellectum ad aſſenſum. Sed nulla ratio nòn ſufficit, etiam cum imperiò voluntatis ad movendum intellectum ad aſſenſum; ut concedunt, & patet in caſu ſyderum, & in omni caſu dubii negativi: ut v. g. an nunc loquatur; vel caceat Turca. Ergo æqualis ratio non ſufficit. &c.

Major oſtenditur, quia ſecluſo imperio voluntatis, intellectus non magis movetur, & inclinatur ad aſſenſum, quam ad diſſenſum, ſed omninò hæret, & manet in ſuſpenſo, ſicut in caſu nullius rationis: quia vis unius partis eliditur per contradictionem æqualem, ut in teſtibus admittunt omnes: & oſtenſum eſt *lib.* 2. Rursùs quantum ponitur cauſæ, tantum ponitur Impedimenti ex altera parte: etgo tanta vis requiretur ad movendum quantum tequireretur, ſi nulla omninò adeſſet cauſa, ut patet innegabiliter in bilancibus, & in aliis rebus quibuslibet; ſcilicet bilances habentes æqualia utrinque pondera, tantam omninò vim requirunt, ut manu in unam determinatè partem inclinentur, atque requirerent, ſi nulla omninò eſſent pondera in bilancibus, & qui bilances vacuaa, & ſine pondere movere non poſſet, nec ſanè poſſet illas æqualiter utrinque ponderatas, Ratio autem eſt; quia quantum ponitur cauſæ; impellentis in una parte; cantum ponitur cauſæ impedientis ex alia: Ergo idem omninò eſt in caſu noſtro propter omnimodam identitatem rationis. Sed voluntas non poteſt determinare, & inclinare in unam partem intellectum vacuum, & nullas rationes habentem. Ergo nec habentem æquales utrinque rationes.

Quare hanc intellectus immobilitatem apptobat Ariſtoteles 2. *de cœlo*, non quidem *text.* 93. *de capillo*: ut quidam dixere; nam potiùs de capillo ibi tradit, non quidem, quòd maneret immobilis, quando, uttinque æqualiter trahitur, ſeu diſtenditur, ſic Plato exponebat immobilitatem terræ: potiùs enim capillus rumperetur, & pars hûc, pars illûc traheretur; & ſic etiam eſſet de terra, ſi à polis attraheretur

traheretur

traheretur æqualiter. Approbat ergo doctrinam *tex.* 94. nam capillus, ſi eſſet quoad omnes partes ſuas æqualiter fortis, prorſus in medio rumperetur, & ſola dimidia pars utroque attraheretur: *ſecundum accidens tamen hoc verum* (ſcilicet immobilitas) *quia neceſſarium manere in medio omne, cui nihil magis huc, quam illuc moveri convenit.* Intellectui autem non magis convenit huc, quam illuc moveri in caſu noſtro, quia utrinque refulget eadem ſpes, & ſpecies veritatis: utrinque imminet, & terret idem periculum falſitatis: nec item intellectus rumpi poteſt, ut capillus, vel terra. Ergo manebit immobilis, & in medio. Quin cum natura intellectus ſit ad verum, illi manifeſtè conveniens eſt, quòd moveatur ad minùs probabile, in quo minùs apparet ratio veri, quam in ſuo oppoſito. Ergo magis contra ipſum eſt, quòd ſit mobilis ad minus probabile, quam ad omninò dubia, in quibus nulla eſt ratio; quia in his in neutro extremorum magis apparet ratio veri, vel falſi. Sed quoad iſta eſt immobilis. Ergo à fortiori immobilis quoad minùs probabilia.

Hic diſcurſus hujus tertiæ probationis confirmatur authoritate S. Thomæ, qui tradit voluntarem nec ſe ipſam quidem movere poſſe ad eligendum inter bona æqualia in nullo diſcrepantia, & omninò ſimilia: & Vazquis ſententiam ſic temperatam, & ad bona æqualia, & ſimilia reſtrictam pridem tradidi libris de anima. Voluntas enim noſtra ſemper *cur* objectivum non ſolùm, cur amet, ſed etiam, cur hoc præ alio, nec ſufficit illud *cur* quaſi ſubjectivum, *quia volo*; poſſent alioqui beari deſiſtere ab amando Deo; non enim indigebunt ratione ex parte objecti, quæ nulla eſt, ſed ſatiſeret illud, *quia volo*. Sed de his loco ſuo.

Ergo S. Doctor, licet 2. *de cœlo, & mundo textu illo* 94. reprobaverit Platonem dicentem famelicum, ſi videat, cibum æqualiter hinc & indè diſtantem, ad neutram partem movendum, ſed hæſurum (quod falſum eſt, quia ſaltem à cauſa prima determinaretur, ut bruta, & ſicut individuario actus) tamen, 1. 2. *qu.* 13. *art.* 6. *ad* 3. ſeſe explicuit, & apertè tradit doctrinam noſtram dicendo: *Nihil prohibet, ſi aliqua duo æqualia proponantur ſecundum unam conſiderationem, quin circa alterum conſideretur alia conditio, per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipſum quam in oppoſitum.* Ergo non ſe flectet voluntas, ſi in uno non emineat. Ergo minùs multò flectet in intellectum; tum quia eſt potentia neceſſaria; tum quia voluntas plus poteſt in ſe ipſam, quam in intellectum. Quare S. Doctor tum aliàs cùm primo Perhiem. *lect.* 14. expreſsè in opinalibus requirit motivum aliquod in intellectu, *quo magis inclinetur in unam partem quam in aliam.* Ergo quoties eſt omnimoda æqualitas, intellectus erit immobilis: & à fortiori erit immobilis in partem minus probabilem.

Nec in intellectu, & vero locum habet diſtinctio illa, quam in voluntate fecimus bonorum æqualium, & inæqualium ſimilium, & diſſimilium; nam diſſimilitudo ad voluntatem facit, & bonum diverſificat: At diſſimilitudo non ponens inæqualitatem ad intellectum non facit, nec verum diverſificat, eſtque differentia merè materialis, ſicut in albedine nivis, & lactis. Etenim diſſimilitudo boni delectabilis, & honeſti facit, ut delectabilitas, quæ eſt allectiva voluntatis & quæ adeſt in bono delectabili; propriè non adſit, ſed deſit in bono honeſto; v.g. delectabilitas, & delectatio commedendi, & bibendi tempore prohibito. Hæc ergo delectatio, & delectabilitas particularis, in quantum talis, & in quantum differt à delectabili honeſtorum allicit, movetque voluntatem; & ideò hæc eſt mobilis ad bona etiam minora diſſimilia, & diverſæ rationis, & generis.

At quoad intellectum, & in vero diſſimilitudo mera nullam afferens inæqualitatem, nihil facit, nec verum diverſificat formaliter. Idcircò nullum verum pugnat cum vero, nec ex vero ſequitur falſum: ſecùs in bonis, quæ pugnant inter ſe, & ex proſecutione delectabilis ſequitur fuga ab honeſtis. Quare in vero ſolùm conſideratur tantitas, ſeu quantitas; non autem qualitas, niſi varietquantitatem; quia ſolùm conſideratur in rationibus quantam connexionem habeant cum vero; & cætera nihil magis, quam quoad viſum conſideretur, albedinem eſſe lactis potiùs, quam nivis. Sic ſi Titius rem aliquam affirmet, & Caius æqualiter fide dignus eam neget, nihil facit, quod Cajus vel Titiùs ſit, qui affirmat, vel negat; quia ſimilia nihil connexionis cum vero ponunt.

§. IV.

Poſtrema probatio ex Ariſtotele.

DIxit ſupra Ariſtoteles, opinari non eſſe in nobis, id eſt, non eſſe nobis liberum, & probavit per illud *verum enim aut falſum dicere neceſſe.* Hujus probationis reſolutio eſt ad illud primum principium, quod ſcilicet intellectus eſt ad verum, ſicut voluntas ad bonum, & viſus ad coloratum, & auditus ad ſonum, &c. Et ideò tam eſt impoſſibile, intellectum in judicando non ferri ſub ratione veri; atque eſt impoſſibile voluntatem non ferri in amando ſub ratione boni, aut viſum non ferri ſub ratione colorati. Quæ videntur indubitata, & admiſſa ab omnibus.

Hinc quoties intellectus aliquid judicat, aliquid dicit; & quoties aliquid dicit, ſe verum dicere putat: opinando autem aliquid dicit; ergo ſe verum dicere putat: ſcilicet vel negando falſum, vel affirmandò verum: nam omne dicere adæquatè dividitur in affirmationem, & negationem. Ideo Ariſtoteles breviter & ſapienter pronunciavit: *verum enim, aut falſum dicere, neceſſe*; nam dicendo neceſſe eſt, quod affirmet, vel neget, & ſimiliter eſt neceſſe, quod ſe aut falſum negare, aut verum affirmare credat, & & putet; non quidem, quod ſemper re ipſa talia dicat: ſed quæ talia eſſe ipſe credat, & ſibi perſuadeat. Et hoc eſt intellectum in judicando ſemper ferri ſub ratione veri: quippe in apprehendendo & per primam operationem æqualiter fertur ad vera, & falſa, quia fertur ad contradictoria. A contrario in judicando in contradictoria ſimul ferri nequit, nec ad falſa nota affirmando, nec item ad omninò dubia, & incerta, quia fertur ſub ratione veri, ſcilicet in ea, vera eſſe credit, & putat. Ideò intellectua ſciens, ſeu ſciendo nunquam fallitur, nec ad id moveri poteſt ullo imperio voluntatis, quin nec per divinam potentiam: & ipſa ſuæ deceptionis cognitio neceſſitaret ipſum ad deponendum ſuam deceptionem.

Et hæc quidem doctrina, & explicatio videtur

tur certa, & innegabilis. At ex illa immediatè ſequitur, intellectum non poſſe opinari inter æqualiter probabilia alterum; minùs verò multò minus probabilia. Nam opinando, & ſic dicendo, & v.g. affirmando, non poſſet credere, & putare, ſe verum dicere magis, quam falſum; quia nihil habet prò ſua magis veritate, quam falſitate, quin in minus probabilibus habet minus. Quarè rogatus, an magis verum, quam falſum dicat, nihil reſpondere poſſet, niſi ſe à voluntate determinatum eſſe, nihil tamen habere, quo magis ſibi perſuadere poſſit ſe magis dicere verum, quam falſum, ſeu quo perſuadere ſibi poſſit, ſe verum dicere, & non falſum. At, ut ſuppoſuimus, intellectus ſemper ſibi perſuadet, ſe verum dicere, & ſe falſum non dicere. Ergo nunquam dicit, aliquid verum, & non falſum eſſe propter rationes æquales: ergo multo minus propter rationes minus bonas, & quibus, & illarum contrariis conſideratis magis credere poſſit, ſe falſum dicere, & non verum.

Declaratur ulterius, & urgetur. Omnis aliquid mentaliter dicens, ſicut putat, & credit, ſe verum dicere; ſic putat, & credit, ſibi contradicentem falſum dicere. Idcircò omnis aliquid affirmando dicens, ad propoſitam contradictoriam negativam dicit *nego*: & ſimiliter negans ad affirmationem contradictoriam: dicere autem *nego*, eſt illam falſam eſſe dicere; hoc enim intelligimus per *nego*; & nego, & affirmo ſignificant verum, & falſum; quod videtur notum naturæ lumine, utpote gentium omnium conſenſu receptum. At ſi quis aliquid affirmando diceret propter motiva æqualia, non poſſet putare, & credere, magis quam de ſe ipſo, illum falſum dicere: quandoquidem tam fundate ille, dicit, quam ipſe, & hoc ipſi eſt notum ut ſupponimus. Ubi omitto ſubtiliſſimam Auguſtini reflexionem, & confirmationem, quam libro ſuper dedimus.

Concludamus ergo cum Ariſtotele imaginari eſſe in nobis, & nobis liberum; quia imaginatio eſt de veris, & falſis: Opinari autem non eſſe in nobis, quia opinari affirmando eſt ſolum de veris quoad nos, & opinari negando eſt ſolum de falſis quoad nos: & non de utriſque æqualiter: Verum enim aut falſum dare neceſſe.

Ex his patet veritatem illius impoſſibilis experientiæ, quam Em. Card. Pallavicinus eduxit dicendo, nunquam nos experiri hunc actum: *Ego credo hoc, ſed video contrarium eſſe probabilius, vel æque probabile.* Id eſt, ego quidem credo hoc, ſeu ego credo hoc eſſe verum; & tamen video majora eſſe fundamenta ut ſit falſum, vel eſſe æqualia. Quid eſt dicere; Ego credo, hoc eſſe verum, ſed tamen video, veriſimilius eſſe, hoc eſſe falſum, vel æqualitèr veriſimile eſſe, hoc eſſe falſum. Seu rurſus: ego credo hoc, & credo falſum non hoc, ſed tamen neſcio, cur hoc magis ſit verum; ſit autem falſum non hoc. Profectò, manifeſtum videtur, quod nemo aliquid dicens, affirmans id de ſe ipſo fateretur in conſpectu hominum. Quod ſi id fateretur, ipſius ſanè dicta in eodem pretio haberentur, atque dicta Pſitacorum, & omninò neſcientium, quid, aut quorſùm loquantur.

Erant alia ad doctrinam iſtam communiendam quæ in hac quæſtione prætermittimus, & in toto noſtro opere videtur hæc veritas manifeſtè demonſtrata.

§. IV.

Solutio Argumentorum.

AD primum ex authoritate S. P. Ignatii mens ejus declarata *lib. 3.* oſtenſumque, quantum huic libertati quidlibet ex voluntatis imperio opinandi contrarius extiterit.

Ad ſecundum ex auctoritate D. Thomæ nunc generaliter dicimus, ſatis toto opere, toto hoc libro conſtitiſſe, quam longè S. Doctor abfuerit à contraria ſententia. Ad adductam porrò, & objectam auctoritatem reſpondemus, illum loqui de intellectu magis inclinato ad unum, quam ad ſui oppoſitum, ut ipſe paulò ante conteſtabatur. Veriſſimum tamen eſt, intellectum, quoties ſufficienter non movetur ab objecto proprio, determinari ad illud à voluntate, & ita eſſe in opinabilibus omnibus, & in opinione ſemper; nam objectum opinionis propriè talis, & non omnino certæ, nunquam ſatis movet, & determinat intellectum, ſed indiget determinatione voluntatis ad aſſenſum: quemadmodùm de aſſenſu fidei traditur; Et infra diſtinctè declarabo, cum explicavero naturam opinionis.

In tertio opponebatur, non omnes rectiſſimè, & optimè opinari, ſed alios optimè, alios meliùs, alios benè: ac proindè non omnes propter motiva meliora. Hoc argumentum retorquetur, quia omnes, & ſinguli putant, & credunt in ſingulis, ſe optimè opinari, nec concedunt unquam, ſibi contradicentes aut meliùs, aut ita benè opinari; ergo omnes, & ſinguli putant, & credunt ſe habere fundamenta digniora, quam ſibi contradicentes; ergo omnes, & ſinguli putant, ſe in ſingulis opinari probabiliora, & fundatiora. Argumentum ergo rectè aſſumit de eſſe; nam multi non ſolum optimè, ſed nec benè, imo malè opinantur, quia reipſa fundamenta digna, & ſufficientia non ſunt. Addc videri non rectè aſſumit; nam ipſi opinanti, ut dictum eſt, ſua fundamenta meliora videntur quam ſui adverſarii, & hoc quilibet opinans ſupponit lumine ſolo naturæ.

In quarto opponebatur, & aſſumebatur, probabilia omnia eſſe opinabilia, & objecta digna aſſenſu opinativo: Æqualiter autem, & minùs probabilia eſſe probabilia. Nunc ex dictis retorquetur argumentum; nam oſtenſum fuse eſt, æqualiter probabilia, & minùs probabilia non eſſe opinabilia, nec objecta digna aſſenſu opinativo; ergo illa non ſunt probabilia. Verùm oſtēſum fuit *lib 1. & 4.* probabile multipliciter, & æquivucè dici, & ex non diſtinctione natas videri has lites. Nunc ex dictis negamus omnia in quolibet genere probabilia eſſe opinabilia, & digna ullo aſſenſu: Negamus proindè æqualiter, & minùs probabilia eſſe opinabilia, aut credibilia, aut ullo digna aſſenſu.

In quinto opponebatur, nos ſuſpicari poſſe, & temerè etiam judicare, &c. verum ſæpe explicuimus, quomodo cōtingat malè ſuſpicari, & temerè judicare. Nunc ad hanc quæſtionem ſufficit dicere, nulli malè ſuſpicanti, aut temerè judicanti videri, ſe malè ſuſpicari, aut temerè judicare; alioquin per hanc ipſam reflexionem, & confeſſionem tolleretur ratio injuriæ. Leviter ergo quis re ipſa ſuſpicatur; & temerè reipſa judicat: non tamen ita ſibi videtur, & ſi videretur, non injuriaret; aut injuriaret ſimul, & non injuriaret, & ſeſe condemnaret.

QUÆSTIO. III.

QUÆSTIO III.

Vtrum data doctrina conſideratè quidam reſiſtant propter paritatem voluntatis.

§. I.

Quæ allegentur.

CONtuli rem iſtam cum pluribus ingenioſis Philoſophiæ,& Theologiæ Magiſtris,eorum eriam,qui contrariè fuerant opinionis ſupponendo magis illam , quam à magiſtris ſuis audierant, quam poſt eam diſcuſſam ; ſed mediocri quæſtionis declaratione facta tamquam rei manifeſtæ conſenſerunt ferè omnes. Viſum eſt enim abſurdum , & impoſſibile , & contra uniuſcujuſque experienriam , quod quis opinetur, & opinando enunciet , & affirmet hoc eſſe verum ullo genere aſſenſus , & ſimul cognoſcat , & vider, & fateantur tantum ſibi occurrere , ut idem illud purer eſſe falſum , ſicut in æqualiter probabilibus ; & plus ſibi adeſſe, & occurrere , ut id falſum puter, & exiſtimet , ſicut in minus probabilibus ; & nemo aliquid enuncians hanc confeſſionem fecit unquam , vel faciet : *Hoc ita , aut eſſe mihi videtur ; tamen pro contraria parte ſunt meliora fundamenta*, & propter alia jam dicta.

Nihilominùs quidam graviſſimus Magiſter ſemperobſtitit , & paritatem voluntatis , quæ nobis ſatis contrita videbatur : opponit , & opponet. Ait enim : ſic ſe habet inrellectus ad verum , ſicut voluntas ad bonum: ſed voluntas ex duobus bonis ſibi propoſitis poteſt eligere & æquale , & eriam minus. Conſequentia iſta eſſe debere. Ergo intellectus ex duobus veris ſibi propoſitis poteſt judicare & approbare , & æquale , & minus. Sed cum conſequentia iſta ſir inepta ; & abs re, inferatur : ergo intellectus ex duobus probabilibus poteſt judicare , & approbare æquale , & etiam minus.

Illud prætereà ipſi vim magnam facit , quod in æqualirer probabilibus graviſſima , & maxima apparentia veritatis ſuperſit pro utraque parte contradictionis : pone enim (aiebat) S. Thomam affirmare : ecce quanta apparentia veritatis pro affirmatione : neget verò Scotus (quem demus D. Thomæ patem ea in re :) ecce quanta apparentia veriratis pro negatione. Jam his propoſitis abſurdum ipſi videbatur , & intolerabile , quod utrilibet horum Doctorum dicto nequear intellectus aſſenſum dare : quemadmodum duobus propoſitis bonis poteſt voluntas alterutrum eligere.

Ad iſtam magis admirarionem , quam rationem , precabar ego pacarè , ur poneremus duos viros graviſſimos , v g. duos Eminentiſſimos ſanctæ Eccleſiæ Cardinales, qui in quæſtione facti contradictoria ſalrem virtualia de viſu , & tamquam teſtes occultari conreſtarentur , & deponerent. Ecce quanta urrinque apparenria veritaris. Et tamen ut lumen ipſum naturæ dictat , & jura omnia diſponunr , in caſu æqualitatis neutri credere poſſum ; nulli eorum ſtare poſſet Judex , *lib*. 3. oſtenſum fuir , & reſultaret propriiſſimum dubium , & injudicabile in ſenſu compoſito æqualitatis, ut *lib*. 4. latè commonſtratum eſt. Ita ergo erir etiam in doctrina, & in jure, Etenim totum hoc ex eo pendet,quod contradictoria non poſſint eſſe ſimul vera nec in doctrina, nec in jure , nec in facto : quare duobus ſibi contradicentibus ſcimus evidenter, falli alrerum : ſi autem æquales ſint, nec diverſitas ulla occurrat, neſcimus, quin nec præſumere quidem quibus ſuperius mulra poſſumus, uter fallatur : Quarè ur Aurhores loquuntur, alrerius authoritas per alterius aurhoritatem eliditur.

De apparentiis *lib*. 2. non opinativè , ſed demonſtrativè , oſtenſum eſt , quoties occurrunt apparentiæ , pro contradictoriis , conſtare evidenter, alterutram earum eſſe purè ſophiſticam , & phantaſticam ; quia evidens eſt earum alterutram inducere , & perſuadere , vel movere ad concluſionem falſam. Quæ larè declarata ſunt eo libro. Stupemus autem , quod Magiſter iſte his omnibus, & cum authores quippe Primarii ſuæ etiam ſcholæ ipſi contradicant , nec ad dubirandum quidem induci unquam potuerit ; quin ſuas de probabilibus circa conſcientiam reſolutiones ſuæ huic opinioni inædificet ea adhæſione , ut contrarias approbare ægrè , vel nullo modo voluerit.

§. II.

Ad paritatem voluntatis.

PRimò ut inter arguendum notatum eſt , ex paritate voluntatis nullus aptus ſyllogiſmus fotmari poteſt ad rem præſentem ; quia pro voluntate collatio fit inter bonum & bonum ; pro intellectu ergo , qui eſt ad verum , ſicut voluntas ad bonum , collatio facienda erat inter verum , & verum: ſed in contradictoriis, & in his ſuis probabilibus non eſt verum,& verum, ſed verum & falſum. Ergo eſt inepta argumenario , & abs re.

Secundò hinc , quia per bonum, & bonum non egredimur à ſphæra , & objecto voluntatis : egredimur autem à ſphæra , & objecto intellectus per verum , & falſum ; ſicut egredimur à ſphæra , & objecto oculorum per coloratum , & non coloratum. Ergo licet voluntas exerceri poſſit inter bonum , & bonum etiam minus ; intellectus exerceri non poterit inter verum , & falſum. Ar probabilia contradictoria neceſſariò ſunt verum , & falſum , arque hoc ſcit evidenter intellectus judicaturus. Ergo licet voluntas eligere poſſit inter bonum , & amplecti delectabile , & relinquere honeſtum , quod eſt melius , nequibit movere intellectum , ut inter verum , & falſum approbet , & judicet quamlibet partem.

Tertiò etiam hinc ; quia ex eo, quod ex duobus bonis propoſiris unum v. gr. jejunare in die præcepti ſir melius , non ſequitur , quin ſtulta eſt iſta conſecutio : ergo comedere , & non jejunare non eſt bonum contentum ſub objecto voluntatis , ſcilicet jucundum , & delectabile. At ex eo , quod ex duobus probabilibus contradictoriis propoſitis unum ſit verum , ſequitur evidenter , hoc alterum eſt falſum , & extra ſphæram intellectus. Ergo ineptè arguitur ex objecto voluntatis ad non objectum intellectus.

Quartò quod minus probabile ; quia ipſi hi Theologi , dum in libris de anima quærunt , an voluntas poſſit eligere minus bonum, & relinquere melius ad finem intenrum , qui affirmant , addunt naturaliter , voluntatem quidem poſſe : at imprudenter acturam , eligendo v. g. decem ſcuta ærea , & relinquendo centum aureos , ſi finis eſt cumulare

Digitized by Google

cumulare divitias: & ſic in in aliis. Undè conſe-
quenter ipſi negant Deo glorioſo hanc minus bo-
num ad finem intentum eligendi libertatem; quia
nihil imprudens cadit in divinam electionem. Et
hæc ipſi eo loci naturæ ſenſu ſcribuntur ſcitur
autem . finem , intellectus in omni ſuo aſſenſu eſſe
conſecutionem , & poſſeſſionem veritatis. Ergo
dato , quod id eſſet poſſibile, ſaltem habetur , im-
prudenter voluntatem imperate aſſenſum partis
minus probabilis, & in qua minor ſemper eſt veri-
tatis, & majus periculum errandi, & eſt quaſi mi-
nus bonum intellectus, & ipſi minus bonum com-
parant minus probabili. Sed aſſenſum impruden-
ter præſtirum non niſi imprudenter ſequimur in
operando, & adverſarii indè aiunt , nos prudenter
in operando ſeqoi aſſenſum illum , quia illum
prudeoter præſtitimus.

Ergo retenta ſua ipſa Theologia , vel Philoſo-
phia , dato quod minus probabili aſſenſum dare
poſſimus , non niſi imprudenter dare poſſumus;
ac proindè regula prudens operandi eſſe nequit
aſſenſus imprudenter præſtitus.

Solum ſupereſt , ut antea quidem æquiparent
minus probabile minus bono; nunc verò præfer-
re etiam velint , & dicere, imprudenter ſanè eligi
minus bona; non autem minus probabilia. Por-
rò oſtenſum eſt , nec conferri quidem poſſe minus
probabile minus bono; nam minus bonum eſt bo-
num ; minus probabile autem non eſt verum. Re
ſanè ipſa , & à parte rei poteſt eſſe verum : at in-
tellectui non proponitur magis verum , quam fal-
ſum , quin proponitur cum præſumptione falſita-
tatis; cernit enim fundamenta partis contradicto-
riæ eſſe majora. Ergo ſi imprudens eſt , minus bo-
num eligere : & amplecti delectabile relicto hone-
ſto , imprudens erit , ac propria præcipitatio, &
temeritas aſſenſum præbere minus probabili;
cum hoc principium , quod & ipſi aſſumpſerunt ,
deſtrui non poſſit , ſcilicet intellectum eſſe ad ve-
rum , ſicut voluntas eſt ad bonum.

§. III.

Alia in eamdem paritatem:

PRæterea *quæſt. præc.* oſtenſum eſt , caſum æqua-
lis rationis , vel authoritatis eſſe , ſicut caſum
nullios rationis, vel authoritatis; quod & ex to-
to libro de dubiis conſtat. At in caſu nullius ratio-
nis , vel authoritatis nihil voluntas movere poteſt
intellectum ut fatentur. Ergo, &c , ſed hæc omit-
tamus , & ſolùm de collatione intellectus , & vo-
luntatis; & æqualis , vel minùs boni , & æquali-
ter , vel minùs probabilis diſſeramus.

Rursús ergo ſic : ipſi arguunt à minùs bono , &
& magis bono, vel ab æqnaliter bonis. Ergo infer-
re deberent de magis , & minus vero quod eſt de
ſubjecto non ſupponente , vel de æqualiter veris.
At æqualiter probabilia contradictoria non ſolum
non ſunt æqualiter vera, ſed nec vera , quin unum
neceſſariò falſum. Ipſi ergo termini argumenti
argumentum dirimunt.

Hinc denuò ; quia magis , vel minus probabile
non ſunt differentiæ veri , & objecti intellectus ,
ut patet : quin per unam earum neceſſariò deſtrui-
tur verum : quia ſunt contradictoriæ (de quibus
ſcilicet diſputamus:) at in contradictoriis non ſal-
vatur verum : genus autem omne ſalvatur in ſuis
differentiis , & ſpeciebus , ut ſciunt omnes. Con-
trarium cernitur in magis, & minus bono & bonú,
& genus ſalvatur , ſupereſt in magis bono, & in
minus bono, & delectabili, & in utili, & in honeſto.
Ergo tota quanta iſta paritas deſtruit potius in-
tentionem contrariam.

Iterùm quia iſta paritas , & via philoſophandi
non magis probat de probabilibus in doctrina, &
in jure , quam in facto. At in rebus de facto omnes
vident falſitatem conſecutionis. Duobus viris gra-
vibus , vel graviſſimis æqualiter apud me fide di-
gnis , ſi contradictoria mihi conteſtentur, nec diſ-
paritas appareat, nemini credo , ſed aſſenſum ſuſ-
pendo, & imprudens haberet , ſi alterutri crede-
rem, quia volo: imprudentiſſimus verò, ſi aliquem
minus fide dignum præferrem. Hoc ſupponunt
jura omnia circa teſtes , & circa omne genus pro-
bationum ut habitum fuit *lib.* 3. & ſciunt omnes
litigantes naturæ lumine. Si habena æqualia mo-
tiva pro bonitate , & malitia mei proximi , ego
tamen aſſenſum præberem malitiæ , peccarem ,
& multò magis , ſi minora eſſent fundamenta pro
malitia. Hæc ergo , & alia obvia probant vel im-
poſſibilem , vel ſaltem imprudentem aſſenſum
æqualiter , vel minus probabilium in rebus de fa-
cto. Ergo & de jure , & in doctrina ; cum paritas
adverſariorum , & argumenta omnia non magis
probent de jure : quam de facto ; nam rotum re-
ſolvitur ad vim contradictoriarum ſeſe neceſſa-
riò interimentium.

Item ſi paritas voluntatis retineatur , ut inſi-
ſtont , voluntas paſſim commutare poteſt amores,
& ſi eligit minus bonum, libera manet an illud re-
linquendum , & amandum melius. Ergo & in-
tellectus commutare poterit opiniones, & jam
pro jejunio , jam mox contrà opinari permanenti-
bus iiſdem omninò motivis. Conſequens negant.
Quid ergo voluntaris libertati inſiſtunt?

Deindè voluntas, excepto Deo viſo , libera eſt,
ut inter omnia alia bona etiam viſa eligat , amet-
que unum . & omittat aliud, certè ſaltem libera eſt
ut omittat quodlibet , niſi prævio alio amore ne-
ceſſitetur. Inferant : ergo & intellectus liber eſt ,
& à voluntate moveri poteſt , ut cuicumque alte-
ri veritati ſaltem præter Deum manifeſtum neget
aſſenſum. Quod eſt manifeſtè falſum : & ſunt
alia , quibus demonſtrarut , voluntatem liberio-
rem eſſe , ac plus poſſe erga actus ſuos , quam erga
actus intellectus. Ergo ineptè arguitur undè plus
poteſt , quò minùs poteſt : ſicut ſi ex eo , quod
Princeps in propinquo & magis ſuo regno aliquid
poſſit , ineptè infertur , eum poſſe ad ipſum in di-
ſtanti , vel minus ſuo. Ergo ex eo , quod voluntas
poſſit ſe movere ad minus bonum, ineptè infertur,
eam poſſe movere intellectum ad minus proba-
bile , dando etiam quod minus probabile eſſet
quaſi minus verum ; tamen verum.

Quin oſtenſum fuit loco ſuo , & indicatum
quæſt. præc. ex D. Thoma , quem Adverſarius hic
præcipuus ſequi profitetur ; nec voluntatem in-
ter bona æqualia ſimul , ac ſimilia eligere poſſet;
minus multò bonum minus ſimile , niſi *circa alte-
rum* , ut Doctor loquitur , *conſideretur aliqua conditio,
per quam emineat , & magis flectatur voluntas in ipſum ,
quam in oppoſitum.* Minus ergo movebit intelle-
ctum niſi circa extremum ſic eminens , & præ-
valens.

Etenim voluntas eſt appetitus rationalis : & in
omni ſua electione habet rationem, & cur non ſo-
lùm hoc amet , ſed cur amet præ altero extremo.

Nec hæc ratio; & cur prælationis eſt, *quia volo*; hæc enim ſolet eſſe ratio irrationaliter proſequentium & amantium. Habent deindè rationem licet malam, quam dicere erubeſcunt. Et præterea non ſufficit hæc ratio, cur quaſi ſubjectivum, ſed neceſſarium eſt objectivum ad actum, & etiam omiſſionem: ſin minus beati cauſa exercendę libertatis, & ſine ulla ratione in objecto deſiſtere ab amando Deo: de quibus aliàs latè. Hæc porrò à fortiori probant in intellectu; quæ eſt ipſa ratio.

Profectò ego nollem eſſe opinionis contrariæ: nam ſi inter probabilia quodlibet & opinari poſſum, & prodenter poſſum, ut aiunt; nemini perſuadere potero, me in probabilioribus, & fundatioribus quærendis laboraſſe; aut ex occurrentibus, etiam ultrò, & ſine labore magis fundata eligere; nam ſatis cuique noſtrum datur, ſi prudens, etſi non prudentiſſimus habeatur: & undè hanc ſummam prudentiam perſuadebimus, præſertim cum plurima obſtent ſæpè ad ſequenda fundatiora, de quibus latè in 2. parte. Omitto alia in alium diem; & iſta primum infringant. Nunc ſolùm precor graviſſimum illum Magiſtrum, ut dignetur in aliquo ſuorum librorum palàm dicere: *Ego quidem ſic opinor, & ſentio: tamen fateor majora eſſe, & magis fundata argumenta contraria*. Quod ſi fecerit, vix non promittimus in ſuam ire ſententiam.

QUÆSTIO IV.

Utrum opinari poſſimus probabiliter ſolùm probabilia.

PAſſim in hac materia, cum de opinione, & de probabili, eſt ſermo, authores aliqui diſtinguunt certò probabilia, & probabiliter probabilia, vel etiam probabiliora; quorum ſcilicet probabilitas, vel probabilioritas aut certò nobis conſtat, aut non certò, ſed ſolum probabiliter conſtat. De his quærimus, an nos opinari poſſimus circa hæc poſtrema, & aſſenſum opinando præſtare probabiliter ſolum, vel probabilius probabilibus, aut probabilioribus? nam omnium par eſt ratio.

§. I.

Pro parte affirmante.

VIdetur affirmandum: Primò quia de facto multi opinantur circa ſimilia; quærunt enim, an v.g. unus Author pius, & doctus faciat opinionem, probabilem? & alii affirmant, & negant alii. Profectò affirmantes ſolum pronuntiant opinando, nec habent certitudinem ullam, & evidentiam partis affirmatę: ergo ea non proponitur certo probabilis: ergo ſolum ut probabiliter, vel probabilius probabilis: ergo circa hæc de facto opinamur: ergo poſſumus. Et hujuſmodi aliæ multæ quæſtiones, in quibus de ipſa probabilitate diſputatur: ergo probabilitas non certo conſtat, ergo ut ſummum probabiliter, vel probabilius conſtat: & tamen ſunt utrinque opiniones affirmantium, & negantium: ergo opinantur de probabilibus, quæ ſolum probabiliter, vel probabilius, non tamen certò conſtant eſſe probabilia, aut probabiliora.

Secundò quia quærimus multoties probabilia, vel probabiliora: ſicut alias quærimus vera: ergo ſicut veris probabiliter, vel ſaltem probabilius inventis aſſenſum opinando præſtamus; ita probabilibus probabiliter, vel ſaltem probabilius inventis aſſenſum opinando præſtabimus.

Tertiò quia propter impoſſibilitatem habendi ſcientiam in multis materiis cogimur in opinione ſiſtere, tuncque utiliter, & prudenter opinamur: ac proindè poſſumus: at per tot Authorum, & ſcholarum diſſidia factum eſt, ut multoties ſit impoſſibile aſſequi ſcientiam ipſius probabilitatis, vel probabilioritatis: ergo tunc prudenter, & utiliter opinamur circa probabiliter probabiliora vel probabilia. Confirmatur; nam probabilitas, probabilioritas non eſt magis per ſe nota, aut magis neceſſariò demonſtrabilis, quam veritas ipſa: at veritas multoties nec eſt per ſe nota, nec etiam demonſtrabilis, vel à ſe, vel ab ignorantia noſtra: ergo ſimiliter probabilitas, vel probabilioritas: ergo tunc ritè opinamur circa probabiliter, vel probabilius probabilia, aut probabiliora. Atque hoc genus alia pro hac parte allegari poſſunt. Hanc partem docet quidam ſuperficialis Dialogiſta, in cujus gratiam argumenta facta nos exhibuimus, vix enim niſi ponit, & loquitur.

§. II.

Quid videatur tenendum.

NIhilominùs videretur negandum. Authores non refero, quia nullos invenio qui in terminis quęſtionem moverint, licet conſenſuri illi omnes videantur, qui circa probabiliter ſolum probabilia, aut probabiliora negant licitam operationem. Tamen mox Ariſtotelem, S. Thomam, & alios reddo, qui nos hanc pridem doctrinam docuiſſe videntur.

Itaque 1. *poſter.* duæ veritates videntur eſſe demonſtratæ, ex quibus iſta quæſtio dirimatur. Prima apud Boet. *cap.* 18. & apud S. Thomam *lect.* 34. & 35. eſt, quod in prædicando non eſt procedere in infinitum nec ſursùm, nec deorsùm; nam ſursùm neceſſariò aſcenditur, ac pervenitur ad aliquid, quod nulli prædicato ſaltem univerſaliori ſubjicitur, qualia ſunt tranſcendentia: & deorsùm neceſſariò deſcenditur, ac pervenitur ad aliquid, quod de nullo prædicatur, ſed quod omnibus ſubjicitur, ut eſt prima ſubſtantia; & hæc regula tenet tam in affirmationibus, quam in negationibus, alioquin nihil unquam demonſtrari, aut probari poſſet; nulla unquam definitio percipi, & intelligi.

Secunda veritas, quæ magnam cum prima connexionem habet, demonſtratur eodem libro apud Boet. *c.* 26. & apud S. Thom. *lect.* 44. ubi ſcientiæ, & opinionis, atque ſcibilis & opinabilis natura, & diverſitas exponitur: inter quæ hoc utriſque commune, ſtatuitur, quod tam in ſciendo, quam in opinando venitur ad aliqua immediata; id eſt, ad aliqua prima, quæ non ſint per aliud, ſed ſe ipſis immediatè, & primò conſtent, ut Conimbricenſes in illud *cap.* 26. 1. *Prior*. Ruvius *tit.* 3. *de opin. n.* 42. & alii paſſim obſervant: nam nec in ſciendo, nec in opinando eſt procedere in infinitum; & in omni prædicatione eſt demùm ſtatus: ſolum propterea eſt procedere in infinitum in delirando. Atque hæc 4. etiam Metaph. demonſtrantur.

Ex his ergo vel propoſitio opinabilis eſt immediata? & tunc eſt per ſe ipſam evidenter probabilis, nam eſt principium opinandi circa mediatè: qua-

re

æ ſicut principium demonſtrandi eſt propoſitio immediata, & non per aliud, ſed per ſe ipſam immediatè manifeſta, & nota: ſic propoſitio opinabilis, aut probabilis immediata per ſe ipſam immediatè eſt manifeſtè opinabilis, cujus cognitio intellectus opinionis ritè vocatur à Ruvio. Vel propoſitio opinabilis eſt mediata? & tunc ritè ſequitur ex opinabilibus immediatis; & conſequenter eſt evidenter opinabilis, & probabilis.

Ut rem capias, objicio ſic. Dupliciter contingit aliquid eſſe opinabile, ſeu probabile; vel quia deducitur ex principio probabili; vel quia ſequitur ſolum probabiliter ex principio ſive probabili, ſive etiam demonſtrativo. Dicis ergo, in primo ſenſu, cum, non ſit procedere in infinitum, neceſſariò, ut eſt probatum, concedenda eſſe per ſe, & immediatè probabilia, quorum probabilitas ſit per ſe ipſam manifeſta. At in ſecundo ſenſu poſſe dari probabilitatem ſolam; quia licet principia ſint evidenter probabilia, vel etiam evidenter certa, tamen in illatione ſolùm eſt probabilitas quare concluſio ſolùm erit probabiliter probabilis; nam ſequitur debiliorem partem: Quo ſenſu iidem Conimbricenſes, & alii videntur admittere probabilitatem ratione formæ.

Sed reſpondeo dupliciter. Primò intellectum haud ſiſtere poſſe in illatione probabiliter probabili; ſicut enim ex probabiliter probabilibus nec infert, nec probat, ſed neceſſariò incipit à primis; & ſin minus nihil movetur: ſic nec per illationem probabiliter probabilem moveretur ad concluſionem, ſed ſiſteret, vel quæreret probabilitatem manifeſtam.

Secundo negando ſuppoſitum de probabilitate in inferendo: nam probabilium, ſeu opinabilium, atque ſcibilium eædem ſunt figuræ, & formæ ſyllogiſmorum, & neceſſitate, & evidentia concludunt, ut ex univerſa Logica conſtat, ut ex gr. *ex lib. 2. Prior. c. 27.* proponitur ſyllogiſmus probabilium omnes ambitioſi liberales: Pittacus ambitioſus: ergo liberalis. Adde hic tertiò, quod ad probabilitatem probabilem in inferendo adſtruendam, & proportionem ſervandam cum rebus probabiliter ſolùm probabilibus neceſſe omninò foret, ut ſicut ſunt res quædam probabiles & principia probabilia, quæ imperfectiùs cognita fiant probabiliter ſolùm probabilia, ita eſſent formæ ſyllogiſmorum, & probationum ſolùm probabiles; quæ poſtea cognitæ imperfectiùs, ſolùm eſſent probabiliter probabiles, at nullæ ſunt hujuſmodi formæ inferendi, probandi; ſed omnes neceſſariæ, & eædem in opinatis, & ſcitis. Ergo inanis eſt oppoſitio facta, & peccat ignoratione logicæ.

Itaque omnis propoſitio probanda, licet non ſemper modo ſyllogiſtico expreſsè probetur, tamen reducibilis eſt ad ſyllogiſmum; ſi probatio ſit ex neceſſariis, primis &c. conſurgit demonſtratio; ſi probatio ſit ex contingentibus & potentibus aliter ſe habere, conſurgit ſyllogiſmus dialecticus, cujus concluſio ſemper eſt opinio: in forma nulla eſt diverſitas, ut dictum eſt. Ergo tota diverſitas reducitur ad materiam. At in materia neceſſaria, & in demonſtratione, ne procedatur in infinitum, ſemper eſt illatio ex principiis immediatis, per ſe notis, nec indigentibus probatione. Ergo in materia contingenti, & opinabili ſimiliter illatio ſemper eſt ex principiis immediatis, & quæ immediatè per ſe ipſa ſint probabilia, nec probatione ulteriori indigeant: eſt ergo eorum probabilitas manifeſta. Ergo intellectus nunquam opinatur ſolum probabiliter probabilia: non enim aſſumendo, ut eſt oſtenſum; non item inferendo, ut etiam eſt oſtenſum: ergo nullo modo; nam alius modus non ſupereſt in proceſſu probativo.

§. III.

Alia in idem.

PRætereà in eundem fermè modum hæc probabiliter probabilium implicantia oſtenditur aliter. Nam ſicut in rebus, vel circa res dicimus aſcendere, & deſcendere, & procedere à particularibus, vel minus univerſalibus ad univerſaliora vocatur aſcendere; motus contrarius ab univerſalibus, vel univerſalioribus ad minus univerſalia, vel particularia vocatur deſcendere; ſic in latibulis & receſſibus intellectus eſt alius motus aſcendendi, & deſcendendi non circa res, ſed circa modum ipſum cognoſcendi: reflectimus enim, & ſic quaſi aſcendimus ſupra ipſum noſtrum cognoſcere; & denuo reflectimus; & quò plus reflectimus, eò magis videmur aſcendere, & magis quaſi ad intra nos ipſos fieri & recondi: in quo motu procedere ad cognitiones directas rerum eſt deſcendere; & ſic in deſcenſu neceſſario eſt ultimus terminus, & ſtatus; ſcilicet cognitio immediata, & directa rei, infra quam non eſt ultra deſcendere. Nunc videndum, an & qualiter ponendus ſit ſimiliter ſtatus, & terminus in aſcendere.

Indubitatum, nos in reflectendo poſſe procedere & aſcendere in infinitum; nam quacumque cognitione habita eſt reflectere ſupra ipſam, & poſita reflexa, ſupra ipſam denuò reflectere poſſumus, & ſic deinceps: nam nulla eſt dabilis, quam cognoſcere non poſſimus. Sicut ergo circa res, alia cognita, eſt aliam, & aliam ſine fine cognoſcere: ſic etiam in cognitionibus, licet in hoc nimiùm laborare ineptire potius eſſet, & caput terere, quam utili rei operam dare. Eſt tamen utrobique hoc infinitudo, quam ſyncathegorematicam appellant.

Tamen non eſt procedere in infinitum in reflectendo, & aſcendendo de neceſſitate: nec item perfectio mediorum, & interjacentium pendere poteſt ex proceſſu deducendo in infinitum. Patet utrum; nam nulla poteſt eſſe neceſſitas laborandi in rebus eſſentialiter non finibilibus, nec terminalibus; quod, credo, neceſſe non erit amplius demonſtrare. Quod porrò perfectio mediorum, & interjacentium nequeat pendere ex eo proceſſu deducendo in infinitum, liquet nam alioqui eſſet eorum perfectio chimerica; quia eſſet impoſſibilis; ergo non eſſet perfectio. Deinde nulla ullius rei perfectio ullo genere cauſæ pendere poteſt à cauſis nec poſitis, nec ponendis unquam: at proceſſus ille aſcenſivus infinitus nec eſt poſitus, nec ponetur unquam: ergo ab eo non pendet perfectio mediorum, & interjacentium; nec etiam infimorum: Hoc eſt in re noſtra ab eo procedere in infinitum non pendet perfectio cognitionis ultimæ, & infimæ, ſeu directæ; nec item perfectio mediorum, id eſt, ſecundæ, & tertiæ cognitionis reflexivæ pendet à reflectendo, & reflectendo ſine fine: cùm hoc potius ſit ineptientium: non autem ſeſe perficientium.

Hinc infero: ergo conſtantia, & probatio ulti-

morum vel mediorum non pendere à reflectendo, & aſcendendo ſine fine: nam conſtantia, & probatio pertinet ad eorum perfectionem. Sicut ergo in aſcenſu, & deſcenſu circa res eſt in probando ſtatus, nec in infinitum proceditur: ſin minus nihil concluditur, & fruſtra laboratur; ſic in aſcenſu; & deſcenſu circa modum eſt in probando ſtatus, nec proceditur in infinitum.

At probabilitas probabilitatis eis quid pertinens ad modum, & reflexionem: ergo illius conſtantia, & probatio non pendet à reflectendo, & aſcendendo in infinitum: ergo in hoc aſcenſu eſt ſtatus: ergo evidenter probabile, in quo ſiſtatur. Ergo ſicut omnis proceſſus circa res probabiles deducitur ad res manifeſtè probabiles, ſic omnis proceſſus circa modum probabilitatis de probabilitate &c. deducitor ad modum manifeſtè probabilem: & ſicut non eſt probabilitas probabilitatis ſine fine circa res; ſic nec eſt probabilitas probabilitatis ſine fine circa modum, & aſcendendo, & reflectendo.

Ex his infero: ergo nunquam intellectus aſſenſum præſtat, & opinatur ſolùm probabiliter probabilia, nec quando directè, & circa ſolas res procedit; nec item quandò circa modum. Probo conſequentiam; nam intellectus, nec in proceſſu ſcientifico; nec in uno proceſſu probativo mediatis, & probatione indigentibus aſſenſum præſtat, quin prius aſſenſum præſtiterit immediatis, & probatione non egentibus; nam mediatis, & probandis ſolum præſtat aſſenſum, quia aſſenſum præſtitit, & vera jam habuit immediata, & probatione non egentia; quorum proinde remoto aſſenſu removetur tota ſeries aſſenſuum circa media, & probanda: ſicut ſublata prima cauſa removetur tota ſeries cauſarum ſecundarum & effectuum. At in probabiliter ſolum probabilibus non adeſt aſſenſus prior evidenter probabilium, ſeu immediatè, & per ſe probabilium, & in proceſſu opinativo probatione non egentium. Non eſt ergo opinio, vel aſſenſus opinativus probabiliter probabilium.

Concludamus ergo; ſicut probabiliter ſcibilia non ſunt ſcibilia, ſed eo ipſo deſinunt eſſe ſcibilia, nec per ſcientiam haberi poſſunt, & ut ſummum remanent opinabilia; ſic probabiliter probabilia non eſſe probabilia, ſed eo ipſo deſinere eſſe probabilia, nec per opinionem haberi poſſe, ſed ut ſummum remanere dubia: ſic enim ſe habet dubitare ad opinari, ſicut opinari ad ſcire, ſcilicet ut imperfectum degenerans à perfectione alterius.

Confirmo cuncta faciliùs pro minus intelligentibus. Modus ille *probabiliter*, additum ſcibile deſtruit ſcibile, & probabiliter ſcibile non eſt ſimpliciter ſcibile, ſecundum qoid ſcibile, & ſimpliciter opinabile: ergo modus idem additus probabili deſtruit probabile: ergo probabiliter probabile non eſt ſimpliciter probabile, ſed ſecundum quid probabile & ſimpliciter dubitabile: ergo circa talia non eſt opinari. Nec eſt inſtantia in probabiliter equo, & ſimilibus, ut videntes videbunt, ſed potius confirmatio in pictè equo, & ſimilibus habentibus additamenta ſecundum genus ipſorum, & non in alio genere.

Rursùs, quia ridicula videretur opinio circa probabiliter probabilia; nam contingat, quem talia opinari. Tunc ille opinionem ſuam ſic explicare deberet: *mihi videtur mihi videri hoc*: ſed hic loquendi modus eſt inuſitatus, videturque malè mente valentium, & ridiculus. Non ergo contingit circa talia opinari.

Imò vero nec prædicta oratione ſatia ille opinionem ſuam poſſet explicare, ſed deberet ſine fine dicere, *mihi videri, mihi videri* &c. Idcircò quippè opinans circa probabiliter probabile, ſimpliciter, & unica oratione dicere non poteſt *hoc mihi videtur*, quia id nobis proponitur non tamquam abſolute, & ſimpliciter probabile, ſed cum addito, ſcilicet probabiliter probabile; atque adeò cogitur orationem reſtringere dicendo: *mihi videtur hoc mihi videri*, ſed etiam ipſa probabilitas probabilitatis proponitur non ut certa & manifeſta (Unde enim) ſed ut probabiliter probabilis: ergo neceſſarium eſt tertium *mihi videri*, & quartum aliud *mihi videri*, & ſic ſine fine. Quin imo omnia erunt infinitiva videri, & videri ſine fine, nec erit ullum tempus præſens, nam ad tempus præſens neceſſe eſt ut abſolutè dicatur, *mihi videtur*: at hoc dici non poteſt niſi de probabili manifeſto, & certo: cum hæc ſit enunciatio propria talium, ſcilicet abſolute, & ſine addito probabilium. Ergo implicat prorſus nos opinari circa probabiliter probabilia.

Denique in hac oratione, *probabiliter probabile*, τὸ *probabiliter* ſenſum, & ſignificatum non habet, ut ex iis, quæ de natura probabilium diximus palam innoteſcit. Nunc ſolum orationes aliquas ſimiles indigito, ut ſi quis dicat demonſtrativè demonſtrare: humanè homo, & ſimilia: vel enim nugatur idem bis dicendo, vel nihil ſignificando. In quem modum impugnavi *tract.* de Deo quoſdam virtualiter, & alios formaliter diſtinguentea, dum ad id exponendum inducunt prædicata contradictoria, non realiter, & ſimpliciter talia, ſed ut loquuntur formaliter, vel virtualiter talia. Etenim ſi τὸ *probabiliter*, quod à probabili dictum eſt, retinet, nec deſtruit ſignificatum probabilis, idem bis dicitur: ſi illud ſignificatum non retinet, ſed deſtruit, quid aliud tertium ſignificare queat, non apparet; nec ſumetur ut derivatum à probabili, ſed ex alio: at aliud non ſupereſt, ex quo vel derivetur, vel ſignificationem accipiat: nihil ergo ſignificat.

Ad argumenta.

Ex his ad objecta argumenta reſpondeamus. Ad primum itaque abſolutè dico, nihil unquam ab aliquo veraciter ſaltem affirmari, quod ipſi ſolum proponatur probabiliter probabile. Sunt quidem quæſtiones innumeræ, in quibua de ipſa etiam probabilitate lis eſt: at, qui affirmant, rem eſſe probabilem, neceſſe eſt, certò eam noverint probabilem: ſin minus nihil corde opinari poſſunt, ut eſt probatum: atque adeo nihil etiam veraciter ore dicere.

Ad ſecundum ex dictis conſtat, rem, ut ejus liquida veritas inveniri nequit, multoties remanere probabilem: at ſi nec probabilitas certò haberi poteſt, eam remanere dubiam, vel ignotam; nam probabiliter probabile non eſt probabile, ut eſt oſtenſum.

Atque ex hoc patet etiam ſolutio ad tertium; nam fatemur ipſam rerum probabilitatem eſſe ignotam multoties, ſicut veritatem: at citra & infra certam veritatem eſt probabile, in quo ſiſtamur; ſed citra probabile nihil eſt, cui aſſenſum præbere poſſimus.

Repli-

Replicabunt: contingit, rem eſſe evidenter credibilem: & rem eſſe non evidenter credibilem: ergo ſimiliter rem probabilem. Antecedens probatur: tum quia paſſim Theologi in multis quæſtionibus pronuntiant, probabile eſſe, hoc vel illud eſſe de fide; tum quia authoritas non prorſus certa ſed tamen magna, & ſic probabilis facit rem dictam credibilem; non evidenter, & certitudinaliter; ergo probabiliter.

Reſpondeo, antecedens cum ſuis probationibus tranſmittendo & conſequentiam negando: nam ſimile eſſet, ſi aſſumeretur: contingit rem eſſe credibiliter credibilem: ergo contingit, rem eſſe probabiliter probabilem. Ut porrò addendo credibiliter credibili, vel nugatur, vel credibile deſtruitur; & nihil ſignificatur; ita eſt in probabili. Credibile vero non deſtruitur per additur illud *probabiliter*; nam ſunt quædam ab infallibili authoritate certo credibilia; alia ſolum probabiliter credibilia ab authoritate magna, quæ plerumque non fallit: cæterùm ut ex dictis liquet, in probabilibus non ſunt alia, quæ rem certò probabilem reddant, & alia, quæ probabiliter probabilem. Ad æquivocationes porrò tollendas, & vitandas, illud hic noto, & concedo; quod ſicut cæteræ res exiſtentes extra intellectum aliquando ſunt non certò ſcibiles; ſed opinabiles; ita ipſas noſtras cognitiones; & ſcientiam, & opinionem, & fidem, & aliàs eſſe aliquando ſolum probabiles, & opinabiles, id eſt, ſolum per opinionem affirmabiles.

QUÆSTIO V.

Utrum ergo opinari non ſit in nobis? ubi de libertate ſuſpicandi, & temere judicandi.

§. I.

Videtur nobis liberum opinari.

Ad præcedentium majorem explicationem hoc punctum ſeorſim, diſtinctèque tractare, oportuit: videmur enim Philoſophis omnibus, atque Theologis contradixiſſe; dum negavimus, nos inter æqualia, & circa minus probabile opinari poſſe: dum item opinari ad ſolum verum ſaltem exiſtimatum reſtrinximus; dum demùm abſolutè cum Ariſtotele pronuntiavimus, opinari non eſſe in nobis, id eſt, non eſſe nobis liberum. At contra ſtatuere videntur Philoſophi, & Theologi omnes; nam docent, nos, cum opinamur; ex inclinatione, & determinatione, vel etiam imperio voluntatis duci, determinarique ad aſſentiendum uni parti: ita S. Thomas 2. 2. 1. *art.* 4. & aliàs: ita cæteri conſtituere videntur.

Quod omiſſis aliis, tripliciter nunc perſuaderi poſſe videtur. Primò à priori; quia objectum opinionis tantam vim habere non poteſt ad movendum intellectum ad aſſenſum; quantam objecta certa vel ſcientiæ, vel indubitatæ fidei; cum certum, plus poſſit, quàm non certum, aut non omninò certum; objectum autem opinionis non ſit omninò certum: ergo hic virtutis motivæ defectus ſupplendus eſt aliundè: ergo à voluntate: nam non ſupereſt aliud. Confirmatur: ipſe etiam aſſenſus ſcientificus, & demonſtrativus dependet à voluntate quoad exercitium; nam demonſtramus, & univerſaliter habitibus utimur, cum volumus, ut eſt axioma; & nemo nolens demonſtrat: ergo aſſenſus opinativus plus pendet, quam quoad exercitium: cum objectum illius minus poſſit: ergo pendet quoad ſpeciem: ergo opinari poſſumus circa utrumque extremum propoſitum: ergo tam circa æqualia, quam circa minus.

Secundò arguitur: malè ſuſpicari; & temerè judicare eſt in nobis, & liberum: ſunt enim peccata: ergo poſſumus non temerè ſed rectè judicare: item poſſumus non ſuſpicari malum de proximo, ſed benè præſumere, quoties vel ſuſpicando, vel temerè judicando peccamus: ergo à fortiori opinari eſt in nobis circa æqualiter, vel inæqualiter probabilia. Patet conſequentia; quia ſuſpicando, & temerè judicando præſtatur aliquis aſſenſus: at minus probabile, vel æqualiter plus multò meretur, quam objectum ſuſpicionis, vel judicii temerarii: nam horum objectum eſt minus quam probabile, & æqualiter probabili præſtari poteſt aſſenſus.

Confirmatur. Primò, quia vel temerè judicanti proponitur tamquam veroſimilior culpa proximi; & tunc non temerè ſed rationabiliter, & ſic ſine peccato judicat: vel proponitur tanquam minus veroſimilis, minúſque fundata? & tunc ſic; ergo intellectus per aſſenſum fertur in minus veroſimilia, minúſq; fundata: ergo ceſſant quæcumque ſupra allegavimus contra aſſenſum minus probabilis, vel æquè probabilis: & à fortiori poſſumus in hæc ferri per aſſenſum.

Confirmatur. Secundò, quia minus probabile nititur gravi fundamento: res, quam ſuſpicamur, vel temerè judicamus, non gravi, ſed levi fundamento nititur. Ergo ſi ſuſpicari poſſumus, & temerè judicare, à fortiori opinari valemus minus probabile: ſed poſſumus etiam magis probabile. Ergo opinari eſt nobis totaliter liberum.

Tertiò arguitur. Credere eſt nobis totaliter liberum, non etiam loquendo de fide, qua Deo credimus, experimento nota, & ab omnibus accepta eſt Auguſtini ſententia dicentis: *Nemo credere poteſt, niſi volens.* Idcirco plurimi tenent fidem iſtam eſſe nobis liberam quoad exercitium, & quoad ſpeciem, id eſt nos cum credimus, potuiſſe & non credere, & etiam rebus credendis diſſentire, ſi placuiſſet. Ergo ſimiliter nobis liberum eſt opinari. Confirmatur; nam loquendo de credere generaliter, multi leviter credunt: & qui cito credit, levis eſt corde: ergo credere poſſumus leviter, & levi fundamento: ergo à fortiori opinari poſſumus cum gravi fundamento: at de æqualiter probabilibus & de minus probabili adeſt grave fundamentum: hoc enim vocant probabile: ergo de his omnibus opinari poſſumus: ergo eſt libertas opinandi circa extrema oppoſita: ergo eſt omnino liberum opinari.

Quartò, & poſtremò arguitur authoritate S. P. Ignatii: dicit enim in *epiſt. de obedient. Qui verò ſe totum penitus immolare vult, Deo, præter voluntatem, intelligentiam quoque, (qui tertius, & ſummus eſt gradus obedientiæ) offerat, neceſſe eſt,* &c. *Quæ vis animi* (ſcilicet intelligentiæ, *tametſi non eâ, quâ voluntas pollet, libertate prædita eſt; atque ipſa natura fertur ejus aſſenſus in id, quod ſibi veri ſpeciem præbet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognita veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam partem inclinari.* Quod devotæ voluntati tribuit S. Pater. Ergo in rebus non evidentibus, id eſt, probabilibus poſ-

ſumus inclinare, & determinare intellectum ad quamlibet partium. Ergo & ad æqualiter probabilia, & ad minus probabilia.

Sed in contrarium obſtat authoritas Ariſtotelis loco citato de anima; & S. Thomæ ibi atque Commentatorum. Id tenent Authores citati ſupra: atque hæc videtur eſſe communis ſententia.

§. II.

Declaratur libertas opinionis, & fidei.

Videtur itaque dicendum ſic. Duplex eſt libertas; altera quoad exercitium actus, qua ceſſare ab actu poſſumus, vel eum non ponere; altera quoad ſpeciem, qua non ſolum poſſumus non ponere actum, ſed poſſumus amorem omittere, & loco ejus in odium prorumpere: & in intellectu non ſolum non aſſentire rebus propoſitis, ſed eiſdem etiam diſſentire.

Rursùs utraque hæc libertas ſubdividitur, & poteſt eſſe vel immediata, qua rebus iiſdem eodem modo ſtantibus & permanentibus, poſſum aut non amare, aut non aſſentire; aut etiam odio habere, & diſſentire: vel poteſt eſſe mediata; qua licet rebus iiſdem eodem modo ſtantibus, ac permanentibus, nequeam non amare, aut nequeam ſaltem odio habere, tamen mihi liberum eſt, in rebus propoſitis mutationem facere, qua inducta mutatione omnis neceſſitas tollatur. Sic qui clauſos vult habere, & habet oculos; videre immediatè, & rebus ſic ſtantibus nequit objectam ſibi albedinem: at aperire oculos potest, & ſic videre. Similiter dum quis in objectam albedinem vult viſum intendere, nequit videre nigredinem ex adverſo propoſitam: at poteſt intuitum convertere, & eam videre. Similiter intellectus, qui ſolùm reſpicit fundamenta unius partis, & nihil conſiderat contraria, nequit contrariam affirmare; at potuiſſet contraria conſiderare, quæ fortè inveniſſet vera; & tunc hanc partem affirmaſſe, & negare alteram.

Quibus præmiſſis, doctrina, & regula eſt S. Thomæ 1. 2. q. 9. a. 1. intellectum, & voluntatem ſe mutuò habere tanquam movens, & mobile; nam intellectus movetur à voluntate ad intelligendum, & cognoſcendum, & viciſſim voluntas movetur ab intellectu ad volendum. Sed quoniam implicare prorsùs videtur, quod idem reſpectu ejuſdem tanquam movens, & mobile comparetur, nam movet quidem, ſed non movetur, ab alio: & mobile movetur, ſed non movet; hanc apparentem contradictionem tollit ſubtili, & vera diſtinctione, dicendo intellectum eſſe movens ſecundum unum: & mobile ſecundum aliud; & ſimiliter voluntatem; & idcircò non comparantur tanquam movens, & mobile mutuò ſecundum idem, ſed ſecundum diverſa: & ſic in reſponſione ad 3. concludit voluntatem movere intellectum quoad exercitium actus, intellectum verò movere voluntatem quantum ad determinationem, id eſt, quantum ad ſpeciem actus: *& ſic patet*, ait, *quod non eſt idem movens, & motum ſecundum idem.*

Cæteris hujus doctrinæ ad alium locum, quia ad præſens non attinent, remiſſis, ex illa ſolùm eam particulam deligamus, quæ noſtri inſtituti eſt; & quæ totam motionem qua voluntas intellectum movet, ad exercitium actus revocat.

Hanc porrò ipſam motionem ad exercitium ſubdiſtinguit, & exponit 2. 2. q. 2. art. 9. & 10. docens fidei actum eſſe nobis liberum, & voluntarium & quoad aſſenſum. Etenim aſſenſus ſcientiæ, & alii quicunque ſimpliciter evidentes ſolùm ſunt nobis liberi quoad uſum, in quantum habitibus quibuscumque etiam demonſtrandi ſolùm utimur, cum volumus, nec demonſtramus nolentes; & ideò uti, vel non uti eſt in nobis. At opinari, & credere profectò magis ſunt in nobis; & de credere quidem S. Doctor docet eſſe liberum quantùm ad uſum, & prætereà etiam quantum ad aſſenſum: quod id idem ego de fide dixi, & nunc dico de opinari, & S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. & alias eodem quoad hoc modo de credere, & de opinari philoſophatur.

Hanc nunc differentiam ſcientiæ, & fidei, & ſimiliter opinionis ex eodem S. Doctore declaremus: *In ſcientia*, inquit, *ea quæſt.* 2. *art.* 9. *duo poſſunt conſiderari: ſcilicet ipſe aſſenſus ſcientis ad rem ſcitam, & conſideratio rei ſcitæ. Aſſenſus autem rei ſcitæ non ſubjiciuntur libero arbitrio, quia ſciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciam demonſtrationis, & ideò aſſenſus ſcientiæ non eſt meritorius. Sed conſideratio actualis rei ſcitæ ſubjacet libero arbitrio: eſt enim in poteſtate hominis conſiderare, & ideò conſideratio ſcientiæ poteſt eſſe meritoria, ſi referatur ad finem charitatis*, &c. Quam S. Doctoris ſententiam communiter commonſtrant, neque commonſtrauimus in Logica, tenendo præmiſſas neceſſitare ad concluſionem etiam quoad exercitium, Eſt tamen liber uſus ſcientiæ, & demonſtrationis, quia poſſumus non conſiderare, & nolle demonſtrare, & hoc vocatur libertas ſolum quoad uſum.

Verùm, ut ſubdit, in fide, & in opinione non ſolùm uſus, ſed ipſe etiam aſſenſus ſubjacet libero arbitrio; nam etiamſi actu conſideremus motivum vel fidei, vel opinionis, non cogimur, nec neceſſitamur ad aſſenſum: ideoque in fide tam uſus, quam aſſenſus, & conſiderare, & aſſenſum dare, utrumque eſt meritorium.

Sed quæris, cur veritas divinæ revelationis quæ vel evidenti credibilitate, vel etiam evidentia omnimoda morali adeſſe conſtat, ut cum eodem D. Thoma oſtendi: & cur ſimiliter motivum opinandi, quod ſimiliter ſaltem multoties evidenter conſtat adeſſe, non etiam nos neceſſitent ad aſſenſus ipſis proportionatos fidei vel opinionis? quemadmodum veritas ſcientiæ nobis innoteſcens nos ad aſſenſum neceſſitat, & cogit?

Ratio & diſparitas deſumitur ex 1. *Met. c.* 1. *princip.* quia *omnes homines natura ſcire deſiderant.* Quam veritatem tripliciter demonſtrat S. Thomas *lect.* 1. Ut ergo omnes naturæ ad ſuos fines moventur, & inclinantur, & elementa ad centrum: ſic homo naturaliter ſcire rem deſiderat, & quamdiu illam in ſe neſcit, inclinatur & movetur ut eam aſſequatur. Hinc eſt, quod nec in fide, nec in opinione intellectus quieſcit: nam, ut ad rem diſſerit S. Thom. 3. *contra gent. c.* 50. *Omne, quod eſt imperfectum in aliqua ſpecie, deſiderat conſequi perfectionem illius ſpeciei: qui enim habet opinionem de re aliqua, qua imperfecta illius rei eſt notitia, ex hoc ipſo incitatur ad deſiderandum illius rei ſcientiam.*

Ob hanc ipſam rationem quoties intellectui aliquid proponitur ut credibile, vel opinabile, non per hoc ſatiatur, ſed potius per hanc ipſam propoſitionem incitatur ad procedendum uſque ad ipſam ſcientiam rei propoſitæ: nec eſt ſecundum motum naturalem, ut ea facta propoſitione

ferat

Digitized by Google

ferat ſententiam, ſed ut procedat inquirendo ulterius, quouſque ad cognitionem, & ſcientiam rei in ſe perveniat: qui eſt terminus totius motus intellectus. Quod ergo interrupto ulteriori examine quaſi ſententiam ferat, & aſſenſum rebus eatenus repræſentatis proportionatum præſtet; nequit ex ipſa natura intellectus naſci, ſed opus eſt alio principio determinante; quod ſolum poteſt eſſe voluntas. Non ſecus, atque in externo judicio, cum judex nondum ad liquidam veritatis cognitionem pervenit, debet ulterius inquirere, nec ullam ferre ſententiam: cæterum contingit, quod aliquando nulla ſit ſpes plus comperiendi; & tunc ex prudentia cogitur ſiſtere, & aliqualem ferre ſententiam ſecundum habitam cauſæ cognitionem. Sic in re noſtra intellectus ad ſiſtendum, & cum limitata rei cognitione aliqualiter judicandum, & opinandum cogitur à voluntate; aliquando cum vitio, quoties ſcilicet inquirendum plus erat: aliquando prudenter, quia ſufficienter quæſita fuit veritas nec eſt ulterius inquiribilis: tamen ſemper contra naturalem motum intellectus, non ſecus, atque cum lapis, qui ad centrum fertur, in medio ſiſtitur.

Hinc ſublimis illa definitio Auguſtini, qua credere non aliud eſſe dixit, quam cum aſſenſu vel aſſentiendo cogitare: quam cogitandi particulam S. Thomas indè dictam exponit, quod intellectus credendo res ſibi non liquidas & manifeſtas, non quieſcit, ſed coagitatur: atque indè locus ſcrupulis, & tentationibus contra fidem. Finis itaque motus intellectus eſt ad ſciendum perfectè tam in ſe, & quandiu ad hunc finem non pervenit, ipſe à ſe non ſiſtit, ſed movetur: atque ideò in credibilibus, & opinabilibus ad aſſenſum præſtandum rebus ſibi nondum exploratis determinatur neceſſariò à voluntate; quod multoties cum vitio eſt, & ideò citò creditur, & in opinionibus, contra quam oporteret, ſiſtitur cum magno veritatis præjudicio: quandoque prudens eſt; qua prudentia Academici, & Sceptici caruerunt; & carent quotidie multi, dum indemonſtrabilium quærunt demonſtrationem, ut ad 4. Metaph. declaratur: dum ſimiliter Modernorum aliqui in materia morali, & in caſibus conſcientiæ ſemper ad demonſtrationem provocant, nec id probari putant, quod non demonſtratur: quorum defectus, & ignorantia *ex 1. Ethic. & ex 2. Metaph. 5. alt.* aliiſque ex locis manifeſta eſt.

Sed & eſt aliud, propter quod ad aſſenſum opinionis ſit neceſſaria determinatio, & applicatio voluntatis. Scilicet in opinando ſemper adeſt erroris periculum aliquod ſaltem remotum; nam opinari eſt circa ea, quæ aliter eſſe poſſe putantur ex 1. *poſt.* Intellectus porrò natu taliter refugit tanquam à proprio malo ab errore; & ab erroris periculo ſicut à periculo proprii mali: non minus, atque ſanctiſſimi quique à quocumque peccato, etiam veniali, & illius etiam periculo refugiunt. Ergo ipſe à ſe non determinatur ad opinandum, ſed indiget voluntatis determinatione, quæ aliquando prudenter, aliquando imprudenter eum illi periculo exponat, & determinet.

Ex his ſatis conſtat, quomodo credere, & opinari pendeant à voluntate, ejuſque determinatione quoad uſum, & præterea etiam quoad aſſenſum; & qualiter à ſcitis, intellectis, & viſis differant credibilia, & opinabilia, quantum ad vim movendi ſpectat.

De cætero alias latè probavi, fidem non eſſe liberam immediatè quoad ſpeciem actus, quaſi credens potuerit immediatè diſſentiri rebus propoſitis, ſi voluiſſet; & quaſi ego nunc immediatè poſſim Calviniſmo aſſenſum dare, cum interea ea ſecta creditura cuique, & mihi maximè proponatur ut evidenter incredibilis ex omnium ſententia; & ex mea, & aliorum evidenter etiam falſa. Idem de opinione conſtat, nullam eſſe libertatem quoad ſpeciem, cum probatum ſit ſuperius, nos opinari non poſſe circa æqualiter probabile, nec item circa minus probabile: cum rurſus hac quæſt. non ex cogitationibus meis nunc excogitatis, quæ nihil faciendæ eſſent, ſed antiquiſſimis Philoſophorum, & S. Thomæ principiis deductum videatur, intellectum quoad ſpeciem actus immediatè mobilem, & determinabilem à voluntate haud eſſe: in quo ipſa rerum declaratio maxima earum probatio eſſe poteſt: de quo genere probandarum rerum alius occurrat ſermo plenior.

§. III.

Solutio argumentorum.

EX dictis patet ſolutio argumentorum; nam ad primum ſatis declaratum eſt, & conceſſum, credibilia, & opinabilia minori vi gaudere ad movendum intellectum, quam ſcita, & intellecta; indè tamen ſolùm habetur dependentia à voluntate non ſolum quoad uſum, ſed etiam quoad aſſenſum; ut nos volumus; quare ibi allegata potius confirmant ſententiam noſtram: nam ſolum probant, intellectum plus pendere à voluntate, quod concedimus: non autem probant, intellectum immediatè dependere, & eſſe determinabilem quoad ſpeciem actus: quod nos negamus. Ad 2. dicetur mox.

Ad tertium ſimiliter declaratum eſt, & conceſſum, opinari eſſe in nobis, ſicut credere: & utrumque eſſe nobis liberum eodem modo. Qualiter verò qui leviter credunt, moveantur levi fundamento, conſtabit ex dicendis: nunc ad ſecundum argumentum, quod paulò latius declarandum eſt, atque ſolvendum, quia continet materiam utilem.

Quomodo contingat malè ſuſpicari, & temere judicare.

Eſt itaque hic exponendum, quomodò ſuſpicando, & temerè judicando peccare ſoleamus. Quidam enim videntur exiſtimare, nos immediatè liberos eſſe ad benè, & malè & temerè judicandum, & ex levibus judiciis ſuſpicandum malum de proximo: nam ideò, aiunt, peccamus; eſt ergo id nobis liberum.

Cæterum tenendum videtur, nos nunquam moveri ex levibus indiciis ut levibus, & quatum levitas ſit nobis nota, ad quidquam vel judicandum, vel etiam dubitandum: ſed tota res eò revocatur, quod indicia, vel fundamenta levia vitio noſtro nobis videantur, gravia; & ſic vel ad dubitandum vel etiam judicandum movemur.

Prima pars, quæ multipliciter oſtendi poſſet, ex eo nunc breviter conſtat, quòd intellectus ita eſſentialiter ſit addictus vero, ut nihil omninò ab eo egredi ſciens queat ullo voluntatis imperio;

potius quam viſus queat tendere, ferrique ad ad non colorata. Idcircò nunquam objecto adhærere plus poteſt, quam putat illius motivum mereri; nec hominum dictis inhærere tanquam demonſtraris aſſenſum dare tanquam à Deo revelatis: nec item incertis notis tanquam certis aſſentire: nec omninò dubiis fidem ullam dare, & ſic in cæteris univerſaliter veriſſima inductione. Ideò nec inconſequentias notas committit: ideò nullum abſurdum notum concedit: nihil diſſonans admittit. Nec ergo levia, quæ videt eſſe levia, pro gravibus admittit: nec illis plus movetur, quam ea mereri æſtimat. Sin minus ea pro levibus æſtimaret, ut ſupponitur: nam tractamus de levibus notis; & ſimul pro gravibus æſtimaret, ea pro gravibus acceptando, & ipſis tanquam gravibus inhærendo: quod non aliud foret, quam ſi intellectus eamdem rem ſimul parvam, & magnam æſtimaret, & granum ſynapis, quod minimum videt, magnum ſimul montem haberet, timeretque opinando, ne cadente in caput grano occideretur quis, ſicut ſi ſaxum in caput caderet. Non ergo vel ſuſpicando, vel temerè judicando indè peccamus, quod vel in indiciis, vel fundamentis levibus, quæ tunc planè videmus eſſe levis, & nihil probare, aſſenſum aliquem immediatè præſtemus.

Alioquin, ut ſuprà notatum eſt, ſiquis dum temerè judicat, agnoſceret, ſe temerè judicare, idque mentaliter diceret, per hoc ipſum, & per hanc propriam confeſſionem ſuum proximo honorem reſtitueret; nam diceret, ſe levibus indiciis, & inſufficientibus judicare: undè diceret, ſe malè judicare: & ſic honorem auferret ſimul, & reſtitueret; & proximum condemnaret ſimul, & abſolveret; nam nos ipſi, cum abſolvere eum volumus, qui ita judicatus, ac damnatus fuit, ſatis ſententiam abſolutoriam ferimus dicendo contra eum temerè, id eſt, levibus, & inſufficientibus indiciis judicatum fuiſſe. Ergo ſi hoc ipſum ad eſſet in mente temerè judicantis, eſſet in illa proximus ſatis defenſus, & approbatus: non ergo læſus. Ergo id ſciendo temerè judicare non eſt temerè judicare.

Ut itaque S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 3. ſapienter exponit, peccatum ex prævia noſtra mala diſpoſitione naſcitur, quæ prava diſpoſitio facit, res nobis aliter apparere; in quo timendum eſt nobis plurimum; nam quotquot mundi corde non ſumus, multipliciter, atque facilè in eo labimur quotidiè.

Triplicem diſpoſitionem S. Thomas commemorat. Prima, quod quis in ſe ipſo malus eſt, & ex hoc facilè de aliis malum ſuſpicatur, quia illi proponuntur tanquam ſibi ſimiles juxta illud Eccleſiaſt. 10. *in via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat*: hæc nimirùm eſt noſtra ſuperbia, quod in bono nullus nobis ſimilis videatur; in malo omnes ſimiles, & pejores videntur, &c. Secunda diſpoſitio, & cauſa eſt, quod quis malè affectus ſit erga proximum vel propter invidiam, vel propter offenſionem aliquam: ideò peccator magnus Scribis, & Phariſæis viſus eſt Chriſtus, & per invidiam eum tradiderunt: hæc enim maximè diſpoſitio prava facit, res omninò aliter apparere: & indè etiam eſt, quod quæ contra proximum ſunt, audiamus, inquiramus, memoria retineamus, à contrario negligamus, quæ ad illius probitatem ſtatuendam conferunt: in quo etiam peccatur plurimum.

Tertia dipoſitio eſt ſenectus; nam ſenes ex 2. Rhetor. ſunt valdè ſuſpicaces propter diuturnam experientiam, qua multorum conſcii ſunt, expertique ſunt multo plus mali, quam boni eſſe in mundo. Hæc diſpoſitio culpabilis haud eſt, ſed naturalis: tamen multoties decipit, nec ob univerſalem ſui, vel aliorum experientiam licet ſeni de aliquo in particulari malè judicare; nam hoc eſt prohibitum in Evangelio. & deberet in ſuam diſpoſitionem, ac ſuſpicacem ſenectam reflectendo à judicando, vel ſuſpicando abſtinere, quoties evidentia rei non neceſſitat: fortè enim particularis ille, de quo ſuſpicatur, vel judicat, non ſibi, aut aliis, quos expertus eſt, exiſtit ſimilis, ſed eſt re ipſa innocens: at ſanctius eſt malos & nocentes abſolvere quam unum innocentem condemnare, ut leges ſanctè ſtatuunt.

Ex his ſatis patet ſolutio ad ſecundum argumentum, & illius confirmationem: nam ſuſpicamur, & temerè judicamus ex fundamentis quidem re ipſa levibus; quæ tamen non levia, ſed vel majora, vel gravia nobis videntur propter noſtram diſpoſitionem pravam, ut declaratum eſt, & etiam propter indiligentiam. Ex hoc etiam contingit, nos multa citò, & ſic leviter credere. Undè nullum eſt argumentum ad opinandum inter oppoſita: ſed ſolùm ſequitur, nos opinari poſſe ex fundamentis re ipſa improbabilibus, quæ tamen nobis tanquam probabilia proponuntur, & appareant. Argumentum deindè probat nimium; nam ſi ex ſuſpicari, & temerè judicare valet conſequentia ad opinari, poſſe etiam improbabilia nota, ſeu non probabilia, ſcilicet ea, quæ levibus ſolùm fundamentis nituntur, & ideò ad probabilitatem non aſſurgunt: nam ut objectio intendit, temerè judicamus propter motiva levia.

§. IV.

Ad autoritatem S. P. Ignatii.

Circa doctrinam S. Patris alias dictum eſt: ubi tractavimus, an, & quomodo quis contra propriam opinionem obedire poſſit, ac debeat ſuperiori. Nunc ex ipſa autoritate objecta conſtat ſolutio, ſi ad modum veniamus, quem S. Pater à num. 15. dare incipit, quo docet, id fieri poſſe, quod ipſe tantoperè commendat, ut ſcilicet idem ſentiat, ac judicet ſubditus, quod ſuperior. *Videor mihi, vos fratres chariſſimi,* (ait) *audire dicentes, de virtute quidem hujuſce nec neceſſitate jam non ambigere; illud verò, ut cognoſcatis, vehementer optare, quo pacto ad ejus perfectionem pervenire poſſitis*, id eſt, ad idem cum ſuperiore ſentiendum. Ecce quæſtionem à S. Patre propoſitam.

Profectò in ſententia adverſariorum frivola videbatur inquiſitio; & in manu, obviaque cuilibet videbatur eſſe reſponſio, & ſcire modum, quo poſſent ad perfectionem pervenire, quod tamen vehementer ſcire optabant: cum enim in opinabilibus pro, & contra ſuperiorem ſentire, & judicare tam ponatur ab adverſariis voluntarium unicuique, ut eſt mihi modò voluntarium ſcribere, vel legere, de hoc modo ſciendo vehementer ſolicitos eos eſſe, videbatur ſanè, ne dicam aliud, ab omni prudentia alienum, ſatiſque inconſideratum. Rurſùs S. Pater hanc libertatis

noſtræ

noſtræ obviam, ac brevem ſolutionem, expeditionemque reddere debuiſſet.

Sed verò longè abfuit ab ea reddenda: tres ipſe rationes præbet, quibus ſubditus ad idem cum ſuperiore ſentiendum permoveatur, quas multi quidem ſciunt memoriter; cæteri in eo credant, par eſt. Omnes autem illæ eò reſolvuntur, ut oſtendant, facilius eſſe, ſubditos falli, quam ſuperiores: ideoque magis eſſe præſumendam veritatem in ſuperiorum ſenſibus, quam in noſtris. Ergo modus inclinandi intellectum noſtrum ad ſenſa ſuperiorum, non eſt ea minus vera, aut minus probabilia cenſendo, & retinendo, quod ipſum eſſet contra perfectionem obedientiæ, ſed ad illa tanquam errori minus obnoxia intellectum permovendo. Quæ eſt noſtra ſententia. Prætereà de devota voluntate, quantum illa poſſit ad ipſa objecta transmutanda, conſtat ex dictis.

QUÆSTIO VI.

Utrum nihilominus poſſibile ſit opinari? Ubi quid ſit opinari, & qua natura opinionis.

HAnc quæſtionem ſcholaſticiſſimam eſſe, ſicut & alias, & meris ſcholarum inintelligentibus Caſuiſtis inacceſſam neceſſe eſt. Didici tamen multis experientiis, eſſe omninò neceſſarium ad has de uſu opinionum probabilium controverſias, quod res multæ ſcholaſticæ plenè tractentur, recteque ſciantur. Etenim, ut alias hujus neceſſitatis cauſas nunc prætermittam, inveniet quisque ſi cum multis adverſariorum de rebus moralibus diſputabit, eos aliquando in Cœlum extollere, & ipſi ferè ſcientiæ æquiparare opiniones probabiles, dum illarum uſum prudentiſſimum eſſe tuentur: Ubi verò ad illos caſus deventum fuerit, in quibus contrà propriam opinionem abſolvendi, operandi, conſulendique facultatem largiri volunt, omninò opinionem diminuunt, ad illam ejus proprietatem formidinis, atque ad celebrem particulam illam *fortè* confugiunt, humilitatem prætexunt, & opinionem cum dubio omninò confundunt. Quo notato, quæſtionem difficillimam aggrediamur.

§. I.

Videtur eſſe impoſſibile opinari.

QUæſtio iſta duo complectitur, quorum tamen expeditio ad unum reducitur. Videtur enim inprimis, impoſſibile eſſe opinari, Deindè videtur inintelligibilis natura opinionis. Utrumque tamen dirimetur per declarationem naturæ opinionis. Quoad primum ergo videtur, eſſe impoſſibile opinari.

Primò ex doctrina jam adducta Ariſtotelis, *opinari non eſt in nobis: verum enim, aut falſum dicere neceſſe*, ut declaravimus, & propugnavimus. Ergo, ut intellectus opinetur, neceſſe eſt verum, vel falſum dicere: at probabilius non eſt verum, ſed ſolum probabilius eſt, eſſe verum: ergo circa probabilius opinari non poſſumus. Ergo circa nihil.

Secundò, nam intellectus vel opinatur circa probabilioritatem ipſam, vel opinatur circa rem, quæ eſt probabilior. Id eſt, vel intellectus opinans affirmat, & dicit probabilioritatem, vel affirmat, & dicit rem ipſam ſubſtratam? Primum eſt falſum; quia de probabilioritate, quam ipſe opinans in ſe ipſo percipit, habet non probabilioritatem, ſed evidentiam; ergo de illa non opinatur. At de re ipſa veritatem non habet; nondum enim ſcit, eam re ipſa ita eſſe, vel non eſſe. Ergo de illa verum dicere non poteſt: quod ſcilicet adhuc neſcit.

Tertiò, quia omnis intellectus, dum opinatur adhuc eſt quærens, & in via ad veritatem rei inveniendam, & in eo differt tum à fide divina, tum à ſcientia, & primorum principiorum intelligentia: ergo nondum verum habet, nec ad veritatem ipſam pertingit: ergo verum dicere non poteſt: nec item falſum propter eamdem rationem à fortiori: ergo nihil dicere poteſt ergo neque opinari.

Quartò quia quicunque aliquid dicit, ſaltem virtualiter, & exercitè dicit, verum eſſe quod dicit: & ſi reflectat expreſsè, & ſignatè dicere poteſt: *verum eſt, quod dico.* At circa probabilius hoc dicere non poteſt: nam pone probabilius eſſe chiocolatam non frangere jejunium: nequit enim dicere, *verum eſt, chiocolatam non frangere jejunium*; ergo nec dicere poteſt: *chiocolata non frangit jejunium*: nam hoc dicens virtualiter diceret illud.

Quintò, quia minus eſt probabilius eſſe, quàm verum eſſe; nam cum dicimus aliquid eſſe probabilius, ſenſus eſt, probabilius eſſe, id eſſe verum: ergo ſenſus non eſt, id eſſe verum; ergo probabilius nondum eſt verum, ſed aliquid minus, nec rem probabiliorem eſſe, eſt rem veram eſſe. Ergo intellectus dicere non poteſt, rem veram eſſe. Ergo ſolum dicere poteſt, rem probabiliorem eſſe. At de hoc non eſt opinio, ſed ſcientia, & experientia; nam loquimur de probabiliori reſpectu opinantis, qui conſideratis omnibus hic & nunc certò, & indubitatè judicat, rem eſſe probabiliorem, quia ita ſibi apparet: de qua apparentia habet ſenſum, & perceptionem.

Sextò, quia voluntas non poteſt amare niſi bonum, vel verum, vel apparens aliquo genere bonitatis, vel honeſtæ, vel delectabilis; & quoties neſcit, aliquid eſſe bonum, conſultat. Sic nec viſus niſi colores veros, vel apparentes percipit: Idem eſt de auditu, de guſtu, & cæteris ſenſibus. Ergo nec intellectus affirmare, vel dicere poteſt niſi verum, vel re ipſa tale, vel apparenter tale. At probabilioritas rei nec eſt, nec apparet veritas, ſed eſt potius quaſi fundata ſpes veritatis: non autem ejus habitio, & poſſeſſio, nec apparenter quidem. Ergo ſicut prius.

Septimò, quia differentiæ illæ probabilis, vel probabilioris non ſunt differentiæ veri ipſum verum propriè contrahentes, ſed ſunt potius quid extraneum: & probabilius eſt quaſi veriſimile, non autem verum: quemadmodum auricalchum eſt ſimile auro, non autem aurum: quin imò multò minus; nam aurichalcum in apparentia eſt aurum, & cum auro confundi poteſt: at probabilius, nec apparenter eſt verum, & ſolum eſt aliqua ſimilitudo, non autem omnimoda, & totalis ſimilitudo, & apparentia veri: unde ſolum eſt comparandum cum auricalcho noto. Ergo ſicut auricalchum ſaltem notum nec re, nec apparenter eſt aurum, nec differentia auri: ſic nec differentia auri: ſic nec probabile aut probabilius apparet verum nec ſunt differentiæ veri, ſed

ne

Digitized by Google

ut ſummum ſemiappatentia, vel aliqua pars apparentiæ veri. Quod autem caſu re ipſa probabile, aut probabilius ſit verum, impertinens eſt admovendum intellectum, ut patet.

§. II.

Videtur præterea inintelligibilis natura opinionis.

EX eo præterea videtur impoſſibile opinari; quia inintelligibilis, & inexplicabilis videtot natura, & eſſentia opinionis. Nam omnes vulgò, & quotidie dicimus, aſſenſum opinativum eſſe aſſenſum cum formidine, quam formidinem explicare moris eſt pet particulas illas *fortè*, *forſitan*, atque ſimiles. At hæc formido videtur inintelligibilis & ioexplicabilis.

Primò, quia, ut ſanctus Thomas alibi objicit, formido, ſicut & timot, non videtut pertiocre ad intellectum, ſed ad voluntatem, juxta illud, *& à verbis tuis formidavit cor meum*; Ergo pet illam non aptè explicatur differentia aſſenſuum, ſed affectuom.

Secundò quia formido iſta non eſt aliquid intrinſecum opinioni, & indiſtinctum ab aſſenſu ipſo opinativo. Ergo pet illam non ritè tradirur differentia opinionum à certis aſſenſibus; namdifferentiæ ſuæ ſunt rebus ipſis intrinſecæ. Antecedens autem oſtenditur: quia aſſenſus eſt motus in rem, & veritàtem: fotmido contra & *forſitan* ſunt receſſus, & fuga quædam, & quaſi rergiverſatio ab eadem re; ergo ſunt motus contratii, & incompoſſibiles in eodem aſſenſu. Scilicet ex 6. *Ethic. 2. id eſt in appetitu proſecutio & fuga, quod in mente affirmatio, & negatio.* Sed in appetitu proſecutio, & fuga ab eadem te nequeunt eſſe unus, idemque motus. Ergo nec in intellectu unus, idemque motus eſſe poſſunt affirmare rem, & ab eadem ſimul recedere, & quaſi tergiverſari, ſeu terga vertete.

Nec valet recurrere ad diverſitatem motivorum, quaſi propter unum aſſentiatur, & propter alterum recedatur, & fugiatut. Etenim divarſitas motivi, v. g. quoad voluntatem bonitas, & malitia apparenres in objecto facient quidem, ut voluntas per unum motum tendat amando ad objectum, & per alium motum in efficacem receda, & fugiat ab eadem te propter illius malitiam, vel malum: At omninò videtut impoſſibile quod motus ipſe amandi ſit motus fugiendi, & quod amor ipſe ſit diſplicentia, & odium ejuſdem objecti. Ergo ſimiliter in intellectu. Ergo aſſenſui opinativo non coovenit illod *forſitan*.

Tertiò quia dato aſſenſum ipſum te ipſa, & materialiter eſſa formidinem, & fugam, adhuc videtur mauete inexplicabilis, & nobis iniotelligibilis natura opinionis. Etenim, quod aliqui in diſcurſibus ſuis haud videntur advertere, ut res aliqua bene habeat in ſe ſatis planè eſt, ut ſit talis vel talis in ſe, & in eſſe tei: hoc porrò ſatis non eſt, ut ſit nobis intelligibilis, & explicabilis, niſi præterea modus tradatur, quo illam intelligere, capere, explicareque poſſimus: hinc tanta cura ſapientiotibus ſenſus formalis, citra quem teſte Cajetano nihil qois proficiat in D. Thoma: aliis autem cuta nulla: mox ad res in ſe appellant, quaſi verò nos ad res in ſe niſi modo noſtro proprio cognòſcendi ire poſſimus, tranſireque ad ipſas noſtris relictis intellectibus.

Nunc ad rem. Quidquid itaque re ipſa, & materialitet aſſenſus ipſe ſit formido, & acceſſus ſimul, & receſſus certiſſimum eſt; ea duo ratione noſtra diſtingui, nec nos intelligendo opinionem eſſe aſſenſum, intelligere eſſe, fugam, formidinem. Ergo duo inrelligimus in opinione ſcilicet eam aſſentiri, & aliquid præterea, ſcilicer formidinem, & tergiverſationem illam. Tunc quæro: vel io aſſenſu iorelligimus, eum dicere, *res eſt*, vel non? Si ſecundum: non eſt aſſenſus. Si primum: nihil plus dicit aſſenſus certus; nam hic ſolum dicit, *res eſt*. Ergo in ly *eſt* non differunt: ergo eadem intelligitur utriusque aſſenſus eſſeutia. Quod autem poſt intelligatur ſequi formido, & forſitan, eſt poſt bellum, auxilium; nec enim prius diſtinguitur per poſterios, nec in ordine eſſendi, nec in ordine intelligendi. Omitto etiam percelebrem Aotorem, qui oon in intellectu ſed in rebus ipſis opinaris formidinem ponit; quaſi verò formident montes, & fumigent, quoties nos opinamut circa montes.

Aureolus in prolog. ſent. ſub titulo *quod opinio non ſtet cum fide*, ſolito acumine tem hanc exponete aggreſſus eſt. Haud verò, ut opinor, ſatis, nec vetè declarat: ubi, ne quæſtio obſcurior, diffuſiorque fiat, prætereo ejus meutem proponere, & impugnare.

Quartò; quia aſſenſus opinativus videtur ſimul eſſe aſſenſus, & diſſenſus, nec diſſenſus eſt aſſenſus cum formidine de oppoſito; quam formidinem explicamus per particulas *fortè*, & *forſitan*. Ergo aſſenſus opinativus eſſentialitet affert ſignificatum earum vocum, alioquin nugaremur voces dando ſiue re ſua. Ergo opinaodo dicere, *Petrus eſt*, eſt idem, atque dicere, *Petrus fortè eſt*. At dicere, *Petrus fortè eſt*, eſt idem, atque dicere, *fortè, & fortè non eſt*; nam illod *fortè* eſt tacitè comparativum ad noo eſt. Ergo aſſenſus opinativus vel uttumque extremum dicit, vel oihil potiùs dicit. Quinimò dicere, *Petrus fortè eſt*, nihil eſt de ipſo affirmare; nam ita, *Petrus fortè eſt*, æquivalet huic; *contingens eſt*, *Petrum eſſe*; & ſic loquimur, cum de re ipſa nihil affirmatè dicere audemus. Ergo aſſenſus opinativus non eſt aſſenſus ſed diſpoſitio dubitaotis. Undè haud mirum ſi, ut dixi, cum dubio ſæpè confundatur, ubi ad diſputationem, &contentionem venitur.

Quintò, quia indifferens ad verum, & falſum non eſt verum, nec falſum, ſed neutrum. Sed probabilia, & probabiliora ſunt ita indifferentia; quin ex Topic. falſa ſunt aliquandò veris probabiliora. Ergo probabile, & probabilius noti ſunt nec verum, nec falſum. Ergo non ſunt intra ſphæram intellectus affirmantis, vel negantis. Ergo nec intra ſphæram intellectus opinari non eſt nec affirmare, nec oegare. Idcircò, ut diximus, probabile, & probabilius non ſunt differentiæ veri. Ergo ſemper manet vel impoſſibilis; vel inintelligibilis opinio.

Sextò per aliam viam videtur impoſſibile opinari, & rem hanc univerſam impediri, & implicari ex eo, quod cum juxta nos opinari nequeamus circa æqualirer, & minùs probabilia, ſolùm ſupereſt, nos opinari poſſe circa probabiliora tantùm; ſed ſicut veritatem ipſam invenire videtur arduum, aut impoſſibile, ita cum ſint opiniones, & conrentiones ſine fine, & unaquæque pars teneat ſua eſſe probabiliora, videtur arduum, vel impoſſibile

poſſibile

poſſibile invenire, & diſcernere probabilioritatem. Unde circa nihil opinari poterimus.

Omitto Auguſtinum *lib. de util. credendi cap. 11.* dicentem, intelligere ſemper eſſe ſine vitio: credere eſſe aliquandò ſine vitio; opinari nunqnam eſſe ſine vitio. Hoc aurem intellectus cognoſcit. Ergo nunquàm opinabitur; numqoam enim ſciens errat. Quippè Auguſtinus, ut ex ipſo maniſeſtè conſtat, in alio ibi ſenſu opinionem accepit.

§. III.

Reſpondetur ad quæſtionem.

HÆc quæſtio non magis noſtra eſt, quam omnium, nam jam omnes tenent opinari eſſe poſſibile, noſque frequenter, & prudenter opinari. Omnes ſimiliter tenent, opinionem eſſe affirmationem, vel negationem, & opinantem aliquid dicere, & differre à dubitante: alioquin ceſſarent omnes hæ controverſiæ; nam nemo diſputat, an liceat operari ex dubio; quare omnes ita recurrere debent ad illas particulas *fortè*, & *forſitan*, ut opinionem non interimant, neque eum dubio confundant, tranſiliantque inconſideratè à diſpoſitione opinantis ad diſpoſitionem dubitantis, quod ſemper in his litibus habendum eſt ob oculos.

Quapropter deſino probare, poſſibile eſſe opinari: item nos opinando aliquid dicere: quæ ſcilicet duo omnes retinent. In hac ergo communi cauſa labor debet eſſe communis. Nos quidem, ut poſſumus, naturam opinionis, & eſſentiam declarabimus, & per eam declarationem factas objectiones removebimus. Quod ſi explicatio noſtra minimè placebit, alia educatur, noſque illam libenter amplexabimur, ſi melior videbitur.

§. IV.

Quid ſit opinari?

JAm itaque quid ſit opinari, & quomodò poſſibile, factis objectionibus non obſtantibus, ad aperire noſtrum eſt. Dixerat Ariſtoteles, opinari non eſſe in nobis; *verum enim, aut falſum dicere neceſſe.* Quo loci hanc naturæ opinionis explicationem paucis, ut ſolet, nobis D. Thomas exhibuit. *Cum aliquid intelligimus, aſſerimus ſic eſſe: cum autem opinamur, dicimus ſic videri, vel apparere nobis.* Intellectus ergo, quando rem intelligit, vel ſcit, quid res ſit, vel an ſit, pronuntiat eam eſſe: at quando opinatur, quid de re ſibi videatur, affirmat. Videtur autem ſenſum naturalem hominum confirmare iſtam opinionis naturam. Idcircò cum de opinionibus Doctorum vulgò, & naturaliter loquimur, eas Hiſpanicè vocamus, *los pareceres*: Italicè verò *i pareri.* Ex ſimilibus porrò naturas rerum indagare, & confirmare, fuit ſatis conſuetum Ariſtoteli: quem proindè naturalium ſenſuum hominum commentatorem, & velut gloſſatorem fuiſſe acutè, & utiliter animadvertit Emin. Car. Pallavicinus tom. de bono, notatumque reliquit.

Multi ſunt, qui omnes intellectus ad ſolam repræſentationem objecti revocant, quaſi intellectus nihil aliud faciat, quam repræſentare. Quapropter quoties diverſitatem in repræſentando non inveniunt, diverſitatem ipſorum actuum non intelligunt, voluntque omnem diverſitatem actuum per diverſitatem repræſentationum exponere. Hinc labor ille multorum in explicando, quid in ſyllogiſmis particula illa illativa, Ergo, in mente repræſentet, vel ſignificet, ſolentque, ut id exponant, eò recurrere, ut dicant, concluſionem per illam particulam reflectere, & quaſi reſumere, vel repetere præmiſſas. Indè nodus ille alius judicium explicandi: nam quærunt, quid ſit in mente illa particula; vel verbum *eſt*, per particulam judicamus, & ſententiam ferimus? Nam vel particula *eſt* quando dico: *Petrus eſt homo* fertur ad Petrum, & hominem, vel non fertur, ſed prætermittit eos, vel conceptus, vel terminos? ſi prætermittit, non potius illorum eſt affirmatio, quam aliarum rerum. Si eos reſumit; primò quidem ſuperfluunt, & otioſi manent termini, & conceptiones priores: & deindè proceditur in infinitum; nam in illa particula *eſt* involvuntur hæc tria *eſt*, & *Petrus*, & *homo*: Undè denuò quæretur de hac ſecunda particula *eſt*; & itur in infinitum. Indè denique, ut alia multa prætercam, omnem in verbis temporum differentiam præſentis, præteriti, & futuri ſolent exponere, omnem intrinſecam differentiam in verbis tollentes, eamque reducentes ad quædam nomina de inſtanti. *A. B* &c.

Hunc ego philoſophandi morē in Philoſophia cum Ariſtotele, & in Theologis inſecutus ſum, habuique falſiſſimum. Tradidi ergo, in mente plurimos eſſe actus præter repræſentationem, plurimaſque proindè diverſitates eorum, quæ non per diviſum repræſentatum, ſed aliundè differunt: non ſecùs atque voces, quibus loquimur, & quæ loco conceptuum & actuum à nobis uſurpantur: quo planè in vocibus ablato, vix quidquam loqui aut dicere poſſemus.

Sunt ergo in mente affirmatio, & negatio, quæ ſunt ejusdem de eodem ſecundum idem, ex definitione contradictoriarum: non ergo aliud, & aliud repræſentant, ſed idem, & ſolum aliter, ſcilicet affirmando, & negando, ut in Metaph. expoſui. Sunt in mente copulatio, & diſiunctio, quas explicamus per particulas *&*, *vel* quæ nihil repræſentant, ſed ſunt repræſentatorum conjunctio, vel diſiunctio, ſunt in verbis tempora *eſt*, *fuit*, *erit*, quæ intrinſecè differunt; & non per *A.* & *B.* nam denuò de ipſis *A* & *B* redit quæſtio: nam dicimus, *erit inſtans A. eſt inſtans A.* &c. quæ niſi nugando per *A*, *B*, *C*, exponere non poſſumus. Sunt conjugationes in verbis, declinationes in nominibus, quæ idem aliter repræſentant, vel affirmant. Sunt ſimiliter actus illativi, quos exponimus per voces *ergo*, vel *igitur*: Et ſicut in vocibus *ergo* eſt *ergo*, & nihil repræſentat, ſed infert. Sic Similiter in mente: quæ omnia latè expoſui, & probavi in Logica, nec ex actibus ſolùm repræſentativis ullus ſyllogiſmus conſtrui poteſt, vel illum ritè conſtruant, & tacebo.

Similiter in intellectu, & in mente præter intelligere eſt etiam dicere, nec idem eſt intelligere, & dicere: nam in Deo intelligere eſt commune omnibus perſonis, nam Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus intelligunt; at dicere non eſt commune, ſed Patris proprium; & idcircò, ſicut ſolus Pater generat Verbum, ſolus Pater dicit ad intra. Nec hæc in fide noſtra ſunt nuda, & inania vocabula ſine re, & ſignificato, ſed plena

re, &

re, & ſigoificato, & propriiſſimè ſignificantia. Eſt ergo in intellectu, & mente intelligere, & eſt dicere, nec idem hæc ſignificant. Quæ tract. de Trin. explicui, & ſanctè tenui.

Similiter ex ſeutentia Ariſtotelis S. Thomæ & plurimorum ſapientium præter intelligere eſt etiam in intellectu imperate: nam imperate eſt actus rationis: eſt eoim ord'nare, quod ad ratiooem pertinet: & quia imperare eſt dicere, & modus ſpecialis dicendi: voluntas autem non dicit, nec amare, aut velle eſt dicere: ergo imperare non voluntatis, ſed rationis, & intellectus eſt. Quod aliqui ægrè capiont, & impugnant propter univerſalem illum defectum, quod omnem actum intellectus ad intelligendum, ſeu repræſentandum, quod velut paſſivum quoddam eſt, revocant, & omne aliud removent: ex quo in multis multas difficulates patiuntur.

Ergo dicendum eſt, io hunc eumdem modum eſſe io intellectu hos quatuor actus diverſoa intelligere, ſcite, credere, & opinari: nunc porrò noſtrum haud eſt tres primos, & alibi explicatos, & obvios denuò exponere: quid ſit opinati, & in quo differat intelligere, ſcite, & credere inſtituti noſtri eſt. Et breviter reſpondemua, nos intelligendo, & ſciendo, vel etiam quaſi ſciendo dicere indubitate, quid res in ſe ſit, vel etiam an ſit, opinando verò, non etiam an ſit: Opinando verò, non quid res in ſe ſit, vel an ſit, ſed ſolùm quid nobis de illa videatur, pronuntiare. Etenim cum ſolom opinemur per media, quæ aliter ſe habere omninò non tepugnat, hoc videntes, ne fortè res aliter ſe habeat, non audemus de re abſolutè proferte ſententiam dicendo, *ita eſt*, vel *non eſt*, ſed pronuntiamus cum limitatione, & reſtrictione dicendo ita nobis videri: atque adèò opinando rem eſſe dicere, idem eſt, atque dicere, videri, nobis rem eſſe: Verum proindè etiam opinando dicimus: quia dicimus videri nobis, quod re vera nobis videtur.

§. V.

Ulterior declaratio naturæ opinionis.

Hinc in aſſertione opinativa eſt quaſi duplex aſſertio indiviſibiliter in aſſenſu opinativo clauſa, quatum altera ſe habet quaſi exercitè, altera ſignatè: ſcilicet eſt & aſſertio de te ipſa, & aſſertio de appatentia tei, & quid nobis videatur; & ſolùm ptimum ſignatè, & explicitè dicimus, quando opinamur: nam ſolùm opinamor de te ptopoſita, non de ipſius appatentia, quam potius videmus.

Sed, ut hanc rem explicatu, & intellectu planè difficilem, ampliùs exponamus, objicies ſic: Cum dicimus, hoc, vel illud nobis videti, aſſertio non in rem, de qua opinamut, fertut, ſed in ipſam noſtram opinionem, ſeu viſionem: ſicut cum dicimus, hoc, vel illud à nobis ſciri, non de re ſcita, ſed de ipſa potius ſcientia noſtta eſt aſſertio ſaltem principaliter; nam affirmamus, nos de boc, vel illo habere ſcientiam. Ergo tum dicimus, hoc, vel illud nobis videri, aſſertio principaliter ſaltem non ſuprà tem ipſam cadit, ſed ſuprà noſtrum videri, vel viſionem, vel opinionem. At de hac noſtra vel viſione, vel opinione noo opinionem, ſed ſenſum, & manifeſtam perceptionem habemus. Ergo opinari non eſt nobis videri, nec ritè S. Thomas ſtatuit, *cum opinamur, dicimus, ſic nobis videri.*

Reſpendeo, aliter de opinione in ore, aliter de opinione in corde, ſeu mente eſſe loquendum; nam voces non habemos, quibua ipſum exercitium opinandi, quod, & qoale eſt in mente ritè, & aptè exponamus. Etenim ad exponenda judicia noſtra, ſive quæ pèr ſcientiam, vel intelligentiam, ſive quæ per certiſſimam fidem efformamus, ſolum habemus hoc verbum *eſt*, vel *non eſt*, vel aliquid æquivalens, & ſic vocaliter affirmatè dicimus, *eſt*, vel *non eſt*. Cum porrò opinari minus ſit, & aliud ſit, qoam intelligere, vel ſcire, vel certa fide credere eodem verbo ſine limitatione uti non licet ad tem opinativè aſſetendam. Idcircò limitatio quæſita eſt communiter in illa particula *fortè* per quam aſſertionem reſtringamos, & aliqoid minus dicere videamur, quam cum rem intelligimus, vel ſcimus, certiſſimè credimus. Verùm ut inter argumentandum ſatis eſt commonſtratum, illa particula *fortè* apta non eſt: potiùs quippe dobitantis illa eſt: quam opinantis; nam ritè dices, aſtra fortè eſſe paria: & qui cum fortè aliqoid dicit, contradictorium non ſolùm, non excludit, ſed potiùs virtualiter dicit eodem modo: atque adeò nihil dicit.

Opinio itaque, & opinari dupliciter eſt, vel habet duplicem ſtatum in mente noſtra: eſt enim & opinari te ipſa, & eſt ſupta hoc opinari reflectere. Cum te ipſa, & exercitè opinamur, videri ſe habet in menre exercitè; & ſimiliter opinari cum reflectimus tam opinari; quam nobis videri ſe habent ſignatè, & tanquam aliquid expreſſè cognitum, & dictum. At in ore ſolùm hoc ſecundo modo opinio locum habet; nam de rebus, de quibus opinamor, dicimus, ita nobis videri. Quemadmodum ergo cum de amore, vel viſione corpotali eſt ſermo, dicimus, *ego amo*, *ego video*, voces ſignatè ipſum amare, & videre importans, nec viſus dicit ſe videre ſed videt; nec os videt, ſed dicit viſionem: ſic quandò opinamur; non dicimus in mente nobis videri, ſed re ipſa ita nobis videtur; os verò non opinatur, nec opinando dicit, ſed ſolùm enuntiat, nos opinari, & nobis videri.

Sic ſi aliquis exactè exponere volet, quid ſit ſuſpicari, nnmquam ipſum exercitum ſuſpicandi ritè ore proferet, niſi ipſam ſuſpicionem, & ſuſpicari reflexè, & ſignatè pronuntiando. Sic nec affectus inefficaces noſtros, & complacentias, atque diſplicentias; niſi reflexè, & ſignatè exponere poſſumos per ullas voces, quæ directè tendant in res in efficaciter amatas: ſolemus enim dicere *Vellem hoc*; *vel illud*: at vellem nollam de præſenti exiſtentem volontatem ſignificat, ſed ſolòm, quod haberem voluntatem: ſicut ſi dieas, *ſcriberem*; vel *currerem*; nullum curſum præſentem; ſcriptionem nullam ſignificat: & tamen volontas inefficax eſt aliqua voluntas, quæ de præſenti eſt; nec ſolum eſſet; ergo non ſolùm vellem, ſed volo: ſed tamen qoia *volo* abſolutè pronuntiatum ſignificat abſolutam, & efficacem voluntatem, ut ſatis voluntatem inefficacem diſtinguamus, vocum ſimplicium defectu recurrimus vel ad tempus improprium præteriti imperfecti dicendo *Vellem*; vel ſignatè, & reflexè limitamus dicenres habeo voluntatem inefficacem &c. Sic ergo quia *eſt*,

vel

vel *non eſt* abſolutè pronuntiatum certæ, & definitivæ ſententiæ intellectus correſpondet, cum opinamur, utendum eſt vocibus limitantibus, opinionem ipſam ſolum ſignatè efferentibus dicentibus dicendo, *ita mihi videtur*, *vel apparet*. Atque veraciſſimi quique hoc moris habent, quoties de rebus certiſſimi non ſunt; atque S. P. Ignatius ita loqui conſulebat, & conſueſcebat.

Vocum ſimplicium, & propriarum defectus ſolet multa reddere difficilia. Ideo laboramus in exponendo, quomodo accidens prædicetur verè de ſubſtantia, cum v. g. dicimus *Petrus eſt albus*; nam cum particula *eſt* identitatem ſignificat prædicati cum ſubjecto, eſſe porrò album non identificetur cum Petro, cum illi accidat eſſe album, videtur eſſe falſa enuntiatio.

Solent dicere, album in ea enuntiatione perinde eſſe, atque habens albedinem, & itaut prædicatio ſit; *Petrus eſt ſubjectum habens albedinem*. Quod totum rectum prædicati eſt idem cum Petro, licet albedo, quæ de obliquo importatur, non ſit idem: ſatis autem eſſe ad veritatem enuntiationis, ſi rectum prædicati ſit idem cum ſubjecto. Hoc ego pridem rejeci; nam rectum illud non eſt ſubjectum potens habere albedinem, quod quidem eſt idem cum Petro; ſed ſubjectum actu habens: at habens non eſt idem, ſed accidit: ergo numquam eſt vera enuntiatio, ſi particula *eſt* proprium ſignificatum retineat. Ex quo dixi particulam *eſt* in ore ad impropriam ſignificationem diſtrahi, qua non identitatem, ſed minus ſignificet, quæ improprietas per prædicatum ſatis ſignificatur ne fallamus. At quoniam in mente nullus conceptus impropriè ſignificat, nec reperitur *eſt* improprium, dixi in mente ſemper dari verba adjectiva; & ſic intellectus non dicit, *Petrus eſt frigidus*, *ſed Petrus friget*. Et ſic in omnibus accidentalibus, quæ verba nunquam feracitati intellectus deſunt. Deſunt vero multoties in ore; inde amphationem, reſtrictionum, diſtractionum, troporumque uſus; inde locus æquivocis, metaphoris: quæ in intellectu ceſſant nam in intellectu omnis ſignificatio eſt naturalis, & propriiſſima. Ex quo patet quot, & quanta ſint reſervata in mente, quæ proprie efferre non poſſumus, & ex improprietate confuſio, & æquivocatio naſcitur & difficultas, & labor.

Haud ergo mirum, ſi verbo illo careamus, quo intellectus in opinando utitur, quod planè non eſt verbum *eſt*, ſed quid minus; quod aſſertivum eſt, ſed alio modo, inferiori, quam cum de rebus ſciris definitivè pronuntiamus: aſſertio, & aſſenſus eſt, ſed apparenti veritati proportionatus, nec excedens illam, nec ab ea deficiens, qui ſolum eſt aſſenſus, qui nihil habet diſſenſus. Quæ omnia ex continenter adjungendis, amplius innoteſcent, firmabunturque.

Deindè nemo nobis negare poteſt, nos habere hoc genus affirmationum circa res etiam ipſas: mihi videtur, hunc ægrotum eſſe moriturum: iſtum alium deligendum Proregem, &c. quibus paſſim totus mundus naturæ ſenſu utitur: ſunt autem affirmationes de rebus ipſis. Has ergo nos dicimus eſſe opinativas dictiones.

§. VI.

De formidine opinionis.

IAm poſtremo ex dictis exponendum venit quid ſit formido illa, quam omnes opinioni tribuimus. Id autem exponendum eſt ex natura, & differentia ſcientiæ, & opinionis ex primo poſteriorum, textu 44. Scire itaque, & opinari differunt ex eo, quod ſcire ſit de iis quæ nec aliter ſe habere in ſe poſſunt, nec aliter ſe habere poſſe ſcienti videntur; & idem eſt de intellectu, & intelligere; ſed vero opinari eſt de iis, quæ in ſe aliter ſe habere poſſunt, vel ita ſaltem opinanti videntur. Et eodem modo proportionatè differunt ſcibile, & opinabile, ex quo repugnat eumdem de eodem habere ſcientiam ſimul, & opinionem; nam repugnat eumdem de eodem ſimul judicare id aliter ſe habere non poſſe, ut in Ariſtotel. S. Thomas, & Commentatores communiter tradunt, & declarant, quod tamen intelligendum eſt de opinione in eſſe opinionis: non autem in eſſe aſſenſus ut idem S. Thomas 3. *part. quæſt.* [illegible] *art.* 3. *ad* 2. perſpicuè tradit, noſque tractatu de fide explicuimus.

Opinanti ergo duo videntur: Unum eſt rem ita eſſe; alterum eſt non repugnare oppoſitum. Primum eſt circa actum ipſum: ſecundum reſpicit potentiam, & non repugnantiam ad oppoſitum. Ut porrò in rebus ipſis non repugnat actus cum potentia ad oppoſitum: ſicut ego de facto deambulo, & ſimul habeo potentiam non ambulandi: ita in intellectu non repugnat cognitio; & aſſenſus circa actum cum cognitione, & aſſenſu circa potentiam ſeu non repugnantiam ad oppoſitum: ſunt enim de alio & alio.

Opinio itaque in quantum opinio, & in quantum differt à ſcientia, dicit, & aſſert duo illa, ſcilicet aſſenſum circa actum, & cognitionem & aſſenſum circa non repugnantiam ad oppoſitum, etiam in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione eorum omnium, quæ ſibi hic, & nunc repræſentantur. Non ergo de actu ipſo dicit fortè eſſe, vel fortè non eſſe: v. g. Petrum fortè eſſe innocentem in objecto crimine, ſed determinatè dicit, ſibi verum eſſe videri Petrum eſſe innocentem, ſeu ſibi videri Petrum re ipſa eſſe innocentem, licet etiam in ſenſu compoſito & ſtantibus illis omnibus, quibus movetur, non repugnet id eſſe falſum, ſeu Petrum re ipſa non eſſe innocentem.

Hanc cognitionem non repugnantiæ ad oppoſitum, & fallibilitatis mediorum, quibus ad opinandum movetur, appellamus formidinem, & nihil aliud ut ex illa differentia ſcientiæ, & opinionis clarè accipitur. Cum plane in aliis rebus erimus [illegible] particulæ illæ fortè, & forſitan. At verò, cum ſumus in ipſa natura opinionis declaranda: cum item ſumus in defendendis conſequentiis moralibus ex ipſa natura opinionis natis, diligenter cavendæ ſunt: Sin minus incurremus in Academiſmum, & cum de opinionibus, & opinantibus diſputare videmur, & loquimur, re ipſa diſputabimus, loquemurque de dubitantibus, & nihil omninò aſſentientibus.

§. VII.

Ad argumenta contraria.

EX his facilè ea removeri videntur, quibus contendebatur, opinionem, ſeu opinari eſſe impoſſibile. Ad primum concedimus, neceſſe eſſe verum, vel falſum dicere per omnem intellectus aſſenſum, vel diſſenſum: at opinans verum dicit; nam ſolum dicit ita ſibi videri: quod veriſſimum eſt: Non ſic eſſet, ſi circa æqualiter probabilia quis opinaretur: nam alterum diceret, & alterum quaſi negaret; cum re vera non magis unum, quam alterum ſibi videtur. Quarè non ſicut ſibi videtur, ſed contra quam ſibi videtur, diceret: ideoque mentiretur: quod à fortiori militat, ſi opinaretur circa minus probabile ut patet.

Ad 2. dicimus intellectum non circa probabilitatem, ſed circa rem ipſam, & de re ipſa opinari; de re porro nondum habet veritatem illius in ſe; ideoque illam non pronuntiat: habet tamen veritatem reſtrictam, & limitatam, quà ita res ſibi videtur: Et hoc ſolum enuntiat, & ſi ita non eſt fallitur: id eſt, malè ſibi viſum eſt.

Ad 3. concepimus intellectum, quamdiu ſolum opinatur, eſſe adhuc in via ad veritatem rei in ſe, nec ad eam perveniſſe: quam proinde veritatem opinando non dicit, ſed limitatam, & reſtrictam aliam, ut diximus: quare in opinione haud quidem quieſcimus, ſed incitamur potius ad perfectam cognitionem rei in ſe.

Ad 4. concedimus, eum qui aliquid dicit, virtualiter negare oppoſitum. Idcircò opinans dicit, hoc, vel illud ſibi videri: in quo virtualiter dicit, ſibi non videri contradictorium: quare repugnant aſſenſus, & diſſenſus opinativi; ſicut quicunque alii aſſenſus, & diſſenſus ejuſdem rei; unde habetur rurſus impoſſibilitas opinandi circa minus probabile, vel circa æqualiter poſſibilia; nam utrumque ſibi æqualiter videretur; ac proindè affirmatio unius non eſſet negatio alterius ullo modo.

Ex quibus ſatis apparet quid ſit concedendũ &, quid negandum ad 5. & 6. & 7. objectionem & quomodo illæ ſint diſſolvendæ, tum veritatem, tum apparentiam limitando, & reſtringendo.

Similiter ad ea, quæ objecta ſunt ad probandum, naturam aſſenſus opinativi eſſe inintelligibilem, & inexplicabilem, ex dictis reſpondetur; tenendo aſſenſum hunc eſſe purum aſſenſum, non quo rem eſſe dicimus ſed quo nobis ita eſſe videtur.

Ex quo ad primum negatur, aſſenſum opinativum eſſe ſimul motum in rem, & fugam, ſeu receſſum: nam ſolum eſt motus, & acceſſus imperfectus ſine ulla mixtione diſſenſus ejuſdem rei. Hinc etiam diſſolvitur ſecunda objectio facta in idem. Ad 3. quid intellectus opinando dicat, expoſitum eſt; non enim abſolutè dicit rem eſſe, ſed ſibi videtur; quod minus eſt, ſed tamen verum: ut de homine picto dicere non poſſumus eſſe hominem; verè tamen dicimus eſſe hominem pictum. Ad 4. & 5. objectionem patet ſimiliter reſponſio: nec enim in opinanti, vel in opinione non ponimus particulam *fortè*. Non ergo per hoc aſſenſus opinativus differt ab aſſenſu totaliter certo; ſed ex eo, quod certus dicit, rem eſſe: per opinionem ſolum nobis videtur eſſe. Inſuper quiſi per effectum differt; nam ſciens putat rem ita eſſe, & oppoſitum non poſſe verum: opinans autem cum videat motivum ſuum non eſſe omninò infallibile, judicat, de facto quidem ita rem ſibi videri; at abſolutè non repugnare quod ſit oppoſitum; atque hoc appellare poſſumus formidinem aliqualem. Tamen ex hac non repugnantia non movetur ad ullum genus diſſenſus, vel quaſi diſſenſus circa rem, quod totum magis etiam conſtat ex dictis de natura probabilitatis.

QUÆSTIO VII.

Brevior alia, & expeditior naturæ opinionis explicatio.

SIve ea, quam *quæſt. præc.* dedimus, ſive iſta, quam modò damus, ſive quæcunque demum alia dabitur naturæ opinionis explicatio, accepetur, nihil ad ſcopum operis ſanè refert; niſi enim palam ineptiatur, ſemper à quolibet eſt tenendum, opinionem non dubitationem eſſe, ſed enuntiationem affirmativam, vel negativam; eam rurſus non firmum aſſenſum eſſe, ſed cum formidine: hanc demùm formidinem ita eſſe declarandam, ut ab opinione non tollat rationem affirmationis, vel negationis, ſed eam ſalvam ſervat; quibus tribus habitis nullo nobis alio opus eſt.

§. I.

Difficultates præcedentis explicationis.

IAm ergo primò data explicatio videtur ſanè implexior, ut ex ipſa illius tanta declaratione, & opera videtur ſumi. Secundò quia nos ipſi in Theologicis habuimus, opinionem cohærere cũ divina fide; inquam, opinionem rationis conſequentis, non autem antecedentis, quæ fidem planè interimit, quo videntur ſatis explicati Auguſtinus, Gregorius, Thomas; & ſunt certè pro contraria etiam parte, ſcilicet pro compoſſibilitate magnæ autoritates. & rationes. At ſi opinio explicetur per *videri* nequit illa componi cum divina fide; nemo enim firmiter aliquid credens, & per fidem, vel etiam ſcientiam illud indubitatum habens dicere poteſt, ſibi videri, id ita eſſe: quin ſuſpectus fortè in fide eſſet, qui in rebus fidei ita loqueretur, v. g. mihi videtur Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis. Imò ridiculus etiam exiſtimaretur. qui affirmatè enuntians. Chriſtus ſurrexit à mortuis, ſimul enuntiaret, mihi videtur, Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis, &c. Quarè tenendo datam explicationem relinquendò utique videtur ſententia opinionem cum fide concilians.

Secundò quia τὸ *videtur* eſt dubitantium, eoque S. Thomas, & alii paſſim utuntur, dum de quæſtione propoſita dubitationem inducunt, atque in eum finem argumenta contraria proponunt. Sed ad hoc reſpondetur τὸ *videtur* abſolutum ſæpè dubitantium eſſe; at non ita, cum ſaltem nomen, vel pronomen, adjungitur, dicendo mihi videtur aut Petro, &c.

Tertiò quia in ea explicatione non videtur ſalvari contradictionem inter opinantes, quę tamen contradictio ſemper eſt inter affirmantem, & negantem. Etenim neuter dicit, rem eſſe, vel non eſſe, ſed alter ait, ſibi videri, rem eſſe; & alter ſibi videri rem non eſſe. Uterque ſcilicet verè loqui videtur; nam re vera utrique ita

vide-

videtur: at uterque ſibi contradicens verè loqui nequit, ut eſt principium: ergo inter opinantes nolla eſſet contradictio.

In contrarium tamen eſt, quod hæc locutio eſt naturalis omnium hominum, qui & aliquid ſignificant, & ita loquendo ſeſe intelligunt. Non eſt autem locutio neſcientium, vel dubitantium, ſed plusquam dubitantium, & jam aliquo modo reſolventium, & determinantium; ac proindè affirmantium, vel negantium: quin in rebus incertis, ſeu non prorsùs certis ita reſpondere, & loqui, ut in conſultationibus, moris eſt, & laudatum. At infimus gradus affirmationis, & negationis eſt opinativus; infrà quem ſolùm ſupereſt neſcire, & dubitare, vel etiam ſuſpicari, ſi tamen hoc ab opinione leviori differt. Videtur ergo, locutionem illam eſſe opinantium. Et ſanè non occurrit, quorum aliorum eſſe poſſit: eſt ergo opinantium.

Ad argumentum in contrarium, quod Protagoræ placitis multum prodeſſe poteſt, reſpondendum erit, ſalvari contradictionem omnium minimam, qua habeatur, alterutri opinantium malè videri, eumque falli in eo, qnod ita ſibi videatur. Nihilominùs difficultatem facit vox *videri*, quia uterque verè euuntiare videtur. Sed dictum explicatumque eſt *quæſt. præc.* ex vocum penuria hanc vocem *videri* ſignatè magis, quam exercitè efferre opinione, & *τὸ videri* in opinione mentali non ſe habere ſignatè, ſed exercitè, ut videre in oculis, qui vident quidem re ipſa, & exercitè; non autem ſignatè, & quaſi reflexè. Quia ergo vox *videri* ſignatè magis opinionem explicat, & revera uterque opinantium opinatur, indè utriusque vocale dictum verum eſſe videtur; non tamen eſt.

§. II.

Explicatio naturæ opinionis.

QUoniam itaque his moleſtiis impediri aliquis nolet, damus hanc aliam explicationem quæ ſalvetur, per *eſt*, & *non eſt*, quibus verbis uti paſſim ſolent etiam opinantes maximè verò in ſcholis: quemadmodùm etiam credentes, & ſuſpicantes.

Opinaturo ergo, atque opinati cuilibet objectum opinabile, vel concluſio opinabilis, & opinanda proponitur neceſſariò, ac præſentatur ut potens ſic aut aliter ſe habere, ut conſtat ex traditis ab Ariſtotele de differentia opinionis, & ſcientiæ, quæ omnes accipiunt: poteſt quidem concluſio eſſe in ſe ipſa ſcibilis, & repugnans aliter ſe habere; at opinaturo, & opinanti non ita repræſentatur, ut ſcitur. Ex quibus patet, quam ignoranter quidam quærant probabile, & opinabile citra omnem contingentiam.

At non ſunt ſatis eſt quod opinaturo, vel opinanti concluſio repræſentetur ut potens ſic, aut aliter ſe habere: nam ſortes, & fortuita, & caſualia, de quibus non eſt opinari, eo modo repræſentantur, atque proponuntur. Hoc ergo totum opinaturo, vel opinanti repræſentatur, & præponitur, concluſionem ſcilicet ita ſe habere, poſſe tamen aliter ſe habere: & opinio in quantum opinio hæc omnia complectitur.

Hinc nihil repugnat, quod intellectus opinans utatur verbo *eſt*, nam re vera opinanti concluſio proponitur, ita eſſe; ideoque dicere poteſt ita eſſe. Hoc tamen *eſt* modificatur, atque ab aliis modis affirmandi certis, & firmioribus differt per adjunctum illud, quod ea concluſio poſſit aliter ſe habere.

Medium itaque concluſionis opinandæ repræſentat, concluſionem ita eſſe de facto; at ſimul propter illius fallibilitatem videt intellectus, non repugnare oppoſitum: utrumque proindè enuntiatur: atque hoc totum enuntiatum neque cohærere cum ſcientia, vel fide divina, ut patet, ideoque nec opinionis ſimpliciter, ut ex D. Thomâ notatum fuit, atque opinionem ab aſſenſu diſtinximus tanquam totum à parte.

Si quaſi propriùs opinio enuntiet, rem eſſe, videtur, quod verbum *eſt* opinionis nihil differat ab *eſt* ſcientiæ, & aſſenſuum certorum; nam etſi ſuperveniat pars illa alia, qua mens enuntiet, concluſionem tamen illam poſſe aliter ſe habere, prius nequit, ſicut neque conſtitui, ita neque differre per poſterius, & hic urgent argumenta *præc. quæſt.* propoſita. Dicendum ergo videtur, intellectui proponi tanquam notius quid & manifeſtius, concluſionem illam poſſe aliter ſe habere, & hoc quaſi primum, & per prius enuntiari; indagare mox intellectum, quomodò tamen ſe habeat re ipſa illa concluſio; & proponitur demùm, eam ita ſe habere; & tunc ei aſſenſum præſtat, qui à præcedenti illo enuntiato formidoloſus eſt, & dicitur.

Medium porrò concluſionis non eodem modo cauſat aſſenſum concluſionis, & illud aliud enuntiatum, quod concluſio poſſit aliter ſe habere; nam hoc enuntiatum cauſat quaſi negativè; nam intellectus reflectens ſuper defectum, & fallibilitatem medii, ad quod cognoſcendum habet alia, media, taxat meritum motivi, & enuntiat, illud non eſſe neceſſarium, ac proindè non repugnare, concluſionem aliter ſe habere. At aſſenſum ipſum concluſionis cauſat poſitivè; ad hoc enim tota illius vis eſt, & ex defectu potiùs fortioris virtutis reſultat illud aliud enuntiatum: quemadmodum cernitur in cauſis phyſicis; nam quod tantum agant, virtutis earum eſt; quod plus non agant, ex defectu potiùs virtutis, & ita negativè eſt. Quod ſi calido ut quatuor agente calorem ut tria in paſſo, paſſum adhuc remanet frigidum ut duo, hoc frigidum non ex calido illo, ſed ex cauſa alia poſitivè eſt: ita illud enuntiatum opinionis, quod concluſio poſſit aliter ſe habere, poſitivè non ex medio ipſo concluſionis eſt, ſed ex cauſa alia.

Hinc ſi opinanti ſuperveniat medium fidei, vel ſcientiæ, nihil per hoc tollitur de virtute, & cauſalitate medii probabilis; agere proindè poteſt, quod agebat. Solùm ergo defectus illius ſuppletur per hoc aliud medium ſcientiæ, vel fidei, ex quo omnis alia caſa impeditur, ne cauſet enuntiatum illud quod concluſio ea poſſit aliter ſe habere: jam enim intellectui conſtat, concluſionem illam vel abſolutè, vel ſaltem ut ſubeſt divinæ revelationi, non poſſe aliter ſe habere. Quare medium probabile aget quidem, quod agebat, & ſic manebit aſſenſus per illud cauſatus; opinio tamen non manebit, de cujus ratione, eſt alterum illud enuntiatum: quod eo exemplo calidi ut quatuor agento calorem ut tria declaratur, ſi cauſa alia superveniret tollens frigidum ut duo, v. g. Deus vel plus caloris in paſſum inducendo, vel ſine hoc frigus ipſum deſtruendo. Semper tamen intellectus cognoſcit, vi medii probabilis non oſtendi concluſionem ut repugnantem aliter ſe habere; quare medium hoc nunquam tantum agit, quantum

medium fidei, vel ſcientiæ, ſed eſt aſſenſus vi ejus præſtitus ſemper modificatus, & reſtrictus ſemper cognitionem meriti illius.

§. III.

Formido etiam opinionis explicatur aliter.

CAvimus *quæſt. præc.* formidinem opinionis non eſſe explicandam per particulas fortè, forſitan, & ſimilea; quæ interimunt rationem aſſenſus; tenendum quippè ſemper eſt, opinionem eſſe enuntiationem, & affirmarionem, vel negationem: nequit dicere, fortè non eſt, fortè fallor, &c. nam putat, rem eſſe, nec ſe falli.

Explicuimus propterea, formidinem opinionis aliud non eſſe, quam cognitionem, qua intellectus cognoſcit, rem, quam opinatur, atque per opinionem enuntiat, ita eſſe, non tamen repugnare, poſſibile eſſe, quod aliter ſe habeat: ideoque aſſenſua opinativus cadit ſuprà actum ipſum; formido autem immediatè ſuprà potentiam, & poſſibilitatem, & çontingentiam remotam, quod aliter ſo habeat. Atque ſic clarè videtur intellegi formido opinionia.

Nihil tamen repugnat, quod qnis teneat, formidinem eſſe aliquid ipſiua aſſenſus opinativi, non quaſi poſitivum, ſed quaſi negativum, & defectivum. Scilicet *præc. quæſt.* dictum eſt, formidinem non eſſe aliquid ipſius aſſenſus opinativi, ſi formido ſit motus aliquis intellectus quaſi tergiverſativus, & vel ut fuga ab objecto: ſic enim eſſet motua contrarius motui ipſius aſſenſus; nam hie eſſet ad objectum, & ille ab objecto in contrarium objectum, ut declaratum fuit.

Dici ergo poterit, formidinem eſſe qnidem aliquid ipſius aſſenſus opinativi, tamen quaſi negativum, & defectivum. At quod dicendum eſt, verbum *eſt*, non eſſe in intellectu unius ſolùm rationis, ſed diverſæ; & eſſe alind firmius, & magis adhæſivum; & aliud minùs. Satis conſuetum eſt Ariſtoteli, S. Thomæ, aliiſque ſapientibus, ignotiora intellectus declarare per notiora voluntatis, ac vice verſa, propret tantam ntriusque potentiæ cognitionem & proportionem, quâ una ſic ſe habet ad verum, ſicut altera ad bonum, & qnoad hoc æquiparantur.

Videmua autem, quod voluntas habet diverſos modos amandi, & ſuum magis, & minus, non ſolùm majoris intentionia, vel remiſſionis, ſed etiam quaſi ſpecificum. Hoc ſenſu juſtus omnis magia Deum diligit, quam Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, non fortè intenſius, magis tamen: quod magis vocare ſolent appretiativum, erſi appretiare ac æſtimare magis ſit intellectus, quam voluntatis; ſolent tamen hæ duæ potentiæ ſua etiam viciſſim mutuari nomina. Hoc magis amare Deum explicant aliqui per collationem ad plura connotata: voluntas tamen non eſt potentia collativa, ſed inrellectus reflectena in amorem, eum explicat per eas collationes: ipſum tamen plus amare Deum in voluntate ipſa quid abſolutum eſt, & non collativum.

Sed quomodocumque hoc plus, & magis declaretur, certum eſt, in voluntate dari hoc plus, & minus quaſi ſpecificum, vel abſolutè ſpecificum amoris; & omnis rectè amans amat juxta menſuram bonitatis objecti: Amo ergo minùs amicum, quam Deum: hoc tamen minus non eſt quaſi fuga ab amico, aur aliquid odii, ſed modus ipſius amoris; quod adhæſio tam firma non ſit. Quod amor ſit, & adhæſio, quid poſitivum eſt; quod major non ſit, defectus potius eſt, quam actus aliquis, vel motus, vel affectus. Primum provenit ex merito, & dignitate objecti: ſecundum autem ex defectu potiùs dignitatis, & meriti majoris: & ſicut in amico Deum non eſſe qnid negativum eſt, ita etiam in amore. Non autem loquor de negationibus diſtinctis à rebus.

Ad hunc ergo modum de affirmationibus, & enuntiarionibus intellectns rectè philoſophari videtur dicendo, particulas enuntiativas eſſe ſpecificè diverſas, & aliud eſſe *eſt* ſcientiæ, & aliud *eſt* opinionis, quę ſe ipſis differant, ſicut differunt *eſt*, & *erit*. Hoc ergo *eſt*, opinionis eſt debilius, & infirmius, proportionatum merito objecti. Quod de enuntiarione habet, aſſenſus vocarur; quod habet defectua, & illius quaſi minus formido vocari poteſt. Quemadmodum etiam in viribus debilibus per ſe, & non ex accidenti, & ex adjuncto debilibus dicere conſuevimus: hoc verò nomen opinionis totum complectitur.

Præterea hic modus dicendi congruere etiam retum naturis videtur; nam id videtur verbum *eſt* in intellectu, quod eſt eſſe in rebus, & alterum eſt eſſe reale, alterum eſſe intentionale rerum. Sed res in ſe, & realiter habent magis, & minus de ente, & Deus eſt totum eſſe; & creaturę, ſolum ſeu participationes, ſeu partem capientes de eſſe, & de ente: & alię plus, & alię minus habent hoc eſſe. Sic ergo mirum non eſt, ſi eſſe intentionale habeat etiam ſuum plus, & minus; & quod eſſe intentionale ſcientię Dei ſit ſummum eſſe intentionale rerum omnium mox in creatis ſuccedant varii gradus majoris, & minoris participationis: eſſe autem intentionale opinabile eſt omnium minimum eſſe, infrà quod non eſt magis eſſe, quam non eſſe. Ergo *eſt* opinionis, erit quoddam minimum, & debiliſſimum *eſt*. Ut porrò in rebus eſſe, & non plus eſſe re ipſa non differunt; ita etiam erit in *eſt* opinionis. Quę omitto amplius illuſtrare; nam ſcopus operis in tuto eſt, ſive ſic, ſive alirer natura, & formido opinionis declaretur, ut jam monui.

Sic autem explicata natura, & formidine opinionis, nihil video, cur opinio cum ſua etiam formidine cum fide, vel ſcientia non cohęreat. Obſtare enim maximè ſolent particulę, quibus formidinem exponant per *fortè*, *forſitan*, &c. Hę tamen patticulę opinioni minimè congruunt. Quod verò Ariſtotcles *in libr. Prior.* tradit de differentia ſcientis, & opinantis, veriſſimum eſt utique; ſed intelligendum eſt de eo. qui ſolùm opinatur, non autem ſimul ſcit, qnod exponere hujus diei non eſt. Quod denique ſancti in contrarium docere videntur: dixi jam; exponendum eſſe per diſtinctionem rationis antecedentis; & conſequentis: ut erat caſus Thomę nolentis credere: niſi videre: & hoc non compoſſibilitatem opinionis ſed ſcientię cum fide impugnat.

QUÆST.

QUÆSTIO VIII.

Vtrum ergo omne mentaliter enunciabile, & ſic etiam probabile reducatur ad neceſſe, vel impoſſibile?

COgimur, ut alias præfatus ſum, idem multipliciter dicere, & in ipſis primis principiis ſcientiarum explicandis hærere, ut ex omnium cohærentia, & ex acceptis ab omnibus procedendo via inſtituta vera videatur, & aliquem eo vel ad confirmandum, vel ad diligentiùs examinandum moveat.

Quærimus ergo, utrum quidquid mentaliter dicimus vel affirmando, vel negando (ſic enim eſt dicere) reducatur ad neceſſe, vel impoſſibile ita ut ſit prorſus inenunciabile ab intellectu, quidquid ad neceſſe vel impoſſibile reduci nequit? in qua quæſtione cum res tritas, probataſque omnibus dicturi videamur, exponendo magis, quam argumentando procedemus. Haud porrò tractamus de enuntiationibus vocalibus; nam infinita paſſim ſine ſenſu, ſine conſideratione citra omnem rerum dictarum internam affirmationem ferè inſtar pſittacorum, amentium, puerorumque proferimus; ut ſuprà declaravimus; & hinc inter alia tot mala, atque pericula à lingua timet Jacobus Apoſtolus: quæ utique veriſſima ſunt, ac terrere quemque poſſunt.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

ITaque Logici univerſam rerum omnium, & enuntiabilium materiam in quatuor modos, revocant, atque diſtinguunt, neceſſe, impoſſibile, poſſibile, contingens: & quidquid præter hæc eſt, præter res & enuntiabilis ſit, neceſſe eſt. Quatuor hos omnes modos modaliter dicere, ac propoſitionibus modalibus enũtiare nos poſſe indubitatũ eſt; nam ſic contingens, & poſſibile ad neceſſe reduntur; nam poſſibile poſſibile eſſe; & contingens eſſe eſt planè neceſſarium ſub his terminis.

Denuò notant Logici, contingens poſſe eſſe neceſſarium non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione; nam contingens eſt ſortem ſedere: ex ſuppoſitione autem, quod ſedeat, neceſſe eſt eum ſedere, ut pronuntiatum habemus; *omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe.* Similiter poſſibile poteſt ex ſuppoſitione eſſe impoſſibile; nam poſſibile eſt, ſenem aliquem caneſcere; quod ſi canus non eſt, ex ſuppoſitione quod canus non eſt, impoſſibile eſt, eum caneſcere. Sic poſſibile eſt, mercatorem ſalvari; ſed ex ſuppoſitione, quod theſaurizat ſuper terram, & mutari nolit, impoſſibile eſt, eum ſalvari.

Ex his Logicæ indubitatis rudimentis caput ad Theologiam erigamus, & Theologos conſulamus, an, & quomodò ipſi, ubi de opinione probabili nec cura, neque memoria eſt, de cognoſcibilitate, ac enuntiabilitate materiæ contingentis, & contingentium ſine ulla in eo controverſia cenſuerint, atque ſtatuerint? Nam abſurdum non erit, neque diſplicere poterit, ſi ipſam nos deindè regulam ab ipſis traditam, ad hanc, in qua laboramus, controverſiam illibatè, & ut jacet, applicabimus.

Omiſſis verò aliis in Theologia quæſtionibus, eam proferamus, quæ ſcholas vel factionibus, vel diſſenſionibus hac ætate complevit. Scilicet ad primam partem *quæſt.* 14. acri contentione certatur inter Thomiſtas, & Societatis Doctores, Scotiſtis partim huc, partim illuc accedentibus (Nominales quippe jam obiere) quomodo, & ubi Deus cognoſcat, & præſciat futura tum abſoluta, tum conditionata, id eſt, & quomodo ab æterno præſciverit vitam illam, quam de facto Petrus Apoſtolus geſſit: & ubi item, & quomodo vitam aliam ipſe geſſiſſet, ſi Apoſtolus factus non fuiſſet, nec ſpiritu ſancto adeo plenus, ſed ſub communibus auxiliis, & gratia inſtar multitudinis relictus? Theologi vero exemplum adducere ſolent ex Evangelio ex duritie, & impœnitentia Bethſaïdæ & Corozayn, & ex pœnitentia, quam Tyrii, & Sidonii effeciſſent, ſi tot virtutes, & miracula habuiſſent.

Jam hic diverſiſſima, & pugnantia quidem ſunt ſcholarum judicia, quæ tamen in uno omnes conveniunt, quod ad rem noſtram eſt, & paulo inferius notabo. D. Thomæ placuit futura omnia abſoluta in ſua præſentialitate à Deo infallibiliter conſpici; cenſuit enim futura omnia eſſe Deo ſemper realiter præſentia: proinde Deus ea videt in ſe ipſis: ſic enim & ex ſuppoſitione quod ſunt, planè omnia ſunt determinata, neceſſaria, & infallibilia, ut paulo ante vocabam. Multi Thomiſtarum, tum aliorum ad litteram D. Thomæ rectè conſentiunt: Alii dictam præſentialitatem negantes, vel aliter philoſophantes ajunt, Deum futura abſoluta præſcire in decretis ſuis infallibiliter connexis cum illis. Et hæc quidem leviora.

De futuris verò, quæ conditionata vocant, acrior & difficilior pugna eſt; nam cum illa in ſe ipſis neque ſint; neque non ſint, ſed eſſent ſolum, vel non eſſent, nihil ſupereſſe videtur, in quo, vel ubi agnoſcantur.

Ergo principio hujus controverſiæ Thomiſtæ quidem faſſi ſunt, ea conditionata; quæ in ſanctis libris memorantur, illiſque ſimilia cognoſci quidem, ac præſciri à Deo, non quidem in ſe, cum non ſint; ſed in cauſis ſuis inclinatis ad ipſa; & quia inclinatio illa quanquam magna; certa tamen; & infallibilis non erat (obſtabat quippe libertas cauſarum illarum) ajebant; ea præſciri à Deo per ſcientiam conjecturalem: cætera verò conditionata; ad quæ nulla erat inclinatio cauſarum præſentium; nullatenùs præſciri.

Verùm hoc non ita conſultum viſum poſteris Thomiſtis: qui proinde eam Deo ſcientiam conjecturalem negantes; atque multorum conditionatorum; ad quæ nulla eſt inclinatio cauſarum ſecundarum; eidem ultrò concedentes, dixerunt, illa in decretis quibuſdam Dei præſciri: quibus ipſe conſtituit: hunc ſub hac conditione; & gratia converti; hunc alium non converti.

Scholæ porrò Societatis duriora viſa hæc Dei decreta, & conſtitutiones. Idcircò dixere cuncti, Deum omnia omninò futura conditionata præſcire in ſe ipſis; vel quia in ſe veritatem quamdam habent, quam vocant objectivam: vel quia etiam ſine hac: conditionatè veriſſimè: & certiſſimè in ſe ipſis præſciri queunt: non enim præſciuntur eſſe, ſed quod eſſent: ut autem ea: quæ ſunt: quando ſunt: neceſſario: & infallibiliter ſunt: ſic quæ eſſent: ex ſuppoſitione quod eſſent: quando eſſent: neceſſario: & infallibiliter eſſent.

Ecce omnes in en conveniunt, ad rem aliquam quoquo modo ab ipſa etiam infinita perſpicacia Dei affirmandam, requiri neceſſitatem in re, in qua, & propter quam res aliquà affirmativa, & ubi nulla eſt neceſſitas neque ſimpliciter, neque ex ſuppoſitione nullam eſſe affirmabilitatem, ut ex recenſitis modis dicendi liquidò conſtat. Eodem autem pacto impoſſibilitas requiritur ad negationem.

Quapropter unus Molina de reliquo in controverſiis de gratia apud ſuos facilè princeps, qui dixit futura illa præſciri à Deo in ſuper comprehenſione ipſarum cauſarum liberarum tam à Thomiſtis, quam à ſuis conſtantiſſimè rejicitur, eo maximè argumento, quod cauſæ liberæ ſunt indifferentes ad utrumlibet : ergo ſive comprehendantur, ſive ſupercomprehendantur, in illis nec eſt, nec agnoſcitur futura potius, quam non futura, vel pœnitentia, vel converſio.

Supponunt ergo omnes utrimque pugnantes, nihil indifferens, aut quaſi indifferens, ac proinde neque contingens, neque poſſibile habere cogno ſcibilitatem affirmabilem, aut negabilem: ceſſaret alioquin univerſa illa tantæ molis decertatio.

Nunc ad nos. Sed omne probabile eſt cognoſcibile per affirmationem, aut negationem; eſt enim opinabile, vel credibile: ergo nihil indifferens, vel quaſi indifferens, nihilque contigens, aut poſſibile (in quantum poſſibile) eſt probabile. Ergo nec ea, quæ ut plurimum ſaltem non ſunt modo explicato probabilia ab intrinſeco. Nec item ea, quæ autoritate non vigent plerumque vera, ſunt ab extrinſeco probabilia : ac proindè probabile reducitur ad impoſſibile, vel neceſſe : Probabile porrò æqualiter indifferens ad verum, & falſum, & ad eſſe, & non eſſe qualia ſunt omnia æqualiter probabilia, ex notis, & acceptis omnibus principiis non eſt aliquid mentaliter dicibile, aut enunciabile, & affirmabile, magis quam pura contingentia, in quantum contingentia ad utrumlibet. Minus ergo minùs probabilia.

§. II.

Quomodo opinabile, & probabile ad neceſſe vel impoſſibile?

OMne probabile eſt affirmabile, vel negabile etiam mentaliter, cum ſit enuntiabile, & opus eſt ut affirmabile ad neceſſe, negabile ad impoſſibile reducatur : quod nunc eſt exponendum: ubi tamen cum multa dici queant, brevis ero, & ea ſolum adducam, quæ ad rerum harum, totiusque ſeriei datæ doctrinæ intelligentiam neceſſaria viſa ſunt.

Neceſſarium ergo, & impoſſibile multipliciter dicuntur. Frequentiſſimè Theologi neceſſitatem, & impoſſibilitatem adæquatè dividunt in moralem, & phyſicam & metaphyſicam: & moralem neceſſitatem vocant, cujus oppoſitum ſine miraculo quidem, difficillimè tamen fieri poteſt, ut talos Coënces mille projicere : Phyſicam cujus oppoſitum abſolutè quidem fieri poteſt, ſed non ſine miraculo, ut ignem applicatum comburere : Metaphyſicam, cujus oppoſitum, nec miraculo fieri poteſt, ut hominem eſſe rationalam, aut riſibilem.

Frequens quidem eſt, ſed omninò aliena hæc explicatio, & alias magis diſtinctè removebitur. Quippè neceſſitas, vel impoſſibilitas moralis eſt, quæ ſcientiam, & materiam moralem: Phyſica, quæ phyſicam : Metaphyſica quæ metaphyſicam concernit. Mirum verò eſſet, ſi quærerent, quid ad eas ſcientias pertineret : quod ſcilicet in ipſis diſcitur, & ex ipſis conſtat.

Rursùs verò unaquæque neceſſitas, (& ſimiliter impoſſibilitas) eſt duplex : alia ſimpliciter talis, & alia ſecundum quid talis; ut in phyſica eſt ſimpliciter neceſſe omne ens naturale ſcilicet mobile, eſſe finitum, & ſic alia multa : eſt autem ſecundum quid neceſſe homines caneſcere, parturientes lac habere, &c.

Similiter neceſſitas moralis, quæ magis è re noſtra eſt, alia eſt ſimpliciter talis, cujus oppoſitum eſt chimericum : alia ſecundum quid talis, vel in ſubſtantia, vel in modo, cujus oppoſitum non facilè, neque citò, aut benèfieri poteſt, ut Philoſophus *lib. de Cœl. tex.* 111. tradit : quam diſtinctionem pridem ſapienter explicuit Suarez *l. 9. de grat. c. 8. & l. 1. c. 24. n. 37.* exponit, cur neceſſitas moralis ſimpliciter libertatem phyſicam non adimat. Quæ quia non multum ad præſens pertinent, amplius non explico neque confirmo.

Itaq; quo pertinet ſimpliciter tale, pertinet tale ſecundùm quid ejusdem generis. Idcircò quoties eſt magna difficultas in materia phyſica, hæc magna difficultas eſt impoſſibilitas phyſica ſecundũ quid : quoties magna inclinatio, abſolutè tamen impedibilis, ſi materia eſt phyſica; datur neceſſitas phyſica ſecundum quid, ut in graviſſimo morbo, neceſſitas mortis. Si materia eſt moralis, ſimiliter dabitur impoſſibilitas, vel neceſſitas ſecundum quid : ſi oppoſitum omninò fieri nequit, ut hominem diu ſine gratia viventem non peccare (eſſet enim chimæra) aderit neceſſitas moralis ſimpliciter peccandi, & impoſſibilitas moralis ſimpliciter non peccandi. & ſic in aliis.

Cum ergo nos probabile affirmabile in magna quadam inclinatione, & connexione, licet abſolutè impedibili, poſuerimus, *l. 2.* & probabile negabile, in magna difficultate, clarè conſtat, omne probabile eſſe neceſſarium, vel impoſſibile ſecundum quid, at propterea quidquid ita non eſt reducibile, non eſſe probabile, id eſt, opinabile, & enuntiabile.

Eſt autem magis conſideranda, magisque pertinens ad ſcientiam moralem ſuum ſecundũ quid, quam ſic conſideranda in Phyſica, aut Metaphyſica ipſarum ſecundum quid. Etenim, ut ſæpe notavimus, & ipſius ſcientiæ moralis principio advertitur, ipſa habet inter omnes ſcientias materiam minus certam, & minus neceſſariam : cujus proindè magna pars eſt, multum ad ipſam pertinens neceſſitas ſecundum quid, & propria probabilium, quæ in cæteris ſcientiis non tanti eſt ob contrariam rationem, & in Mathematicis propter ſumam materiæ neceſſitatem, neceſſitas, & impoſſibilitas ſecundum quid locum non habent.

Quod porrò in rebus eſt neceſſe vel impoſſibile, id eſt in intellectu certum; nam ad impoſſibile, vel neceſſe rerum ſequitur in intellectu certum, & ubi ceſſat neceſſitas, vel impoſſibilitas tam ſimpliciter, quam ſecundum quid, ceſſat in intellectu certitudo tã ſimpliciter, quam ſecundũ quid. Ergo ceſſat cognoſcibilitas enuntiabilis, ſeu affirmabilitas, & negabilitas. Ergo tunc res ſolum manent incertæ, & dubiæ, de quibus ſcilicet nihil eſt mentaliter dicere; non enim affirmare, aut negare.

Ex

Ex his patet, quomodo probabile ab extrinſeco ſit ſimiliter neceſſarium, vel impoſſibile ab extrinſeco: nam ſit probabile affirmabile quidem per alicujus dictum affirmana, quod difficile eſt, falſum eſſe: & probabile negabile per dictum alicujus negans quod magnam connexionem cum vero habet, & difficultatem ad falſum.

Quocumque ergo modo res enuntiantur, ſive propter cauſas, ſive propter effectus, ſive propter ſigna, ſive propter teſtimonium alicujus, ſivo propter ſeipſas, ſemper ſunt ſimpliciter, vel ſecundum quid neceſſariæ, ſi affirmantur: impoſſibiles, ſi negentur, ubi, & in quantum enuntiantur, & affirmantur, vel negantur.

QUÆSTIO IX.

Vtrum ergo ex ſtatutis de natura opinionis ſequatur de novo, non licere operari juxta opinionem æquè, vel minus probabilem contra legem?

Hic de novo cernitur noſter cum illis conſenſus, qui operibus ſuis eo ſolum iverunt, ut oſtenderent, non licere operari, nec per conſequens conſulere juxta opiniones æquè, vel minùs probabiles adverſus legem. Ipſi intereà, non, opinor, negabunt, quando contingit, opinionem probabiliorem eſſe falſam, ex ea reſultare conſcientiam erroneam: & tunc, ut oſtendimus, illa ſolum ſupererit quæſtio, non quidem, an ſit regula? (nemo enim hoc quæſivit de conſcientia erronea) ſed an excuſet, vel non excuſet? & ſi invincibilis, excuſabit; ſin minus non excuſabit, in quo nihil novum, ſed tritam ætatum omnium Theologiam enuntiamus.

§. II.

Sequelæ probationes.

PRimò quia motiva quæque alicujus concluſionis nequeunt jure pluris eſſe, aut pluris fieri reſpectu voluntatis, quam ſint, vel fiant reſpectu intellectus: ſed motiva concluſionis æquè, aut minùs probabilis tam parvi ſiunt, & ſunt reſpectu intellectus, ut illis ſtare ipſe non poſſit, neque moveri per illa ad judicandum ullo genere aſſenſus, vel judicii. Ergo & tam parvi facienda ſunt reſpectu voluntatia, ut ſtare illis ipſa nequeat, nequa jure moveri per illa ad volendum. Minor conſtat ex oſtenſis de natura opinionis, & intellectus in opinando. Major etiam conſtat; tum quia motiva quæqua alicujus concluſionis immediatè, & primò ſunt pro intellectu, & ad intellectum ipſum movendum ad aſſenſum concluſionis: quemadmodùm ergo abſurdum eſt, probationes alicujus antecedentis plua poſſe pro concluſione, quam pro antecedenti ipſo, pro quo ſunt, & in quod operando in concluſionem deinceps ipſam operantur; ita abſurdum, & contra rationem eſt, quod motiva alicujus concluſionis, quæ pro intellectu ipſo ſunt, pluris ſint, & fiant reſpectu voluntatis, in intellectum operari debebant. Tum quia motiva concluſionis æquè, aut minus probabilis tanti facit intellectus, quanti ſunt, & valent: neque enim ſunt digna ullo aſſenſu. Ergo abſurdè, & contrà rationem pluris à voluntate fient, & eis ipſa ſtare volet, quibus intellectus ſtare nequit, ut eſt oſtenſum.

Voluntas itaque propter ſuam libertatem ſolùm appræhenſibilibus fortè movetur aliquando, & ſaltem ſequitur appetibilia, quæ minimè judicantur proſequenda. At tunc non jure, ſed abſurdè, & contra rationem movetur, & peccat. Atque hoc modo ſtare etiam poterit motivis concluſionis æquè, vel minùs probabilis: at abſurdè, & contra rationem id faciet, & peccabit.

Dices, voluntatem ſtare poſſe motivis æquè, vel minùs probabilis concluſionis pro lege, & tunc ſecundum legem operari: ergo probatio eſt inſufficiens. Sed manifeſta eſt inſtantia apud omnes: motivis enim conſcientiæ dubiæ nequit ſtare intellectua in judicando alterutram partem: & tamen voluntas debet ſtare motivis partis legis, & operari ſecundum legem juxta omnes. Dicent ergo, & nos quoque dicimus; in caſu conſcientiæ dubiæ voluntas non propriè ſtat motivis partis legis dubiæ, ſed legi alii univerſali, & certæ, quæ jubet, in caſu conſcientiæ dubiæ in ſenſu compoſito dubii operandum eſſe juxta legem, ne temerè, & caſu cuntra eam operando, ipſam violemus. Per nos autem hoc idem reſpondetur ad objectionem, quin caſus motivum concluſionis æquè probabilis eſt propriè, & in terminia caſus conſcieuriæ dubiæ ex *lib. prac.* & caſus concluſionis minus probabilis pejor quam conſcientiæ dubiæ. Non ergo ſtat voluntas motivis concluſionis æquè, aut minùs probabilis, ſed motivis certis legis certæ tunc obligantis; ſicut juxta omnes in dubio.

Sed eamdem, inquia, habeo ego ſolutionem; nam voluntas non ſtabit motivia concluſionis æquè, aut minùs probabilis, quæ ſcilicet minùs digna habuit intellectus, neque pluris fieri è voluntate poſſunt. Stat ergo tunc cognitionibus reflexis, harumque motivis, quæ ipſam in caſu concluſionis æquè, aut minuùs probabilis ab obligatione liberant.

1. Sed de his reflexis dictum eſt infinities & ſi eadem ipſi ſemper reponunt, quid conquerun-tur, aliqua etiam à nobis ſæpè reſumi? Omitto ergo dicta toties. Nunc ſic. Reflexarum cognitionum valor fundatur in valore, & magnitudine ipſorum motivorum concluſionia æquè. aut minùs probabilis dicendo, illa eſſe magna, eſſe gravia, magni roboris, momenti, &c. ut ſcitur; ideoque de motivis parvia, aut levibus nullas moliuntur reflexiones. At motiva concluſionis æquè, aut minùa probabilis intellectui ipſi magna non ſunt, nec gravia, per quæ ſcilicet ad nullum aſſenſum movetur, nec eis ſtare in judicando poteſt. Ergo voluntati digniora eſſe nequeunt.

Expono, & urgeo. Iſtæ omnes reflexæ in ipſo intellectu ſunt, & ipſius intellectus. At per omnes iſtas reflexas intellectus ipſe ſibi perſuadere non poteſt; ut illis motivia quoquo modo ſtet, aut propter illa ad quidquam judicandum, vel credendum moveatur. Videtur ergo, quod miſeram voluntatem prodere eat, ſi ei per reflexaa dicat, motiva illa magna eſſe, & digna, quibus ipſa ſtat, & per quæ moveatur ad volendum, & operandum. Quin intellectum iſta dicere eſt impoſſibile; nam nemo fallitur ſciens.

Pone monetam aliquam aut dublam, aut falſatam, aut quæ tanti, & non pluria valeat. Eſſet

verò Petrus ſciens, & Paulus ignorans quin Petrus Pauli ignorantis pædagogus: quæ eſt comparatio intellectus, & voluntatis. Nolit Petrus eam ſibi monetam, aut non niſi tanti velit, & faciat pro ſe. An iniquitas non eſſet, quod Paulo vel eam accipere, vel pluris accipere ſuaderet, & ipſe nolens ſuas merces eo pretio vendere, diceret interea Paulo, ut ſuas ille venderet? Objurgaretur ſanè meritò. An ergò pluris ſunt merces intellectus, id eſt, judicia in re morali, quam voluntas, & mores ipſi hominum? Non utique. Ergo ſi motiva concluſionis æquè, vel minùs probabilis nullo digna ſunt judicio, & aſſenſu intellectus, minùs multò digna eſſe poſſunt, in quibus ſidentur mores hominum, ac vita ipſa Chriſtianorum. Quin ſi voluntas alium, qui ſibi ſuggereret, haberet intellectum, ſuo intellectui motiva illa per reflexas ipſi magnificanti obſtreperet; & ſua eum per motiva illa regere juberet, atque tacere.

§. II.

Appellatio ad aliorum intellectum abs re.

DIcetur itaque, motiva concluſionis mihi æquè, aut minùs probabilis, non mihi repræſentari tamquam merentia aſſenſum meum: videre tamen me, alios viros graves, & doctos illis motos ad opinandum, & aſſentiendum quando quidem ſupponimus, concluſionem illam eſſe opinionem probabilem alicujus vel aliquorum virorum gravium. Ex hoc ergo aliorum judicio magni facere illa poſſum; eiſque proindè ſtare & ad volendum, & ad operandum.

Sed iſta appellatio eſt abs re: ſemper enim in nodo ſumus; nam ſi ex aliorum judicio motiva illa rite magni facio: ergo magni facienda in primis ſunt reſpectu ipſius intellectus, qui meriti, & valoris motivorum æſtimator, & taxator eſt: at intellectus reſpectu ſui, & pro ſe non ex aliorum judicio magna illa æſtimat, ſed ſuo potius inſufficientia taxat pro aſſenſu & ſuo, & abſolutè non digna. Quorſum ergo, ipſo intellectu prætermiſſo, tranſitus fit ad voluntatem: quemadmodum ſi, ut dictum eſt, prætermiſſo antecedenti aliquo, ſaltaretur ad concluſionem. Argumentum deindè ex aliorum intellectu, & judicio directè, & formaliùs fit ad intellectum meum; non ita directè, & formaliter ad voluntatem; nam propriot, ac immediatior eſt collatio intellectus ad intellectum, & argumentatio ex uno in alium, quam collatio intellectus ad voluntatem, & argumentatio, cæteris ſervatis paribus. At quod motiva illa aliis viſa ſint, & judicata digna aſſenſu, non facit, quod mihi videantur, & judicentur digna aſſenſu. Ergo minùs multo ad voluntatem argumentatio duci poteſt.

Sed ut res claras reddamus adhuc clariores, cùm ad aliorum virorum etiam graviſſimorum intellectum appellatur, quid ad omnia hic allegabilia intellectus ipſe pro ſe reſpondeat, videamus; nam eadem planè pro voluntate quoque reponitur. Dicit itaque ſibi: viri hi graviſſimi ſanè ſunt, & docti, & verſati, qui his ipſis motivis ad opinandum moti ſunt, dignáque illa habuerunt, quibus præberent aſſenſum, &c. Ergo tu quoque eis moveri, eaque digna habere, quibus præſtes aſſenſum, par eſt, humile, tutum, ſanctum eſt, &c. Et tamen hic intellectus immotus manet, ſi caſus ſervetur concluſionis æquè, vel minùs probabilis nam non ſolùm probatum, ſed demonſtratum etiam ex communi ſententia mihi videtur, intellectum moveri non poſſe ad aſſenſum dandum æquè, aut minùs probabilibus. Ergo ſi ſervatur caſus concluſionis æquè, aut minùs probabilis, intellectus manet immotus.

Quid ergo intellectus iſte reſpondet, qui motiva illa judicat eſſe æqualia, vel etiam minora? Primùm ergo ſi adſunt, ut frequenter accidit, alios viros graviſſimos opponit, qui non motivis illis, quin contrariis moti ſint ad contrariam concluſionem. Deinde dicit, eos viros quantumcumque graviſſimos non rectè ea motiva æſtimaſſe, nec jure illa habuiſſe digna aſſenſu: atque ad hoc ita dicendum prorsùs neceſſitatur ex ſuo intellectu æſtimante, & taxante motiva illa tamquam æqualia, vel minora; omnis autem judicans unum, putat eodem genere judicii, & gradu certitudinis, ſe non falli; falli autem omnem ſibi contradicentem, ut eſt manifeſtum. Ecce ergo intellectus iſte pro ſe reſpondens, plenè etiam pro voluntate ſatisfecit. Quod ſi pro ſe non ritè reſpondit, ad ſuperiores quæſtiones revertimur, an ſcilicet intellectus opinari poſſit æquè, aut minus probabilia? Verum hoc negotii ſatis, ſupérque confectum eſt. Ergo ex opinabilitate æquè, & minùs probabilium, quod hujus quæſtionis, eſt, valet impractibilitas, ut ita loquar, eorumdem.

Poſtremò ea appellatio eſt abs re; quia eſt diſſimili ad diſſimile. Etenim, quod modò ſupponimus, viris illis gravibus, qui iis motivis ad opinandum moti ſunt, propoſita ſunt illa tamquam probabiliora, & meliora, & abſolutè tamquam digna aſſenſu. Ex his autem argumentum fit ad alium, cui non tamquam talia repræſentantur, ſed tamquam ſolùm æqualia, vel etiam minora. Quarè ſicut propter iſtam variationem pro intellectu ipſo, ut cum illis viris gravibus opinetur, non valet argumentatio, & eſt prorsùs à diſſimili ad diſſimile; ita nec pro voluntate, aut operatione ad rem eſt, ut manifeſtis exemplis conficitur, & mox aliqua dabo.

§. III.

Ergo ſuus unicuique intellectus datus eſt, & ſua, non aliena ratio pro regula voluntatis, & morum.

COncluſionem declaro: nolo enim homines aut ſuperbos eſſe, in ſuo judicio, prudentiæque inniti; imò vellem, ut Dei, & Eccleſiæ, primùm & ſanctorum deinceps doctrinæ omnes, quæ pareſt animi humilitate, ingenia noſtra, & judicia ſubjiceremus. Suum ergo uniuſcujuſque intellectum, & ſuam rationem voco, non ſui ſolius, quæ plerumque ſaltem errans eſſet, ſed intellectum illum, & rationem illam, quam quiſque demùm apud ſe format, poſt perpenſa utique, & ſatis examinata, non Dei, & Eccleſiæ (quæ examinare non licet, ſed obaudire, & credere) & ſapientium etiam ea de re judicia, & ſenſa; quibus factis, ſuum unicuique intellectum datum, & ſuam, non alienam rationem, intuli pro regula voluntatis, & morum: ex quo intentio hujus quæſtionis denuò conſtabit perſpicuè.

Regulam autem dico, non primam, quæ eſt æterna Dei, ſed ſecundariam, homageneam, ſubordinatam, applicativamque primæ: vt *lib.* 2. & *lib.*

lib. 3. quaſt. ult. declaratum eſt. Hæc porrò regulæ morum reſumptio non vitioſa earumdem rerum repetitio eſt, ut alicui videri poteſt, ſed eorumdem primorum principiorum uſus frequens novas ſubſumendo minores: quemadmodùm per totam primam partem S. Thomas uſurpat illud, *quia Deus eſt ſuum eſſe*: tota ſcilicet ſcientia in principiis ſuis clauditur.

Unuſquiſque ergo ſuo tandem intellectu, & ſua ratione uti debet pro regula ſuæ voluntatis, & morum: quemadmodùm ſua, non aliena conſcientia uti debet, & conformiter ad illam velle, operari; & viſum eſt paulo ante, abs re eſſe aliquorum ad alienos intellectus appellationem. Hoc ſanè aliud non eſt, quam ſi pupillus non tutori ſuo, ſed alieno ſtare vellet: atque in aliis obviis exemplis idem cernitur.

Habes concluſionis moralis vel revelationem Dei, vel demonſtrationem; & ſcis tamen intereà, viros alios graves nec revelationem, nec demonſtrationem eſſe aſſecutos quin eos contrarium opinati; imò per paralogiſmum deceptos id exiſtimare certiſſimum. Omnes ſanè dicunt, te non poſſe uti tunc illorum intellectu, & modo judicandi pro regula voluntatis tuæ, & morum, ſicut illi utuntur, ſe teneri te conformari revelationi tuæ, vel demonſtrationi. Habet ſimiliter alius, vel alii habent ignorantiam invincibilem rerum fidei, vel morum; & ex ſua ignorantia non credendo, aut volendo non peccant: tu tamen ſi eorum intellectu velles non credere, aut vivere, peccares utique juxta omnes. Hoc idem, ut omittam alia, conſpicitur in univerſo convictu hominum. Ignorant alii rem aliquam: tu eam noſti vel etiam opinione. Rogati illi veriſſimè reſpondent, ſe nihil ſcire prorſus, tu tamen idem reſpondens mentiris egregiè. Suo ergo unuſquiſque intellectu, & ratione vivere debet, nec mihi tua, ſed mea ratio data eſt pro regula.

Conſcientia itaque, & intellectus, & ratio differunt ſolùm quoad præſens tamquam univerſale, & particulare: & quod in univerſali intellectus, & ratio dictant, hoc dictat in particulari conſcientia, quin iſta ex illis formatur, & depromitur, quæ quippe ex ſua definitione aliud non eſt, quam applicatio ſcientiæ, vel rationis univerſalis ad actum particularem. Cum demùm modo aliorum conſcientiæ ſe habeant, tua tibi data eſt, ex qua velis, & agas, & volendo juxta aliorum conſcientiam, tamen contra aut præter tuam, peccas proculdubiò; ſic & tua tibi datus eſt intellectus, & tua ratio, ex qua primùm conſcientiam formes; velis deindè, & agas: & niſi primùm muretur, & varietur tuus intellectus, & ratio, mutari, aut variari planè nequit conſcientia tua magis, aut aliter, quam conſequentia, & concluſio mutari, aut variari nequeunt, non mutatis, aut variatis præmiſſis; & ex eiſdem idem ſemper ſequitur.

Ex his, quæ quaſi principia ſunt, ſumitur manifeſta ratio concluſionis, quam hac *quaſt.* probandam ſuſcepimus. Etenim in caſu opinionum æquè, aut minus probabilium nihil tuus tibi intellectus dicere poteſt, nihil item tua tibi ratio; nam dicere ſolùm eſt per affirmationem, vel negationem: at oſtenſum eſt, & hic ſupponimus, æquè, & minùs probabilia non eſſe affirmabilia, neque negabilia; non enim enunciabilia nec per opinionem quidem; quod eſt infimum genus enunciationis, & affirmationis, & negationis; ergo nihil tuus tibi intellectus, neque ratio dicit: nihil proinde nec ipſa tua tibi conſcientia. Aliorum porrò intellectum, & rationem, & conſcientiam abs re eſſe pro tua tua voluntate, & operatione, modò fuit commonſtratum.

Eſt ergo caſus æqualis probabilitatis, & æqualium, vel rationum, vel authoritatum, an hoc, quod faciendum occurrit, ſit bonum, vel malum? Intellectus tuus & ratio dicere non poſſunt nec eſſe bonum, nec eſſe malum, ſed ut plurimum ſe neſcire, vel dubitare, ut ſupponimus: hoc proindè idem & conſcientia dicit; conſcientia enim tua non habet, undè aliunde ſciat, eſſe bonum, vel malum, niſi intellectum tuum, & rationem. Ergo ſi tunc velis, agas, vis ſanè, & agis aliquid, quod neſcis, vel dubitas, an bonum ſit, an malum: hoc autem eſt peccatum juxta omnes. Vis deindè & agis præter conſcientiam, & præter utramque tibi datam proximam regulam volendi, ſcilicet univerſalem, quæ eſt tua ratio, & particularem, quæ eſt tua conſcientia. Hoc mox eſt contra utramque regulam, quæ dictant, non eſſe operandum præter ipſas, & ipſis hærentibus, dubitantibus.

Jam ſicut in alienis intellectibus, & conſcientiis nullum eſt refugium, ita neque in conſuetis reflexis ullum eſt. Reflexæ enim dicunt, id eſſe probabile. At intellectus reſpondet; video eſſe probabile: at non niſi æquè probabile, aut minus; talia autem ego enunciare non poſſum neque bona eſſe, neque mala, ſed neceſſariò hæreo, & dubito. Sed replicas, etſi neſcias, eſſe bona, aut mala, judicare tamen potes, ea tibi licere. Verum hoc fusè repulſum eſt *lib.* 3. Videtur deindè pœnè ridiculum, quod hoc, quod faciendum occurrit, neſciam ego & dubitem an bonum ſit, an malum; & ſimul ſciam, eſſe licitum: ſic enim ſcire poſſum licitum, ſicut non malum. Rurſus intellectus reſpondet: nihil mihi reflexæ iſtæ miniſtrant, ut ad unam magis partem inclinem, quam in aliam; nam ſuggerunt æqualem probabilitatem hinc, & hinc. Ergo ſi cauſæ merita penſo, vel debeo dicere ſimul objectum eſſe, & bonum; vel hærere, & dubitare, ſicut priùs; atque idem conſcientia etiam dicere debet. Quarè non magis operari poſſum, quam priùs.

Ex eo prætereà, quod ſuus unicuique intellectus datus, ſit, & ſua ratio pro regula ſuæ voluntatis, & morum, alia clara ratio ſumitur, cur non liceat operari juxta æque, & minùs probabilia adverſus legem. Scitur ſcilicet, & hoc videtur indubitatum, ut magis etiam *in libris præc.* declaratum fuit, in tantum ſuum unicuique intellectum, & rationem eſſe regulam, in quantum ſunt applicativæ, & applicationes primæ, & ſupremæ regulæ legis Dei. Applicatio porrò intellectus, & rationis non eſt niſi per affirmationem, vel negationem, nec alius ullus modus eſt applicandi, nec apprehenſionibus, aut aliis hic locus ullus eſt.

Sed in caſu æqualis probabilitatis nulla eſt affirmatio, neque negatio: ergo nullus eſt intellectus, neque ratio, quæ ſit regula. Tunc itaque occurrunt intellectui motiva ſuadentia, eſſe legem, vel obligare legem: aliæ ex adverſo ſuadentia, non eſſe legem, vel obligationem. Oſtenſum eſt ex communiſſima etiam inter adverſarios ſententia, intellectum tunc non poſſe affirmare legem aut obligationem, neque negare. Ergo nulla

tunc

tunc eſt ratio, & intellectus, qui ſit regula, nec ulla applicario primæ, & ſupremæ regulæ.

Porrò in reflexis nihil habes; ſolùm quippe habes, dari probabilitates illas æquales: de lege autem ipſa, vel non lege nihil prorsùs: ergo neque de prima regula; ergo neque de ſecunda, & applicativa. Dicere autem, quidquid ſit de lege ipſa, haberi tamen, te non eſſe obligatum: eſt profectò abſurdum toties contritum, & niſi ex conſueto vix adverteretur dici poſſet: æquivalenter enim dicitur: quocumque modo ſe habeat regula, id eſt, quidquid Deus voluerit, ego non teneor ad ad hanc regulam, ſatis de his ſuperioribus.

Eſt verò manifeſtius de minus probabili, ſi contrarium extremum ita ſit probabilius, ut de eo etiam opinemur, vel poſſimus ſaltem. Tunc ſcilicet non ſolùm præter ſuum, uniuſcujuſque intellectum, & rationem, quæ ſibi pro regula data eſt, contingeret operari, ſed directè contra eam: nam intellectus tunc tibi tuus, & ratio dicit, Deum hoc velle; legem quippe adeſſe, & Deum velle idem, vel connexa ſunt. Et certè ſemper mirabimur, quod hi etiam ipſi Authores non putent, licere operari conſcientia dubitante; & intereà velint, licere operari juxta minus probabile. Nam omiſſa voce iſta *probabile*, cui aſſueti ſumus, quæ tamen nullum vi vocis habet privilegium, & rebus ipſis, & objectis conſideratis, pejor eſt ſtatus minus probabilis, quam conſcientiæ dubiæ; hæc enim non magis eſt legis, quam non legis, nec ponit magis unum, quam contrarium; & idcircò ſolùm dubitatur. At quandò adſunt minùs & magis probabile (legis ſcilicet) tunc magis eſt lex, quam non lex; ideoque & opinio datur de lege. Ergo ſicut eſt evidens, opinari plus eſſe, quam dubitare; ita eſt evidens, minùs probabile eſſe minus, quam dubium, & magis contra legem eſſe operari ex minus probabili, quam ex dubio. Quandò autem continget de his arguere, quia conſueta nomina præjudicant, minus probabile voca *A*, & dubium conſcientiæ voca *B*, hoc modo, magis legi repugnat *A*, quam *B*, quod opinor, eſt demonſtrabile. Sed non licet operari ex *B*. ergo minus ex *A*.

§. IV.

Aliæ probationes ejuſdem ſequelæ.

EOdem planè modo videtur philoſophandum quoad præſens de regula ſecundaria, atque de prima, & ſuprema regula. Haud ſanè licet omittere primam divinæ legis, & aliam præter, aut contra illam uſurpare. Sed ut dictum eſt, ſuum unicuique intellectum, & rationem Deus dedit, ut ſibi eſſet regula ſecundaria, & applicativa primæ. Ergo non licet hanc regulam omittere, & aliam præter, aut contra illam uſurpare. Quemadmodum non licet pupillo alieno tutori ſtare, & non ſuo; nec famulo alieni Domini juſſa ſervare, ſed ſui, & ſic in pædagogo & aliis. At in caſu æqualis probabilitatis ſtatus proprii intellectus purè neuter, nec affirmativus, nec negativus legis. Non licet ergo tunc alias aliorum rationes, & regulas uſurpare. Quod porro intenditur, intellectum etiam ipſum tunc accommodari, ut judicet, licere operari, etſi judicare nequear, an detur lex, vel non detur, jam ſæpè exploſum eſt, & vix videretur diſputandum: ac enim eſt prædicabile licitum, ſicut non prohibitum; cùm evidens ſit, prohibita non eſſe licita. Sed intellectus, qui neutrè etiam ſe habet ad non prohibitum; nam prohibitum eſt, quod eſt legi contrarium. Ergo neutrè etiam ſe habebit ad licitum.

Hinc vis argumenti explicatur. Intellectus inaccommodabilis, ut ita loquamur, circa legem ipſam, eſt inaccomodabilis circa licitum. Sed in caſu æqualis probabilitatis intellectus meus eſt accommodabilis circa legem ipſam niſi tollatur æqualitas, quidquid alii quanticunque opinetur, nec poteſt induci, aut moveri, ut affirmet, vel neget legem ipſam, Ergo erit in accommodabilis circa licitum. Minorem ſupponimus ex dictis: conſequentia ſequitur. Major autem videtur evidens; nam dicere licitum, eſt formaliſſimè dicere non malum, non prohibitum: dicere rursùs non prohibitum eſt formaliſſimè dicere non eſſe contra legem. Ergo qui nequit affirmare, aut dicere, non dari legem prohibentem contractum *A*, nequit dicere, contractum *A*, non eſſe contra legem: ergo neque dicere poteſt, non eſſe prohibitum: ergo neque dicere non eſſe malum.

Itaque quoniam in rebus claris offendi videtur, nos quoque cogimur in eis hærere. Omnis licitè operans, rogatus, cur operatur, debet poſſe, non ore ſolum, ſed intellectu etiam ſuo dicere, quia id eſt licitum. Si mox opponam, id non eſſe licitum, ſed malum, & prohibitum; debet poſſe reſpondere intellectu ſimiliter ſuo, id non eſſe malum, neque prohibitum: fatuus quippe eſſet, ſi reſponderet, id quidem eſſe malum, & prohibitum; tamen licitum. Debet ergo ſuus intellectus dicere, id non eſſe malum, neque prohibitum. Sed jam tunc eum accuſo ſyllogiſmo; quidquid eſt contra legem, eſt prohibitum: hoc, quod agis, eſt contra legem: ergo prohibitum. Major eſt certa, niſi inepta diſtinctione confundatur (de qua mox.) Conſequentia ſequitur. Jam ad minorem quid dicit? Profectò in caſu noſtro æqualis probabilitatis nequit ſaltem eam negare: nam nequit nec affirmare, nec negare legem: ergo nequit affirmare, nec negare, id, quod agit, eſſe contra legem, Ergo intellectus iſte ad minorem illam dicit, *neſcio*, *vel dubito*. Ergo ad conſequentiam etiam idem dicit, id eſt, *neſcio*, vel *dubito*. Ergo ad licitum quoque idem reſpondet.

Diſtinctio, quam ſignificabam, eſt, ſi diſtinguatur, malum, & prohibitum eſſe, quod eſt contra legem ſatis promulgatam: non autem, quod eſt contra legem non ſatis promulgatam: at non eſſe legem ſatis promulgatam, quando adſunt probabilitates. Contra hoc fusè dictum eſt *lib.3.* Ea porrò duo rem videntur demonſtrare; quod hoc ſuppoſito, ipſi inepti ſint, dum in quæſtionibus, ubi adſunt probabilitates, aliquid dicunt eſſe peccatum, aut illicitum; cum notum ſit, contra leges non ſatis promulgatas nullum dari peccatum, &c. aliud eſt, quod Theologiam moralem reddant ridiculam; nam fermè verſatur in materia, ubi ſunt probabilitates: ergo ubi leges non ſunt ſatis promulgatæ: cum ergo ſciatur, leges non ſatis promulgatas non habere vim obligandi, quid per totam illam quærunt, an hoc ſit peccatum, an illud? &c. Omittatur omnis hæc cura; & eatur ad alia, in quibus non ſint probabilitates: quod ſi hæ fient, mox & hæc pars impromulgata reddetur. Videtur ergo, quod diſtinctio illa ſit valdè extranea.